M

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
28 L
32

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

8.3.35.
8
f
35
8
f
19

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8.28.L.32

HOMILIÆ
SIVE
TRACTATVS AMPLISSIMI IN QVINQVE TOMOS BIPERTITOS DIVISI.

Quorum primus hic continet omnes Solemnitates annuas, Octauam SS. Sacramenti, & omnia Feſta propria Sanctorum, quæ Catholica celebrat Eccleſia.
Secundus, omnes anni Dominicas.
Tertius, duas Quadrageſimas.
Quartus, quinque Aduentus.
Quintus, alteram Octauam SS. Sacramenticum pluribus aliis Sanctorum Feſtis, & Communibus argumentis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OMNES PORRO HOMILIÆ,
SIVE

TRACTATVS, DIVIDVNTVR IN DVAS PARTES, Doctrinalem, & Moralem, & vtramque ad imitationem S. Bernardi, ex continua S. Scripturæ, ſelectiorum Patrum, Conceptuum Theologicorum, & Humanioris Litteraturæ ratiocinatione contextam.

Duos ſinguli habebunt Indices. 1. Scripturæ expoſitæ. 2. Rerum notabilium.

Quantùm vſui Prædicatorum, & cuiuſcumque viri docti ac pij conferant, Præfatio docebit.

Authore F. CAROLO MOREAV, *Auguſt. Communit. Bitur. qui Opus omne dicauit*

Illuſtriſſimo D. D. GVERAPINO DE VAVREAL, Equiti, Baroni de Lieux, &c. Mecenati ſuo munificentiſſimo.

Bibl: Sec: Coll: Rom: Soc Jesu

PARISIIS,
Apud { IOANNEM HANOCQVE, & IACOBVM LAISNÉ, propè Conuentum maiorem S. Auguſt. ſub ſigno Lilij.

M. DC. LXI.

Cum Approbatione Doctorum, & Priuilegio Regis, & Superiorum Licentia.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D. D.
GVERAPINO DE VAVREAL,
EQVITI TORQVATO,
PVBLICI STATVS ARCANI,
ATQVE ÆRARII CONSILII SENATORI,
Regiarum Rationum Exedræ Tribuno,
Baroni de Lieux, Domino de Gency,
Bus, & Melandon.

P*Aucis tecum agendum*, VIR ILLVSTRISSIME, *& in laudis cauſâ quàmmaximè. Et tuo quidem, & meo pariter genio, adulationis vmbræ prorſus extraneo, congruè. Nullam ſtatio tua ſub æquatoris & iuſtitiæ meridianæ linea patitur. Hanc vanæ captent aucupes gloriæ* prurientes auribus *blandulæ eius auræ ſuſurro molliter acquieſcant. Te ſolidæ cupidum, plus delectat meritum, quàm præmium. Tibi in nullo quàm* in Domino gloriari *placitum. Quàm refuga ſis humani plauſus, didicit nuper Gallicæ Princeps facundiæ. Æquo vix animo tuam, cum*

2. Tim. 4. 3.

1. Cor. 1. 31.

Digitized by Google

Dominus de la Serre Reg. Hiſtor. & ſcriptor indefeſſus

gentilitio ſtemmate, iconem libro tibi dicato præfigi tuliſti. Idem & me pro more, & amore præſtare volentem, non ſine ſuffuſione prohibuiſti. Ille, inquam, vernaculo diues eloquio; vir libris par ſcriptis, & annis, pro ſui emphaſi nominis, Epiſtolâ nuncupatoriâ, ſummam tui breuiauit elogij.

Tertull. 5. cont. Marc. cap. 15. Ambr. lib. 1. de virginibus poſt initiũ.

Eſt ſapor & in paucis. Quantùm ſubſtringitur verbis, tantùm diffunditur ſenſibus. *Enimuerò* prolixa laudatio, quæ non quæritur, ſed tenetur. *Nec nouo te, ab eo præſcripta retexens, conficiam tædio. Tacebo natalium claritatem; rerum ab adoleſcentiâ geſtarum gloriam; prudentiam ſupra ætatem; quâ anno viceſimo ſeptimo minor, ad Secretiora Regis Chriſtianiſſimi conſilia vocatus, ad varias inde atque arduas, apud Suecos, Germanos, Danos, Italos, negotiationes miſſus; ab Eminentiſſimo Cardinale Duce Richelio,* diſcretionis ſpirituum *dono prepollente Electus, adeò fæliciter agenda peregiſti, vt in fidei munus, illuſtriſſimo iam Stemmati, cum aurea torque Ordinis Equitum S. Michaëlis Archangeli, Liliorum inſuper limbum, magnificum principis donatiuum fueris conſequutus. Nec de eloquentiæ palma contendo; ſed affectu, ſed voto. Sunt & ſuæ latio veneres. Et quod ille pro linguæ modo, & modio, Galliæ coercuit finibus; hoc ego, cum tua munificentia, &*

1. Cor. 12. 10.

gratitudine mea, toto orbe, quo ſe Latina porrigit, propalabo. Fælicior ille calamo, quàm ſculptor cæſtro, viuam in te Senecæ, cuius totum ebibit ſpiritum, Stoici, hoc eſt viri probi, delineare tentauit imaginem. At vita tua vocalior charta, quæ moribus ille ſecundùm hominem componendis facienda præſcripſit, Chriſtianis virtutibus, fide per dilectionem operante *viciſti. Tacet lingua, ſed* cantat vita, cantant facta, *vtriſque laudabilis. In plurimis*, dicta factis deficientibus erubeſcunt. *Honeſtum ille virum, æqui probique tenacem, ſuo depinxit in libro. Maluerim Chriſtianum:* nullum velim potiùs bonum, quàm vanum. Quid prodeſt eſſe, quod eſſe non prodeſt? *Nec iam Senecæ, ſed ipſius ſancti Spiritus, in medulla Scripturæ eius, & Patrum, ac Doctorum Eccleſiæ, in omnes ſolemnitates annuas, geſta, Feſtaque Sanctorum celebrando, decerptum, tuo, in hoc opere, nomini deuoueo ſpiritum. Ad quorum ſpeculum, mores iam probè compoſitos, in dies ornare, & nouo virtutum cumulo perficere proponas.* Iuſtorum enim ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectum diem; vbi ſpiritus impetus, illuc gradiuntur; qui ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. *Quo Apoſtoli verbo, vnumquemque Stoës diſcipulum commonet Auguſtinus.* Quid tibi prodeſt, quia non

Dominus de la Serre in libro inſcripto, Senecæ ſpiritus.
Gal. 5. 6.
Aug. in Pſal.
Tertull. de Pat. cap. 1.
Tert. de pud. c. 1.
Prou. 4. 18.
Ezech. 1. 12.
Rom. 8. 14.

August. serm. 13. de verb. Apoſt. eris Epicuræus, & eris Stoïcus? Siue Epicuræus eris, ſiue Stoïcus eris, inter filios Dei non eris: quotquot enim ſpiritu Dei aguntur; ij filij ſunt Dei. Non qui ſecundùm carnem viuunt ſuam; non qui ſecundùm ſpiritum viuunt ſuum; non qui carnis voluptate ducuntur; non qui ſpiritu ſuo aguntur, ſed quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei. *Hoc planè ſpiritu, vir Dei, & agis, & ageris: & benè agis, quia bono ſpiritu ageris in bonum; vt & tu arbitrio libero diuinæ gratiæ reſpondens, agas benè.*
Tertull. de an. c. 1. *Hoc, inquam, non Senecæ, aut alicuius* gloriæ animalis Philoſophi *actus ſpiritu*, nouum
Rom. 8. 1. indutus hominem Chriſtum, *non ſecundùm carnem ambulas; ſed quæ retrò ſunt, oblitus*
Philip. 3. 13. *ſæculi dogmata, ante faciem tuam graderis;*
Ezech. 1. 9. *& in ea quæ ante ſunt, extenſus exempla*
Tertull. *ſanctorum, iuxta ipſius* Chriſti liniamenta incedis. *Quid modeſtiam & humilitatem referam, quâ licet magnificè factis, anticipata ſolutione, huius operis expenſis, alteri nihilominus, nec ſemel, ſed iteratâ iuſsione dicari mandaſti? Noſti virtutes inter ſe germanè contextas; alteram proinde alterius detrimento non creſcere. Dum, te humilem ac modeſtum ſuprà modum præſtas, ne me iniuſtè patiaris ingratum. Ecquid me duos, treſue compares tibi, quibus hoc opus dedicem, fruſtra vænari compellis, cùm ad Cynici facu-*

Digitized by Google

ſlam, vel vnum parem merito, vel beneficio reperire non ſit? Omnes quæ ſua ſunt quærunt. *Excepto te? Qui ſuum ius alteri cedat, qui ambitioni, aut rerum augendarum cupiditati metas ponat? qui ſua ſorte contentus viuat, rariſſimus.* Maior pecunia fauces auaritiæ non claudit, ſed extendit; non irrigat, ſed accendit. Poculum reſpuunt, qui fluuium ſitiunt. *Tu verò quantos merito præceſſiſti, queis Chriſtianâ humilitate ceſſiſti? Nec inſatiabili, cum cæteris acquirendi cupiditate feruidus; nec auarâ congerendi parcitate ſordidus; nec prodigâ profuſione culpandus; ſed honeſtâ liberalitate conſpicuus.*

Philipp. 2. 21.

August. homil. 30.

Virtutes porrò quæ hominem verè iuſtum Chriſtianumque perficiunt, quid eloquar? Religionem, fidem, pietatem, charitatem, quâ Deum vnum præ omnibus, & ſuper omnia electum & dilectum colis? cùm plerique diuites auaritiam colant; quæ ſimulacrorum & idolorum eſt ſeruitus: quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum. Quibus pulmo templum, & aqualiculus altare, & ſacerdos coquus, & ſanctus Spiritus nidor, & condimenta chariſmata. Apud quos agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis iacet. *Quid ſpem tuam dicam, quâ diuinæ prouidentiæ Te, tuos, tuaque omnia, ſine anxia ſolicitudine credis*

Gal. 5. 20.

Coloſſ. 3. 5.

Philipp. 3. 19.

Tertull. de ieiunio c. 17.

Digitized by Google

vt ſiue aduerſa, ſiue proſpera cedant; tibi,
Rom. 8. 28. *vt* Deum diligenti omnia in bonum cooperari
Gen. 1. 5. veriſſimè credas. Sic tibi factum eſt veſperè & mane, lux & tenebræ dies vnus.
1. Cor. 7. 40. *Quid œconomiam referam? Quidquid* Paulus ſpiritum Dei habens, *exigit à coniugibus inuicem; quidquid à viduis; quidquid à parentibus, & dominis, erga liberos & ſeruos; hæc Deo donante imples: horum omnium effectus exemplum ac ſpeculum. Quantâ pace, cum vxore nobili, diuite, formosâ, pudicâ, chariſſimâ, tali denique viro digna vixeris; quâ ad dominum præmiſſâ, non amiſſâ, fide cælibem vitam agas; quâ curâ ſuſceptos ex ea liberos, plus Deo, & patriæ, quàm tibi, litteris ac bonis moribus imbuas; quâ ſeruos manſuetudine, & liberalitate excipias; quanto miſericordiæ ſinu pauperes, vt*
Tertull. de pœn. cap. 8. *Chriſti membra foueas, quis ediſſerat?* Tam pius nemo, tam pater nemo, *tam dominus ſui, ſeruorumque nemo. Elzeari Comitis*
1. Cor. 16. 19. *Ariani familiam, aut* Aquilæ & Priſcillæ domeſticam Eccleſiam *excitatam in tua, non immeritò dicam.*

Rom. 12. 17. Matth. 5. 16. *Perge*, VIR AMPLISSIME, *& bona* non tantùm coram Deo, *ſed & coram hominibus prouide, vt videant opera tua bona, & glorificent Patrem qui in cælis eſt.*
Tertull. 2. de cultu fœm. cap. 13. Virtuti Chriſtianæ, ſatis non eſt eſſe, verùm & videri; tanta enim debet eſſe plenitu-

do eius, vt emanet ab animo ad habitum, & eructet à conſcientiâ in ſuperficiem. *Perge, imple tui ſtemmatis eximij gloriam: & generoſi* catuli Leonis regia de tribu Iuda *æ-* Geneſ.
mulus, ad prædam aſcende; repoſitam tibi 49. 9.
iuſtitiæ coronam, apertam cælo. Nec iam 2. Tim. 4. 8.
maris rubri candentibus granis, *ſed tot glo-* Tertull.
riæ coruſcantibus radiis, quot gratiæ, virtu- de reſur. cap. 7.
tumque meritis ornatam apprehende. Leo Prouer.
fortiſſimus, ad nullius pauebit occurſum; 30. 30.
fruſtra geminis variâ pelle, mundi, ac dæmonis videntibus, atque inuidentibus pardis. Ambiat te cum aurea equitis torque, & liliorum circumuallo innocentiæ, candoris; fidei ſymbolo, ſuo patrocinio cæleſtis militiæ Princeps; & de dracone ſupplantato eruat Triumphantem. Ego verò tui, Mæcenas magnificentiſſime, beneficij memor, quoad vixero, ſanctiſſimam Triadem, Dominum Ieſum, ac Deiparam Virginem, cum cælitibus omnibus, quorum gloriæ celebrandæ, Opus hoc tuum, tuis impenſis, ſub tuis auſpiciis, editum eſt; votis omnibus, & ſacrificiis vrgebo ſupplex; vt te, tuoſque, bonis omnibus naturæ, fortunæ, gratiæ, gloriæ cumulent. Ille indubiè, cui miſer- Prou.
tus pauperis, fæneraſti, Dominus retri- 19. 17.
buat pro me. Reddat centuplum; donec Pſal. 137. 8.
longitudine dierum impleat, & oſtendat Pſal. 90. 16.

tibi ſalutare ſuum. *Ita vouet, ita ſupplicat indefeſſus,*

Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ,

Humillimus ſeruus & deuotiſſimus Orator
FR. CAROLVS MOREAV, A. Ind.

Digitized by Google

PRÆFATIO

Neceſſaria cuicumque Lectori, maximè verò prædicatori.

NOn ſermones, ſed homilias, ſiue tractatus ampliſſimos, opus inſcripſi, quòd non tam elaboratæ ad numerum conciones, & vnius horæ menſurâ defixæ, quàm præparatæ, & præmanſæ, ordine nihilominus concionatorum vſui congruentiſſimo digeſtæ materiæ, quæ non vni, ſed pluribus ſermonibus ſingulæ ſatiatiſſimè ſufficiant. Ne itaque aut præludii, aut exordii, aut corporis, aut reflexionum ſingularum amplitudini Lector aliquis inuidus, aut indignabundus inſultet; ſed magìs gratulabundus applaudat, quòd ex tanta rerum haud communium redundantia, habeat quod pro libito eligat, & ſuperflua ſibi, cæteris fortè neceſſaria dimittat.

Vt fatear, primò mihi mens fuerat, ſoli concionatorum noſtræ Communitatis vſui tranſcriptum totius operis manuſcriptum relinquere: ſed Superiorum iuſſu compulſus, vt toti prodeſſet Ordini, ſolis eius Prouinciis, & Conuentibus aliqua exemplaria

Digitized by Google

tranſmittenda, ſæcularibus pauciſſima diuendenda, in lucem edidi; nec paruis ſumptibus.

Tractatus itaque ampliſſimos editurus, in plures Aduentus, Quadrageſimas, Dominicas, ſolemnitates omnes Eccleſiæ, & ſingula Feſta Sanctorum propria; ab his poſtremis, difficilioribus vtique, negotium exordior: in quibus minus cauti geminum ſolent incurrere ſcopulum. Aut enim toti in ſolemnitatis & feſti laudes effuſi, vix aliquid moribus auditorum informandis, reformandiſque impendunt; aut tacito diei myſterio, & proprio Sancti cuiuſque encomio, locis communibus offarcinati, omnem orationem in moralibus argumentis exhauriunt: cùm vtrique rei ſuæ ſint partes & munia pro merito tribuenda. Vtrique proſpexi; primam tractatuum omnium partem doctrinæ, ſecundam morali partitus: vt qui præ ætatis infirmitate, concionatoris munus exequi iam non valeo; *diuinorum operum diuiniſſimo*, vſque in ſæculum, ſubſecuturis tractatibus, concionatorum omnium, maximè noſtrorum vtilitati, & auditorum ſaluti ſubſeruiam, Dei optimi maximi, Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, ſanctorumque gloriam in operum fronte præponens. Quòd Latino potiùs quàm Gallico idiomate ſcripſerim, non linguæ vernaculæ

Dionyſius. de cœl. Hierarc.

penuria, non affectata Latinæ pompa, ſed quamplurima ratione fulta argumenta mouerunt.

Primùm quidem, cùm paucis verbis multa grauia complecti ſit melius optabiliuſque lectori, id certiùs præſtat oratio Latina ſtrictior & fortior, quàm Gallica ſolutior & mollior.

Dehinc quòd ex inſtituto, noſtra Scripturæ, & Patrum authoritate, & conceptuum Theologicorum ratiocinatione conſerta, ipſa ſola tranſlatione locorum, in immenſa volumina excreſceret, verbis potiùs inflata, quàm plena, & ſolida rebus.

Ad hæc accedit, quòd hac via concionatoribus & Bibliopolis vnâ plus conſulo, dum his venaliùs, iſtis ditiùs ſcribo, Latinè, quàm Gallicè. Quis ad hæc, audeat impunè ac liberè ſuos conceptus, & rationes ex Gallico libro depromere, quem mulierculæ lectitare oculis, ac manibus terere ſoleant, & ipſi concionatori, ſeu plagiatori & laboris alieni corraſori illudere?

Et quis extremæ fæcis orator, res ſolidas, vacuis verborum ampullis, phaleris, ac fucis non præferat?

Tandem Latinè malui, quòd Latina lingua toto regnet orbe, quocumque ſe fundit Eccleſia Romana, nec patriæ tantum meæ, ſed vniuerſæ Eccleſiæ me debitorem agnoſcam Catholicum oratorem.

Digitized by Google

Ad ſtylum quod attinet; quod in operis fronte præfixi, plenè toto exequor in corpore; meraciſſimam Scripturæ ſelectioris, & Sanctorum Patrum medullam indeſinenter excerpens: melliflui Bernardi ſtylum, quo velut ſpongia ſcripturam ſacram medullitùs imbuit, pro modulo ſecutus: ſanctorum inſuper Patrum vbique & per omnia hauſtos viuis è fontibus latices, & locos, non promiſcuos & paſſiuos, nec vi diſtortos, ſed in rem natos interſero; & quidquid in eis argumento noſtro conſonum, eloquentiâ floret, rationum pondere ſtat, ſublimitate eminet, doctrinæ profunditate exundat; id omne in iis compactum & congeſtum inuenies: ex eiſque non fluxas & flaccidas, & verbis tenus ratiocinationes, qualibus hodiè plerumque pulpita perſonant; ſed in veritatis principiis ſolidè fundatas elicies. Geminæ virgulæ, citatis in margine, Patrum, & Scripturæ locis reſpondentes, notant, non mea, ſed ſcripturæ ſacræ, & patrum ipſiſſima teſtimonia referri; vt vel eo Lector intelligat, vix vnam aut alteram; niſi rariſſimè, meam eſſe periodum, ne dicam lineam, & nihil in opere editum eſſe, niſi plenum ac ſolidum. Atque vt Typographi labori, & lectoris tædio in aſſiduâ penè characteris mutatione parcerem, vno ac pleno grammate omnia edi procuraui, cum præ-

Digitized by Google

miſſo tamen geminæ virgulæ & locorum in margine diſcrimine; ſi modò meæ Typographus & Corrector exactitudini fideliſſimè reſponderint. Parentheſes autem pluribus locis intertextæ, ſcripturæ, vel Patrum obſcuritatem aliquam paucis enubilant, aut illuſtrant. Si quando prolixiores occurrant, prætereantur, donec ſenſu ſententiæ perfecto, reſumantur. Neque verò ignauorum inertiæ, ſed deuotorum otio ſancto indulgeo; vt orationi, vel excipiendis confeſſionibus, aliiſque pietatis officiis, tempus quod ſupereſt, impendant. Pauperum nihilominus inopiæ parco, tantâ rerum vtilium, ſubtilium, doctarum æquè ac moralium copiâ, in ſingulis tractatibus exaggeratâ; conceptibus Theologicis, cum humanioris litteraturæ floſculis hinc inde reſperſis, vt cuiuis vel tenuiter eloquenti ſit facile, ex quolibet, duos vt minimum, tres frequenter, & plures interdum ſermones depromere: Cùm molles ac languidæ Gallicæ conciones, quantò affluunt eloquentiæ verbis, tantò areſcant, deficiantque ſententiis.: quibus ſeu Lector, ſeu auditor accedas, præter verba comptula, periodoſque quadratas, & neſcio quæ vana & Philoſophica ratiocinia, vix tria ſcripturæ & patrum oracula capias; atque exſuccidus, & vacuus à Lectione, vel concione recedas.

Digitized by Google

Enimuerò vbi veterum patrum & Ec-
cleſiæ Doctorum tenor ? vbi Euangelicus
ille Verbi Dei in ſynceritate annunciandi
Deut. 32. 7. modus ? *interroga patres tuos & docebunt te:*
maiores tuos , & dicent tibi ?

2. Tim. 4. 3. Eò nos infœlicitas temporum ab Apo-
Epheſ. 5. 6. ſtolo præſcita detraxit ; vt auditores à veri-
Coloſſ. 2. 8. tate auditum auertentes , ad fabulas con-
uerſi , inani Philoſophia ſeducti , *& perſua-*
1. Cor. 2. 4. *ſibilibus humanæ ſapientiæ verbis* , ipſos proh
2. Tim. 4. 3. pudor , concionatores , *prurientes auribus*
verbum Dei adulterare compellant.

Et hi quidem tantâ placendi hominibus
impetigine plerumque pruriunt , & vacuæ
eloquentiæ affectatione turgent, verbi diuini
miniſterio indigniſſimâ , vt relictâ ſcripturæ
ſanctæ & Patrum authoritate , familiari
nunc cauſidicis ſanioribus in foro ; veteres
Rabulas garrulitate induere non erubeſcant
in templo.

Pſalm. 44. 3. Hos Pſaltes in veteri , & ipſe cuius *in la-*
biis diffuſa gratia in nouo Chriſtus inſtru-
mento ſuggillat ; hic quidem ſeruum ne-
quam de Mna in ſudario in vacuum repoſi-
Luc. 19. 23. tâ pulſans : *quare, inquit, non dediſti pecu-*
niam meam ad menſam ? Cœleſtis quippè
Trapeſitæ menſa eſt Eccleſiæ exedra , in
qua non alienam , ſed ſuam , hoc eſt diui-
nam ſapientiam & ſcripturam vult auditori-
bus , à verbi ſui diſpenſatore fideli fænerari.

Pſaltes

Pſaltes regius porrò, *narrauerunt*, inquit, *mihi iniqui fabulationes*, ſiue delectationes, vt iuxta Septuaginta tranſtulit Auguſtinus; quòd nimirum fabulæ delectent, *ſed non vt lex tua*, qu d ita? quia nempe, *lex tua veritas, principium verborum tuorum veritas*. An non iniqui, *qui veritatem Dei in iniuſtitiâ deti nent*? & quas, poſito veritatis ſcripturæ principio, quas ſolido ſanæ Theologiæ ac Patrum ratiocinio concluſiones elici par eſt? Pſ. 118. 85. Ib. 142. & 160. Rom. 1. 18.

Nunc autem velut ſcopulos & vada, eloquentiæ ſuæ fluxui, obuios Scripturæ ſacræ, Patrumque contextus prætergredientes euadunt plurimi curiales hodierni. Sed tempeſtati parendum eſt, ratiocinandum hoc tempore, hic demum dicendi modus arte dæmonis ſemper inimici veritatis, & terno Scripturæ teſtimonio à Chriſto repercuſſi præualuit. Eſto, rationibus ſit agendum in cathedra, ſit intellectus auditoris argumentationibus conuincendus: quid fides? quid auditus verbi? fruſtranè Paulus fidem dixerit, *argumentum non apparentium*, conuictionem, elenchum? quid *Chriſtus Dei Spiritus, & Dei ſermo, & Dei ratio* ſine ratione locutus? quid Prophetarum, Euangeliſtarum, Apoſtolorum, patrum oracula, à Spiritu ſancto pronunciata, ſine natione, conſpuentur, eis humanæ rationes, ſeu potiùs ægræ mentis inſomnia præferentur? Matth. 4. 4. Heb. 11. Tertull. de orat. cap. 1.

Digitized by Google

Petrum , fratres, Prædicatorum princi-
1.Pet.4. 11. pem audiamus, *ſic loquimini & ſic facite : ſi quis loquitur, quaſi ſermones Dei ; ſi quis mini-ſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus.* Deus , non homo vaniloquus.

Vtinam meo conſilio reſipiſcant & fide-
Rom.3.2 liùs *credita ſibi eloquia Dei* , populis admini-
Pſ.11.7. Pſ.54. ſtrent. *Eloquia Domini, eloquia caſta, argen-*
22. *tum igne examinatum : molliti ſermones ſuper*
Pſ.119. *oleum, & ipſi ſunt iacula, ſagittæ potentis acutæ.*
4. Apoc. *Exeat ore gladius biceps, penetrabilior omni gla-*
1. 16. *dio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem ani-*
Heb. 4. 12. *mæ & ſpiritus, ſit ſupra femur accinctus.* Car-
Pſ. 44. nales reſpectus , & humanos affectus abſcin-
4. dat ; ſit opere , & exemplo , eloquentiâ facti prædicatore pollente ; ſit biceps, vtroque teſtamento, ſenſu litterali ac myſtico ; *ad fa-*
Pſ.149. *ciendam vindictam in nationibus, increpationes*
7. *in populis.* Veniat prædicator vt alter Ioannes , vox Domini rugiens è deſerto , pœnitentiam tonans, viam parans Domino , regibus, principibus, optimatibus inculcans im-
Marc. pauidè , *non licet tibi, &c.* Nihil veritus ;
6.18. etiam vitæ periculo , cum eodem, peccatoribus obſtinatis inclamet quàm , *genimina viperarum, quis vos docuit fugere à venturâ ira?*
Luc.3.7 *Nec oleo peccatorum impinguet caput* auditorum.
Pſ.140. Vt autem nouerit Prædicator, quid ſibi incumbat oneris , ne præceps incurrat la-

Digitized by Google

queum, à Pſalte comminatum, *fuit menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum;* ſe menſæ illi de lignis Sethim fabrefactæ, & inauratæ, labium aureum palmi vnius per circuitum reflexum habenti, excipiendis propoſitionis panibus deſtinatæ comparatum eſſe meminerit. Vt vitæ ſit imputribilis & incorruptæ, & aureis extrinſecus fulgeat virtutum omnium, coram populis, exemplis. *Panes quotidie calidos apponat coram Domino*, hoc eſt nouo ſemper feruore charitatis, verbi diuini Panes excoquat; *Panes, inquam, facierum;* ſiue litteralem, ſiue myſticum, & moralem Scripturæ ſenſum auditoribus exponat: ſiue pluribus, ſiue paucis; *à dextris & à ſiniſtris; per infamiam & bonam famam*, æquali ſemper, & læta facie; quaſi vni Deo, & non homini placiturus. *Vt ſic eum exiſtimet homo vt miniſtrum Dei, & fidelem diſpenſatorem myſteriorum Dei.* Præ cæteris audiat ſibi dicentem Gregorium magnum, aureum licet palmi vnius labium porrigenti, aurea licet oracula pandenti: *Tunc menſarum labra intrinſecus reflectuntur, quando Doctores ad conſcientiam reuocant tacita cogitatione quod dicunt; quando ſemetipſos ſubtiliter perſcrutantur, ſi faciant quod loquuntur, &c. O Doctor, ecce iam menſa es, iam vaſa portas, iam in vaſis fidelibus pondus holocauſti, & victimæ ſuſtines: ſed intus reflecte la-*

Pſalm. 68.23.

1. Reg. 21.6.

2. Cor. 6. 8.

1 Cor. 4. 1.

Greg. lib. 2. Hom. 21 in Ezec.

bium, ad cor reuoca ſermonem: audi quod dicis, fac quod prædicas. Si enim negligis implere quod doces, aliis meſſem ſeminas, & ipſe à frumenti participatione ieiunas. Ne cum illis in iudicio deputeris reprobis; quibus dicentibus; *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus?* Reſpondebit Iudex iratus: *Recedite à me, operarij iniquitatis, Amen dico vobis, recepiſtis mercedem veſtram Neſcio vnde ſitis.*

Matth. 7. 22. Matth. 6. 2. Luc. 13. 25.

Quod rurſum inculcat Gregorius, non Dei gloriam, ſed ſuam in prædicatione quærentibus in Heliu Iob amico Iuniore deſignatis de quo Dominus interrogat, *quis eſt iſte? &c. Prima exprobratio eſt talis interrogatio. Nam quis eſt iſte, non dicimus, niſi de eo vtique quem neſcimus. Neſcire autem Dei, reprobrare eſt: vnde quibuſdam quos reprobat, in fine dicturus eſt, neſcio vos vnde ſitis. Quid eſt ergo de hoc arrogante requirere, quis eſt iſte? Niſi apertè dicere, ego arrogantes neſcio, ideſt, eorum vitam in ſapientiæ meæ virtute non approbo: quia laudibus humanis dum inflantur, à vera gloria æternæ retributionis inaneſcunt. Cuius dum ſententias minimè reſpuit, ſed tamen eum ipſum qui eas protulit, reprehendit; quaſi apertè inſinuat dicens. Noui quæ dicit, ſed ignoro qui dicit: quia veraciter prolata approbo, ſed eum, qui de bonis quæ profert, extollitur, non agnoſco, &c.* Qualis autem debeat eſſe bonus, ac verus prædicator veritatis ſubiicit: *Sanctæ vniuerſalis Eccleſiæ*

Greg. l. 23. Mor. c. 1. Iob 38. 2

Luc. 13. 25.

ſpiritalis prædicator, in cunctis quæ dicit, ſolerti curâ ſe inſpicit, ne in eo quòd recta prædicat, vitio ſe elationis extollat: ne vita à lingua diſcordet: ne pacem quam in Eccleſia annuntiat, in ſeipſo, dum benè dicit, & malè viuit, amittat. Sed ſtudet ſummopere contra maledicos rumores aduerſantium, & defendere loquendo quod viuit, & ornare viuendo, quod dicit. Nec in his omnibus ſuam, ſed auctoris gloriam quærit: atque omnem ſapientiæ gratiam, quam vt loqueretur accipit, non ſuis ſe æſtimat meritis; ſed eorum interceſſionibus, pro quibus loquitur, accepiſſe. Sicque dum ſe infra deiicit, ſupereſt: quia ſuæ nimirum magìs mercedi proficit, eò quod bona, quæ exercere prævalet, alienis meritis reddit, &c. Et quamuis ſapientem ſe eſſe ſentiat, vellet tamen eſſe ſapiens, non videri, &c. Et tamen vt ſanctam Eccleſiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex neceſſitate quidem officium locutionis ſuſcipit, ſed ex magno deſiderio otium taciturnitatis quærit. Hoc ſeruat voto, illud exercet miniſterio.

Iſa, 52. 7. & Rom. 10 15.

Neque verò ſibi fructum conuerſionis animarum imputet de ſuæ elocutionis arte præſumens, ne illud rurſum ſibi audiat èxprobrari tumenti: *quis dedit vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui! Ac ſi diceret, niſi ego, &c. De hoc curſu imbris, qui in electorum cordibus agitur, Pſalmiſta teſtatur: velociter currit ſermo eius. Plerumque verò imber eſt,*

Iob. 38. 25. Greg. lib. 29. Mor. c. 13 Pſ. 147. 15.

Digitized by Google

& curſum non habet: quia prædicatio ad aures venit, ſed ceſſante internâ gratiâ, ad corda audientium non pertranſit. De cuius prædicationis verbis propter electos dicitur: etenim ſagittæ tuæ pertranſierunt: Sagittæ quippe Dei pertranſeunt, quando verba prædicationis eius ab auribus ad corda deſcendunt. Quod quia ſolo diuino munere agitur, imbri curſum Dominus ſe dediſſe teſtatur, &c. Vbi & aptè ſubiungitur, & viam ſonantis tonitrui. Quid enim per tonitruum, niſi prædicatio ſuperni terroris accipitur? Quem terrorem dum percipiunt humana corda, quatiuntur. Aliquando verò in tonitruo ipſe incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum Patrum conueniente prophetia, ad notitiam noſtram, quaſi ex nubium concurſione prolatus eſt. Qui inter nos viſibiliter apparens, ea, quæ ſuper nos erant, terribiliter ſonuit, &c. Sed quia quilibet prædicator, verba dare auribus poteſt, corda verò aperire non poteſt: & niſi per internam gratiam ſolus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium inuiſibiliter aditum præſtet, incaſſum prædicatio aure audientis percipitur, quæ peruenire ad intima corde ſurdo prohibetur: ſe Dominus viam ſonantis tonitrui dare aſſerit, qui cùm prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compungit. Hanc viam Paulus prædicator egregius, dum ſuperna myſteria terribiliter intonaret, ſe à ſe habere non poſſe conſpiciens diſcipulos admonebat dicens: orantes ſimul & pro nobis, vt Deus

Pſ 76. 19. — Coloſ. 3.

aperiat nobis oſtium verbi, ad loquendum myſterium Chriſti. Qui ergo loquebatur myſteria, ſed in corde audientium eiſdem myſteriis à Domino aperiri oſtium precabatur, habebat quidem iam tonitruum, ſed dari ei deſuper viam quærebat. Hanc viam nequaquam ſe Ioannes dare poſſe cognouerat, qui dicebat: non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſed vnctio eius docet vos de omnibus. Hanc viam rurſum Paulus qui daret, intimabat, dicens, neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. 1. Ioan. 2. 27. 1. Cor. 3. 7.

Ad hæc, nouerit miniſterium Euangelicum, & Angelicum, re inuicem, vt nomine conuenire. *Cum Angelus ſemper videat faciem Patris, prouidens Dominum in conſpectu ſuo ſemper.* Hierarchicos actus diu prius paſſus, quàm acturus. Purgatus purget, illuminatus illuminet, perfectus perficiat auditores. Vt videant eum tanquam *Angelum aſcendentem, & deſcendentem ſuper filium hominis.* Quid hoc? *Angeli Dei, boni prædicatores prædicantes Chriſtum, ſuper filium hominis aſcendunt, & deſcendunt, &c. Quomodo aſcendunt, & quomodo deſcendunt? Ex vno habemus exemplum. Audi Apoſtolum Paulum; quod in ipſo inuenerimus, hoc de cæteris veritatis prædicatoribus credamus. Vide Paulum aſcendentem: ſcio hominem in Chriſto, ante annos quatuordecim raptum fuiſſe vſque ad tertium cælum, & audiuit ineffabilia verba quæ non licet homini loqui. Aſcendentem audiſtis,* Matth. 18. 10. Pſ. 15. 8. Pſ. 15. 8. Ioan. 1. 51. Aug. tract. 7. in Ioan. 2. Cor. 12. 2.

d by Google

1. Cor. 3. 1. *deſcentem audite: non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Quaſi paruulis in Chriſto, lac dedi vobis, non eſcam. Ecce deſcendit, qui aſcenderat. Quære quò aſcenderat? vſque ad tertium cælum. Quære quò deſcenderit, vſque ad lac paruulis dandum. Audi quia deſcen-*
1. Theſ. 2. *dit. Factus ſum*, inquit, *paruulus in medio fratrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. Videmus enim & nutrices, & matres deſcendere ad paruulos; & ſi norunt Latina verba dicere, decurtant, & illæ quaſſant quodammodo linguam ſuam, vt poßint de lingua diſerta, fieri blandimenta puerilia: quia ſi ſic dicant, non audit infans, ſed nec proficit infans. Et diſertus aliquis pater, ſi ſit tantus orator, vt linguâ illius fora concrepent, & tribunalia concutiantur, ſi habeat paruulum filium, cùm ad domum redierit, ſeponit forenſem eloquentiam, quò aſcenderat, & in lingua puerili deſcendit ad paruulum. Audi vno loco Apoſtolum aſcendentem, & deſcendentem in vna ſententia: ſiue enim mente exceßimus, Deo: ſiue*
2. Cor. 5. 13. *temperantes fuimus, vobis. Quid eſt, mente exceßimus Deo? vt illa videantur, quæ non licet homini loqui. Quid eſt, temperantes ſumus*
1. Cor. 2. 2. *vobis? nunquid iudicaui me aliquid ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum? ſi ipſe Dominus aſcendit, & deſcendit; manifeſtum eſt, quia, & prædicatores ipſius aſcendunt imitatione; deſcendunt, prædicatione.* Viuant itaque prædicatores ſicut Angeli, loquan-

Digitized by Google

tur, operentur vt Angeli; & ſe ſuoſque ſermones, & auditores, cuſtodibus Angelis impenſiſſimè commendent, opus Angelicum aggreſſuri, & cathedram ingreſſuri prædicatores; & præ cæteris Virgini Deiparæ Angelorum ſereniſſimæ Reginæ dicenti: *mea eſt prudentia, meum eſt conſilium, & eruditis interſum cogitationibus.* Prou. 8. 12. 14. Nec ſimplici, vt aſſolet Angelicâ ſalutatione contenti; ſed breui, & argumento ſuo congruâ Apoſtrophe eam deuotè compellent, *nec ad inſipientiam ſibi.* Pſ. 21. 3. Illud enim in ſuis concionibus actitare ſolitus Beatus Hemingus Epiſcopus, tantam apud eam gratiam eſt adeptus; vt ipſa B. Birgittæ in reuelatione ab Eccleſia probata iuſſerit: *Dic illi Epiſcopo, qui omnes conciones ſuas incipere ſolet à laude mea quòd volo ei eſſe in matrem, & eius animam præſentare Deo.* P. Balingh. in Ephem. Virg. 23. Iulij. In reuel. S. Birg. c. 104. Sic nempe munifica Regina oblatam ſibi ſalutem, æternâ ſalute repenſat: & caſtos atque Angelicos intentionis, vitæ, Doctrinæ, deuotionis puritate prædicatores ad mortem vſque materno ſinu excipit ac fouet.

Vtinam, Regis Regum, & Angelorum Reginæ Deiparæ honori ac gloriæ, & Prædicatorum omnium inſtructioni pręfata proficiant.

Hic ſcopus meus, hic conatus, faxit Deus, vt non caſſus; concionatoribus ſuadere, vt repudiatâ vanâ eloquentiâ, & Phi-

Digitized by Google

loſophiâ, vni Scripturæ ſacræ, vni Patrum & Conciliorum lectioni incumbant, & *verbum*
2. Cor. *Dei ſicut coram Deo, ad vnam eius gloriam loqui*
2. 17. *& ſcribere in ſynceritate*, collaborent.

Ego verò orationem meam ad te Domine; ne
Pſ. 68. *auferas de ore meo verbum veritatis vſquequa-*
14. Pſ. 118. *que*. Tu autem lege, faue Lector, & vale: &
41. ſponſionis in Præfatione præſtitæ, fideliſſimum, ſapientiſſimorum Doctorum Sorbonicorum huius Operis examini deputatorum teſtimonio authentico ſuffragante, me crede redditorem.

PARISIIS,
Ex Typographia ANTONIVM CHRESTIEN,
in vico ſeptem viarum, propè Collegium
Montis-Acuti.

Digitized by Google

EPISTOLA REVERENDISSIMI P.Generalis ad R.P.F.Carolum Moreau.

Magiſter F. Paulus Luchinus Piſaurenſis, totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Prior Generalis.

Reuerendo in Chriſto Patri F. Carolo Moreau, eiuſdem Ordinis, & Communitatis Bituricenſis Alumno.

INgenti animi noſtri lætitiâ, à nonnullis fide dignis Ordinis noſtri Religioſis audiuimus, te homilias ſiue tractatus ampliſſimos in omnes ſolemnitates annuas, & feſta propria Sanctorum, ſingulas anni Dominicas, & duas Octauas SS. Sacramenti, Quadrageſimam duplicem, & quintuplicem Aduentum compoſuiſſe, quę publicam ſi prodirent in lucem, non exiguam Religioni noſtræ gloriam, ſacriſque Concionatoribus haud paruam parere poſſent vtilitatem. Quare cùm huiuſmodi lucubrationes de mandato Reuerendi Patris Prouincialis noſtræ Prouinciæ Sancti Guillelmi, aliàs Communitatis Bituricenſis fuerint reuiſæ, & approbatæ à duobus Sorbonæ Doctoribus, vt nobis conſtitit ex teſti-

monio R R. PP. IOANNIS MAVROY Vicarij noſtri Generalis, & Prioris Conuentus noſtri Sancti Nicolai Pariſini, & Philippi Boileſue Viſitatoris abſoluti; hortamur, vt ſeruatis ſeruandis, prælo illas committas. Quæ enim omnibus prodeſſe poſſunt, tanquam intra terræ gremium, theſaurus abſconditus inutiliter contegi minimè debent. Ita ſperare licet: & Deus qui in te cœpit opus bonum, ipſe perficiat. Vale in Domino. Datum Auenione die 8. Decembris, anno 1660. Paulus Luchinus Generalis indignus.

Magiſter F. AVRELIVS MANCINIVS
Secretarius Ord. loco ſigilli Ord.

Approbatio Doctorum Sorbonicorum.

NOs infra ſcripti Doctores Sorbonici teſtamur, nos exactè legiſſe Homilias, ſiue Tractatus ampliſſimos in ſolemnitates annuas, feſtaque Sanctorum, & Octauam SS. Sacramenti, &c. Compoſitos à Reuerendo admodum, ac colendo Patre CAROLO MOREAV, Auguſtiniano Communitatis Bituricenſis, in quibus nihil deprehendimus diſſonum, ac repugnans veræ ortodoxæque fidei, & bonitati morum, vtpote qui excerpti ſint ex perpetuo Scrip-

Digitized by Google

turæ Sacræ penu, ex ſelectiore Sanctorum Patrum medulla, ex ſubtiliore, ſolidioreque conceptuum Theologicorum ratiocinatione; & qui purum, putumque ſancti Bernardi ſtylum apertè redoleant. Vnde eos iudicauimus non ſolùm dignos tanto Authore, de re litteraria iam ſæpè meritiſſimo, verùm etiam qui in publicum prodeant, pro vtilitate, quam ex eorum lectione percipere poſſunt omnes quicumque ſunt viri docti, & præſertim qui concionibus incumbunt, quibus plurima ſeges ſuggeritur, & locuples materia ſubminiſtratur. In cnius rei fidem ſubſcripſimus, die vigeſima quinta menſis Septembris, anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi.

F. Heron. I. Banneret.

Approbatio Profeſſorum Ordinis in ſacra Theologia.

NOs infra ſcripti ſacræ Theologiæ Profeſſores & Lectores Communitatis Biturienſis aliàs Prouinciæ S. Guillelmi, Ordinis Eremit S. Auguſtini, fidem facimus de mandato R. A P. Auguſtini Cheſneau, eiuſdem Prouinciæ Prouincialis à R. & Sapientiſſimo Patre Carolo Moreav

compoſitum librum, cui titulus eſt Homiliæ ſiue Tractatus ampliſſimi in omnes ſolemnitates annuas, feſtaque Sanctorum; & cætera opera in Priuilegio contenta: in quo nihil quod fidei orthodoxæ aut Chriſtianis moribus aduerſetur, reperimus. Datum in Conuentu Regio S. Nicolai Pariſino, die 1. Octobris anno Domini 1660.

F. ALEXANDER THEVIN, F. BONAVENTVRA CORNEVIN, Theologiæ Profeſſores.

Facultas Reuerendi admodum Patris Prouincialis.

EGo infra ſcriptus Prior Prouincialis Prouinciæ ſancti Guillelmi, aliàs Communitatis Bituricenſis Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, viſâ Approbatione Doctorum Theologorum Pariſienſium libri à Reuerendo Sapientiſſimoque Patre CAROLO MOREAV eiuſdem Communitatis ac Prouinciæ Alumno compoſiti, cui titulus eſt: Homiliæ ſiue Tractatus ampliſſimi in ſolemnitates annuas, feſtaque Sanctorum, & Octauam duplicem Sacramenti, & cætera opera à præfatis Lectoribus noſtris in Theologia reuiſa facultatem vltro concedimus, vt ad Eccleſiæ vtilitatem, & Ordinis noſtri decorem, in lucem edi, & typis

Digitized by

mandari poſſit. Datum in Regio noſtro Conuentu Sancti Nicolai Pariſino, die quinta Octobris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo.

F. Auguſtinus CHESNEAV PROVINCIALIS.

Summa Priuilegij.

REgio Ludouici XIV. Chriſtianiſſimi diplomate cautum eſt, ſub mulctis ibidem expreſſis, ne quis in ſuo regno, aut aliis quibuſcumque locis ditioni Maieſtatis ſuæ ſubiectis, intra proximos nouem annos à die editionis primæ computandos, excudat, vendat, excudendum vendendumque quoquo modo tradat librum inſcriptum, *Homiliæ ſiue Tractatus ampliſſimi in omnes anni Solemnitates, Octauam duplicem S S. Sacramenti, & propria feſta Sanctorum, duas Quadrageſimas, & quinque Aduentus*, à F. CAROLO MOREAV, Auguſtiniano, compoſitum, præter Ioannem Hanocq, & Iacobum Laiſné, Bibliopolas Pariſienſes, quibus dictus Author ius ſui Priuilegij pro primo tantum hoc tomo ceſſit. Datum Pariſiis anno Domini 1661. menſis Ianuarij 10. Signatum de mandato Regis. GVYOT.

Regiſtratum in libro Communitatis Bibliopolarum per BALARD, Syndicum.

Digitized by Google

INDEX HOMILIARVM SIVE *Tractatuum huius primæ, partis Tomi primi.*

IN Solemnitate Omnium Sanctorum.

In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

In feſto s. Caroli Borromæj.
In feſto s. Martini.
In feſto Præſentationis B. Mariæ Virginis.
In feſto s. Catharinæ V. & M.
In feſto s. Andreæ.
In feſto s. Nicolai.
In feſto Conceptionis B. V. Mariæ.
In feſto s. Thomæ.
In Natiuitate Domini.
In feſto s. Stephani.
In feſto s. Ioannis Euangeliſtæ.
In feſto ss. Innocentium.
In die Circumciſionis Domini.
In feſto s. Genofeuæ V.
In Epiphania Domini.
In feſto Sanctiſſimi nominis Ieſu.
In feſto s. Antonij Abbatis.
In Conuerſione s. Pauli.
In Purificatione B. V. Mariæ.
In feſto s. Mathiæ.
In feſto s. Gabriëlis Archangeli.
In feſto ſanctiſſimi Ioſeph.
In feſto s. Benedicti.
In feſto Annuntiationis B. V. Mariæ.
In feſto Sanctiſſimæ Dominæ Pietatis.
In die s. Paſchæ.
Feria 2. poſt Paſcha.
Feria 3. poſt Paſcha.
In feſto s. Marci Euangeliſtæ.
In feſto s. Eutropij.
In feſto Apoſtolorum Iacobi & Philippi.
In feſto Inuentionis s. Crucis.
In feſto s. Monicæ.
In Conuerſione s. Auguſtini.
In feſto Aſcenſionis Domini.
In feſto Pentecoſtes.
In feria 2. Pentecoſtes.
In feria 3. Pentecoſtes.
In feſto ss. Trinitatis.

IN SOLEMNITATE

Digitized by Google

HOMILIÆ
SIVE
TRACTATVS AMPLISSIMI,
In omnes ſolemnitates Annuas, & Feſta propria Sanctorum.

PRIMA PARS HYEMALIS.

IN SOLEMNITATE OMNIVM Sanctorum, Tractatus.

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis & palmæ in manibus eorum. Apoc. 7. 9.

ASTRONOMI non pauci, tumidi nimis; & nonnulli Theologi timidi nimis; illi " ſupra ſobrietatem ſapientes „ iſti infra ſpem ſentientes: hinc de electorum paruo numero cenſeri ſe poſſe diffidunt: inde innumerum ſtellarum numerum ſoli Deo cognitum, ſubducere ſe poſſe præſumunt. Sed qui " hunc humiliat, & hunc exaltat „ & tumidum deprimit, & timidum erigit. Quoniam

Rom. 12. 3. Iſ. 74. 9 Pſalm. 146. 4.

Digitized by Google

qui ſolus " numerat multitudinem ſtellarum ,, vtrũ-
Gen. 15. 5. que hoc vno verbo conuincit: " ſuſpice cœlũ,& numera ſtellas ſi potes. ,, Gaudete ergo: " Lætamini in
Luc. 10. 20. Domino & exultate iuſti,quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. ,, Et de vocantis pietate confiſi, & de Ioannis viſione cum timore ſecuri. " Vidi (inquit)
Cant. 6. 9. turbã magnam quam dinumerare nemo poterat. ,, O Maria Regina Sanctorum omnium! O prima poſt Chriſtũ prædeſtinatorũ! " O Electa vt Sol! ,, omniũ
Pſalm. 150. 1. lucem & gloriam continens electorum! " O firma-
Gen. 1. 7. mentum virtutis eius, qui aquas ab aquis firmamento diuiſit,populos à populis, ,, iuſtos à reprobis, omnium radians fulgore ſtellarum, quas in duodenario
Apoc. 12. 1. vniuerſitatis numero , tuo diademati inſertas vidit, qui innumerabilem turbam dealbatorum,& palmatorum, ſe vidiſſe narrauit ! Vtinam tuis complutus influentiis,tuo rore perfuſus, " diffusâ tuis in labiis
Pſalm. 44. 3. gratiâ,vocẽ virtutis ,, accipiens, aliquas ſtellas Draconis caudæ detractas , tuo capiti coronando, tuæ,ſi poſſit,augendæ gloriæ , & Sanctorum numero, tuæ luci cumulandæ conferam : dum tuis aduolutus pedibus,te gratiâ plenam , iunctus Gabrieli conſaluto. Aue.

EXORDIVM.

Suppoſito Salomonis ſapientiſſimi fundamento,
Sap. 11. 21. quo conſtat æternam Dei Sapientiam, " omnia in menſurâ,& numero, & pondere diſpoſuiſſe: ,, Exertè concluditur,nihil prorſus eſſe in ſtatu naturæ , nihil in ordine gratiæ,nil gloriæ, quod non fuerit menſum, numeratum, appenſum , eius in menſurâ , numero, & pondere , cuius ſapientiæ non eſt pondus,
Pſalm. 146. 5. menſura,vel numerus;dicente Pſalmiſtâ : " ſapientiæ eius non eſt numerus. ,, Quod vt pleniùs intelligas,accipe ſic diſſerentem Auguſtinũ. ,, Menſura, (inquit) omni rei modum præfigit,& numerus om-

Digitized by Google

ni rei ſpeciem præbet (ſiue quòd ex ſingulis indiuiduis numero differentibus ſtet ſpecies; ſiue quòd decus omne, omnibus ſuis numeris abſoluatur;) & pondus omnem rem, ad quietem ac ſtabilitatem trahit. „Neque verò mundi opifex, & gratiæ gloriæque artifex, minùs ſedulus menſuræ, numeri, & ponderis, in conferendâ electis gratiâ & gloriâ, extitit obſeruator: cùm tam in palmâ, quàm pœnâ " menſuram homini, & Angelo, „ pro meriti, demeritique numero, & pondere diſtribuerit. Hic porro ordo naturæ, gratiæ, gloriæque præfixus, ex primâ rerum omniũ menſurâ, numero, pondereque defluxit. " Ille enim primitùs, & veraciter, & ſingulariter iſte eſt, qui terminat omnia, (primum enim in vnoquoque, eſt menſura cæterorum) & format omnia, & ordinat omnia; „ ait Auguſtinus: vbi proſequitur: " menſura ſine menſurâ eſt, cui æquatur quod de illâ eſt, nec aliunde ipſa eſt. (Perſonam Patris intellige, primumque, quod ex alio non oritur, principium, cui Filius conſubſtantialis adæquatur) numerus ſine numero eſt, quo formãtur omnia, nec ipſe formatur. Pondus ſine pondere eſt, quo referuntur, vt quieſcant, quorũ quies purum gaudium eſt, nec illud tamen refertur ad aliud. „ Bellè quidẽ Filius, vt prædiximus, Patris æterni " Sapientia eſt, cuius non eſt numerus. „ Qui licet " in formâ Dei, non rapinã arbitratus ſit eſſe ſe æqualem Deo, exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, per quem omnia facta ſunt, „ formoſaque & bona valde formata ſunt: in æternâ generatione non factus, aut formatus, ſed genitus creditur. Pondus denique, Spiritum ſanctum intelligimus, qui procedit vt amor: cuius ignis pondus Eſdras penſitare non potuit. Quo velut pondere, Deus omnia ponderauit, " fecit ventis pondus, appendit fundamenta terræ, „ omnia ſuis locis aptè conſtituit: quo

Aug. tom. 3. 4. de Gen. ad lit. cap. 3.

Apoc. 21. 17.

Aug. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 3. Ibid. cap. 4 Iren. l. 4. cont. Hereſ. cap. 8.

Pſalm. 146. 5. Philip. 2. 6.

Io. 1. 3.

Eſdræ. Iob. 28. 25. Prou. 8. 29.

denique præmouente ſingula ſuos petunt terminos, ad ſuas quæque ſedes,& centra referuntur : nec tamen ipſe Spiritus ad aliud à ſe naturâ diuerſum, ſed ad alium quidem à ſe perſonæ proprietate diſtinctum , Patrem, & Filium , vnicum ſui principium, realis relationis pondere reflectitur." Magnum eſt, paucíſque conceſſum , excedere omnia quæ metiri poſſunt, vt videatur menſura ſine menſurâ;excedere omnia quæ numerari poſſunt, vt videatur numerus ſine numero; excedere omnia quæ appendi poſſunt, vt videatur pondus ſine pondere ,, ait Auguſtinus. " Nec te turbet auditus ,, nec terrearis quaſi duro ſermone quòd dixit " magnũ eſſe,paucíſque conceſſum excedere omnia ,, & pennigero ſpiritu, immenſum hoc creaturarum omnium præteruolare vacuũ; vt ſolidum illud perfectumque bonum , ſui plenum, ſuique contentũ attingant,& " viſionem hanc grandem, & in lumine lumen videant. ,, Si Beatos certè cum reprobis conferas, paucis id licere concedo : ſi electos in æternâ prædeſtinatione præſcitos, collectiuè ſumas, maximum,iuxta Ioannis viſionem, ſanctorum numerum eſſe contendo. Primò itaque de magno hoc numero multiplici ratione probato diſſeram; Secundò reflexiones morales ex eo colligam.

Aug. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 3.

Aug. in Io.

Exod. 3. 3. Pſalm. 35. 10.

DIVISIO TRACTATVS.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Vix electorum gloriam , numerumque Beatorum mente reuoluo, vix in hac cauſâ ſermonem habeo, quin mihi ſubitò videar profundum pelagus ingreſſus, ancipiti cogitationum fluctu hinc inde verſari, & aduerſis ventis huc illucq; iactari; " ſpemque metumq;inter dubius, ſeu viuere credam ,, cum Beatis illis cœlitibus;"ſiue extrema pati ,, cum infœlicibus damnatiſque ſpiritibus. Quis enim ſine timore &

Apoc. 7, 16.

Digitized by Google

tremore cogitet ſeptem ſtellas tantùm in manu An-
geli ſimilis filio hominis, qui Ioanni apparuit? Quis
aliunde ſine ſpe videat tot ſtellas, Abrahæ, in figu-
ram multitudinis poſterorum æternâ beatitudine
donandorum, præmonſtratas? Sic enim Deus ma-
gno Patri blandiebatur; " ſuſpice cœlum, & munera Gen.
ſtellas ſi potes.,, Aſtronomiæ peritiſſime, inter Cal- 15.5.
deos erudite, quid de ſtellarum multitudine cenſes?
Num fortè numerum earum meo " ſub ſignaculo Iob. 9.
clauſum,, aperies? Et tu qui effuſas bonitatis immen- 7.
ſæ diuitias, in anguſtias comprimis; poſteros Abra-
hæ, " ſupra ſtellas multiplicatos,, prædeſtinationis Gen.
firmamento immobiliter collocatos, & in libro Agni 22. 17.
conſcriptos, tam arctâ ſerie, & breui Calendario
quid concludis? Mihi verò hæc cærulea " cœli pellis Pſalm.
extenſa,, tot Beatorũ nominibus exarata, quot cre- 103. 3.
dentium patri micantibus ſtellis conſperſa apparuit,
" ſemen innumerabile, non ſicut arena terræ, ſed ſi-
cut ſtellæ cœli. Vbi mihi magis videtur promiſſa
poſteritas, cœli fœlicitate ſublimis. Nam quantùm
ad multitudinem pertinet, quid ſunt ſtellæ cœli, ad
arenam terræ? Niſi quis & iſtam comparationem in Aug.
tantùm eſſe ſimilem dicat, in quantùm etiam ſtellæ, lib. 16.
dinumerari nõ valent? (quin & Pſaltes, dinumerabo, de Ciu.
inquit, eos & ſuper arenam multiplicabuntur) quia cap. 23.
nec omnes eas videri poſſe credendum eſt, &c. Po- Pſalm.
ſtremò quicumque vniuerſum ſtellarum numerum 138 18.
comprehendiſſe, & conſcripſiſſe iactantur, ſicut Ara-
tus, & Eudoxus, vel ſi qui alii ſunt, eos libri huius cõ- Eſa. 34.
temnit authoritas.,, Hactenus Auguſtinus. Sit igi- 4
tur iuxta Eſaiæ vocẽ, " cœlum liber complicatus,, Pſalm 146 4.
quia nobis incognitus electorum numerus: ſtellæ Ioan.
electi, quibus " omnibus nomina vocat, vt & proprias 10. 3.
oues nominatim: quid timidi eſtis modicæ fidei, & Matth.
cogitati nes aſcendũt in corda veſtra?,, Aliâ ex par- 16. 26.

Digitized by Google

Matth. 7. 13. te quis imperterritus audiat Chriſtum exclamantē: " intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam! „ Quod cor tam impauidum, quod frigido timoris & triſtitiæ gelu non conſtringant hæc verba? Sed quæ rurſum anima ſpe ac gaudio non diffunditur, cum Ioanne cernens tot vndique portas confluentibus ex omni populo, & linguâ, & natione bipatentes?

Apoc. 21. 10. " Oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, &c. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim; & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres. „ Atque vt ſpē noſtram firmiùs erigat,

Apoc. 21. 25. " portæ (inquit) eius non claudentur per diem; nox enim non erit illic. Et afferent gloriam, & honorem gentium in illam. „ Relinquamus ergo timidos illos frigidóſque, de ſuâ omniumque penè ſalute deſperantes;

Hebr. 6. 19. " & firmam ſpei noſtræ anchoram, „ in vaſtum bonitatis immenſæ Oceanū, cum omni noſtra ſollicitudine proiicientes, fluctuantem mentis nauiculam hoc Pſaltis verſiculo confirmemus.

Pſalm. 5. 13. " Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

Aug. Ibid. Bona enim voluntas Dei præcedit bonam voluntatem noſtram, vt peccatores vocet in pœnitentiam. Et ipſa ſunt arma quibus expugnatur inimicus. Contra quem dicitur,

Rom. 8. 33. quis accuſabit aduersùs electos Dei? Et ſi Deus pro nobis, quis contra nos? qui vnico Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus

Pſalm. 58. 11. tradidit illum. Si enim adhuc cùm inimici eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò magis reconciliati, ſalui erimus ab irâ per ipſum. Hoc eſt initi-

ctiſſimum ſcutum quo repellitur inimicus deſpera- Pſalm. 22. 6.
tionem ſalutis ſuggerens, multitudine tribulationũ, Pſalm. 102. 4.
& tentationum. „ Neque verò ſolùm " miſericor- Ezech. 1.12.17.
dia eius præueniet me: ſed & ſubſequetur me om- Et verſu 14.
nibus diebus vitæ meæ, vt in miſericordiâ & miſera- Agg. 1. 7.
tionibus coronet me. „ Præcedit ſiquidẽ " Spiritus Pſalm. 83. 7.
impetus animalia pennata ante faciem ſuam gradientia, in anteriora extenta; & quæ retrò ſunt oblita: „ ſed non deſerit " in ſimilitudinẽ fulguris coruſcantis reuertentia. „ Conuertit enim diuina gratia "ponẽtes corda ſua ſuper vias ſuas malas, „ ad pœnitendum: " & euntes de virtute in virtutem concitatur, ad Deum deorum in Sion cum turbâ illâ magnâ videndum. „

Quòd ſi quando paucos ſaluandos dicit, " miſericors & miſerator Dominus, „ reſpectu plurium damnatorum, quo ſenſu id dixerit, perpendamus. Cùm inter cæteras parabolas, Chriſtus regnum cælorum homini Regi compararet, qui fecit nuptias Filio ſuo: qui poterat expreſſius feruorem ſuæ in nos bonæ voluntatis exponere, quàm poſt ſæpiùs neglectos ſeruos, & tandem contumeliis affectos & occiſos, aliis dicere: " ite ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis, vocate ad nuptias, &c. Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſtẽ nuptiali; & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris: ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. „ Quid ais Magiſter bone? Æterna Patris ſapientia, quid loqueris? Si electi manent in aulâ, ſi in conuiuio remanent, ad gloriam æternam deputati: & eiecti foras, ſunt reprobi: quomodo excluſo vnico, & manẽ-

Pſalm. 110. 4.

Matth. 22. 9.

tibus cæteris, eo ſolo in tenebras amandato, ſic concludis; "multi enim ſunt vocati, pauci verò electi?,, Et tu certè poculo amoris "ex vino malorũ granatorũ condito, ,,Ebrius hic appares. Tu planè "Pater miſericordiarum, tu Mater pulchræ dilectionis & ſpei ,, pluſquã timoris. "Nam & loquela tua manifeſtum te facit. ,, Et ſicut "mille anni ante te, ſicut dies vnus: ,, ſic & vnus à te ſuâ culpâ proiectus, pro millibus habetur, qui es "electus ex millibus, ,, innocentiâ candidus, "ſanguine pro multis effuſo, ,, & purpureâ nuptiarum veſte, & tunicâ "charitatis multitudinem peccatorum operiente ,, rubicundus. Accipite hoc loco Auguſtinum. "Intendite, (inquit) intelligite fratres mei, vnus ille, vnum genus erat. (Vnum genus humanum ſignificabat) nam multi erant. Reſpondeat hîc mihi diligens Auditor, & dicat: nolo mihi narres ſuſpiciones tuas: probari mihi volo, quia vnus ille, multi erant. Aderit Dominus. Probabo planè, nec longè requiram, vt poſſim probare. In ipſis ſuis verbis Deus adiuuabit me, & quod vobis apertum ſit miniſtrabit per me, &c. Inuentus eſt à Domino, qui ſeruos latebat. Interrogatus obmuteſcit, ligatur, eiicitur, damnatur vnus à multis. (Scilicet excluſus à multorum numero.) &c. Vnum certè interrogauerat Dominus, vni dixerat: Amice, quomodo huc intraſti? Vnus obmutuerat; & de ipſo vno dictum fuerat: ligate illi manus & pedes &c. Quare hoc? multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. Quid huic manifeſtationi veritatis, quiſpiam contradicat? mittite, inquit, illũ in tenebras exteriores. Illum certè vnum, de quo dicit Dominus, multi ſunt vocati, pauci verò electi. Ergo pauci (ſunt qui) non mittuntur foras. Certè vnus erat ille qui non habebat veſtem nuptialem: proiicite eum. Quare proiicitur? Multi enim ſunt vocati, pauci verò ele-

Matth 20. 16. Cant. 8. 2. Eccl. 24. 24. Matth. 26. 73. 2. Pet. 3. 8. Cant. 5. 10. Matth. 26. 28. 1. Pet. 4. 8. Aug. Ser. 14. inter recẽtes ex Codice Monaſterij Corbeiẽſis.

ſti. Dimittite paucos. (In conuinio nuptiali remanẽntes:) proiicite multos. Certè vnus erat. Vnus omnino iſte, non ſolum multi erant (multos ille vnus reprobos figurabat) ſed multitudine, bonorum numerum ſuperabant. Multi enim & boni: ſed in comparatione malorum, pauci ſunt boni. Multa frumẽta nata ſunt: compara paleis, & pauca grana ſunt. Iidem ipſi in ſeipſis multi, in comparatione malorum, pauci, &c. Quomodo probamus quia in ſeipſis multi? multi ab Oriente & ab Occidente venient. Matth. 8. 11.
Quò venient? ad illud conuiuium, in quo boni & mali intrant. De alio conuiuio locutus adiunxit: & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in Regno cœlorum. Illud eſt conuiuium, quò non acceſſuri ſunt mali. Hoc quod modo eſt, dignè accipiatur, vt vt ad illud perueniatur. Iidem ergo multi, qui pauci: multi in ſeipſis; pauci in malorum comparatione. „ Huc vſque Auguſtinus, in vno illo eiecto foras, genus reproborum numeroſiſſimum eſſe, ex Christi argumentatione concludens. Sed liceat mihi in ſuperiorem ſenſum regredi, diuinæ bonitati Patris amantiſſimi conſentaneum. Eiectum, ni fallor, vnum, reprobum vnicum, tanquam multorum iacturam, ipſo etiam vſu Scripturæ, paternus amor computat. Sic Iacob, Ioſeph, vt credebat, à ferâ peſſimâ deuorato, & Simeone in Ægypto retento, ſuperſtitibus licet Gen. 42. 36.
decem liberis, ſe abſque filiis factum, præ amore querebatur. " Dixit Pater Iacob: abſque liberis me eſſe feciſtis, Ioſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis? „ Sic Paſtor relictis Luc. 15. 4.
nonaginta nouem ouibus in deſerto, ad vnicã aberrantem à grege ſolicitè requirendam abiit, tanquam pro reliquis reputatam. Sic Euangelica mulier pluris fecit Drachmam vnam perditam, quàm ſaluas nouem: pro quâ reperiundâ lucernam accendit, & to-

Matth. 13.45. & 46. tam euerrit,& euertit domum. Sic tandem prudens negotiator,“ inuẽtâ vnâ pretioſâ Margaritâ,abiit & vendidit omnia quæ habuit,& emit eam. „Nec fruſtra,cùm in vnâ rationali animâ, velut in vnâ quáq; ſpeculi diuiſi parte, integra facies; in perſonis ſingulis indiuiduæ Trinitatis, tota eſt indiuiſa diuinitatis ſubſtantia;integer Chriſtus ſub minimis hoſtiæ conſecratæ particulis: ita prorſus in vnâ creaturæ rationalis animâ, tota eſt imago & ſimilitudo Creatoris, tota eſt oblata pro eâ paſſio Redemptoris. Quid ergo mirum,ſi pro multis reputat vnum?“ diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet,conſeruaretur? parcis autem omnibus (vbique Auguſtini ſenſu, electis, & omnibus quibus parcis, & quos vult ſaluos fieri, ſaluat, & nullus ſaluatur, niſi quem vult ille ſaluum fieri. Sic & ſapiens dixit, misereris omnium,quoniam omnia potes) quoniam tua ſunt Domine,qui amas animas. „ O Verbum dulcedinis ineffabilis ! ô indicibilis præconium bonitatis? ô miſericordiſſimæ elogiũ pietatis! “ Domine qui amas animas. „ Et ſic amas, vt vnâ perditâ, diſpendiũ bonorum omnium, diuitiarum iacturam omnium, & omnis imperij tui ruinam incurriſſe videaris. “ O Domine, qui ſic curas vnumquemque noſtrum tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos. „

Sap. 11. 25.

Ibi.24.

Aug.

Et quidem vt cum timidis, & ſupinâ puſillanimitate de ſuâ ſalute deſperantibus,multiplici rationum molimine contendam: ſi paruus eſſet numerus electorum, & bonitati diuinæ, & Majeſtatis eius gloriæ,& præcellenti “ ſuper omnia opera eius miſericordiæ „ detraheret. Enimverò,ſi bonum eſt, naturâ

Pſalm. 144.9.

diffuſiuum ſui; quantò melius eſt bonum gratiæ & gloriæ, tantò largius effundi debuit, quàm bonum quodcumque naturæ. Si ergo hanc proportionem in elementorum ordine numeróque ſeruauit, vt quantò quodque aliud nobilitate præcellit, tantò etiam diffuſiori quantitate, & loco ſuperiore donaret: quis ſanæ mentis, numerum electorum tam breui numero Deum collegiſſe crediderit? Age verò, Dei gloriæ, & miſericordiæ coarctator anguſtiſſime, quid de ipſius gloriæ naturâ ſentis? quàm ſuæ propriæ Zelotem, "glorioſum in ſanctis ſuis, Deū qui glorificatur in concilio ſanctorum ſuorum „ eſſe iudicas. Gloriam certè, claram eſſe cum laude notitiam fateberе: & rectè quidem. An non verò plus ignominiæ Principi tanto, de ſubditorum clarâ ſui notitiâ fruentium, ſéque collaudantium paucitate, quàm gloriæ conſurgeret? " in multitudine enim populi dignitas Regis; & in paucitate plebis, ignominia Principis. „ Vel vt legunt 70." in multâ gente gloria Regis; in defectu autem populi contritio Principis: „ Quòd ſi "miſericordia ſuperexaltat iudicium. „ Siue vt legit Syriaca," exaltati eſtis per miſericordias ſuper iudiciū: „ vel ex Græco," gloriatur miſericordia contra iudiciū, „ & velut appenſo vtroque, quoad effectus attributo, præponderat ſuperexaltato quaſi leuiora miſericordia iudicio: vel vt clariùs cum Pſalte loquar, ſi "miſerationes eius ſuper omnia opera eius „ paucos ſaluari homines miſericordiâ, Deo ſic connaturali & propriâ quis credat? & iuſtitiæ opere ab eo alieno, numeroſam certiſſimè multitudinem reprobari?

Pſalm. 67. 36.
Pſalm. 88. 8.
Prou. 14. 28.
Iac. 2. 13.
Pſalm. 144. 9.

Quòd ſi Draco tertiam tantùm ſtellarum partem, id eſt Angelorum, caudâ traxit, & ſecum abduxit in ruinam, quorum "ſemen ſicut Abrahæ, non apprehendit „ Dei Filius: An veroſimile, vt qui ſanabiles

Apoc. 12. 4.
Hebr. 2. 16.

Matth. 13.45. & 46. tam euertit, & euertit domum. Sic tandem prudens negotiator," inuẽtâ vnâ pretioſâ Margaritâ, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. „Nec fruſtra, cùm in vnâ rationali animâ, velut in vnâ quáq; ſpeculi diuiſi parte, integra facies; in perſonis ſingulis indiuiduæ Trinitatis, tota eſt indiuiſa diuinitatis ſubſtantia; integer Chriſtus ſub minimis hoſtiæ conſecratæ particulis: ita prorſus in vnâ creaturæ rationalis animâ, tota eſt imago & ſimilitudo Creatoris, tota eſt oblata pro eâ paſſio Redemptoris. Quid ergo mirum, ſi pro multis reputat vnum?" diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur? parcis autem omnibus (vbique Auguſtini ſenſu, electis, & omnibus quibus parcis, & quos vult ſaluos fieri, ſaluat, & nullus ſaluatur, niſi quem vult ille ſaluum fieri. Sic & ſapiens dixit, miſereris omnium, quoniam omnia potes) quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas. „ O Verbum dulcedinis ineffabilis! ô indicibilis præconium bonitatis? ô miſericordiſſimæ elogiũ pietatis! " Domine qui amas animas. „ Et ſic amas, vt vnâ perditâ, diſpendiũ bonorum omnium, diuitiarum iacturam omnium, & omnis imperij tui ruinam incurriſſe videaris. " O Domine, qui ſic curas vnumquemque noſtrum tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos. „

Sap. 11. 25. (margin, beside "go mirum, ſi pro multis reputat vnum")

Ibi. 24. (margin, beside "ille ſaluum fieri")

Aug. (margin, beside "omnis imperij tui ruinam")

Et quidem vt cum timidis, & ſupinâ puſillanimitate de ſuâ ſalute deſperantibus, multiplici rationum molimine contendam: ſi paruus eſſet numerus electorum, & bonitati diuinæ, & Majeſtatis eius gloriæ, & præcellenti " ſuper omnia opera eius miſericordiæ „ detraheret. Enimverò, ſi bonum eſt, naturâ

Pſalm. 144.9. (margin, beside "ctorum, & bonitati diuinæ")

Digitized by Google

diffuſiuum ſui; quantò melius eſt bonum gratiæ & gloriæ, tantò largius effundi debuit, quàm bonum quodcumque naturæ. Si ergo hanc proportionem in elementorum ordine numeróque ſeruauit, vt quantò quodque aliud nobilitate præcellit, tantò etiam diffuſiori quantitate, & loco ſuperiore donaret: quis ſanæ mentis, numerum electorum tam breui numero Deum collegiſſe crediderit? Age verò, Dei gloriæ,& miſericordiæ coarctator anguſtiſſime,quid de ipſius gloriæ naturâ ſentis? quàm ſuæ propriæ Zelotem, "glorioſum in ſanctis ſuis,Deũ qui glorificatur in concilio ſanctorum ſuorum „ eſſe iudicas. Gloriam certè, claram eſſe cum laude notitiam fateberе: & rectè quidem. An non verò plus ignominiæ Principi tanto,de ſubditorum clarâ ſui notitiâ fruentium, ſéque collaudantium paucitate, quàm gloriæ conſurgeret? " in multitudine enim populi dignitas Regis; & in paucitate plebis ,ignominia Principis. „ Vel vt legunt 70." in multâ gente gloria Regis; in defectu autem populi contritio Principis: „ Quòd ſi "miſericordia ſuperexaltat iudicium.„Siue vt legit Syriaca," exaltati eſtis per miſericordias ſuper iudiciũ: „ vel ex Græco," gloriatur miſericordia contra iudiciũ, „ & velut appenſo vtroque, quoad effectus attributo, præponderat ſuperexaltato quaſi leuiora miſericordia iudicio: vel vt clariùs cum Pſalte loquar,ſi "miſerationes eius ſuper omnia opera eius „ paucos ſaluari homines miſericordiâ, Deo ſic connaturali & propriâ quis credat? & iuſtitiæ opere ab eo alieno, numeroſam certiſſimè multitudinem reprobari?

Pſalm. 67. 36.

Pſalm. 88. 8.

Prou. 14.28.

Iac.2. 13.

Pſalm. 144. 9.

Quòd ſi Draco tertiam tantùm ſtellarum partem, id eſt Angelorum,caudâ traxit, & ſecum abduxit in ruinam, quorum " ſemen ſicut Abrahæ,non apprehendit „ Dei Filius: An veroſimile,vt qui ſanabiles

Apoc. 12. 4.

Hebr. 2. 16.

Sap. 1. fecit nationes orbis terrarũ,,, inſanabili plagâ,plagâ
14. inimici,caſtigatione crudeli percutiẽs nationes orbis
cœlorum; paucisſimos velit ad agnitionem veritatis,
Rom.5. vitamque æternam peruenire ? Ergone " delictum
15. Adæ, ſupra Chriſti donum? ,, inuidia diaboli ſupra
1. Cor. charitatem Dei? Sic " euacuabitur ô Paule Crux
1. 17. Chriſti tui? ,, ſic conſiſtet veritas verbi tui ? Quo
Rom. ſpem puſillanimûm erigis dicens," ſi enim vnius de-
5.15. licto mortui ſunt: multò magis gratia Dei,& donum
in gratiâ vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abun-
Ibid. dauit. ,, Non quidẽ in plures electos,quã reprobos,
19. ſed vt planiùs habet tranſlatio Syriaca: in multos re-
Aug. in dũdabit. ,, Et rurſum:" Sicut enim per inobedientiã
expoſ. vnius hominis,peccatores conſtituti ſunt multi:ita &
propo- per vnius obeditionem, iuſti conſtituuntur multi. ,,
ſit ad Quod ſic exponit Auguſtinus: " quod dixit, multò
Rom. magis regnabunt,ad vitam æternam pertinet: quod
29. autem dixit,abundantiam gratiæ accipient, ad do-
Beda in nationẽ multorum pertinet delictorum. ,, Beda au-
Rom.5. tẽ iuxta eundem Auguſtinum; " Non magis multos,
id eſt multò plures homines. Neque enim plures iu-
ſtificantur, quàm condemnantur. Sed multò magis
abundauit. Adam quippe ex vno ſuo delicto reos
genuit: Chriſtus autem etiam quæ homines delicta
propriæ voluntatis,ad originale in quo nati ſunt, ad-
diderunt; gratiâ ſuâ ſoluit atq; donauit. ,, Et rurſum
Aug. idẽ ipſe Auguſtinus: " Quid eſt (inquit) multò ma-
lib.1.de gis in vita regnabunt; cùm mortis regnum multò
pecca- plures in æternam pœnam trahat? niſi intelligamus
tor.me- noſipſos in vtroque dici, qui tranſeunt ab Adam ad
ritis Chriſtum,id eſt à morte ad vitam: quia in vitâ æter-
cap.13. nâ ſine fine regnabunt,magis quàm in eis mors tem-
poraliter,& cum fine regnauit. ,, Iterum poſt multa
Aug. ſubiicit:" Eoſdẽ omnes, poſtea multos dicit:poſſunt
Ibid. quippe in aliquâ re omnes eſſe, qui pauci ſunt. Sed
cap. 15.

Digitized by Google

multos habet generatio carnalis, multos & ſpiritalis; " quamuis non tam multos hæc ſpiritalis, quàm illa carnalis. Verumtamen quemadmodum illa habet omnes homines, ſic iſta omnes iuſtos homines. Quia ſicut nemo præter illam, homo: ſic nemo, præter iſtam, iuſtus homo. Et in vtraque multi. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi, ita per obedientiam vnius hominis iuſti conſtituuntur multi. ,, Hoc itē confirmat Paulus; " decebat enim eum propter quē omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Authorem ſalutis eorum, per paſſionem conſummare, &c. Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorū exhaurienda peccata.,, Vbi D. Thomas: " Nec dicit omnium: quia mors Chriſti, etſi ſit ſufficiens pro omnibus, non tamen habet efficaciam niſi quantùm ad ſaluandos: non enim omnes ſubiiciūtur ei per fidem, & bona opera. ,, Dicente Paulo," non omniū eſt fides. ,, Et rurſū:" operatur in nobis velle, & operari pro bonâ volūtate. ,, Multos tamen ex omni genere ſaluabit. Et vbi aliàs eſſet: " copioſa apud eum redemptio? ,, An non fruſtraretur Pſaltis oratio deprecantis: " Benigne fac Domine in bonà voluntate tuà Sion: vt ædificentur muri Ieruſalem?,, Irrita quoque euaneſceret prophetia promittentis: " Iudicabit in nationibus, implebit ruinas? ,, Vbi D. Proſper; " reparabuntur (inquit) in integrum: quia non dānauit has ruinas Dominus, ſed repleuit: quod fit in hoc tempore, cùm vniuerſis gentibus ruinarum reparationem Chriſtus operatur. ,, Gregorius autē de parabolâ centum ouium:" In deſerto (inquit) nonaginta nouem oues remanſerunt, quando in terrâ Dominus vnam quærebat: quia rationalis creaturæ numerus, Angelorum videlicet, & hominum, qui ad videndum Deum conditus fuerat, pereunte homine

Hebr. 2. 10.

Hebr. 9. 28.

D. Thomas. Ibid. lect. 5.

D. Proſper in Pſalm. 109.

Greg. Homil. 34. in Euang.

erat imminutus; & vt perfectè ſumma ouiū redintegraretur in cœlo, homo perditus quærebatur in terrâ. „ Cui Bernardus accinit. " Propter hoc (inquit) & ipſe creauit homines ab initio, qui ſupplerent locum illum, & ruinas Ieruſalem reſtaurarent. „ Elegantiùs his omnibus Auguſtinus: " Placuit (inquit) vniuerſitatis Creatori, atque moderatori Deo, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat in perpetuâ perditione remaneret: quæ autem cum Deo, illâ deſerente, perſtiterat, de ſuâ certiſſimè cognitâ ſemper futurâ fœlicitate ſecura gauderet: Alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque ſuppliciis, & originalibus, & propriis, tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelicæ ſocietati ruina illa diabolica minuerat, ſuppleret. Hoc enim promiſſum eſt reſurgentibus ſanctis, quòd erunt æquales Angelis Dei. Itaque ſuperna illa Ieruſalem mater noſtra, ciuitas Dei, nullâ ciuium ſuorum numeroſitate fraudabitur, ſed vberiore etiam copiâ fortaſſe regnabit. Neque enim numerum ſanctorum hominum, aut immundorum dæmonum nouimus, in quorum locum ſuccedentes filij ſanctæ Matris Eccleſiæ, quæ ſterilis apparebat in terris, in eâ pace de quâ illi ceciderunt, ſine vllo temporis termino permanebunt. Sed illorum ciuium numerus, ſiue qui eſt, ſiue qui futurus eſt, in contemplatione eſt eius artificis, " qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, atque in menſurâ, & numero & pondere cuncta diſpoſuit, „ Nec dubium ponit, ſed vt certum credit Gregorius tot homines beatificandos, quot beati Angeli remanſerant. " Quia, inquit, ſuperna illa ciuitas ex Angelis, & hominibus conſtat, ad quam tantùm credimus humanum genus aſcendere, quantos illic con-

Ber. ſer. 1. de Aduentu.

Aug. in Enchir. ad Lau. cap. 29.

Sap. 11. 21.

Greg. Hom. 34: in Euang. circa med.

Digitized by Google

tigit electos Angelos remanſiſſe, ſicut ſcriptum eſt: ſtatuit terminos gentium ſecundùm numerum Angelorum Dei (nec obſtat verſio communis, iuxta Deut. numerum filiorum Iſraël, id eſt videntium Deum: 32.8.iux Angeli enim ſemper vident faciem Patris,& falſum 70. eſt,quòd ſaluati ex gentibus ſint iuxta numerum ſal- Matth. uandorum ex Iſraël, cum ſint innumerabiliter plu- 18. 10. res gentiles ſaluandi,quam Iudæi) debemus & nos aliquid ex illis diſtinctionibus ſupernorum ciuium ad vſum noſtræ conuerſationis trahere,noſque ipſos ad incrementa virtutum bonis ſtudiis inflammare: quia enim illuc tanta aſcenſura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remanſit Angelorum; ſupereſt, vt ipſi quoque hominis qui ad cœleſtem patriam redeunt,ex eius agminibus aliquid illuc reuertentes imitentur.,, Interea, cùm ruinæ ſaltē im- Pſalm. plendæ ſint Angelorum, iuxta Pſaltem. " Iudicabit 109. 6. in nationibus, implebit ruinas;vt ædificentur muri Pſalm. Ieruſalē,, cùm tertia pars ceciderit,"Dracone cau- 50. 20. dâ trahente tertiā partē ſtellarū;,, & tanta ſit mul- Apoc. 12. 4. titudo lapſa; quantum putas numerum electorum? & quanto amplior eſt, ſi Gregorius Papa credidit æquaturos numerorum Sanctorum Angelorum?

Numerum hunc copioſum, vbique Scriptura teſtatur, de quo Paulus præter memorata teſtimonia: " multos (inquit) filios in gloriā adduxit:,, quid ita? Hebr. niſi vt Chriſtus ipſe, " primogenitus eſſet in multis 2.10. fratribus:,, non tantùm Angelis,ſed Dei filiis homi- Rom. nibus. Quis enim credat multiplicaſſe Beatos Ange- 8. 29. los, & minoraſſe homines electos? Vidiſſe Danielem " millia millium miniſtrantium Deo,& decies Dan. 7. centena millia aſſiſtentium Domino?,, Iob abſque 10. numero militum eius numerum aſſeueraſſe, & pauciſſimos homines tam pretioſo Agni immaculati ſan- Iob. 25 guine fuiſſe redemptos? An pro vobis Angeli natus 3.

Digitized by Google

homo vobis dixit? vobis poſt flagella, ſpinas, ſputa, opprobria crucem tulit, & in malè ominato ligno pro vobis, & non pro hominibus in medio latronum expirauit? & cur tanto tempore tot hominum criminibus offenſus ſuum Chriſtus iudicium tantâ longanimitate ſuſpendit? vota Sanctorum Martyrum ſub altari vindictam de" nouiſſimâ omnium inimicâ morte deſtruenda,, clamantium differt ac protrahit," expectate, dicens adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum veſtrorum.,,

s. Cor. 15. Apoc. 6. 9.

Et quid tandem niſi immenſum Sanctorum numerum innuit Regiæ illius empireæ amplitudo? ſi " Sapientia ædificauit ſibi domũ,, ſapienter & herclè iuxta familiæ ſuæ numerum eam modulatè eſſe credendum eſt. Neque verò ſpiritibus illis incorporeis, locus ille tam vaſtus ac ſpatioſus, diſpoſitus eſt, ſed electorum ſuſcitatis in gloriam corporibus. Dicturo Chriſto ad dexteram poſitis: " Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum quod paratum eſt vobis ab origine mundi.,, Vobis, inquit, non Angelis, cum ex aduerſo hominibus reprobis ablegatis in ignem æternum, non enim dixerit ipſis, ſed diabolo & Angelis eius præparatum. Lubet hîc cum Prophetâ exclamare " O Iſraël quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius: magnus eſt, & nõ habet finem, excelſus & immenſus!,, & quo gaudio, quo animi ſubſilientis tripudio dilectiſſime Ieſu diſcipule illic " vidiſti turbam magnam? Tu qui ſubtili acie oculi perſpicacis vt Aquilæ, ſtillas aquæ permixtas ſanguine de Chriſti latere profluentes diſcernere potuiſti, acriter inueſtigans ſtellarum firmamento gloriæ locandarum elementum, earum numerum innumerabilem faſſus, dixiſti: " vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.,, Et licet aliqui Patres collectim de omnibus ſanctis viſione

Prou. 9. 1.

Matth. 25. 34.

Baruch. 3. 24.

Ambr. & Beda.

ſione Beatificâ fruentibus id explicent: alij tamen de ſolis Martyribus vnoquoque ſæculo pro Chriſto paſſis: Alij ſub vnâ Diocletiani perſecutione excarnificatis exponunt: qui cùm vnico menſe ſeptemdecim millia morti addixerit; decem annorum ſpatio, quo crudeliſſimus hic Chriſtiani nominis hoſtis in fideles ſæuiit; vicies centena millia, igni, gladio, variiſque tormentis diriſſimè laniauit. Hinc certá, & probatâ reuelatione conſtat, Romæ tantummodo, diebus ſingulis celebrari poſſe feſta ſeptem millium Martyrum. Ex aliorum verò ſupputatione, quolibet anni die, per vniuerſam Eccleſiam, triginta millium. Quod ſi tot roſæ propria ſanguinis purpurâ rubricatæ, in illis paradiſi cœleſtis areolis rutilant: quid de tot candidis virginum liliis, Confeſſorũ hyacintis, Doctorum, Anachoretarum, Sanctorum omniũ, ſelectiſſimis floribus, eſt cenſendum? " Suſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes „ Quot ibi diuersâ claritate coruſcant? quot radios vndequaque in illâ aureâ & chryſtallinâ ciuitate iaculantur? Quot ignes mutuos reciprocæ Charitatis, in ſuis inuicem cordibus accendunt?

Ioach. Abbas.

Lib. 3. reuel. S. Birgittæ. cap. 17. Gene. in Pſal. 78. 3.

Gen. 15. 5.

Sed quod tanto in numero mirandum magis ac ſtupendum, nulla in hac multitudine confuſio damnatæ Babyloni meritiſſimè relicta; nam Ieruſalem iſta viſio pacis eſt vocata. Atque vbi æternæ Deus pacis " multiplicauit gentem, ibi & magnificauit lætitiam. Ieruſalem enim ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. „ In quem locum Auguſtinus " quid eſt idipſum? quod ſemper eodem modo, eſt quod non modo aliud, & modo aliud eſt. Quid eſt ergo idipsũ, niſi quod eſt? quid eſt quod eſt? quod æternum eſt. „ Explicat alibi fuſiùs quid ſit idipſum: nempe æternum, incommutabile, infinitũ, inexhauſtum participantium multitudine bonum.

Iſa. 9. 3. Pſalm. 121. 3.

Aug. in Pſalm. 121.

Aug. lib. 2. de lib. arb. cap. 14. "Habemus (inquit) quâ fruamur omnes æqualiter, atque communiter: nullæ ſunt anguſtiæ, nullus in eâ defectus: (agit de æternâ Sapientiâ communi bono electorum) omnes amatores ſuos nullo modo ſibi inuidentes recipit. Et omnibus communis eſt, & ſingulis caſta eſt. Nemo alicui dicit, recede, vt ego etiam accedam: remoue manus, vt ego etiam amplectar. Omnes inhærent, omnes eam tangunt. Cibus eius nulla ex parte diſcerpitur: nihil de eâ bibis, quod ego non poſſim, &c. Omne verbum à quibus auditur, totũ auditur ab omnibus, & ſimul à ſingulis totum. Et ſpecies omnis quæ oculis adiacet, quanta videtur ab vno, tanta ab alio ſimul. Sed multùm longo interuallo ſunt iſta ſimilia; nec tota enim ſimul ſonat quælibet vox, quia per tempora tenditur; & producitur aliud eius priùs ſonat, aliud poſteriùs. Et Et ſpecies omnis viſibilis tanquam intumeſcit per locos, nec vbique tota eſt. Et certè omnia hæc auferuntur inuito, & quò minùs eis frui poſſimus, quibuſdam impediuntur anguſtiis. Nam etſi poſſet eſſe cuiuſquam ſuauis cantus ſempiternus, & ſtudioſi eius certatim ad eum audiendum venirent, coarctarent ſeſe, & pugnarent de loco, &c. Poſtremò ſi adeſſet ſemper ſuauitas, & lucis videnti, & vocis audienti, quid magnum ad me perueniret, cùm mihi eſſet commune cum belluis? At illa veritatis & ſapientiæ pulchritudo, tantum adſit, perſeuerans voluntas fruendi (quam electis petentibus dabit, nec cum dederit extinguetur ipſa fruitione magis ac magis videndi deſiderium eius, in quem deſiderant Angeli proſpicere, qui tamen ſemper vident faciem Patris;) nec multitudine audientium conſtipata excludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec vmbra intercluditur." Ad hæc inardeſcebat illuminatiſſimi & fer-

1. Pet. 1. 12. Matth. 18. 10.

uentiſſimi Doctoris animus; " O ſuauiſſima lux pur- Aug.
gatæ mentis ſapientia, non ceſſas innuere nobis,quæ lib.2.de
& quanta ſis ; & nutus tui ſunt omne creaturarum lib.arb.
decus. „ Ego verò cum Pſalte, " in pace in idipſum, cap.16.
dormiam & requieſcam; hæc recordatus ſum, & ef- Pſalm.
fudi in me animam meam ; quoniam tranſibo in lo- 4.9.
cum tabernaculi admirabilis vſque ad domũ Dei. „ Pſalm.
Audite Cyprianum, " qualis illic cœleſtium regno- 41.4.
rum voluptas,ſine timore moriendi,& cum æterni- Cypr.
tate viuendi ? Quàm ſumma & perpetua fœlicitas! lib. de
Illic Apoſtolorum glorioſus chorus , illic Propheta- mortalitate.
rum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus,ob certamina,& paſſionis victoriam coronatus. Triumphantes illic virgines, quæ concupiſcentiam carnis continentiæ robore ſubegerunt. Remunerati miſericordes , qui alimentis & largitionibus pauperum, iuſtitiæ opera fecerunt,qui Dominica præcepta ſeruantes, ad cœleſtes theſauros terrena patrimonia tranſtulerunt. Ad hos, dilectiſſimi fratres, auidâ cupiditate properemus, & cum his citò eſſe, vt citò ad Chriſtum venire contingat, optemus. „

SECVNDA PARS MORALIS.

1. Reflexio. Quis adeo puſilli & timidi animi fuerit, qui tot conuictus rationibus , firmam ſalutis æternæ, numerique ſanctorum augendi ſpem non concipiat ? Deſperet planè cum ſuis Apoſtaticis Angelis de ſalute Lucifer, nec vnquam,arbitrij inconuertibilis,æthereas ſedes, deſertumque principatum recuperare præſumat. Tu verò homo ; à Deo cum "natione terrarũ factus ſanabilis,qui non lætatur in Sap. 11.
perditione viuentium quid de eius benignitate dif- 25.
fidis ? quid de promiſſa hæreditate dubitas ? Æger

es, confectæ eſto valetudinis: nulla vis morbi, tot
remediis, tantæ ſapientiſſimi medici arti, tam po-
Pſalm. tenti & ſalutifero viuifici Agni ſanguinis poculo
68. 2. præualebit. Naufragus es? etiam cum Pſalte, " in-
Pſalm. fixus in limo profundi: expecta eum qui ſaluum fa-
54. 9. ciet à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. „ Arri-
pe modo ſecundam pœnitentiæ poſt naufragium ta-
Tertul. bulam " eam tu peccator mei ſimilis, ita inuade, ita
lib. de amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc
Pœnit. te peccatorum fluctibus merſum proleuabit, & in
cap. 4. portum diuinæ clementiæ protelabit. „ Ego verò
tot patentibus Ieruſalem portis; ſcala Iacob ad cœ-
lum erecta, Deo deſuper innixo ad aſcenſum pro-
uocante, vltro etiam per tot Angelos adminiſtrato-
rios ſpiritus, non iuuante ſolum, ſed etiam compel-
lente: tanto paſtoris amore errantem ouiculam re-
uocante: tam efficacibus Reginæ Cœli communis
Cant. 1. omnium Aduocatæ, ſanctorumque ſuffragiis, in
3. odorem tractus vnguentorum eius, " vſque ad ſan-
Hebr. guinem contra peccatum reſiſtere, cum ſpiritalibus
12. 4. nequitiæ colluctari, ſpiritu facta carnis mortificare,
Epheſ. 6. 12. pro coronâ iuſtitiæ repoſitâ apud iuſtum iudicem,
Rom. 8. 13. & depoſito apud ſequeſtrem fidelem ſeruato „ de-
2. Tim. 4. 8. certare decerno. Si " cùm adhuc eſſemus peccato-
Rom. 5. 8. res, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis
iuſtificati nunc ſanguine eius, ſeruabimur ab irâ per
eum. Nam ſi inimici cùm eſſemus, reconciliati ſu-
mus Deo per mortem filij eius: multo magis recon-
Chryſ. ciliati ſeruabimur per vitâ ipſius. „ Vbi Chryſoſto-
Homil. mus: " Vides quantum locus hic fundamentum ha-
9. in beat ad aſtruendam futurorum ſpem. Ante hunc
Rom. 5. enim duo quædam erant ad ſalutem noſtram diffici-
lia: & quòd peccatores eſſemus, & quòd ſalus per
Domini mortem neceſſaria: quod ipſum minùs per-
ſuaſibile erat, antequam fieret; ac magnam adeo
charitatem requirebat vt fieret. Nunc verò poſtea-

Digitized by Google

quam hæc euenêre, reliqua faciliora ſunt. Etenim amici facti ſumus, nec morte amplius opus eſt. Qui igitur inimicis ſic pepercit, vt ne filio quidem pepercerit: Nunc amicis nobis factis non aderit? cum videlicet iam nulla dedendi filij neceſſitas imminet, vel enim quis ſalutem non affert, quòd nolit; vel quòd etiam ſi velit, non poſſit: quorum neutrum in Deo dicere poſſis. Nam quòd ille voluerit, hinc declarauit, quod filium dediderit. Quòd autem potuerit, æque hinc demonſtrauit, quòd peccatores cùm eſſemus, iuſtificauit. Quid igitur iam prohibet, quo minus futura præmia aſſequamur?,, Subtiliùs & breuiùs Auguſtinus: " filius Dei pro nobis mortuus eſt. Securus eſto, accepturum te vitam ipſius, qui pignus habes mortem ipſius. Pro quibus enim mortuus eſt? Numquid pro iuſtis? Paulum interroga: etenim Chriſtus pro impiis mortuus eſt. Impius eras, & mortuus eſt pro te: iam iuſtificatus es, & deſeret te? Qui iuſtificat impium, relinquet pium?,,

Rom. 8. 32. — Aug. in Pſalm. 96. — Rom. 5. 6.

2. Reflexio. Duo tantùm à nobis exigit, vt abſtineamus à malo, & faciamus bonum. Et Petrus hortatur, " magis ſatagite, vt per bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti.,, Si duo ſcalæ Iacob latera, ſuſtinentiam dico & abſtinentiam arripueritis, " Regnum cœlorum vim patiens, violenti rapietis.,, Quò reſpexit Auguſtinus, vbi dixit: " duo ſunt quæ in hac vitâ veluti laborioſa præcipiuntur à Domino, continere, & ſuſtinere. Iubemur enim continere ab his quæ in hoc mundo dicuntur bona, & ſuſtinere quæ in hoc mundo abundant mala. Illa continentia, iſta ſuſtinentia vocatur: duæ virtutes quæ mundant animam,

2. Pet. 1. 10. — Matth. 11. 12. — Aug. ſerm. 245. de tẽp.

Digitized by Google

& capacem faciunt diuinitatis. In frænandis libidinibus, & coërcendis voluptatibus, ne ſeducat quod malè blanditur, & eneruet quod proſperum dicitur: cōtinentia nobis opus eſt: non credere fœlicitati, terrenæ & vſque ad finē quærere fœlicitatem quæ non habet finē. Vt autem eſt cōtinentiæ, fœlicitati mundi non credere; ita ſuſtinentiæ eſt, iniquitati mundi non cedere. Siue ergo in affluentia rerum ſimus, ſiue in anguſtia; expectandus eſt Dominus: qui & quod verè bonum & ſuaue eſt, det; & quod verè malum eſt, auertat à nobis. „ Quod ſi verò peccati malo polluimur, pœnitentiâ perlauemur." Poteſtne cogitari, quòd homo qui aliquando peccauit, & nūquam Deo pro peccato ſatisfecit, ſed tantùm impunitas dimittitur, æqualis ſit Angelo qui numquam peccauit? &c. Non decet ergo Deum, hominem peccatorem ſine ſatisfactione ad reſtaurationem Angelorum ſumere perditorum, quoniam non patitur veritas eum leuari ad æqualitatem Angelorum, &c. Ponamus diuitem, aliquam in manu tenere Margaritam pretioſam, quam numquam pollutio vlla tetigit, quamque nullus alius poſſit amouere de manu eius, niſi ipſo permittente: & eam diſponat recondere in theſaurum ſuum, vbi ſunt chariſſima, & pretioſiſſima quæ poſſidet. Quid ſi permittat eandem Margaritam ab aliquo inuido excuti de manu ſua in cœnum, ac poſtea eam de cœno ſumens pollutam, & non lotam in aliquem locum ſuum mundum & charum deinceps illam ſic ſeruaturus recondat, putaſne illum ſapientem? &c. Nonne ſimiliter faceret Deus, qui hominem Angelis ſine peccato, ſociandum, quaſi in manu ſua tenebat in paradiſo, & permiſit, vt accenſus inuidiâ diabolus, eum in lutum peccati, quamuis conſentientem deiiceret, ſi peccati ſorde maculatum ſine omni lauatione, id eſt

Anſel. libro 1. Cur Deus homo, cap. 18.

Digitized by Google

abſque omni ſatisfactione, talem ſemper manſurum ſaltem in paradiſum de quo eiectus fuerat educeret.,, Inquit Anſelmus; ſic concludens; " tene igitur certiſſime, quia ſine ſatisfactione, id eſt, ſine debiti ſolutione ſpontaneâ, Deus nec poteſt peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad beatitudinem, vel talem, qualem habebat antequam peccaret, peruenire: Non enim hoc modo repararetur homo, vel talis, qualis fuerat ante peccatum.,, Anſel. Ibid. cap. 19.

3. Reflexio. Et quidem, " nolite errare fratres, Deus non irridetur, quæ ſeminauerit homo hæc & metet.,, Nemo peruenit ad vitam, niſi per viam à ſanctis tritam. Ideo cœlo eiectus Lucifer, & Adam abactus eſt paradiſo, quoniam vterque præpoſterè finem, prætermiſſis mediis, adipiſci præſumpſit. Si ſingulos ex innumera ſanctorum, dealbatorum & palmatorum turbâ interroges: " qui ſunt iſti, & vnde venerunt? ,, de omnibus idem reſponſum accipies; " hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni. Ideo ſunt ante thronum Dei, &c. Non eſurient, neque ſitient amplius: (implendi vtique & ſaturandi, famelici priùs, & ſitibundi iuſtitiæ.) Nec cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus. (Quia ſcilicet portauerunt pondus diei & æſtus:) & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. O ſancti, ſeminaſtis in lacrymis, in gaudio metite. Beati qui lugent æterno gaudio conſolandi.,, Miſeri diuites, qui cum pauperibus ſpiritu, præſumitis regnum poſſidere cœlorum "Væ coronæ ſuperbiæ filiis Ephraini,,, ab æternâ gloriâ expellendis. Væ terrenæ voluptatis cœno volutatis, qui cum incoinquinatis virginibus fruſtrâ cum Agno ſperant paſci in lilijs. An non puderet militem, tota militiæ vita deſidem, veſtitum mollibus, delicatè paſtum, in vmbrâ verſa Gal. 6. 7. Apoc. 7. 14. Matth. 5. 6. Matth. 20. 12. Pſalm. 125. 6. Matth. 5. 5. & 3. Eſa. 28. 1.

tum, inter ſtrenuos milites,ad ſpolia, palmas coronas præcipitem currere? Et quis vnquam peruenit ad palmam, niſi per victoriam? " Stolis baptiſmum, palmis triumphum crucis inſinuat, & quòd ſæculum in Chriſto vincerent, licet charitatem quoque quæ per Spiritum ſanctum datur, ſtolæ ſignificent, &c. Quod autem manibus palmas geſtare dicuntur, aut bonorum operum perſeuerantiam ſignificat manibus: hinc legimus, confirmauit Dominus brachia eius in opus bonum. Et manibus meis nocte coram eo,& non ſum deceptus: ſiue illam poteſtatem ſignificat manibus,quam vt filij Dei per adoptionem fierent,acceperunt; ,, inquit Primaſius. Quid de ſeruo otioſo & infideli, de adulterâ ſponsâ ſentires, ſi hæc poſt ſolutam fideliſſimo coniugi fidem in amplexus ruere; iſte poſt traditum inimico Dominum, ſtipendia quaſi debita exigere auderet? Ego verò per ſuperbiam aſcendere meditor puluis & cinis, quâ corruit ſpiritus tam ſublimis? Aperiamus ergo portas Ieruſalem ex ſingulis margaritis, gemmiſque contextas porcis immundis, quas & vetitum eſt,hic mittere in terris; aulam cœleſtem in ſtabula & præſepia commutent." Habitet ibi lupus cum Agno,& pardus cum hœdo accubet: Vitulus, & leo, & Ouis morentur ſimul,&c. Vitulus & vrſus compaſcantur, ſimul requieſcant catuli eorum.,, Sed nemo ſanus regnum cœlorum cum Arca Noë, animalia munda & immunda continenti comparauerit. Nullum piſcem malum aquæ ſupercœleſtes; nulla Zizania paleaſue horreum gloriæ; Nullas virgines fatuas, nullum ſine veſte nuptiali, Regis & Agni nuptiæ delitiæque concludunt. Ratum eſt, ſtatutum eſt,æterna veritate ſancitum eſt, " quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, &c. Non habet partem in Regno Chriſti, & Dei. Ipſa ciuitas aurum mundum

Primaſius lib. 2. in Apoc.

Pſalm. 76. 3.

Gal. 4. 5.

Eſa. 11. 6

Epheſ. 5. 5.

Digitized by Google

tanquam vitrum perlucidum, non intrabit in eam aliquod coinquinatum,aut abominationem faciens, & mendacium : niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. „ Apoc. 21. 27.

Vnde " neſcio quâ fronte, vel quâ conſcientiâ, cum omnibus ſanctis, in æternâ beatitudine partem habere deſideramus, quorum exempla ſequi, in rebus minimis non acquieſcimus. „ Aug. ſerm. 61. de temp.

" Sed obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſolliciti eſtote de nobis. Securi eſtis de veſtrâ immarceſſibili gloriâ, ſolliciti eſtote de noſtrâ multiplici miſeriâ,&c.Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adiuuate nos, vile pauimentum inferius iacentes : date manum, & erigite ſuper pedes:vt conualeſcentes de infirmitate,fortes efficiamur in bello; &c. Quia aliter ſalui eſſe non poſſumus. „ Aug. lib. Medit. ca. 24.

Tu verò ſummæ Rex gloriæ, tu gaudium & corona ſanctorum omnium, qui " omnia in pondere, numero,menſuraque diſponis; „ fac vt naturæ & gratiæ pondere te ſuper omnia diligens, efficaciter pertrahar ad centrum gloriæ. Menſurâ latiſſimâ charitatis,menſuram promerear Angeli,quæ eſt hominis, tractus funiculis Adam, ad funiculum retribuendæ hæreditatis. Sim donante te de ſtellarum numero, " quarum nomina ſcripta ſunt in cœlis. „ Sic in nocte huius ſæculi, virtutis exemplo præluceam, vt in firmamento gloriæ cum electis ſplendeam. Amen. Apoc. 21. 17. Oſeæ. 11. 4. Luc. 10. 20.

IN COMMEMORATIONE omnium Fidelium Defunctorum.

TRACTATVS.

Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis & in vmbra mortis. Pſal. 87. 6.

IN er decem Ægypti plagas, grauior mihi fuiſſet denſitas illa, omni imperuia luci, & opacitas te-
Sap.17. 2. nebrarum, à Salomone deſcripta: "Vinculis, inquit, tenebrarum, & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt. Et dum putant ſe latere in obſcuris peccatis tenebroſo obliuionis velamento, diſperſi ſunt pauentes horrendè, & cum admiratione nimiâ perturbati. Neque enim quæ continebat illos ſpelunca, ſine timore cuſtodiebat: quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pauorem illis præſtabant. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſyderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horren-
Ibid. 20. dam, &c. Solis illis ſuperpoſita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erat, &c.
Sap.18 1. Sanctis autem tuis maxima erat lux.„ Dum iuſti beatifico lumine perfruūtur, animę Purgatorij tenebroſo carcere cruciantur, & de propriis peccatis & negligentiis quærulę, illud Dauidicum lugubre ſo-
Pſalm. 87. 6. nant: "Poſuerunt me, in lacu inferiori, in tenebroſis, &c.„ Et quidem Ægyptus anguſtiam, & afflictionem ſonans, afflictis congruit animabus; ſicut & triduanę, ſiue tranſitorię tenebrę, non in perpetuum

carcerem ſed tranſitorium addictis quadrant. Et tuę, Virgo, miſericordię auxilium implorant, in tenebras compactæ animę miſerrimæ: Nec enim ſola luce, glorię tuę ſceptrum, & imperium terminatur; nec eſt regio tenebrarum, frigoris, & rigoris, à luce tuâ, & calore abſcondita. Nam & Mariam te Dominam, & illuminatricem Angelus docuit, cùm te aqua gratiæ plenam, & ignibus extinguendis exundantem, ſalutauit; dicens; Aue Maria. Pſalm. 18.7.

EXORDIVM.

Erratis fratres ſi de exilio patriam; de trium dierum hoſpitio, domum, & ciuitatem permanentem; de ſpinarum & lachrymarum valle, paradiſum hîc extruere, & plantare præſumitis. Iam olim duo, licet inimica, pactum inter ſe, & fœdus elementa ſanxerunt, vt de hoc mundo paradiſum tollerent. " Rupti fontes abyſſi magnæ, apertæ ſunt cataractæ cœli ,, & quidquid Lactantius contra concludat de Paradiſo; Gen. 7. 11.

" Et cùm diluuium merſiſſet fluctibus orbem: Lact. de phœnice.
Deucalionæas exuperauit aquas; ,,

" Firmiorem habemus propheticum ſermonem: aquæ præualuerunt nimis ſuper terram : opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper omnes montes quos operuerat. ,, Nec Enoch, aut Elias, vel Paulus, in hunc rapti ſunt Paradiſum ; ſed illi in aliquem alium voluptatis locum, Deo placitum; hic verò, vt ipſe exponit , in tertium cœlum ; non aëreum, vel æthereum, ſed empireum. Ignis verò iam ab exordio mundi , gloriæ Dei offenſę æmulator , Cherubini flammeo ac verſatili gladio , paradiſi refugas ab illo pluſquam Midę roſeto & Alcinoï pometo arcebat. 1. Pet. 1. 19. Gen. 7. 19. 2. Cor. 12. 2. Gen. 3. 24.

Digitized by Google

Gen. 3. 24. "Eiecit Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendã viam ligni vitæ.,, Adeo vt quiſquis velit illuc regredi, diſtricto gladio examinari, & per ignem expiari ſe nouerit: plerique enim, etiam ante cœlum paratum ignem ſentiunt, quo probentur animę; & ſiquidem plumbeæ, lęthalis culpæ pondere, liqueſcentes, in infernum ruant; ſi auro puro ſimiles, ſine detrimento, baiulis Angelis, theſauro cœleſti reponantur; ſi quid ſit terrenæ

DIVISIO TRACTATVS. ſordis admixtum, excoquantur. Quantæ ſint earum pœnæ, primò dicemus; dehinc pro Reflexionibus moralibus, quomodo & eas nos euadere, & ab eis fidelium fas ſit animas eruere, videbimus.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Porphyrius ſectâ Platonicus, agens de principiis, quibus hominem purgari poſſe ſentiebat, ſolem, ac lunam, ab hoc officio remouens, Patrem, & Filium vera purgationis principia agnoſcebat, de quo ſic

Aug. lib. 10. de Ciu. cap. 23. Auguſtinus:" Dicit Porphyrius, diuinis oraculis fuiſſe reſponſum, non nos purgari Lunæ teletis, atque Solis, &c. (teletas autem dixit theurgicas conſecrationes, ſiue perfectas & conſummatas quibus animę

Aug. Ibid. cap. 9. purgantur, ad videndam veritatem.) Denique eodem dicit oraculo expreſſum, principia poſſe purgare, &c. Quæ autem dicat eſſe principia tanquam Platonicus, nouimus; dicit enim Deum Patrem, & Deum Filium, quem Græcè appellat paternũ intellectum, vel paternam mentem: de Spiritu autẽ Sancto, aut mihi, aut non apertè aliquid dicit: quamuis quem alium dicat horum mediũ, non intelligo.,, Sed cùm Porphyrius cum Marcionitis, & Manichæis, corpora de malo orta principio crederet, ex eiſque

Digitized by Google

animas inquinari, nec niſi ab eorum egreſſu, & ad Deum principium ſuum regreſſu purgari; hinc Dei Filium incarnatum agnoſcere non potuit. Saniùs Auguſtinus non carne, ſed peccato nos à Deo cenſuit ſeparari. " Non enim (inquit) niſi peccatis homines ſeparantur à Deo, quorum in hac vitâ non fit noſtrâ virtute, ſed diuinâ miſeratione purgatio.,, Et rurſum, de Porphyrio loquens: "Subditus (inquit) Porphyrius inuidis poteſtatibus, de quibus & erubeſcebat, & eas liberè redarguere formidabat, noluit intelligere Dominum Ieſum Chriſtum eſſe principium, cuius incarnatione purgamur. Eum quippe in ipsâ carne contempſit, quam propter ſacrificium noſtræ purgationis aſſumpſit: magnum ſcilicet ſacramentum eâ ſuperbiâ non intelligens, quam ſuâ ille humilitate deiecit, &c.,, Et iuxta Paulum, " qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantię eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuę purgationem peccatorum faciens, &c.,, Expreſſiùs tranſlatio Syriaca: " Ille tamen per ſemetipſum fecit purgationem peccatorum.,, Benè vtique Caluiniani hodierni, purgatorio nos non indigere docerent, ſi puriſſimo ſanguinis Chriſti Balneo in baptiſmo loti, denuò in peccati volutabro ſtolas noſtras non mergeremus, nec equuleo tormentorum extenderemur, ſi in cruce, veteris Adæ rugis expanſis, nouos peccati habitus non contraheremus; nec amandaremur in exteriores tenebras, ſi mundiſſimis Solis, ac Lunæ, Chriſti & Mariæ radijs purgati, " vt filij lucis ambulantes,, in lumine perſeuerare voluiſſemus. Hinc Pſaltes perſonam agens animę in illo tenebricoſo carcere conſtrictę, de ſuis negligentiis, afflictæ, ingemit: " Poſuerunt me in lacu inferiori, &c.,, Eodem porro Pſalmo, ſeriem omnem triſtis ex hac vitâ exitus, expandit dicens:

Aug. lib. 10. de Ciu. cap. 22.

Aug. Ibid. cap. 24.

Hebr. 1. 3.

Epheſ. 5. 8.

Pſalm. 87. 6.

Digitized by Google

Verſu. 8. " longe feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi: „ ducto enim ad tumulum Defuncti cadauere, recedunt cognati & noti. Quin & ipſa Martha chariſſimi fratris Lazari corpus, vt ſcatens vermibus, poſt quatriduum auerſatur. " Quatriduanus (inquit) eſt, iam fœtet. „ Animę autem in Purgatorio languentis vocem exponit: " traditus ſum „ tortori ſcilicet à Iudice, vt in carcere puniatur. " Et non egrediebar: donec redderet vſque ad nouiſſimum quadrantem. Oculi mei languerunt præ inopiâ „ huc redacta nempe paupertatis, vt ligatis pedibus affectuum, & manibus operum quoad meritum, extra viam poſita, " pretium redemptionis animæ ſuę, & placationem Deo dare „ vel minutum æris, ſatisfaciendo poſſit, ſed ſatis ſuperque patiendo. Tum pœnas recenſet, & orditur à loco. " Poſuerunt me „ inquit, ſupple iniquitates meæ, " in lacu inferiori, in quo (iuxta Zachariam) non eſt aqua „ refrigerij in ardore tormenti. " In tenebroſis „ obſcuritatis huius carceris, tres occurrunt cauſę: naturalis, moralis, & ſupernaturalis. Primò enim cùm Purgatorij locus inferno ſit proximus, iuxta centrum terrę, à ſole remotiſſimum, & denſi opacitas elementi, nullum ſolis radium admittat, in perpetuâ obſcuritate anima illic agens demergatur. Deinde cùm pœna debeat reſpondere culpę, & " hoc iudicium ſit mundi, quia Chriſtus vera lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, quam odit qui malè agit. „ Inde fit vt peccata per ignorantiam, vel cum eâ cõmiſſa, per tenebras meritò puniantur. Quæ quia triplici nocte ſeu viâ tenebroſâ, cogitatione, verbo, & opere admittuntur, triduanis quaſi Ægypti tenebris, id eſt tranſitorijs, Deo vltore plectuntur. Cauſa tandem ſupernaturalis aſſignatur à Baſilio magno, quòd

Io. 11. 39. Matth. 5. 26. Pſalm. 87. 10. Pſalm. 48. 9. Zach. 9. 11. Pſalm. 87. 6. Io. 3. 19. 20.

Digitized by Google

ſumma poteſtas Iudicis, ab igne Purgatorij detrahit lucem, & relinquit ad puniendum, ardorem; dicente Pſalmiſtâ: " vox Domini intercidentis flammam ignis. „ "Intercidit ignis flammam ſecundùm hiſtoriam trium puerorum apud Babylonem, quando caminus ſupra cubitos 49. ſeſe effuderat, eoſque qui circum ſtabant ambuſſit omnes: è diuerſo tamen eadem flamma Dei præcepto interciſa, in ſe recepit ſpirantem auram, nempe perquam ſuauem ac iucundiſſimam reſpirationem, atque refrigerationem pueris tribuẽs, veluti ſub vnius alicuius arboris peramabili vmbrâ, tranquillo ac requieto in ſtatu conſtitutis. Facta eſt, inquit, flamma veluti ſpiritus roris, ſuaui ſpirans ſibilo. Longè eſt admirabilius, ignis naturam intercidi, quàm mare rubrum in partes diuidi. Attamen Domini vox, ignis continenter ſibi cohæreſcentem, atque vnitam naturam intercidit, &c. Quoniam duo ſunt in igne potiſſima, vſtiua vis, & illuſtratoria: vis prior ignis, acerrima quidẽ ad pœnas irrogandas, repoſita eſt his qui vſtione ſunt digni: altera nempe ſplendiflui ſui luminis diffuſiua, velut ſortitò ſuccedet iis qui claritate perfruituri ſunt gaudij perennis. Vox itaque Domini, intercidentis flammam ignis, ac diuidentis: itaut obſcurus quidem ſit ignis ſupplicij; vi verò comburendi careat lux illa refocillationis. „ Tenebras autem iſtas, etiam vmbras mortis appellauit: quia mors inferni proxima, viuam & expreſſam ſui imaginem in purgatorium expandit; vt ibidem exclamat: " repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. „ Quàm diſſimilis, ô Petre, hæc vmbra mortalis, vmbrę tuę ſalutiferę. O Anima, Chriſti ſponſa, ſi ſemper " ſub vmbrâ illius quem deſideraueras, conſediſſes, fructu eius dulciſſimo gutturi refecta, „ iam in vmbrâ mortis cum genitrice tuâ corruptâ non lugeres!

Pſalm. 28. 7.
Baſil. in Pſalm. 28.
Dan. 3. 50.
Pſalm. 87. 4.
Cant. 2. 3.

Digitized by Google

Ignis itaque Purgatorij ſimul ardens & tenebroſus, benè exprimit vtramque pœnam, tam damni quàm ſenſus. Quid enim ſunt tenebrę quàm priuatio lucis? Et quid pœna damni, niſi priuatio beatificę viſionis, ad quam eleuantur electorum animę, glorioſi beneficio luminis. O quanta pœna, vt vel hoc potiſſimè dicatur, & ſit anima damnata; qualem non ſolùm in inferno, ſed in ipſo Purgatorio deputauit poſitam Auguſtinus, cum de ſuffragiis ageret offerri ſolitis ab Eccleſiâ pro defunctis, " vt tolerabilior (inquit) fiat ipſa damnatio. „ Et alibi cùm dixiſſet de lumine glorię: " quoniam apud te eſt fons vitę, & in lumine tuo videbimus lumen: „ immediatè ſubiecit. " Da amantem, & ſentit quod dico: da deſiderantem, da eſurientem, da in iſtâ ſolitudine peregrinantem atque ſitientem, & fontem æternæ patrię ſuſpirantem, da talem, & ſcit quid dicam: ſi autem frigido loquor, neſcit quid loquor. „ Et quoniam fidelis anima in gratiâ & charitate deceſſit, abſentem dolet dilectum, & ad eius pręſentiam adſpirat cum Prophetâ gemens: " ſagittę tuę infixæ ſunt mihi. Vnde ergo ſagittę infixę? ipſam pœnam, ipſam vindictam, & fortè dolores quos hîc neceſſe eſt pati, dicit ſagittas. De his ſagittis & ſanctus Iob fecit commemorationem, &c. (Sagittę Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum.) An quia & ipſe amor non poteſt eſſe ſine dolore? quidquid enim amamus, & non habemus, neceſſe eſt vt doleamus, &c. Inde illud in perſonâ Eccleſię ſponsâ Chriſti in Cantico Canticorum: vulnerata charitate ego ſum. Vulneratam ſe dixit charitate; amabat enim quidem, & nondum tenebat: dolebat, quia nondum habebat. „ Quale gaudium Tobię licet à Raphaële, vno ex ſeptem ſpiritibus conſolato, quòd ſolâ luce ſolis etiam ipſis formicis cum homine commu-

Aug. de octo dulcitij quæſt. qu. 2. à medio

Pſalm. 35. 10.

Aug. tract. 26. in Iob. 6.

Aug. in Pſalm. 37.

Iob. 6. 4.

Cant. 2. & 5.

Digitized by Google

communi fruſtraretur? An non maiori cum dolore anima in purgatorio clauſa & cęco compacta carcere Angelo cuſtodi viſitanti ſe ſuſpirans clamitat; " quale mihi gaudium, quę hic in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video? „ Et duos reſpuit Magdalena, ſubducto, vt credebat clanculum Domino, vt oneroſos conſolatores amicos Iob „ Angelos. Quid ſolatij Regi magnifico deſponſatę, ſi ipſo nuptiarum, & inaugurationis die, à thalamo, amplexu, throno, in carcerem ab aliquo tyranno raperetur. Nec ipſe quamtumuis inhumanus in Patrem Abſalom, Aulâ Regiâ, & vultu Patris ſe diutius orbari paſſus, mediatoris ſui tardioris meſſi peperit; & abſentiam ipsâ morte duriorem ęſtimauit: " obſecro vt videam faciem Regis: quòd ſi memor eſt iniquitatis meę, interficiat me. „ Quin & ipſe Dauid, iterum in ſe animam purgatorij tráſfigurans: " fuerunt, (inquit) mihi lachrymę meę panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus? Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in irâ à ſeruo tuo. Faciem tuam Domine requiram, âdimplebis me lętitiâ cum vultu tuo. „ Non ſic lapis, ignis, ſagitta, in centrum, & ſcopum fertur; & oppoſito obice reſilit & diſrumpitur; ſicut anima ſeparata tendit in Deum: ſed heu peccati, & debitę ei pœnę pondere reiicitur. O ſtatum violentum. O centrum, locus, & finis noſter! feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. „ O Pater iuſte, quia creationis beneficio, & Creaturis abuſa ſum, iuſto iudicio ſuſpendor à viſione Creatoris. O Fili, quia Redemptionis ſanguine pretioſô debita mea perſoluere, & « haurire aquas cũ gaudio de fontibus Saluatoris: „ eiſque peccatorum maculas purgare neglexi, abſtrahor à torrente voluptatis & amariores Marath, lacrymas bibo pœnitentię ſte-

Tobiæ 5. 12.

2. Reg. 14. 32.

Pſalm. 40. 3.

Pſalm. 26. 14.

Pſalm. 15. 10.

Eſa. 12. 3.

Digitized by Google

rilis. Et tu Spiritus ſponſe chariſſime, quia te prophetias ſpernendo contriſtaui, & feruorem extinxi charitatis, nec tibi aduerſario in viâ vitæ conſenſi, in carcerem miſſa, ad nouiſſimum vſque quadrantem tam vanè triti temporis, cogor exſoluere diſpendia. Videte oculi olim curioſiùs creaturarum aſpectu formoſo delectati, horrenda ſpectra dæmonum: Audite vos aures, ſpiritus terrificos procellarum, pro cantilenis amatoriis Syrenarum; guſta lingua fel & abſyntium, &c. Et quæ in cunctis ſenſibus deliquiſti, & quantùm in deliciis fuiſti, tantùm ferire, & patere in tormentis. Et quia tenebras luci prætuliſti, verſare in tenebris. O iuſte Iudex, ſed & miſericors Pater, non poſſum, quin etiam in hac profundâ nocte, irradiantem ſuper me non videam

Tren. 3. 22. Paternæ pietatis tuæ lucem: " Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti. Torrentem pertran-

Pſalm. 123. 4. ſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Niſi quia Dominus adiu-

Pſalm. 93. 17. uit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea. „ ſed, ecce in pace amaritudo mea amariſſima. „ Licet enim in gratiâ, & pace exceſſerim, in hac pace tamen, amaritudine amariſſimâ torqueor, quia " repleta eſt malis anima mea. „ In pace ta-

1. Cor. 2. 14. men, & tranquillitate, amaritudinem tolero, & in ſpe liberationis, & futuræ gloriæ requieſco. Sed quia " carnalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus „ & nihil pœnâ ignis eſt ſenſibiliùs; in tenebroſo igne purgari, ab omni peccati rubigine, duriſſimum; adeovt Doctoris Angelici iudicio, omnium Martyrum ſimul cruciatus, vel leuiſſima pur-

In Sup. Diui Thom. qu. 100. art. 2. gatorij pœna tranſcendat. Et primò quidem « de lege communi locus Purgatorij eſt inferno coniunctus; ita vt idem ſit ignis qui damnatos cruciat in inferno, & qui iuſtos purgat in Purgatorio. Vnde

& Gregorius dicit, quòd « ſicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat:ita ſub eodem igne peccator crematur,& electus purgatur. » De gradu autem, & grauitate pœnæ, iuxta Auguſtinum « ignis Purgatorij durior erit, quàm quidquid in hoc ſæculo pœnarum aut ſentire, aut videre, aut cogitare quis poteſt. Quantò enim pœna eſt vniuerſalior, tantò maior; ſed anima ſeparata tota punitur, cùm ſit ſimplex, non autem ita eſt de corpore; ergo illa pœna quæ eſt animæ ſeparatæ,eſt maior omni pœnâ quàm corpus patitur. » Quod in concluſione ſic exponit: « in purgatorio (inquit) erit duplex pœna: vna damni, in quantùm ſcilicet retardantur à diuinâ viſione: alia ſenſus, ſecundùm quod ab igne corporali punientur. Et quantùm ad vtrumque, pœna Purgatorij minima,excedit maximam pœnam huius vitæ. Quantò enim aliquid magis deſideratur, tantò eius abſentia eſt moleſtior (& iuxta Salomonem, ſpes quæ differtur, affligit animam.) Et quia affectus quo deſideratur ſummum bonum poſt hanc vitam,in animabus ſanctis eſt intenſiſſimus; & quia non retardatur animus mole corporis;& etiam quia terminus fruendi ſummo bono iam aduenisſet, niſi aliquid impediret; ideo de retardatione maximè dolent. (Porro quia nec oculus vidit,nec auris audiuit nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe; iuſtè dixit, ignem illum duriorem, quàm quidquid in hoc ſeculo pœnarum ſentire, aut videre, aut cogitare quis poteſt.) Similiter etiam cùm dolor non ſit læſio, ſed læſionis ſenſus: tantò aliquid magis dolet de aliquo læſiuo, quantò magis eſt ſenſitiuum: Vnde læſiones quæ fiunt in locis maximè ſenſibilibus, ſunt maximum dolorem cauſantes. Et quia totus ſenſus corporis eſt ab animâ, (& propter quod vnumquodque tale, & illud magis:)

Greg. 4. dial.

Diui Thom. ſupra Ib d. art. 3.

Ibid. in corp.

Prou. 13. 12.

1. Cor. 2. 9.

Diui Thom. in qu. diſput. qu. de Anima art.21.

ideo ſi in ipſam animam aliquid læſiuum agat, de neceſſitate oportet quod maximè affligatur. » Quomodo autem patiatur ab igne, idem ipſe docet alibi, iuxta Auguſtinũ, dicentem dæmones & animas igne corporeo cruciari. Non quidẽ ſecundùm imaginariam viſionẽ, ſecundùm quod accidit dormientibus; cùm imaginatio ſit potentiæ ſenſitiuæ, quæ in animâ ſeparatâ non remanet: ſed ex Gregorio eo ipſo patitur anima quo videt ignem, vt nociuum ſibi; « cùm enim anima cremari ſe conſpicit, crematur. Quod quidem incendium non ſolùm videndo, ſed etiam experiendo patitur. » Patitur autem per viam contrarietatis & obſtaculi: non quidem per alterationem & corruptionem, ſicut lignum ab igne comburitur. Sic enim anima deſtrueretur, quam credimus immortalem: ſed quòd impediatur à ſuâ inclinatione naturali in Deum ſicut lapis fertur deorſum. Et ſic cùm magis torqueat, quod contrarium eſt voluntati, quam quod doloroſum eſt ſenſui: Præeligeret enim homo cupidus laudis, grauiter vulnerari, quàm opprobriis affici. Et ſic anima grauiſſimè torquetur ab igne corporeo, quo velut carcere ab vehementiſſimâ inclinatione ſuâ, violentiſſimè retinetur. Anima autem ex naturâ ſuâ, nullo obligatur loco corporali; ſed omnem rerum corporalium ordinem ſuâ dignitate tranſcendit; excepto corpore proprio, cuius eſt forma, in quo aliquam perfectionem conſequitur, vim ſuam in eo oſtendendo, quod animat & mouet. Vbi & citat Auguſtinum; « Adhærebant, (inquit) ſpiritus, licet incorporei, corporalibus ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. » Et concludit Doctor Angelicus: « Et ſic verum eſt, quòd ignis ille, in quantùm virtute diuinâ detinet animam alligatam, agit in animam, vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ; & inquan-

Greg. 4. dial.

Aug. 21. de Ciu. cap. 10.

Diui Thom. Ibid. ſupra.

tùm anima apprehendit illum ignem, vt ſibi nociuũ, interiori triſtitiâ affligitur. Quæ quidem maxima eſt, cùm conſiderat infimis rebus ſubdi, quæ nata fuit Deo per fruitionẽ vniri. Maxima ergo afflictio erit, ex eo quòd ſeparabuntur à Deo: ſecunda verò quòd rebus corporalibus ſubdentur, & infimo & abiectiſſimo loco. » Et in reſponſione ad argumentum 18. « Competit (inquit) etiam amori inordinato, qui eſt peccandi principium, vt ſicut Cœlum Empyreum reſpondet igni charitatis, ita ignis inferni reſpondeat inordinatæ cupiditati. » Et paulò infra: « pœnæ ſunt per contrarium, quantùm ad intentionem peccantis: nam peccans intendit propriæ ſatisfacere voluntati: pœna etiam eſt contraria voluntati ipſius, in quantùm eſt, & à ſapientiâ diuinâ procedit, vt illud in quo quærit aliquis ſuam voluntatem implere, in contrarium ei vertatur. Et ſic dicitur in libro Sapientiæ, per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Vnde quia anima peccat corporalibus inhærendo, ad diuinam ſapientiam pertinet, vt per corporalia puniatur. »

D. Th. ſup. in reſp. ad argum. 18.

Et in reſp. ad Arg. 21.

Ego verò non tantùm inconuenienti loco, ſolâ triſtitiâ puniri animas fidelium puto, ſed & dolore ſenſibili, omnem animæ ſubſtantiam penetrando, & vt agens ſubtiliſſimum, & inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ à Deo potenter eleuatum, acutiſſimum dolorem imprimere cenſeo. Licet enim Deus non poſſit eleuare oculum corporeum ad beatificam viſionem; quòd eſſe eius ſimpliciſſimũ, & compoſitionis incapax, non poſſit per ſe defectum cauſæ formalis ſupplere, nec elicere viſionem beatificam, per oculum corporeum: intellectus & cognitionis omnis ſpiritalis expertem; nec etiam actionem vitalem, à principio vitæ coniuncto manentem; cùm cauſa formalis ſit componens; cauſa verò efficiens ſit extrinſeca

Digitized by Google

compoſito: hinc eſt quòd Deus poſſit ſupplere defectum ignis, cauſæ efficientis, & qualitatem ſenſibilem, & doloroſam animæ ſpirituali infligentis. Nec mirum ſi dolor intenſiſſimus animam naturâ immortalem non deſtruat, cùm & corpus naturâ corruptibile in damnatis non interimat & corrumpat: « Neceſſe eſt vt viuat dolens, non eſt neceſſe vt occidat dolor cuius rationis eſt dolorem facere mortis argumentum cùm vitæ potiùs ſit indicium? » Ait Auguſtinus. Quidquid « cruciantur (inquit) miris, ſed veris modis. » Et rurſum: « nonnullos (ait) fideles per ignem quemdam purgatorium, quantò magis minuſve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiúſque ſaluari, &c. » Hinc ſecundùm Auguſtinum locum Pſaltis exponit Gregorius. « Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me. Quia (inquit) poſt mortem carnis alij æternis deputantur ſuppliciis, alij ad vitam per ignem tranſeunt purgationis, fidelis anima non ſolùm furorem, ſed etiam iram abhorret, teſte Beato Auguſtino. Hi omnes qui non poſuerunt ſibi fundamentum Chriſtum, in furore arguuntur, quia æterno igne cruciantur. Qui autem eidem fundamento ſuperpoſuerunt lignum, fœnum, ſtipulam, in irâ corripiuntur: quia igne purgati, ad beatitudinis requiem reducentur. Dicat ergo fidelis anima, quid fecit conſiderans, & quid ſit receptura contemplans, Domine ne in furore tuo, &c. Ac ſi apertè dicat: hoc ſolum totâ cordis intentione efflagito, hoc indeſinenter votis omnibus concupiſco, ne me in illo tremendo examine, vel cum reprobis ferias, vel cum purgandis, flammis vltricibus affligas. » Huc quoque facit Ambroſius Paulum explanans. Ideo dixit ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, vt ſalus hæc non ſine pœnâ ſit, vt merito ſuo ab igni non combu-

Lib. 21. de Ciu. cap. 10.

Aug. in Enchi. cap. 69.

Greg. in Pſalm. 6.

Ambr. in 1. Cor. 3. 13.

Digitized by Google

ſtus, ſaluus fiat examinatus per ignem, &c. Oſtendit ſaluum illum quidem futurum, ſed pœnas ignis paſſurum, vt per ignem purgatus fiat ſaluus, & non ſicut perfidi, æterno igne in perpetuũ torqueatur. » Quo etiam reſpexit D. Eligius Epiſc. Nouionienſis penſitans verba Pſaltis: « Deus manifeſtè veniet, Deus noſter & non ſilebit: Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida: vt tẽpeſtas examinet, quos ignis exuret. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, nec ab æterno, quod abſit, nec ab illo igne tranſitorio exuramur: De quo igne Iudicij Dei Apoſtolus ait; vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit: quod de igne Purgatorio eum dixiſſe non eſt dubitandum, &c. Iuſti quidem minutis quibuſdam peccatis obnoxij, qui ædificauerunt ſupra fundamentum quod eſt Chriſtus, fœnum, ligna, ſtipulam, quæ ſignificant leuium peccatorum diuerſitatem, à quibus non dignè adhuc expurgati inuenientur, cùm cœleſtis ciuitatis gloriâ digni inueniantur. » Sed quoniam ſupra Auguſtinum Authorem ſuũ protulit Gregorius quid in hac causâ ſcripſerit, proferamus. « Domine ne in furore tuo, &c. Non ſim (inquit) inter illos quibus dicturus es, ite in ignem æternum. Neque in irâ tuâ emendes me, vt in hac vitâ purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus ſit; propter illos qui ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Quare? niſi quia hic ædificant ſupra fundamentum, ligna, fœnum, ſtipulam: ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretioſos, & de vtroque igne ſecuri eſſent: non ſolùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios. Sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem ſalui erunt. Dicitur enim, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Et quia dicitur ſaluus erit, contemnitur ille ignis. Ita

Elig. hom. 8. in cœna Do. Pſalm. 49. 3. & 4.

1. Cor. 3. 13.

Aug. in Pſalm. 37. in P.

planè, quamuis ſalui per ignem; grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vitâ.» Quod ſubiicit tam de reo, quàm martyre quolibet. Et alibi cùm dixiſſet de pœnis æternis, ſic proſequitur de tranſitoriis: « hi qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, de quibus Apoſtolus dicit; ſi cuius opus arſerit, &c. Per fluuium igneum, de quo Propheticus ſermo commemorat: & fluuius igneus currebat ante eum; per fluuium igneum, & vada feruentibus globis horrenda tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranſeundi mora, quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis diſciplina. Et quantum ſtulta iniquitas ſuggeſſerit, tantum ſapiens pœna deſæuiet. Et quia ſermo diuinus quodam loco æneæ ollæ animam peccatricem comparat, dicens: pone illam ſuper prunas vacuam, donec concaleſcat æs eius, & omne ſtannum eius defluat: Illic ſermones otioſi, & cogitationes iniquæ vel ſordidæ; illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exulabunt: Illic ſtannum vel plumbum diuerſorum ſubrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obſcurauerant, conſumentur; quæ omnia hic ab animâ ſeparari per eleemoſynas, & lacrymas, compendioſâ tranſactione potuiſſent. Ecce ſic exigere habet ab homine rationem, qui ſeipſum pro homine dedit, & confixus clauis, legi mortis ſe iunxit.» Fœlix qui vel lacrymarum aquâ, vel Agni ſanguine purgationem peccatorum faciens, ſtolam ſuam lauerit: ſatius quippe & ſuauius eſt tali aquâ & ſanguine purgari, quàm igni.

Aug. homil. 16.

Dan. 7. 10.

Ezech. 24. 11.

II. PARS MORALIS.

Pſalm. 54. 16.

1. Reflexio. « Deſcendamus in hunc infernum viuentes.» O ſi terra nunc ſinum aperiret; ô ſi oculi

Digitized by Google

abyſſum penetrare, & aures gemitus compeditorum audire poſſent! Videte ſi poteſtis ſine lacrymis, Patrem qui vos tot vigiliis & ſudoribus, & propriæ ſæpè animæ & ſalutis diſpendio, ſolicitior quàm par erat, ad hanc ætatem, ad hanc bonorum abundantiam promouit; Matrem quæ vos vtero, ſinu, vberibus, tot vitæ periculis in lucem edidit, & nutriuit, amicum fratrem, &c. Illum in mediâ fornace, iſtum ſtagno glaciali, immerſum, hunc virgis ferreis, illum crudelibus equuleis & pectinibus variiſque tormentis excarnificatum, &c. Audite clamantes & præ anguſtiâ ſpiritus gementes, & illud Iob triſte ingeminantes: « Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini » & bonis meis vobis hæreditate relictis epulantes, hic me fame, & ſiti, præ ardore languere patimini « panis illius, quem beati manducant in Regno Dei, & aquæ torrentis voluptatis.» O Corui, in diluuio malorum, & pœnarum, cadaueribus voluptatũ carnaliũ hærentes; cras, cras, cras canitis; & piorũ executionẽ legatorum, ad refrigerium noſtrum mandatum in dies ſine pietate, & compaſſione differtis! Vbi eſtis, vos columbæ chariſſimæ, lacte miſericordiæ lotæ, quæ iuxta fluenta lacrymarum pleniſſima reſidetis: Nullus hic erit Æneas, qui parentem humeris tollat, & tanto incendio ſubtrahat? nulla Romana charitas, quæ patri tetro concluſo carcere, per rimas cratis ferreæ, mammæ papillam ſugendam porrigat ad labia, & linguam arentem ſiti, & nimio ardore torridam, lacteo ſucco refrigerandam? Beatam Chriſtianam cognomento admirabilem recolo, quæ corpore velut exanimi, iam in Eccleſiâ collocato in feretro, anima in Purgatorium illapſa, tot ibi, & tam horrendos cruciatus

Iob. 19. 21.

Luc. 14. 15.

Pſalm. 35. 9.

Cant. 5. 12.

Digitized by Google

vidit, vt infernum eſſe crediderit; quem ab Angelo didicit ſolùm eſſe Purgatorium. Hinc rapta in Paradiſum, & prælibata cœli gloria, oblataque ad fruendum, vel in corpus regredi, ad quælibet dura pro animarum, quas torqueri viderat, refrigerio perferenda; Deo poſtremum iſtud inſpirante, maluit à Dei viſione ſuſpendi, & pluribus annis in hoc mundo « pro fratribus à Chriſto anathema fieri. » Saltem cum Bernardo perambulemus animo regionem expiationis: « Tertia (inquit) eſt regio expiationis, tria ſunt loca quæ mortuorum animæ pro diuerſis meritis ſortiuntur, infernus, Purgatorium, cœlum. In inferno impij, in Purgatorio purgandi, in cœlo perfecti. Qui in inferno ſunt, redimi non poſſunt: « quia in inferno nulla eſt redemptio. » Qui in Purgatorio ſunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicuius grauitate doloris. Qui in cœlo ſunt, gaudio gaudent ad viſionem Dei, Chriſti fratres in naturâ, cohæredes in gloriâ, ſimiles in æternitate iucundâ. Quia igitur primi redimi non poſſunt, tertij redemptione non indigent, reſtat vt ad medios tranſeamus per compaſſionem, quibus iuncti fuimus per humanitatem. Vadam in iſtam regionem, & videbo viſionem hanc grandem. Quomodo pius Pater, glorificandos filios, in manu tentatoris relinquat, non ad occiſionem, ſed ad purgationem: (vt priùs Amianthinam veſtem innocentiæ ſordidatam abluat igni, veſte immortalitatis ſuperinduendos) non ad iram, ſed ad miſericordiam: non ad deſtructionem, ſed ad inſtructionem: vt iam non ſint vaſa iræ apta in interitum, ſed vaſa miſericordiæ præparata ad Regnum. Surgam ergo in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo ſuſpiriis, orationibus intercedam, ſatisfaciam ſacrificio ſingulari, ſi fortè videat Do-

Rom. 9. 3.

Ser. de quinq; negotiationibus & regionibus.

Exod. 3. 3.

Rom. 9. 22.

minus, & iudicet, vt laborem conuertat in requiem, miſeriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & huiuſmodi officiis poteſt eorum pœnitentia reſecari, finiri labor, deſtrui pœna. Percurre ergo, quæcumque es fidelis anima, regionem expiationis, & vide quid in eâ fiat, & in nundinis iſtis fac ſarcinam tuam, affectum compatiendi. »

2. Reflexio. Sed primò tibi ipſi compatere, quem vel inferni, vel ſaltem Purgatorij pœna expectat. Vix enim aliqui, præter Martyres hanc euadunt. « Aliud enim eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire: aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem; aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud, pro peccatis, longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe, aliud denique pendere in die Iudicij, ad ſententiam Domini; aliud ſtatim à Domino coronari. » Inquit Cyprianus. Quod & confirmat alibi: « legis ſcriptum eſſe, vſque quadrantem nos vltimum reddere: ſed hæc pars ablata Martyribus. Etenim qui ſalutis æternæ cupiditatibus freti, vitæ huiuſce deſideria vicerunt, hos expertes doloris vniuerſi, Domini propitiatio coronat. » Audiamus ergo Salomonem hortantem: « miſerere animæ tuæ, placens Deo » & hic « dum in viâ ſumus, aduerſario conſentiamus, ne miſſi in carcerem cogamur exſoluere nouiſſimum vſque quadrantem. » Quod ſi c & ipſe Tertullianus exponit: « cùm carcerem illum quem Euangelium demonſtrat, inferos intelligamus, & nouiſſimum quadrantem, modicum quodque delictum morâ reſurrectionis illic luendum interpretemur; nemo dubitabit animam aliquid penſare penes inferos. » Quod iam præmiſerat: « Iudex te tradat Angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum,

Cypr. ep. 52. ad Antonianum in m.

Cypr. de lau. de Martyrij à p.

Eccl. 30. 14.

Matth. 5. 26.

Tertul. lib. de Anima cap. 58.

Tertul. de Anima cap. 35.

vnde non dimittaris niſi modico quoque delicto, morâ reſurrectionis expenſo. Quid his ſenſibus aptius? Quid his interpretationibus verius?» Cui conſonat Auguſtinus: «Iudicem (inquit) intelligo Chriſtum, Pater enim non iudicat quemquam: Miniſtrum intelligo Angelum, &c. Carcerem intelligo, pœnas, videlicet tenebrarum. De ſoluendo autem nouiſſimo quadrante, poteſt non abſurdè intelligi, aut pro eo poſitum, quod nihil relinquitur impunitum, &c. Vel vt ſignificarentur nomine quadrantis nouiſſimi, terrena peccata. Quarta enim pars diſtinctorum membrorum huius mundi, & ea nouiſſima, terra inuenitur, &c. Poteſt ergo conuenienter inueniri dictum, donec ſoluas, &c. Id eſt, donec luas terrena peccata. Hoc enim & peccator audiuit, terra es, & in terram ibis.» Quantus terræ, vt aurea etiam & electa anima, per ignem, ad vltimam vſque contractam labem contagionis terrenæ, excoquatur. Quantò ſuauius in hac vitâ, morbis, afflictionibus, aduerſitatibus, voluntariis pœnitentiæ doloribus, à terrenorum immundo & immoderato affectu mundamur, quàm ſeueram experiamur iudicis illius ſententiam, comminantis apud Eſaïam: «conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, (Sanct. Pagn. Ex Hebr. ſuper te, & repurgabo quaſi fornax ſcorias tuas) & auferam omne ſtannum tuum.» Vnde ſic argumentatur Cyprianus: «quoniã (inquit) nos terrenis tentationibus probat Dominus, & his ſeculi malis ſcrutator Chriſtus expendit; gratulandũ eſt nobis, atq; lætandũ, quòd non illis nos perennibus (addo & tranſitoriјs purgatorij) reſeruet exitiis, ſed gaudeat ab omni contagione purgatos, &c. Nec à nobis expoſcit niſi facta ſincera, auro, vt ipſe dixit, ſimiles eſſe debemus. (Tanquam aurum in fornace probauit electos Do-

Aug. lib. 1 de Serm. Do. in monte. cap. 11.

Gen. 3. 19.

Eſa. 1. 25.

Cypr. de laude Martyrij à m.

Sap. 3. 6.

Digitized by Google

minus) aurum quippe cùm relucentibus terris tremulo videris ſplendere ſub lumine, & in liquidum flammis torrentibus reſolui, nam & artificis gratia ferè eſt: caminis quotiens anhelantibus æſtuant ignis euomitur; aditu terreſtri, carnali anguſto, diues flamma eligitur, & refluentibus glebis arena retinetur. Vnde neceſſe eſt vniuerſa ſufferre, quò poſſimus omni ſcelere carere, ſicut per Prophetam ſuum dixit: Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, tamen ſpes illorum immortalitate plena eſt: & vexati in paucis, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſui. » Sap. 3. 4.

3. Reflexio. Stultos ridemus Brachmanas, & Principes Regni Calicut, in Indiâ Orientali, tantâ curâ & ſumptibus lignum pretioſum Sandul, ceu Phœnices ad rogum ſumptuoſum, ſibi comparantes. O nos riſu dæmonum, & Angelorum pacis fletu digniſſimos, ſuper pretioſum fidei fundamentum, ligna, fœnum, ſtipulam ædificantes in grauiſſimum vſtionis, & ſalutis per ignem redimendæ detrimentum! Quis niſi ſtultus, ſciens ſe vel per horum arſurum, leue aliquid loqui, vel agere, aut cogitare præſumat? quis ſapiens, cùm poſſit vnâ lachryma, obolo, vel dolore patienter tolerato, omnia debita ſoluere, igneoſe carcere liberare detrectet? Quis pro neſcio quâ amico deteſtandâ complacentiâ, ſummo Regi & Iudici cupiat diſplicere, & grauem eius indignationem incurrere? « Eſt Baptiſmum in Paradiſi veſtibulo, quod antea non erat: ſed poſteaquam peccator excluſus eſt, cœpit eſſe romphæa ignea quam poſuit Deus, quæ antea non erat, quando peccatum non erat. Culpa cœpit, & Baptiſmum cœpit, quo purificentur qui in Paradiſum redire cupiebant, vt regreſſi dicerent, tranſiuimus per ignem & aquam. Hîc per aquam Ambr. Octon. 3. in Pſalm. 118. Pſalm. 65. 11.

Matth. 13. 43. illic per ignem. Per aquam, vt abluantur peccata; per ignem vt exurantur, &c. Hoc futurum eſt baptiſma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, vt in regno Dei fulgeant iuſti ſicut Sol in regno Patris ſui. Etſi aliquis vt Petrus ſit, vt Ioannes, baptizatur hoc igni. (Dominus enim quaſi ignis conflans purgabit filios Leui, in multis enim offendimus omnes.) Videbit multos ante Paradiſi ſtantes veſtibulum, mouebit romphæam verſatilem: dicet ijs qui à dextris ſunt, non habentibus grauia peccata; intrate qui præſumitis, qui ignem non timetis. Prædixeram enim vobis; ecce venio ſicut ignis. Et per Ezechielem dixerant. Ecce proficiſcar in Ieruſalem, & inſufflabo in vos, in igne iræ meæ, vt tabeſcatis à plumbo & ferro. Veniat ergo ignis conſumens, exurat in nobis plumbum iniquitatis, ferrum peccati, faciatque nos aurum ſincerum, &c. Vt vnuſquiſque noſtrûm vſtus romphæâ illâ flammeâ, non exuſtus, introgreſſus in illam Paradiſi amœnitatem, gratias agat Domino ſuo dicens, induxiſti nos in refrigerium. »

Malac. 3. 2. — Iac. 3. 2. — Eſa 66. 15. — Ezech. 22. 31. — Pſalm. 65. 12.

4. Reflexio. Vel credis iſta, vel non credis. Si non credis, iam cum infidelibus « pars tua in ſtagno æterni ignis & ſulphuris, qui enim non credit iam iudicatus eſt » & ſempiterno ſupplicio addictus. Si credis, & Deum iuſtum æſtimas, quàm grauem putas etiam noxam venialem, cuius habes in iudicio reddere rationem, & in Purgatorio ſoluere vſque ad nouiſſimum quadrantem? Quis videns piam æquè ac ſapientem matrem proprios filios mittentem in fornacem, eam non cenſeat ab eis non leuiter offenſam.

Apoc. 20. 9. — Io. 3. 18.

5. Reflexio. Si quæ charitas, & Deo grata, & nobis vtilis, hæc eſt: « Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. »

2. Mal. 12. 46.

Neque enim in lecto molli iacent,ſtipatæ malis punicis, ſuffultæ floribus, ſed in cratibus igneis,ſartaginibus ardentibus, omnibus tormentis, & malis conſtipatæ, ligatis manibus & pedibus, nullo ſe valentes modo iuuare. In igne, diuinæ iuſtitiæ inſtrumento, per eius potentiam eleuato, animæ nudæ, ſenſus delicatiſſimi volutantur; gemunt,vlulant, ſuſpirant amicorum & parentum refrigeria. O crudelis, patri, matri, fratri,amico,poculum aquæ,exertę 1. Cor.
linguæ torridæ denegabis.« Baptizare pro mortuis » 15.29.
eorum & tua « peccata eleemoſynis redime. Adim- Dan.4.
ple quæ deſunt paſſionum Chriſti pro corpore eius 24.
quod eſt Eccleſia » patiens: Maximè Miſſæ Sacrifi- Coloſſ.
cijs: quibus præ cæteris animas fidelium adiuuari, 1.24.
Angelus ſancto viro reuelauit: ſicut & indulgentiis.
Athan. quæſt. 34. ad Anthiochum « ſicut vitis flo- Beda
reſcit extra in agro, & odorem emittit, ita vinum in libro 5.
vaſe recluſum, ſicque conflореſcit. Ita intelligimus Hiſt.
animas participare ab exangui immolatione, & Angl.
gratificatione pro ipſis factâ, ſicut ſolus ordinat, & Pſalm.
procurat iſta, qui viuorũ & mortuorum poteſtatem 41.11.
gerit. » Præcipit autem in Pſalm. 82. « In die man- Gal.6.
dauit Dominus miſericordiam ſuam. » In die huius 10.
vitæ « dum tempus habemus,operemur bonum,ma- Pſalm.
ximè ad domeſticos fidei.» Miſericordiam (inquit) 129.7.
ſuam « copioſam apud eum redemptionem; » ſuam Pſalm.
ex opere operato.Et quanto lucro.«Et nocte(inquit) 41.11.
canticum eius. » Dum in eadem nocte verſaberis, Tob.
ſi tamen verſaberis: « quia eleemoſyna ab omni 12.9. &
peccato,& morte liberat, & non patietur animam 4.11.
ire in gehennam: » In nocte mortis, canticum eius. Eccli.
Dicent enim Deo, tuâ pietate redemptæ: « hi ſunt 44.10.
viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt, Pſalm.
redde ſeptuplum vicinis noſtris in ſinu, eorum. Et 78.13.
oratio mea in ſinum meum conuertetur. » « Tu au- Pſalm.
34.13. Zach. 9.11. Pſalm. 41.9.

tem Domine in ſanguine teſtamenti tui educ vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua. Abyſſus miſeriæ, abyſſum inuocet miſericordiæ,in voce Catharactarum,& plagarum tuarum. » Exundet per eas ſanguis tuus,& aqua lateris in flammas. Et tu Maria, compaſſionis effunde viſcera; & vos Sancti de torrente voluptatis, & fluminis impetu ſpargite refrigeria. « Egredimini ergo filiæ Sion » egredimini de torrente pœnarum in balneum roſeum ; de inferno igne,ad aquas ſupercœleſtes; de tenebris Ægypti,ad lumen gloriæ Paradiſi ; « & videte Regem veſtrum Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua. » Amplectimini, inhærete, fruimini ſummo bono, & nos eodem vobiſcum perfrui, cùm eò perueneritis, incerceſſionibus veſtris procurate. Amen.

Cant. 3. 11.

IN FESTO S. CAROLI Borromæi.

TRACTATVS.

Erit firmamentum in terra in ſummis montium. Pſal. 71. 16.

QVod prophetico ſpiritu actus dudum præcecinerat Pſaltes Regius,hoc in ſe eodem donante Spiritu impletum vidit S. Carolus Borromæus. Quid enim aliud in ſuo pingi voluit emblemate & ſymbolo,quod in Hierographiâ Iacobi Tipotij delineatum inueni ? Dum enim Preſbyter Cardinalis eſſet Sancti Theodori, & Archiepiſcopus Mediolanenſis , in cœlo ſtellato viam lacteam , in forma literæ

Iac. Tipot. in hierograp. Cardinal.

literæ Y. pingi curauit, multis viis inter montes, & colles infra ſubiectis, cum hac epigraphe: « monſtrat iter. » Quid themati aſſumpto congruentius? « Erit firmamentum in terrâ in ſummis montium. » Pſalm. 71. 16. Enimuerò ſi montium & collium ſublimitas, excelſas, Auguſtino interprete, Sanctorum animas repręſentat, quàm ſublimis & excelſus inter Cardinales & Pontifices Carolus! qui firmatus in terrâ, confirmatus in gratiâ perdurauit immobilis; tot virtutibus clarus, quot firmamentum reſplendet aſtris! Quid porrò vitæ eius innocenti viâ cœli lacteâ conformius, quæ in illo Herculis biuio, inter auia & prærupta ſeculi gradientibus, omnium virtutum ſuis ouibus primùm, cæteris inde fidelibus « monſtrat iter? Primò de eius virtutibus cum firmamento ſtelligero comparatis, tractatum ingredior; ſecundò, quàm tutum iter aperiat Eccleſiæ Prælatis, cunctiſque fidelibus, ſubiiciam; vt vel erubeſcant Eccleſiaſticas dignitates, diſpari viâ ambientes; vel greſſus eius ſequentes, pari cum eo » zelo virtutis iter aggrediantur. Sed abſit, vt de firmamento tractaturus, te, Virgo, inſalutatam prætercam. « Laudabo Dominum in Sancto eius » ſed multò ampliùs in te « firmamento virtutis eius » quam cum Gabriele, intelligentiâ tuâ motrice, influentias nobis poſcente, ſalutabo. Aue Maria.

Divisio. Pſalm. 150. 1.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Stupenda prorſus atque à communi hominum ſenſu remota, prophetica Pſaltis ſententia in thema noſtrum aſſumpta: « erit firmamentum in terrâ. » Pſalm. 71. 16. Quid hocce rerum? « firmamentum in terrâ? » Tu verò idem ipſe Prophetes, quid aduerſum canis, & aduerſario ſpiritu, tantâ intercapedine & diſcidio

Pſalm. 102. 11. cœlum à terra diuidis, vt canas, tibi ipſi diſcors: « Secundùm altitudinem cœli à terrâ, corroborauit miſericordiam ſuam? » Quid itaque vno loco diuidis, quod altero coniungis? firmamentum in terrâ ponis. Et ſiquidem « domum ſibi amplam Sapientia diuina ædificauit » mundum, in quo immenſitas nuſquam incluſa, viſibilibus operibus ſe inhabitantem & præſentem exhiberet, cuius terra fundamentum eſſet, & cœlum tectum; vbi intermedij ſtant parietes, vt ædificij fundamento immediatè firmamenti tectum imponas? « Erit (inquis) firmamentum in terrâ: » Parcite, fratres, Prophetæ non inſultanti, ſed humiliter hominem ſecundùm cor Dei inuentum interroganti. Diuino planè Platone ſapientior « ſuper ſenes intelligens, & ſuper omnes ſe docentes » mentem ipſius volatu ſublimi tranſcendit. Si enim de ipſo Tertullianus: « veritates per imagines apprehenduntur; id eſt inuiſibilia per viſibilia noſcuntur; quia & Apoſtolus nobis ſcribit, inuiſibilia eius à conditione (id eſt rebus conditis) de factitamentis intellecta viſuntur; & Plato hæreticis, facies occultorum, ea quæ apparent (ſupple ſunt imagines:) & neceſſe eſt omnino, hunc mundum imaginem quandam eſſe alterius alicuius. » Pſaltes noſter eodem quo Ioannes ductus ſpiritu « vidit ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo à Deo » dum aliis licet terminis pari ſenſu dixit: « erit firmamentum in terrâ. » Eccleſia quippe viſibilis in terrâ « ſancta Dei Ciuitas, de quâ dicta ſunt glorioſa » imago eſt « Hieruſalem illius cœleſtis, quæ ſurſum eſt mater noſtra » ab omni peccati & corruptionis ſeruitute libera. Audin Apoſtolum de eâ ſcribentem, in qua ſolidi ſtamus in terrâ « ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ſuperextru-

Prou. 9. 1.

Pſalm. 118. 99. & 100.

Tertul. de anima, cap. 18.

Rom. 1. 20.

Apoc. 21. 1.

Pſalm. 86. 3.

Gal. 4. 26.

Epheſ. 2. 20.

1. Tim. 3. 15.

Digitized by Google

ĉta: ſcias quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. » De cuius architecto, eiuſdemque fundamento Chriſto, thema noſtrum Auguſtinus expoſuit. « De Chriſto (inquit) & Eccleſia præmiſſum eſt Sacramentum magnum; erunt duo in carne vnâ, &c. Et erit firmamentum in terrâ in ſummis montium. Omnes enim promiſſiones Dei, in illo firmatæ ſunt, quando in illo impletum eſt, quidquid pro ſalute noſtrâ prophetatum eſt. Nam ſumma montium, ſcripturarum diuinarum auctores, id eſt per quos miniſtratæ ſunt, intelligere conuenit, in quibus vtique ipſe eſt firmamentum; quoniam ad illum omnia quæ diuinitus ſcripta ſunt, referuntur. Hoc autem in terrâ eſſe voluit, quia propter eos qui in terrâ ſunt, illa conſcripta ſunt. Vnde & ipſe in terram venit, vt ea cuncta firmaret, id eſt, in ſe monſtraret impleri. Oportebat enim, inquit, impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis & Pſalmis de me, id eſt in ſummis montium. Sic enim venit in nouiſſimis temporibus manifeſtus mons Domini, paratus in cacumine montium; quod ait hîc, in ſummis montium. » Quia porrò iuxta eundem Auguſtinum centies, idem eſt caput, & corpus; & Sponſa, Sponſi nomen ſumit, eiſdemque elogiis honoratur, Chriſtus, & Eccleſia « firmamentum in ſummis montium in terrâ » appellatur. Ad hæc, quia Prælati & Pontifices, Eccleſiæ ſunt capita, & ſolidiora eminentioraque cæteris membra; non immeritò firmamenti nomen vſurpant, & in terrâ deorſum tot ſtellis, hoc eſt virtutibus irradiant, quot ſurſum aſtris cœlum & firmamentum illuſtre, noſtris ſe aſpectibus ingerit. Ego verò quid verear hunc honoris titulum incidere ſanctoCarolo, qui præ cæteris firmus in virtutibus ſtetit, in ſummis

Aug. in Pſalm. 71.
Epheſ. 5. 31.
Luc. 24. 44.
Eſa. 2. 2.

montium, dignitatum, inquam, Eccleſiæ, Mediolanenſis infulatus, & Cardinalatus apice collocatus? Protonotarius primò participans, Referendarius, caput Conſilij, Pœnitentiarius, Protector Regnorum, & Religionum multarum, tandem in Mediol. &c. Neque verò longâ mihi diſputatione diſquirendum eſt, quodnam fuerit firmamentum, de quo præfatus eſt Moſes in Geneſi; dixiſſe Deum, & Verbo vtique ſuo perfeciſſe, cùm dixit: « fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. » An mediam aëris regionem, aquas ſuſpenſas in nubibus, ab aquis terrâ marique fluentibus diſcriminantem; vt ſenſerunt aliqui; qui, quomodo firmamentum probent, non video, tot ventorum turbinibus, tot niuium, grandinum, imbrium, turbellis inquietum: an cœlum ſtellatum, quod mihi ſcripturæ contextui concinnius paret; Moyſe ſubtexente: « vocauitque Deus firmamentum cœlum. » Et rurſum « fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram, &c. » Et iterum: « & poſuit eas in firmamento cœli, vt lucerent ſuper terram. » Quid clarius? Nec eſt quod elementorum trutinatores Dei ſapientiam arguant, incongruè aquas naturâ ſuâ graues & fluidas, ſuper firmamentum ſphæricum, & naturæ longè ſubtilioris, proindeque leuioris, ſublimiorisque collocaſſe. Breuiter ſic de creatione firmamenti fantem accipite Ambroſium. « Imperat (inquit) naturæ, non poſſibilitati obtemperat: non menſuras colligit, non pondus examinat. Voluntas eius, menſura rerum eſt. Sermo eius finis eſt operis; fiat, inquit, firmamentum inter medium aquæ. Firmum eſt omne quod ſtatuit Deus, & ſatis pulchrè præmiſit, fiat firmamentum; ante-

Gen. 1. 6.

Gen. 1. 8. & 14.

Et 11. 17

Ambr. lib. 2. in Hexa. cap. 2.

Digitized by Google

quam ſubiiceret, inter medium aquæ; vt tu priùs crederes firmamentum ex præcepto Dei factum, quàm de aquarum profluâ qualitate diſputares. Si naturam elementorum conſideres, quomodo inter aquas ſolidatum eſt firmamentum? illæ profluunt, illud conſtringitur. Illæ currunt, hoc manet, &c. Sed cùm Sermo eius ortus naturæ ſit, iure vſurpat dare legem naturæ, qui originem dedit, &c. Quid enim difficile ei, cui velle, feciſſe eſt? fluitat igitur illis impoſſibilitatis ratio, cùm de Deo diſputant, cui verè dicitur, quia impoſſibile tibi nihil eſt.» Luc. 1. 37. Sed longè multò mirabilius in Carolo noſtro, Dei Verbo firmamentum in terrâ locatum; medium inter aquas ſuperiores, inferioreſque poſitum; inter creditas ſibi plebes, mobili inconſtantiâ ſeculi labiles;& ſuper cœleſtes aquas, id eſt Sanctos, Angelos, Deumque, mediatorem conſtitutum: quem, vt digniùs hoc proprium Prælati munus obiret & officium gereret, innumeris virtutum ſtellis aſtriſque decorauit.

Splendorem hic illuſtrium natalium, familiæ Borromææ, & proximam cum ſummo Pontifice Romano conſanguinitatem; iuueniles annos incredibili pietate, atque optimarum artium ſtudiis, impenſos non referam; viam lacteam innocentiæ, ſtellulis propemodum infinitis conſtratam, ſtipatamque ſubticebo; annuos redditus Abbatiæ, petito Patris aſſenſu, præter modicam ſupellectilem domeſticam, pauperibus erogatos præteribo; vt ſolidas firmamenti Pontificis Mediolanenſis virtutes paulò fuſiùs explicem & expandam «extendens cœlos ſicut pellem.» «Cum in omni actu, tum maximè in Epiſcopi petitione, abeſſe debet malignitas in quo vita formatur omnium, vt placido & pacifico iudicio præferatur vir omnibus qui eligatur ex omnibus, & qui Ambr. lib. 3. Epiſt. Ep. 25. ad Vercellenſem Eccleſiã.

medeatur omnibus. Etenim manſuetus homo cordis medicus eſt, &c. Ideo & Deus Aaron Sacerdotem ipſe elegit, vt non humana cupiditas in eligendo ſacerdote præponderaret, ſed gratia Dei: non voluntaria oblatio, nec propria aſſumptio, ſed cœleſtis vocatio, &c. Non ſibi quis honorem debet ſumere, ſed vocari à Deo ſicut & Aaron: & ita Chriſtus non exegit ſed accepit ſacerdotium. Denique cùm ab Aaron per genus ducta ſucceſſio, generis magis teneret hæredes, quàm iuſtitiæ conſortes, propterea ad typum illius Melchiſedec quem in veteri teſtamento legimus, verus Melchiſedec, verus Rex pacis, verus Rex iuſtitiæ venit, &c. Sed refertur & ad exemplum, vt tanquam ſine patre, & ſine matre Sacerdos eſſe debeat, in quo non generis nobilitas, ſed morum eligatur gratia, & virtutum prærogatiua. Sit in eo fides, & morum maturitas, non alterum ſine altero, ſed vtrumque in vno, cum bonis operibus conueniat, & factis. » Inter eximia Sancti Caroli decreta, cæteraque eius egregia opera extat compendiatum Sacramentale Ambroſianum, cuius præfatio vniuerſo Clero & plebi ſuæ diœceſis inſcripta ſic habet: « Nobis in Archiepiſcopali hac vigiliâ verſantibus, ea præter cæteras vna propoſita eſt ſolicitudo, vt quam Eccleſiæ huius hæreditatem ſacram, iam olim Ambroſius ſanctiſſimus, à beatæ memoriæ Archiepiſcopis, Miroclete, Euſtorgio & Dionyſio acceptam, ſe conſeruaturum eſſe dixerat, eam deinceps ab ipſo Patre Ambroſio auctam, & perpetuo ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ matris conſenſu retentam, & religiosâ conſuetudine, vſuque Prædeceſſorum noſtrorum conſtantiſſimè conſeruatam, nos pariter Deo benè iuuante integram non modò ſeruemus, verùm etiam ſi quam eius partem vel certè aliquo modo parum cultam animaduertimus, diligentiſſimè

Prou. 14. 30.

Hebr. 5. 4.

S. Carolus in præfat. inſtruc. Sacrament.

Digitized by Google

itidem, & reſtituamus,& excolamus, &c. Ex ſancti Ambroſij fontibus multa hauſimus, quem Eccleſia hæc Patrem Magiſtrumque habet, omnium virtutum gloriâ florentem,quique cùm de iis qui initiantur myſteriis, tùm de Sacramentis libros præcipuè ſcripſit. » Nos itaque de Carolo Ambroſij hærede dicturi, & Reſtitutore deſolatæ diœceſis, ab octoginta annis abſque Prælati reſidentiâ, tot ignorantiis & erroribus ſylueſcentis, vt nec ſacerdotes ſe confeſſioni peccatorum obſtrictos crederent, nec plebs ſignum Crucis,& Orationem Dominicam ſciret,de Ambroſij fontibus plurima hauriamus. Suum poſt multa tempora ſucceſſorem hoc loco delineauit Ambroſius, vt pote qui fide & bonis operibus plenus, vel iuxta Paulum « fide per dilectionem operante » non ſplendidi nobilitate generis illuſtris, ſed velut alter ſine Patre, ſine matre, ſine genealogiâ Melchiſedec, ſolis virtutum radiis inſignis, coæuis plurimis ſola meriti prærogatiua eſt in Epiſcopatu Prælatus. Nimirum Dauidicam prophetiam implebat longè ante præſagientis: « erit firmamentum in terrâ. » De quo & Daniel. « Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos,quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. » Nec enim vacuo oſtento immediatè priùs quàm laureâ Doctoris vtriuſque iuris donaretur, turbido cœlo & nubibus diem penè extinguentibus, vt ad lauream ventum eſt, omni repente diſcuſsâ caligine dies priùs atro ſubductus nubilo ſereno ſole lætiſſimus affulſit, nouum Eccleſiæ Mediolanenſis ſolem exortum præſagiens,cuius « ſanitas in pennis » cuius in concionibus,ſcriptis, Conciliis,Synodiſque, vt de Paulo Septimius « ſolis radio ſcripta doctrina, ita claret » vt eodem de Epiſcopo exigente Apoſtolo, Carolum noſtrum dicam. « amplectentem eum qui

Dan. 12.3.

Tit. 1. 9.

Digitized by Google

ſecundùm doctrinam eſt fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos qui contradicunt arguere.» Quis porrò dies, vel hora Carolo præterit abſque colloquio & verbo diuino? « ſi quis loquitur quaſi ſermones Dei» de quo & Pſaltes inter cœlos poſito conuerſatione cœleſti: « Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. » Ambroſium recolo « Dauid (inquit) etiam cœlos cœlorum in illo laudantium Dominum conſtituit choro, quem imitantes Philoſophi, quinque ſtellarum (id eſt Planetarum Mercurij, Veneris, Martis, Iouis, & Saturni.) Solis & Lunæ globorum conſonum motum introduxerunt, quorum orbibus vel potius globis connexa memorant omnia, quos ſibi innexos & velut inſertos, verſari retro, & contrario cæteris motu ferri arbitrantur, eoque impulſu & motu ipſorum orbium, dulcem quendam & plenum ſuauitatis atque artis & gratiſſimi modulaminis ſonum reddi, cùm ſciſſus aër tam artifici motu, & acuta cum grauibus temperante, ita varios æquabiliter concentus efficiat, vt omnem ſupergrediatur muſici carminis ſuauitatem, &c. Si, vera forent, quomodo tanto motu orbium concrepante, &c. non audiretur à nobis, cùm leuiora audire ſoleamus? &c. Referunt obſurduiſſe aures noſtras, & hebetiorem nobis ſenſum audiendi factum, propter illam à principio noſtræ generationis concepti ſonitus conſuetudinem. Et exemplum afferunt eo quòd Nilus fluuiorum maximus, eò videlicet loci, vbi ſe ex altiſſimis montibus in Catadupa illa præcipitat, magnitudine fragoris ſui aures accolarum obſtruat, vt audiendi munere carere dicantur. Sed facilè his ipſa reſpondet veritas. Nam qui tonitrua audimus nubium colliſione generata, tantorum orbium conuerſiones, qui maiori vtique ſicut motu

Pſalm. 18. 1.

Ambr. lib. 2. in Hexa. cap. 2.

Digitized by Google

ferri æſtimantur, ita vehementiores ſonitus excitarent, non audiremus? Addunt præterea ideo ſonum hunc non peruenire ad terras, ne capti homines per ſuauitatem eius atque dulcedinem quam celerrimus ille cœlorum efficit motus ab orientalibus partibus vſque in occaſum propria negotia atque opera derelinquerent, & omnia hîc otioſa remanerent, quodam humanæ ad cœleſtes ſonos mentis exceſſu. »

Quid quod & Rabbini fabulantur hunc Moyſem quadraginta diebus, quibus cum Deo conuerſatus eſt, audiſſe concentum. Sed anilia & puerilia relinquamus. Ipſa certè cœli ſpecies etiam ſordis ſuo laudes Creatori perennes accinit, Angelos & homines in ſtuporem agens, & laudem ac gloriam. Vnde Ambroſius & Chryſoſtomus cœlum vocitant idiotarum librum, in quo opifex Deus aureis argenteiſque litteris ſcriptam notitiam ſuam expreſſit. Hinc Euſebius & Origenes referunt Iacob dixiſſe ſe legiſſe in tabulis cœli quæ filiis prædicebat. Noſter Carolus non tantùm cœli ſpecie, ſed & totius mundi decore permotus perpetuas Deo gratias de ſuis operibus decantabat: ſic abſtractus à ſenſibus, vt penè totus oblitus ſui ageret: nec tamen ita contemplationis addictus otio, vt Epiſcopatus ſui negotia præteriret; diœceſis viſitationibus, Synodorum, & Conciliorũ Prouincialium conuocationibus, frequẽter intẽtus; Ezechielis animalibus Cherubinis, & Seraphicis Eſaiæ ſpiritibus pariãdus, de quibus Prophetæ « ſtabant, & volabant: ibant & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, plena oculis ante, & retro, & in circuitu » vt enim præclarè admonet Auguſtinus: «Nec ſic eſſe quiſque debet otioſus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi, nec ſic actuoſus vt contemplationem non requirat

Euſeb. lib. 6. de præparat. Euang. c. 9. & Orig. in lib. narrat. Ioſeph.

Eſa. 6. 2. Ezech. 1. 14.

Aug. de Ciu. Dei 19.

Dei. In otio non iners vacatio delectare debet; ſed aut inquiſitio, aut inuentio veritatis; vt in ea quiſque proficiat, & quod inuenerit, ne aliter inuideat. In actione verò non amandus eſt honor in hac vitâ ſiue potentia, quoniam omnia vana ſub ſole; ſed opus ipſum quod per eundem honorem vel potentiam fit, ſi rectè atque vtiliter fit: id eſt vt valeat ad eam ſalutem ſubditorum quæ ſecundùm Deum eſt. Propter quod ait Apoſtolus, qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Exponere voluit quid ſit Epiſcopatus; quia nomen eſt operis, non honoris. Græcum eſt enim, atque inde ductum vocabulum, quia ille qui præficitur, illis quibus præficitur ſuperintendit, curam ſcilicet eorum gerens, ἐπὶ quippe ſuper: σκόπος verò, intentio eſt. Ergo Epiſcopum ſi velimus Latinè ſuperintendere, poſſumus dicere: vt intelligat ſe non eſſe Epiſcopum qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. Itaque ab ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur atque adminiſtretur vt decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium iuſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem. Sed nec ſic omnimodo veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur ipſa ſuauitas, & opprimat iſta neceſſitas. » Sarcinam Epiſcopatus ſubiit Carolus iuſſu Pij Quinti Auunculi ſummi Pontificis, & magnâ quidem neceſſitate charitatis Mediolanenſis Diœceſis: quod negotium vt ageret fortiùs « pernoctans in oratione Dei » otio ſancto contemplationis, eiuſque ſuauitati vacabat vberiùs, vt in eo Maria vo-

Digitized by Google

cata Martham iuuaret turbandam aliàs circa frequens miniſterium. Adeò iure merito de perpetuo actionis & contemplationis; Orationis & Prædicationis Caroli noſtri concentu fas ſit cum Iobo quærere: « concentum cœli dormire quis faciet?» Et aſſerere cum Pſalte de cœlorum virtutum eius indefeſſis orbibus & ambitibus:«Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.» In quem locum Auguſtinus, « iuſti (inquit) Euangeliſtæ, in quibus Deus tanquam in cœlis habitat,exponunt gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſiue gloriam quâ glorificauit Patrem filius ſuper terram. Et opera manuum eius annuntiat firmamentum,fiduciâ Spiritus ſancti.cœlum factum,quod antea timore terra erat.» Et rurſum. « Dicit Apoſtolus Ioannes, & vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à Patre plenum gratiâ & veritate. Hanc gloriam cœli enarrant, cœli ſancti ſunt, eleuati à terrâ, portantes Dominum. Quanquam gloriam Chriſti cœlum etiam quodammodo narrauit. Quando narrauit? Quando nato eodem Domino ſtella noua quæ numquam videbatur, apparuit. Sed tamen ſunt veriores & ſublimiores cœli de quibus conſequenter ibi dicitur: Non ſunt loquelæ,&c. ipſi enarrant nobis gloriam Dei poſitam in Chriſto Ieſu per gratiam, in remiſſionem peccatorum.» Et quis poſt Apoſtolos vir Apoſtolicus cœli nomen altius & excellentius promeruit, quis elatior à terrâ rebuſque terrenis, quis Dominum portauit, glorificauitque magnificentius poſitam in eo per gratiam in remiſſionem peccatorum,quàm qui incultæ diœceſi, Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, fidei, & bonorum operum vſum extinctum pœnè reſtituit? vt non iam ſtella noua orta Mediolanenſi territorio dux itineris fieret in Bethleem, quaſi do-

Aug. in Pſalm. 18.

Aug. in Expoſ. 2. eiuſdem. Pſalm.

Digitized by Google

mum panis, ſed iuxta emblema ſuum & ſymbolum viâ lacteâ, & firmamentum ſtellis omnibus inſtructum iter omnibus demonſtraret. « Numera ſtellas ſi potes. » Tibi, non Deo innumerabiles ſunt « qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat. »

Primum quidem cui vigilanter intendere debet Epiſcopus ſui indubiè vis eſt nominis eiuſque non vacuè portandi ſed implendi indefeſſum ſtudium, Paſtorem ſe vigilem norit, Paſtoribus primis Bethleemitici pueruli adoratoribus ſimilem, de quibus Euangelicus ſermo non fruſtra notauit « Paſtores cuſtodiebant vigilias noctis ſuper gregem. » Emphaſim porrò nominis Epiſcopi bifariam diuidit Ambroſius « Epiſcopus (inquit) à cunctis indubitanter vocaris, præſertim cùm ipſo nomine cenſeris, ſi tamen actio concordet nomini & nomen ſe ſociet actioni. Nam quid aliud interpretatur Epiſcopus, niſi ſuperinſpector? Maximè cùm ſolio in Eccleſiâ editiore reſideat, & ita cunctos reſpiciat, vt & cunctorum oculi in ipſum conſpiciant. Ergo quia ita eſt cur te velut tetrum ſpeculum vniuerſorum oculis demonſtras, ita vt non poſſint obſcuritate tuâ ſe comptiùs exornare? » Non erat certè quod Ambroſius in hoc ſucceſſorem ſuum Carolum ſuggillaret, qui mundiſſimum ſe virtutum omnium ſpeculum ſubditis exhibebat quo inſpecto corruptos plebs mores in melius reformaret: ſed eum velut firmamentum in terrâ futurum indigitaret cum Pſalte præſagiens: « erit firmamentum in terrâ » ſtellis coruſcum, ſplendidum exemplis. « Suſpice cœlũ, ſtellas dinumera ſi potes » ſtellas, inquam, prædictas à Baruch: « ſtellæ dederunt lucem in cuſtodiis: » hoc eſt exemplum ſubditis. Stellas in firmamento Epiſcopali fixas numerauit, & omnibus eis nomina vocauit

Ambr. lib. de dignitate Sacerd. cap. 6.

Gen. 15. 5.

Baruc. 3. 34.

Apoſtolus, eiuſque expoſitor Ambroſius « vt ſpecialiter ipſius Epiſcopatus modum & formulam omnibus ſacerdotibus depingamus, Apoſtolica eſt nobis regula reuoluenda, quæ de iis per ſingula Epiſcopales actus depingit, &c. Siquis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Hoc eſt. Si Epiſcopus eſſe deſideras, magnum eſt quod eſſe cupis, ſed ſi & opus bonum ſimul amplectaris. Nam ſi aliter eſſe cupis, Epiſcopus eſſe non potes, quia ſequitur, Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe: Nam ſi Epiſcopus reprehenditur, deformiter ſubditur culpæ; & profectò culpa ad reatum trahit, reatus ad pœnam, pœna perducit vſque ad mortem. Ecce ad quid voluitur dignitas Epiſcopalis. » Irreprehenſibilem ſe reputans eſſe ſe debere Carolus Apoſtolicâ & Anteceſſoris ſui Ambroſij adhortatione commonitus, viam ſibi lacteam iugiter tenendam ob oculos in emblemate poſuit, quam Aſtrologi tantâ ſtellarum multitudine ſibi inuicem connexarum conſtratam aduerterunt, vt vna alteri iuncta nullo intermedio videatur. Sic greſſus omnis Caroli & progreſſus de virtute in virtutem ibat, vt nihil in eius verbis, factis, cultu, veſtitu, cibo, potu, totâ domus ſuppellectile, domeſticorum regimine reprehenſibile fuerit. Vt mihi liceat de meo Carolo non incongruè loqui, quod de ſponsâ ſuâ licuit Salomoni. « Macula non eſt in te: » vel iuxta aliam verſionem: « reprehenſio non eſt in te. » Superexigit Paulus: « Epiſcopum vnius vxoris virum: » quod ſic expoſuit Ambroſius: « ſi ad ſuperficiem tantùm literæ reſpiciamus, prohibet digamum Epiſcopum ordinari, ſi verò ad altiorem ſenſum conſcendimus, inhibet Epiſcopum duas vſurpare Eccleſias, & ſi adhuc introrsùs profundiora ſcruteris, monet ne poſt Catholicum dogma, ſenſum inueniatur Epiſcopus ha-

Ambr. lib. de dignit. Sacerd. cap. 4.

1. Tim. 3.

Cant. 4. 7.

1. Tim. 3.

Ambr. ſupra.

bere hæreticum, ſed Chriſtianam tantùm orthodoxam & Catholicam ſibi aſſociet fidem, vt vnius tantummodo vxoris, & Catholicæ Eccleſiæ vir Epiſcopus vocitetur.» O verè de ſcholâ Apoſtoli inſignem tribus his modis vnius vxoris virum! Quàm diſtat à digamo illibato virginitatis flore liliũ candicans inter ſpinas, & ſtimulos, inductarum in cubiculũ duarũ ſpecioſiſſimarum mulierum lenocinio caſtiſſimè & inuictiſſimè ſuperato. Quique ſuadenti etiam Pontifici Maximo, Auunculo ſuo, poſt obitum primogeniti nubere, vel ad propaginem nominis, recuſauit. Vnius planè vix vxoris virum nouimus, Eccleſiæ Mediolanenſis cui ſic monogamus adhæſit, vt in reſidentiâ conſtans, nec thori coniugalis refuga, vt plerumque accidit tantò ſceleratiori, quò vinculo ſanctiori tenentur, vel opimioris reditus, vel Cathedræ honoratioris ambitu Eccleſiaſticum connubium violatur. Multò verò minùs polygamiæ nefandæ ſectator qui inter cætera Tridentinæ Synodi conſummandæ apud ſummum Pontificem vrgentiſſimus interceſſor plura beneficia à Clericis vel Epiſcopis poſſideri edicto caueri ſtrictiſſimè, procurauit. Fidei porrò Catholicæ amplexu inſolubili vir fideliſſimus nullo vnquam diuortio ſtrenuus hæretici cuiuſcumque dogmatis verbo & ſcripto extitit perſecutor, & hæreticorum in ſinum Eccleſiæ reducum vnicæ Chriſti ſponſæ paranymphus & eximius mediator. Perge Apoſtole ſtellas in firmamento Epiſcopatus radiantes in Carolo deſcribere. « Sequitur deinde, & ait. Sobrium: hoc eſt non vino tantùm ſed & vitiis parcum. Vt nec vino amplius indulgeat, quàm oporteat, & mente ſemper ſobrius inueniatur.» Quanta fuerit in Carolo ſobrietas, & victus parcitas mentiſque proinde tanto purior & terſa ſerenitas, vel ex eo liquet, quòd vix ad panem & aquam,

Ambr. ſuprà.

iuxta Tertullianum « paſtum & potũ pura noſcens » Tertul.
viliſſima lupinorum eſculenta adhiberet. « Adiunxit ſequentia, dicens: Prudentem. Prudentiam quippè non mundialem, de quâ dicitur, quòd ſtultitia ſit apud Deum: ſed prudentiam ſpiritalem, id eſt quæ & opere circumſpecta ſit, & verbo perita: vt ſit aſtutus ſicut ſerpens, & ſimplex ſicut columba. » Prudentiam Caroli quis ediſſerat? « Naſus eius ſicut turris Libani quæ reſpicit contra Damaſcum: » procul odorans & detegens luporum artes inſidiantium gregi: Damaſcus enim oſculum ſanguinis interpretatur, vt oſculi blandientis ſpecie, dente cruento inuadentes oues aduerſarios exprimeret: quâ tandem curâ & vigilantiâ paſtorali, verbo & opere plebis ſuæ neceſſitatibus corporis animæque prouidit? « Denuo infert: Ornatum. Quòd ſi iuxta ſenſum literæ tantùm reſpiciamus, non aliud Sacerdotes quàm amictum quærimus clariorem. Verbi gratiâ caſtorinas & ſericas veſtes: & ille ſe inter Epiſcopos credit eſſe altiorem, qui veſtem induerit clariorem. Sed ſanctus Apoſtolus taliter ſe intelligi non vult, quia non carne Epiſcopum, ſed mente docet eſſe ornatum: vt ille Sacerdos placeat Deo, qui habuerit animam compoſitam Deo. » At noſter Carolus nuſquam ſibi ſuiſque domeſticis, quantumuis clarus genere, illuſtris, & eminens Pontificatus & Cardinalatus dignitate, ſummi denique Pontificis Nepos, ſericarum vſum veſtium licitum ratus, nudo ac ſimplici quamuis honeſto cultu ornatus inceſſit, tantò « interioris hominis qui eſt in conſpectu Dei locuples » comendi ſtudioſior quantò exterioris poliendi negligentior. « Et poſt hæc addidit, Hoſpitalem, vt humanitatis intuitu, hoſpitio recipiat non habentes hoſpitium, & egenum ſine tecto inducat in domum ſuam, nec ſolus deuoret dona quæ largita

Ambr. Ibid. 1. Cor. 3. 19. Matth. 10.16. Cant. 8. 4. Ambr. Ibid. Ambr. Ibid. Eſa. 58. 7.

2. Cor. 9. 7. eſt bonitas Chriſti. Et quia hilarem datorem diligit Deus, ſine murmure contribuat pauperibus Chriſti. » De qua rurſum hilari in præſtando largitate, idem Ambroſius. « Eſt (inquit) non mediocris ea virtus. Vnde & Apoſtolus principaliter eam in Epiſcopo eſſe oportere, geminæ ſcriptionis docuit auctoritate, vt præſto ſit aduenientibus, & occurrat obuiam, & itinera exploret, & adſit non quærentibus, & rapiat prætergredientes. Ante oſtium ſedebat Abraham, ſedebat in meridie, quando alij requieſcebant, iſte hoſpitum explorabat aduentus. » O dignum Abrahæ filium Carolum Abrahæ opera facientem cui pauperum indigentiæ non occurrit! quot ſeminaria erexit, quot noſocomiis prouidit? ter millenos pauperes in fame, ſeptem millia in peſte prouidus nutritor aluit, teſtamento condito, vaſis omnibus in monetam redactis, totâ domus ſupellectile ad lectum vſque vendita & erogata, peſtilentiâ laborantibus propriâ manu Sacramenta diſtribuens, verè « bonus Paſtor dans animam pro ouibus ſuis. » Et cùm iuſti vindicis ira Dei iuxta Pſaltem « Omne firmamentum panis contriuiſſet " & ſecundùm eundem : « firmamentum in plaga » ſubditorum poſuiſſet ; Paſtoris boni pietate commota, « firmamentum in terrâ » territorio, inquam, Mediolanenſi à ſe conſtitutum recordatus, « memor verbi ſui ſeruo ſuo, oculos ſuper timentem ſe poſuit protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani. »

Ambr. l. 1. de Abraham. c. 5.

1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 8.

Pſalm. 104. 16. Pſalm. 72. 6.

Eccli. 34. 18. & ſeq.

« Sequitur deinde & ait, Docibilem ; id eſt ſic polleat Epiſcopus ſapientiâ, vt non ſolùm creditum ſibi populum ſufficienter doceat, verùm etiam & cunctarum queat hæreſum contradictiones à Catholicâ repellere Eccleſiâ, &c. qui verò talem ſe eſſe ignorat, ſacerdotium minimè appetat, nec locum alterius

Ambr. l. de dignit. ſacerdot. c. 4.

alterius vſurpare præſumat: præſertim illius qui fulgore ſuæ ſapientiæ populorum poteſt corda luſtrare. » Quis ætate Caroli doctior? firmamentum non nita rutilat ſtellis, ſicut Carolus optimarum quarumque artium ſtudiis. Prædixerat ſanè lucem mundi futurum Carolum, duabus ante ortum eius horis lux magna totum prægnantis matris cubiculum illuſtrans: ſicut vt prædiximus ſol denſiſſimis emergens tenebris ſui tempore doctoratus magni illius Franciſci Alciati obſtupeſcentis præſagio: & præclaræ eius doctrinæ monumenta, tum editis ad populum ſermonibus, tum ſcriptis illuſtribus, ſex Conciliis Prouincialibus eo Præſide collectis, conſummatoque & concluſo Concilio Tridentino ad totius orbis Chriſtiani eruditionem, indubiè conteſtantur. Cætera ab Apoſtolo & Ambroſio elogia prætereo: « Non vinolentum » nemo neſcit, aquâ purâ contentum. « Non percuſſorem, ſed modeſtum, id eſt manus improbas ad cædem non habentem, & ſuſpicionibus prauis minimè percutientem conſcientias aliorum, ne dum petulans inuenitur ad cædem athleta magis quam Epiſcopus iudicetur: ſed magis è diuerſo ab aliis illatas patienter ferat iniurias, vt mentis modeſtiam cunctis hominibus tranquillam demonſtret, & firmam patientiam cunctis oſtendat, &c. Non litigioſum, id eſt non linguam ad conuitium relaxet Epiſcopus; ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo, & diuina libat ſacrificia, litium venena proferat. Quia non decet de ore Epiſcopi benedictionem ſimul & maledictionem egredi, nè per eandem linguam per quam Deus laudatur, homo maledicatur: quia non poteſt de vno fonte dulcis aqua & amara prodire. » Quid Carolo patientius? quid modeſtius? quid eius animo tranquillius? & mente ſerenâ pacatius? an non fir-

Ambr. ſup.

Iac. 3. 9 & ſeq.

Digitized by Google

mamentum dices abſque nubilo, dum orationi cum ſuis vacans Sclopeto improbi laxato petitus, ſtetit immotus, nec verbo litigioſo contendit, ſed ſcelerati hominis crimen clementer indulſit.

Ambr. ſup. ibid. « Deinceps ſubſecutus eſt dicens, Non cupidum, id eſt non turpis lucri ſectatorem: ne lucri cupiditate Epiſcopus teneatur obnoxius, & nutriat auaritiam, 1. Tim. 6. 10. quæ eſt radix omnium malorum. Qui ſtipendiis tantùm contentus Eccleſiæ ſuæ, penitus non ambiat quæ intelligit eſſe ſuperflua, ſed de ipſa potius paupertate Eccleſiæ ſuæ libenter impertiat pauperibus Chriſti, ſicut ſcriptum eſt: Hilarem datorem diligit 2. Cor. 9. 7. Deus. » Quantum fuerit cupiditatis extraneus Carolus, præter quotidianas Eccleſiaſtici redditus erogationes in pauperes vnico liquebit exemplo quo Prouer. 3. 9. « de ſubſtantiâ ſuâ honorans Dominum, » vno die viginti millia ducatorum magnificentiâ incommuni indigentibus erogauit. Neque verò Carolo niſi in- Libanius apud Baſil. epiſt. 13 iuriâ Libanius ſcribere potuiſſet quod Epiſcopos in genere vellicans ſcribebat Baſilio. « Omnis quidem Epiſcopus talis eſt, vnde ægrè aliquid emolumenti emungatur: Tu verò, quantò reliquos prudentiâ ſuperas, tantò plus mihi metus generas, ne quo pacto quod petiturus ſum, conſtanter ſis denegaturus. Trabibus conſtratoriis opus habeo, &c. Ego verò niſi quod peto largiare, cœli iniuriis ac tempeſtatibus obnoxius ero. » Cui bellè reſpondet Baſilius calumniam impactam Epiſcopis retundens, & de ſuâ inopiâ quod petebat largiens. « Conſidera, quæſo, Baſil. epiſt. 14 ad Libanium præclare vir, vtra pars eius ſit tenacitatis, vt ægrè ab illa aliquid queat emolumenti auferri: an nos, qui tenui iſtâ & in arctum reductâ facultate obuallamur; an Sophiſtarum genus quibus quæſtum ex verbis facere artis loco eſt? Quis Epiſcoporum quæſtum ex verbis aucupatus eſt? Quis diſcipulos mer-

cenarios conſtituit niſi vos qui lucrum ex verbis ſectamini, quemadmodum placentas mellitas: ij qui melle delectantur? &c. Ego verò tibi cum gloriâ in declamandi ſtudiis verſanti totidem trabes accõmodato dari præcepi, quot in Thermopylis decertant milites, benè longas omnes, & iuxta Homerum tuum, longam efficientes vmbram » Noſter porrò Carolus de abundantiâ ſuâ quot pauperibus & nudis tectum & domum præbuit? De cætero turpi lucro hoc eſt lepriferæ in Giezi ſimoniæ, ſic infenſus, vt nec ſe, nec ſuos pro ſacris miniſteriis quicquam muneris accipere, ſit vllatenus paſſus. Præter enim decreta Concilij Tridentini contra ſimoniacos, cuius Carolus, vt diximus, conſummationem ſuâ diligentiâ procurauit, Lectorem remitto ad librum tertium eiuſdem Sancti Conſtitutionum & Decretorum Synodalium Prouinciæ Mediolanenſis, quo omnia continentur, quæ ad beneficiorum collationem, & prouiſionem, in eiſque conferendis, & collatis ſimoniæ labem, & auaritiam vitandam pertinent. Vbi inter cætera; « Interdicimus iis qui ius habent conferendi quæcumque beneficia Eccleſiaſtica, ſeu eis prouidendi, aut ad ea eligendi, præſentandi, vel nominandi, & eorum miniſtris cuiuſ-vis generis, ne quidquam, per quamuis cauſam, eius rei gratiâ ab aliquo cui Eccleſiaſticum beneficium quauis ratione tribuatur, ne ſponte quidem datum accipiant &c. Qui verò beneficium conditionibus eiuſmodi acceperit, ſciat ex Sacrorum Canonum decretis, ſe nullum in eo ius adeptum eſſe, atque ideo fructus ſuos non facere, quos-ve perceperit, ſine conſcientiæ labe retinere non poſſe, ad eorumque reſtitutionem compellatur. Omnes item ij pœnas dent cæteras ſimoniacis à ſacris Canonibus & Conſtitutione. S. D. N. Pij. IV. conſtitutas, &c. » Subjicit & ius-iuran-

S. Carolus lib. 3. Conſtit Diœceſ. Mediol

Digitized by Google

dum ab Epiſcopo exigendum à præſentato vel electo. « Ego N. præſentatus, vel electus, &c. ad beneficium iuro per ſacroſancta Dei Euangelia quæ manibus meis tango, neque me beneficij obtinendi causâ, aut vt ad id præſentarer vel nominarer, &c. neque quenquam alium meo nomine, aut conſentiente vel ſciente me, quidquam collatori, patrono, ſeu alij cuiquam eâ de causâ promiſiſſe, aut dediſſe, aut compenſaſſe, vel apud quenquam depoſuiſſe, neque mutuò dediſſe, vel locaſſe, vel priùs mutuò datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remiſiſſe, aut relaxaſſe, nec de domibus, terris, redditibus eius Eccleſiæ, fructibus-ve, decimis, aut oblationibus eiuſdem præteritis, præſentibus ac futuris donationem, remiſſionem, locationem-ve feciſſe, promiſiſſe, aut iniuiſſe, aut alium mandante vel conſentiente me promiſiſſe, feciſſe, aut iniuiſſe. Ita me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia. » Decernit item in Collatores & patronos ſimoniacos « nè in eo dando is ad nutum eius qui dederit, vel cuiuſ-vis alterius poſtea cedat, vel vlla fructuum pars ab Epiſcopis, & inferioribus, contra ſacrorum Canonum inſtituta, quâuis etiam pietatis ſpecie reſeruetur. Qui ex iis quos diximus ſecùs fecerit, iure ac facultate eligendi, nominandi, vel præſentandi deinceps vti non poſſit. » Et hæc de ſingulari eius in turpis lucri cupidos ſimoniacoſque odio dicta ſufficiant. « Connectit ſubſequentiâ dicens: Domui ſuæ benè præeſſe, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Domui ſuæ benè præeſſe poteſt, qui corporis ſui ſeruauerit caſtitatem. Domui, inquit, hoc eſt corpori ſuo tali iure dominetur, vt non ſubdatur ipſius voluntati, ne in deſiderio luxuriæ deditus, in præcipitium demergatur, ſed potiùs filios ſuo caſtitatis exemplo, ad pudicitiæ

S. Carolus Ibid. In princip.

Ambr. ſup.

regulam doceat : Nam ſi quis domui ſuæ præeſſe neſciat, quomodò Eccleſiæ Dei diligentiam adhibebit ? Et qui peccati trabem de ſuo non poteſt eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare feſtucam ? » Scimus ex Domini verbo ſic apud Baſilium exponente Gregorio Theologo, quòd « Corporis quidem lucerna eſt oculus, non is tantùm qui corporaliter videt & videtur, ſed & qui ſpiritaliter conſiderat & conſideratur. Eccleſiæ verò Lychnus eſt Epiſcopus : Neceſſe eſt igitur, vt quemadmodum rectè agitur corpus, ſi oculus ſit purus; & peruersè, ſi ſit impurus : ità cum Eccleſiæ præfecto vtrolibet modo diſpoſito, omninò ſimul vel periclitetur, vel ſeruetur Eccleſia. » O quàm rectè cum Eccleſiâ Mediolanenſi actum eſt ſub noſtro Carolo ! quàm purus & deterſus ab omni puluere & ſorde criminis erat hic oculus ! quàm lucens & ardens, quàm plena oleo gratiæ, miſericordiæ, lampas & Lychnus! « Prælucebat omnibus qui in domo erant, vt lucerna poſita ſuper candelabrum. » Quid dico? vt firmamentum ſtellarum tot rutilis aſtris, quot bonis exemplis clarus Carolus; domui vtique ſuæ & domeſticæ Eccleſiæ ideò benè præerat, proderatque Mediolanenſi Eccleſiæ, quia proprij corporis dominus, ſenſus eius & appetitus, non tam rationis, quam gratiæ diuinæ fræno regebat, ab Apoſtolo doctus & Auguſtino, filios Dei eſſe, non qui ſuo, ſed qui diuino aguntur ſpiritu. In cunctis « carnis curam ſic negligens in deſideriis » vt « nihil ampliùs vſus fuerit ſuis, quàm canis, domini facultatibus : » hoc eſt præter panem, aquam, tectum neceſſarium ſuſtinendæ vitæ, nihil carni indulſerit ſuperfluum. Quid mirum ergo ſi familiam habuit Carolus benè compoſitam, qui ſubditos regebat tanquam filios in omnibus caſtitatis & modeſtiæ, verbo, & facto documentis;

Apud Baſil. Greg. Theol. epiſt. 24.

Matth. 5. 15.

Panigarol. in Orat. funebr.

Adeò vt ex eius domeſticis ſeptem Nuncij Apoſtolici, duodecim Epiſcopi, vnus Cardinalis, & alter Pontifex fuerint aſſumpti.

Iob 9. 7. Innumeras breuitatis causâ firmamenti noſtri « ſtellas quaſi ſub ſignaculo condo » tempus deficit ſingula vel leuiter perſtringentem. Verum primæ magnitudinis ſtellam cæteris præfulgentem ſilentij velo obducere nefas. « Erit firmamentum in terrâ in ſummis montium. » Prophetiam impletam vidimus. Sed Pſ. 17. 16. quid ſubdidit ? « Superextolletur ſuper Libanum fructus eius. » Quis hic fructus ? Libanum ſolemus Aug. in Pſ. 71. accipere velut huius ſeculi dignitatem, quoniam mons eſt Libanus excelſas arbores habens, & nomen ipſum interpretatur candidatio. » Super Libanum vtique, ſuper candidam viam lacteam innocentiæ & virginitatis Caroli viam, inquam, virtutum omnium numeroſitate contextam ſuperextollitur viâ cæteris Aug. ibid. eminens & ſtella præfulgens charitatis. « Quis alius fructus intelligendus eſt qui ſuper hunc Libanum ex- 1. Cor. 12. 31. tollitur, niſi de quo Apoſtolus dicit, de charitate ſua locuturus : adhuc ſupereminentem viam vobis demonſtro, hoc enim & in primo ponitur munere diuinorum, vbi ait : fructus autem Spiritus eſt chari- Gal. 5. 22 tas. Atque inde cætera vtique conſequentia contexuntur. » Tanto charitatis ardore flagrabat, vt alter 1. Cor. 4. 13. Apoſtolus « omnium peripſema, & anathema pro Rom. 9. 3. fratribus » victimam pro ſui peccatis populi iuſtitiæ ſe diuinæ, aſpero victu, lecto duriſſimo, flagellis ad ſanguinem crebris iugiter immolare non contentus; indictâ ſupplicatione Cleri & populi, fune ad collum ligato, pœnitentis habitu, magnam præferens crucem, in craſſum oblongumque clauum nudipes impegerit, nec tamen grauiſſimo vulnere cruentatus à longâ ſupplicationis quæ ſupererat viâ deſtiterit, Medicis & Chirurgis factus oſtentum. Firmamen-

Digitized by Google

tum diceres nulli vulneri obnoxium : ſic doloribus velut inſenſibilis licet acutiſſimis præ charitatis ardore obduruiſſe videbatur.

Et quod in his omnibus virtutum omnium exercitationibus admirandum, conſtans fuit & perſeuerans vſque in finem pœnitentiæ, orationis, charitatis, vigilantiæ paſtoralis tenor; cuius motus veluti naturalis, in fine vitæ feruidior & ocyor apparuit; vt in eius vitâ narratur: vt cum Pſalte verè de Carolo canamus, & virtutibus eius cœleſtibus: « verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. » Quem verſiculum Paſchalis Papa II. pro Symbolo habuit; ſed non inconcinniùs, quis Carolo adaptarit. Homerus quidem cœlum, propter ſolidam firmitatem, domum æream appellauit. Sphæram octauam Græci propter ſtellas in eo fixas & nuſquam errantes ἀπλανὴν nuncuparunt. Nos Carolum nunquam erraticum, ſed in virtutis propoſito firmum, ſtabilem, inconcuſſum « firmamentum in terrâ » meritiſſimè huc vſque probauimus, de terræ firmamento, ad cœleſte tranſlatum Eccleſiæ ſententia relatum in Diuos piè, ac verè credimus. Pſal. 32. 6.

SECVNDA PARS MORALIS.

Supereſt vt reflexiones morales ex prædictis colligamus. Ac primò quidem, ſuſpiciendum eſt cœlum & firmamentum admirandum; ſed præ cæteris laudandus eſt opifex eius « verbo » enim « Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum » ſiue virtutis nomine egregia eius opera, dum viueret, ſiue innumera, poſt eius obitum patrata miracula conſideremus, in his omnibus cum Clemente VIII. cum Pſalte dicamus: « Scitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum. » Adiiciamus & Pſal. 32. 6. Pſal. 4. 4.

Digitized by Google

nos : « Dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum. » Quid enim per Caroli merita inuitatus, poterit meritorum eius interceſſione, ſuis deuotis recuſare? Ego verò, ſicut ipſe relictis domus ſuæ inſignibus ſancti Ambroſij,& Sanctorum Geruaſij & Prothaſij ſumpſit imagines, cum hac inſcriptione præfixâ : « Tales ambio defenſores : » ſuadeo, vt defenſionem & protectionem ſancti Caroli, in omnibus neceſſitatibus, cum eius imagine ad lectuli caput appensâ, ſuppliciter ambiamus.

2.Reſt.Laudabilis quidem eſt pius ſanctarum imaginū cultus,ſed longè præſtantior & acceptior erit Carolo,benè affectus in eum animus,ſi fuerit ad vitam

1.Pet.5. 3. virtutum eius imaginem excultus. « Forma quidem factus eſt gregis ex animo : » ſed firmamento ſtellato, & viâ lacteâ, cuilibet iuxta ſymbolum ſuum monſtrat iter Epiſcopo; quæ deuiare & deuitare prærupta

Ambr. l.de dignit. ſacerdot.c.2. debeat, quæ ingredi plana & recta. « Dignum eſt, vt dignitas ſacerdotalis prius noſcatur à nobis, & ſic deinde ſeruetur à vobis, vt Pſalmographi ſententiâ queat repelli à nobis. Homo cùm in honore

Pſ. 48. 13. eſſet, non intellexit, &c. Honor igitur, fratres, & ſublimitas Epiſcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares & Principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares:quippè cùm videas Regum colla & Principum, ſubmitti genibus Sacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, oratio-

Ambr. ibid.c.3 nibus eorum credant ſe communiri. » Atenim « ideo oſtendimus nihil eſſe in hoc ſeculo excellentiùs ſacerdotibus; nihil ſublimius Epiſcopis reperiri; vt cùm dignitatem Epiſcopatus, Epiſcoporum oculis demonſtramus, & dignè noſcamus quid ſumus, & quod ſumus profeſſione, actione potiùs quàm nomine demonſtremus. »

Digitized by Google

Liceat hîc mihi in conſpectu Domini ſincerâ humilitate & debitâ reuerentiâ illuſtriſſimis Eccleſiæ Principibus eodem cum Auguſtino ſtylo colloqui quo ipſe adhuc Preſbyter ſcripſit Valerio. « Ante omnia peto vt cogitet religioſa prudentia veſtra nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi aut Preſbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius: Item nihil eſſe in hac vitâ, & maximè, hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Preſbyteri, aut Diaconi officio: ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet.» Singulariter itaque vigilandum eſt« vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini; ne ſit nomen inane, & crimen immane; ne ſit honor ſublimis,& vita deformis; ne ſit deifica profeſſio,& illicita actio; ne ſit religioſus amictus & irreligioſus prouectus; ne ſit gradus excelſus, & deformis exceſſus; ne habeatur in Eccleſia cathedra ſublimior, & conſcientia Sacerdotis reperiatur humilior; ne locutionem ſimulemus columbinam, & mentem habeamus caninam; ne profeſſionem monſtremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam; ne dignè nobis per Prophetam reſpondeatur, populus hic labiis me honorat &c. Ergo,fratres, ſicut Senatorem chlamys ornat, ſicut agricultura ruſticum, ſicut nautam nauigationis peritia, & ſingulos quoſque opifices operis ſui qualitas ipſos demonſtrat auctores, ſic Epiſcopum non aliud niſi Epiſcopalis opera deſignat: vt ex bono opere magis, quàm profeſſione noſcatur: plus meritis eſſe Epiſcopus, quàm quòd nomine vocitetur: quia ſicut nihil eſſe diximus Epiſcopo excellentius, ſic nihil eſt miſerabilius, ſi de ſanctâ vitâ

Aug. ep. 148. ad Valerium.

Ambr. sup. c. 3.

Eſa. 29. 13.

Google

Epiſcopus periclitetur, ſi ſacerdos in crimine teneatur. Et vt leuius eſt de plano corruere, ſic grauius eſt qui de ſublimi ceciderit dignitate: quia ruina quæ de alto eſt, grauiori caſu collidit. Honor qui-
Luc.12. 48. dem Epiſcopalis coram hominibus præclarus eſt, ſed ſi ruinam ſuſtineat, &c. ruina grauior eſt. Magna
Sap. 6. 7. ſublimitas magnam debet habere cautelam: honor grandis grandiori debet ſolicitudine circumuallari,
Iac. 4. 17. cui plus creditur, ab eo plus exigitur, ſicut ſcriptum
Luc.12. 47. eſt: quia optimis permixta ſunt peſſima. Et alibi: potentes potentiora tormenta patientur: &, ſcienti legem, & non facienti, peccatum eſt grande: &, ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens eam vapulabit multùm. Aliud eſt enim quod ab Epiſcopo requirit Deus, & aliud quod à Preſbytero, & aliud quod à Diacono, & aliud quod à Clerico, & aliud qnod à Laïco, vel à ſingulis quibuſque hominibus. (Vnde & Pſaltes de ſingulis hominibus, hominumque conditionibus tanquam arboribus proprium ſuum exigit fructum, dicens: Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in
Pſ. 1. 3. tempore ſuo.) Et licet omnium hominum opera Deus in ſuo examinet iudicio, plus tamen ab eo exigitur, cui plus committitur. Ampliores enim pœnas luit, cui numeroſior regendorum populorum fuerit cura commiſſa.»

3. Reflexio. Quid itaque ab Epiſcopis exigatur, vita & exempla ſancti Caroli apertè demonſtrant, & Paulus ſuprà ad Timotheum ſcribens, quantò in Epiſcopo requirantur exponit, dicens: qui Epiſcopatum, bonum vtique opus deſiderant, exactè diſcutiant. Irreprehenſibilem vult Paulus Epiſcopum: & quanquam id vnum ab eo depoſceret, ad terrorem incutiendum maximè ſufficeret. Quis enim vel

in aliquo argui & reprehendi non poteſt? Viam prorſus lacteam cum Carolo tenere debet Epiſcopus, vt innocentiâ cordis ambulet coram Deo & præluceat ſubditis puriſſimæ & incontaminatæ lucis exemplo. « Porrò puritas cordis in duobus conſiſtit, in quærenda gloria Dei, & vtilitate proximi vt in omnibus videlicet actis ſuis vel dictis nihil ſuum quærat Epiſcopus, ſed tantùm aut Dei honorem, aut ſalutem proximorum, aut vtrumque. Hoc enim agens, implebit non ſolùm Pontificis officium, ſed & etymologiam nominis, pontem vtique ſe ipſum faciens inter Deum & proximum. Pertingit pons iſte vſque ad Deum eâ fiduciâ, quâ non ſuam ſed illius gloriam quærit: pertingit vſque ad proximum, illâ pietate quâ & ipſe non ſibi prodeſſe deſiderat. Offert Deo bonus mediator preces & vota populorum: reportans illis à Deo benedictionem & gratiam, ſuplicat Maieſtati pro exceſſibus delinquentium, vindicat in peccantes iniuriam Dei. Ingratis improperat beneficia pietatis, contemnentibus potentiam ſeueritatis inſinuat. Vtriſque tamen nihilominus placare ſtudet indignantis furorem: nunc quidem hominum obtendens infirmitatem, nunc diuinæ magnitudinem pietatis. Denique ſiue excedat, Deo; ſiue ſobrius ſit, nobis: aut Deo ſemper quantum in ipſo eſt placere geſtit, aut præſtare nobis non quod ſibi omnino vtile eſt quærens, ſed quod multis. Fidelis Pontifex qui bona quælibet per manus ſuas tranſeuntia, ſiue diuina beneficia ad homines, ſiue hominum vota ad Deum, colũbino intuens oculo, nihil ſibi retentat ex omnibus, nec populi requirit datum, ſed lucrum, nec Dei gloriam vſurpat ſibi. Acceptum talentum non ligat in ſudario, ſed partitur numulariis, à quibus vſuras recipit, non ſibi ſed Domino.

Ber. Epiſt. 42. ad Henricum Archiepiſc. Senonenſem

2. Cor. 5. 13.

1. Cor. 10. 33.

Luc. 19. 20.

Digitized by Google

Luc. 9. Non habet foueam vt vulpes, non tanquam volu-
58. cres nidum, non loculos quomodo Iudas: non de-
Io.12.6. nique, ſicut nec Maria locum in diuerſorio. Imita-
Luc.2.7 tur profectò illum qui non habebat vbi reclinaret
Pſ. 30. caput, factus inpræſentiarùm tanquam vas perdi-
14. tum, quandoque procul dubio futurum vas in ho-
Rom.9. norem, & non in contumeliam, &c. Qui dicat cum
21. Prophetâ, obliuioni datus ſum tanquam mortuus à
Pſ.30.13 corde, id eſt, à propriâ voluntate. Bona obliuio, ſi
te ipſum neſcias, vt proximo proſis. Benè autem
2. Cor. mortuus à corde, ſi iam non tibi viuere ſtudeas, ſed
5. 15. ei qui pro te mortuus eſt.»

4. Reflexio. Sed eheu, flens dico, quàm pauci ſunt qui ſua non quærunt, qui ſibi non viuunt, qui loculos non habent, qui turpis lucri cupidi non ſunt, qui Carolum imitantes, deſertâ aulâ & curiâ in propriis reſideant beneficiis, qui eorum pluralitatem non ambiant, qui vnius vxoris ſint viri, qui eam cum honoratiori vel ditiori non mutent, qui penſiones ſibi in reſignatis non reſeruent, qui bona Eccleſiæ patrimonia vtique pauperum, neceſſariis non contenti, ſuperfluis curribus, equis, aulæis, vaſis, tot pediſſequis, & canibus alendis, ſericis veſtibus, epulis exquiſitis non impendant. Atque vtinam vel turpis lucri & ſimoniaci cupidi non ſint, & per oſtium
Ambr. legitimum fuerint in ouile Dominicum inducti.
l. 4. in « Habes Domini præceptum, Vatis exemplum, gra-
Lucam tis accipere, gratis dare, nec vendere miniſterium,
vbi de ſed offerre; non enim pretio taxatur Dei gratiâ, nec
Naa- in Sacramentis lucrum quæritur, ſed obſequium ſa-
mar. cerdotis. Non tamen ſatis eſt ſi lucrum ipſe non
Lepro- quæras, familiæ quoque tuæ cohibendæ ſunt ma-
ſo mun- nus: nec hoc ſolùm expoſcitur, vt te ſolum caſtum
dato immaculatumque cuſtodias. Non enim dixit Apo-
Luc. ſtolus, te ſolum, ſed teipſum caſtum cuſtodi. Quæ-
1. Tim.
5. 22.

Digitized by Google

ritur ergo non ſolùm tua ab huiuſmodi nundinis, ſed etiam domus tuæ caſtitas. Oportet enim irreprehenſibilem eſſe ſacerdotem, ſuæ domui benè præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, &c. Inſtrue ergo familiam tuam, hortare, cuſtodi: & ſi te fefellerit ſeruulus, humanam enim non excipio facultatem prophetico deprehenſus repudietur exẽplo. Citò turpem ſequitur lepra mercedem, & pecunia corpus animumque malè quæſita commaculat. Accepiſti, inquit, pecuniam & poſſidebis ex ea agrum & vineas & olìueta, & greges, & lepra Naaman adhærebit tibi & ſemini tuo vſque in æternum. Vides quia facto auctoris, ſucceſſio damnatur hæredis. Inexpiabilis eſt enim venditi culpa myſterij, & gratiæ vindicta cœleſtis tranſit ad poſteros &c. Ergo omnes cupidi, omnes auari, Giezi lepram cum diuitiis ſuis poſſident, & malè quæſitâ mercede, non tam patrimonium facultatum, quàm theſaurum criminum congregarunt, æterno ſupplicio & breui fructu. Nam cùm diuitiæ ſint caducæ, pœna perpetua eſt, quia neque auarus, neque ebrioſus, neque idolis ſeruiens regnum Dei poſſidebunt. » Proh miſeram ſortem! « Giezi ſectantes & Simonis ſententiam, ſancti Epiſcopatus gratiam pecuniâ coëmerunt, nequaquam timentes, cùm honorem ſacerdotalem pecuniis emerint, à beato Petro Apoſtolo ſe cum Simone fuiſſe damnatos, & lepram cum Giezi à ſancto ſe credant ſuſcepiſſe Eliſæo, &c. Oculis quidem carnalibus videtur quaſi Epiſcopus magnus, & diuinis obtutibus inſpicitur leproſus magnus, &c. caro ſuſcepit dignitatem, & anima perdidit honeſtatem: caro ancilla domina facta eſt animæ, & anima quæ erat domina facta eſt famula carni: caro dominatur populis, & anima ſeruit dæmoni; carni ſacerdotium

1. Tim. 3. 4.

4. Reg. 5. 26.

1. Cor. 6. 10.

Ambr. de dignit. ſacerd. c. 6.

Act. 8. 20.

4 Reg. 5 27.

comparuit, & animæ detrimentum parauit: & quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ? Quod dedit cùm ordinaretur Epiſcopus, aurum fuit; & quod perdidit, anima fuit; cùm alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit; & quod dedit, lepra fuit. Hæc ſunt mercimonia iniquorum, in perniciem eorum, &c. O Iuſtitia! ô æquitas! ſi homini pecunia datur, qui nihil in ordine ampliùs operatur, niſi ſolum ſeruitium quod ei creditur; cur Deo totum negatur, qui ipſum ordinem tibi largitur? Iuſtum ne tibi videtur vt ſeruus honoretur, & Dominus iniuriam patiatur, & iniuſtè accipiat Sacerdos pecuniam, & Deus patiatur ab homine iniuriam? » Audite Dominum: « Gratis accepiſtis gratis date. »

5. Reflexio. Quantò melius vel ex charitate cum Carolo ex propriis Epiſcopi generoſi & nobiles largiter pauperibus erogant, vel ex iuſtitiâ redditus beneficiorum egenis applicant, vt de eis canatur: « diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. » Auguſtinus agens de bonis Eccleſiæ Donatiſtarum, Imperatorum edictis, Eccleſiæ Catholicorum addictis, Patrimonium Chriſti ad Epiſcopos proprietate minimè pertinere ſed piâ in pauperes diſpenſatione declarauit exceptis propriæ neceſſitatis impenſis. « Quid (inquit) de opere miſericordiæ, quod pro vitâ æternâ adipiſcendâ & pœnâ æternâ vitandâ, hominibus debemus impendere, iudicandum eſt. Si pro ſalute iſtâ non ſolùm temporali, ſed etiam breui, ad ipſum tempus exiguum liberanda, ſic nos hominibus ſubuenire ratio vera & benigna compellit? Quod autem nobis obiiciunt, quòd res eorum concupiſcamus, & auferamus, vtinam Catholici fiant; & non ſolùm quæ dicunt ſua,

Pſ. 111. 9. Aug. Epiſt. 50. ad Bonifac Comitem à med.

Digitized by Google

etiam noſtra in pace nobiſcum, & charitate poſſideant. Vſque adeò autem calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant quàm ſint inter ſe contraria quæ loquuntur. Ipſi certè dicunt, & inuidioſiſſimè ſibi conqueri videntur quod eos in noſtram communionem violento legum imperio coarctamus. Hoc vtique nullo modo faceremus, ſi res eorum poſſidere vellemus. Quis auarus quærit compoſſeſſorem? quis dominandi cupiditate inflammatus, vel faſtu dominationis elatus, deſiderat habere conſortem? ipſos certè attendant quondam ſuos, iam noſtros ſocios, & fraternâ nobis dilectione coniunctos: quemadmodum ſua teneant, non ſolùm quæ habebant, ſed etiam noſtra, quæ non habebant: Quæ tamen, ſi pauperum compauperes ſumus, & noſtra ſunt, & illorum. Si autem priuatim quæ nobis ſufficiant, poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus, non proprietatem vſurpatione damnabili vendicamus. Quidquid ergò nomine Eccleſiæ partis Donati poſſidebatur, Chriſtiani Imperatores legibus religioſis, cum ipſis Eccleſiis ad Catholicam tranſire iuſſerunt. Cùm ergo nobiſcum ſint plebes earundem Eccleſiarum, nobiſcum pauperes quæ ab eiſdem poſſeſſiunculis alebantur: Ipſi potiùs foris poſiti deſinant concupiſcere aliena, ſed intrent in vnitatis ſocietatem, vt pariter gubernemus, non illa tantùm quæ dicunt ſua, verùm etiam quæ dicuntur & noſtra Scriptum eſt enim: omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Sub illo capite, in vno eius corpore vnum ſimus: & de iſtis talibus rebus faciamus quod factum eſt in actibus Apoſtolorum: Erat illis anima vna, & cor vnum; & nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia. Amemus quod cantamus. Ecce quàm

1. Cor 3. 22.

Act. 4. 32.

Pſ. 132. 1

Digitized by Google

bonũ & quàm iucundum habitare fratres in vnum: vt ſic experiantur, & ſciant quàm veraciter ad eos clamet mater Catholica, quod ſcribit beatus Apoſtolus ad Corinthios: Non quæro quæ ſunt veſtra, ſed vos. Si autem conſideremus quod ſcriptum eſt in libro Sapientiæ. Ideò iuſti tulerunt ſpolia impiorum: Item quod legitur in Prouerbiis: Theſaurizantur autem iuſtis diuitiæ impiorum: tunc videbimus non eſſe quærendum, qui habeant res hæreticorum: Sed qui ſint in ſocietate iuſtorum.»

Prouer. 13. 22.

Hîc aduerte, lector, quantam ex hoc loco S.P. Auguſtini, velut agro fœcundiſſimo reflexionum ſegetẽ metas. Primò enim licet ex eo aduertere quanta ſit Chriſtianiſſimorum in hæreticos Regum lenitas; qui cùm iuſtè poſſent Eccleſiæ inimicos ſuis deſpoliare prædiis & bonis, eaque Catholicis addicere, Deo per ſcripturas præmiſſas, & Imperatoribus ſuis religioſis legibus id olim iubentibus: eos pleno iure & dominio in ſummâ libertate vtifrui munificentiſſimè concedunt. Secundò, noſtræ multùm gratulandum Galliæ, de magno pietatis ſupra dictos Imperatos, Ludouici XIV. acceſſu, & Eminentiſſimi Cardinalis Iulij Mazarini liberalitate inſigni, & ducentarum millium librarum ex annuo redditu in Miniſtrorum partis Caluini, in ſinum Catholicæ reuertentium vſum, oblatione ſpontaneâ; hortatu quàm maximè Nobilliſſimi Domini, de la Milletiere, Doctiſſimi & Zelantiſſimi & Religionis Catholicæ, & conuerſionis hæreticorum præcipuè, quos & verbis, & libris innumeris conſcriptis, totâ curâ & ſolicitudine, ex zizaniis in faſciculos comburendis, in triticum conuertendos dominicis horreis, Angelis baiulis inuehendum, diu noctuque molitur; Tertiò, illuſtriſſimos hîc compello Eccleſiæ Gallicanæ Præſules, vt & Chriſtianiſſimi Regis,

&

Digitized by Google

& Eminentiſſimi Cardinalis, & feruentiſſimi Procuratoris zelo, ſuis facultatibus, vel ſaltem bonis Eccleſiaſticis iuſtiſſimè in hac cauſa impenſis hilariter collaborent, iuxta Paulum: « neceſſitatibus ſanctorum communicantes. » Quid enim iuſtius, quàm quæ ſua ſunt cuique tribuere? quæ pauperum ſunt, pauperibus erogare? Quid iniuſtius quàm procuratione tantùm, & diſpenſatione ſuſceptâ, tritici menſuram neceſſitatis tempore denegare, & proprietatem alienorum vſurpatione damnabili vendicare? Aulæis pōpaticis veſtiti ſuperbiunt parietes, & pauper ad oſtium nudus frigore contabeſcit. Conopæis ſericis thorus turgeſcit Epiſcopi, nec in ſtabulum cum equis & canibus ſine tecto vagus hoſpes inducitur. Menſa redundat pretioſiſſimis eſculentis, & vix pauperi Lazaro vlceribus pleno micæ & ſuperflua de menſa Præſulis epulantis tribuuntur. Vbi Caroli in pauperes charitas? vbi proprij patrimonij liberalis erogatio? vbi tapetum omnium hyemali tempore in nudorum veſtimenta deſpoliatio? vbi in conuertendis Heluetiis frequens & æmula peregrinatio? Recolite, quæſo, & vobis ob oculos identidem ponite Ioannis Eleemoſinarij in curandis pauperibus zelum, viſcera miſericordiæ eius induimini, qui accepto ab beneuolo Senatore pretioſiſſimo ſtragulo, inſomnis, inquietus apud ſe pernoctans, & recogitans, plures fors ſine tecto & lecto pauperes pernoctare, quibus ſtraguli pretium obtegēdis alendiſque ſufficeret, ortus ſolis impatiens, ſummo mane ſurgens vendidit, & ſemel ac tertiò ab eodem Senatore redemptum, toties vendidit, ſummamque totam pauperibus fidelis œconomus diſpenſauit: neceſſitatibus eorum tantâ largitate communicans, vt ne obolo quidem domi relicto, in tradito priùs lectulo mutuò à ſuo domeſtico petito humilis & pau-

Rom. 12.13.

Luc. 12. 42.

Digitized by Google

per, gratiâ & miſericordiâ diues ex hac vita deceſſerit.

Ber. ep. 42. ad Henricum Ep. Senon.

6. Reflexio. Bernardum audiant, vbi de honorificando miniſterio Sacerdotali. « Honorificabitis (inquit) miniſterium veſtrum, miniſterium, inquam, non dominium, non cultu veſtium, non equorum faſtu, non amplis ædificiis, ſed ornatis moribus, ſtudiis ſpiritualibus, operibus bonis. Quàm multi aliter! cernitur in nonnullis ſacerdotibus veſtium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus, &c. Verùm tu ſacerdos Dei altiſſimi, cui ex his placere geſtis, mundo, an Deo? ſi mundo, cur Sacerdos? ſi Deo, cur qualis populus, talis & ſacerdos? » Pergit inde Bernardus in ſuperfluos inuehi beneficiariorum ornatus. « Dicite non quidem in ſancto, ſed in freno, quid facit aurum? quàm tolerabilius cernitur in ſancto quam in freno? hoc me etiam tacente, etſi non curia Regum, tamen penuria pauperum clamat. Sileat licet fama, ſed non fames, &c. clamant verò nudi, clamant famelici conqueruntur & dicunt: in freno quid facit aurum? Numquid aurum à freno repellit frigus ſiue eſuriem? nobis frigore & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur quod inutiliter expenditis. Et nos etiam Dei plaſmatio, & non ſanguine Chriſti redempti ſumus. Nos ergo fratres veſtri (quidni quos Chriſtus dignatus eſt vocare fratres?) videte quale ſit, de fraterna portione paſcere oculos veſtros. Vita noſtra cedit vobis, &c. Duo denique mala de vna prodeunt radice cupiditatis: dum & vos vanitando peritis & nos ſpoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra non curatis crura nuda caligulis, &c. Huc accedit, quòd hæc omnia nec negotiatio-

Gen. 14 18. Eſa. 24 2. Exod. 28. 36.

Matth. 25. 40.

Google

nis ſtudio, nec proprio manuum exercitio vobis
elaboraſtis, ſed nec iure hæreditario poſſidetis,
niſi fortè & vos in corde veſtro dixeritis : hære-
ditate poſſideamus ſanctuarium Dei. » Et rurſum. Pſ. 82.
« Iudicabit Deus, & ibi oportet nos omnes re- 13.
præſentari ſiue ſit Papa, ſiue Cardinalis, ſiue Ber ſer.
Archiepiſcopus, ſiue Epiſcopus, ſiue diues, ſiue pau- ad Cle-
per, ſiue doctus, ſiue indoctus, vt referat vnuſquiſ- ricos in
que rationem de his quæ geſſit in corpore ſiue bo- Concil.
num ſiue malum. Et ſi reddenda eſt ratio de his quæ Rhe-
quiſque geſſit in corpore ſuo, heu, quid fiet de his menſi.
quæ quiſque geſſit in corpore Chriſti, quod eſt Ec- 2. Cor.
cleſia ? » Et ne me ſolos alloqui & conuenire Eccle- 5. 10.
ſiæ Principes quis ſenſerit, aduertat non ſemel Pau- Coloſſ.
lum de domeſtica locutum Eccleſia « Salutate Priſ- 1. 24.
cam & Aquilam, &c. & domeſticam Eccleſiam Rom.
eorum. » vbi Diuus Thomas : « Habebant (inquit) 16. 5.
in domo ſua, multos fideles congregatos. » Et ite- D. Th.
rum. « Salutat vos in Domino multùm Aquila & ibid.
Priſcilla cum domeſtica ſua Eccleſia, apud quos & lect. 1.
hoſpitor. » Vt nouerit quiſque Paterfamilias ſe Ec- 1. Cor.
cleſiæ ſuæ Epiſcopum & ſuperinſpectorem, vnius 16. 19.
vxoris virum, & non adulterum, filios habentem
ſubditos cum omni caſtitate, non ebrioſum, non
percuſſorem, hoſpitalem, &c. nec enim ipſe ſic
propria poſſidere ſibi ſuiſque debet, vt Chriſti pau-
peres & membra de tot ſuperfluis non refrigeret &
iuuet. Carolus etiam Laïcis in exemplum datus eſt
miſericordiæ & charitatis. « Vnde verò hanc vobis Ber.
diuites exuberare æſtimatis rerum affluentiam, ve- ibid.
ſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem ſup.
vaſorum argenteorum & aureorum niſi de bonis
Sponſæ? Inter hæc eſt quòd illa pauper & inops &
nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida,
& exſanguis : propter hoc non eſt hoc tempore or-

Digitized by Google

nare ſponſam, ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere, non eſt defendere, ſed exponere: non eſt inſtruere, ſed proſtituere: non eſt paſcere gregem Domini, ſed mactare & deuorare: dicente Domino de
Pſ.13.4 illis: « qui deuorant plebem meam vt cibum panis,
Pſ.78.7 & iterum: quia comederunt Iacob & locum eius
Bern. ibid. deſolauerunt. » Supra præmiſerat. « Honorati incedunt de bonis Domini cui honorem non deferunt. Vnde hinc eſt eis quem quotidie videmus meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, aurum in ſellis & calcaribus, plus nitent calcaria quàm altaria. Inde menſæ ſplendidę, & cibis, & ſcyphis. Inde comeſſationes & ebrietates, inde cythara & lyra, & tibia, redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc
Pſ.143. in illud. Olim prædictum eſt, & nunc tempus adimpletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima: amara priùs in nece Martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. » Quam diſſimilis Eccleſia domeſtica plurimorum, ab Eccleſia Caroli.

Ber. ſer 66. in Cant. 7. Reflexio. Nec tamen quorundam inordinatio Prælatorum ſubditos ab eorum obedientia & reuerentia debita diſpenſat. « Peccatores inquiunt, ſunt Apoſtoli, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Preſbyteri, ac per hoc nec dandis, nec recipiendis idonei Sacramentis. Numquam verò duo iſta conuenient, Epiſcopum eſſe, & peccatorem? falſum eſt. Epiſcopus erat Caïphas, & tamen quantus peccator qui in Dominum mortis dictabat ſententiam? ſi negas Epiſcopum, arguet te teſtimonium Ioannis qui eum in te-
Io. 11. 49. ſtimonium ſui Pontificatus etiam prophetaſſe refert. Apoſtolus erat Iudas, & licet auarus & ſceleratus,
Io. 6.71 electus à Domino. An tu de illius Apoſtolatu dubitas quem Dominus elegit? Nonne ego (inquit) vos

duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? Audis eundem electum Apoſtolum, & extitiſſe diabolum, & negas poſſe eſſe Epiſcopum qui peccator eſt? Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, &c. Patet quamuis Scribæ, quamuis Phariſæi, quamuis videlicet maximi peccatores, propter cathedram tamen Moyſi ad eos quoque nihilominus pertinere quod item dixit: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. » fortè Præpoſitis Eccleſiaſticis obedientes « Secularitatem contemnitis: ſed ſecularior nemo Pilato, cui Dominus adſtitit iudicandus. Non haberes, inquit, in me poteſtatem niſi tibi data eſſet deſuper. Iam tunc per ſe loquebatur, & in ſe experiebatur quod poſt per Apoſtolos clamauit in Eccleſiis: Non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Ite nunc ergo, reſiſtite Chriſti Vicario, cùm nec ſuo aduerſario Chriſtus reſtiterit: aut dicite, ſi audetis, ſui præſidis Deum ordinationem neſcire: cùm Romani Præſidis poteſtatem Chriſtus ſuper ſe quoque fateatur fuiſſe cœlitus ordinatam.» Sed quantùm diſtant à Carolo ſpiritualibus & temporalibus poteſtatibus reſiſtentes, qui non modò parentibus, & Pontifici Maximo in ſubeundo Archiepiſcopatus onere, dignitatis omnis auerſator humilis obediuit, ſed & erga ſubditum vitæ etiam ſuæ iniuſtiſſimum inuaſorem patientiſſimè tolerauit.

Matth. 23. 2.

Luc. 10. 16.

Ber. ep. 42. ad Henric. Senon. circa f.

Io. 19. 11.

Rom. 13. 2.

8. Reflexio. Diſcant & Prælati & ſubditi à firmamento Caroli iter patientiæ demonſtrante cum aſtris & luminaribus mundi conſtanter iniurias tolerare. Notatu digniſſimum eſt quod habet Auguſtinus in titulum pſalmi 93. « Pſalmus ipſi Dauid quarta Sabbati. Docturus (inquit) eſt pſalmus iſte patientiam in laboribus iuſtorum, contra iniquorum fœlicitates patientiam docet, patientiam ædificat,

Aug. in pſ. 93.

hoc habet totus à capite vſque in finem. Quare ergo talem habet titulum, in quarta ſabbati? vna ſabbati dies Dominicus eſt, (ſolis) ſecunda ſabbati ſecunda feria quem ſæculares diem Lunæ vocant,&c. quarta ergo ſabbatorum, quarta feria, qui Mercurij dies dicitur à paganis, &c. Veteres enim Vates decepti, & decipere volentes, in eorum adulationem qui ſibi aliquid ſecundùm amorem ſæculi præſtitiſſent, ſydera oſtendebant in cœlo,dicentes;quòd illius eſſet illud ſydus, & illud illius. Homines autem qui ante non aſpexerant, vt viderent quia ibi erant & illa ſydera antequam naſcerentur, decepti crediderunt, & concepta eſt opinio vanitatis. Hanc opinionem erroris diabolus confirmauit, Chriſtus euertit, &c. Attendat itaque charitas veſtra quid ſibi velit iſte titulus. Hinc grande myſterium,& reuerà occultum. Quarto die luminaria fecit Deus in cœlo, ſolem in poteſtatem diei, Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis. Hoc quarto die fecit. Quid ſibi ergo vult quod de quarto die accepit pſalmus titulum, in quo pſalmo docetur patientia aduerſus fœlicitates malorum, & labores bonorum? (pſalmus incipit Deus vltionum Dominus.) Habes Paulum Apoſtolum dicentem Sanctis fidelibus roboratis in Chriſto; (firmamentum factis in terra:) omnia facite ſine murmuratione & diſceptatione, vt ſitis irreprehenſibiles, (quales exigebat Epiſcopos,) & ſinceri, immaculati filij Dei, in medio nationis tortuoſæ & peruerſæ, in quibus apparetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ habentes. Similitudo de luminaribus data eſt ad ſanctos,vt ſine murmuratione ſint in natione tortuoſa & peruerſa, &c. Tales ſancti in quibus eſt verbum vitæ, de conuerſatione quam habent in cœlo, deſpiciunt omnia iniqua quæ fiunt in terra. Et quomodo luminaria in cœlo per

Philip. 2. 14.

Digitized by Google

diem & per noctem procedunt, peragunt itinera ſua, curſus certos habent, & committuntur tanta mala, nec deuiant deſuper ſtellæ fixæ in cœlo, agentes per tractus cœleſtes, quæ illis præſtituit & conſtituit Creator ipſorum: ſic debent ſancti. Sed in cœlo figantur corda eorum, ſi non fruſtra audiant & reſpondeant ſurſum ſe habere cor: ſi imitentur eum qui ait: Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Philip. 3. 20.
Qui ergo ſunt in ſupernis, & de ſupernis cogitant, ſicut dictum eſt, vbi eſt theſaurus tuus, ibi Matth. 6. 21.
eſt & cor tuum: de ipſis cogitationibus ſupernorum patientes fiunt, & quidquid in terra committitur, ſic non curant, donec peragant itinera ſua: quemadmodum non curant luminaria cœli, niſi quomodo exerceant dies & noctes, quamuis tanta mala videant fieri ſuper terram. Sed facile eſt fortè vt ferant iuſti iniquitates malorum quæ non in ipſos fiunt. Et ſi in ſe fiant non debent perdere tolerantiam. Nam qui perdiderit tolerantiam, cecidit de cœlo. Qui autem fixum habet cor in cœlo, terra ipſius (id eſt caro) laborat in terra, (ſed ſi iuſtus erit, & erit firmamentum in terra, nec deuiabit à curſu virtutis Carolo monſtrante viam, ſi verbum vitæ in eo fuerit, ſcriptum eſt enim: In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo. Ordinatione tuâ perſeuerat dies.) Quanta & de ip- Pſ. 118. 89. & 91.
ſis luminaribus fingunt homines, & patienter ferunt; quomodo iuſti patienter debent ferre omnes etiam de ſe falſas criminationes. Hoc ipſum quod iamdudum dixi, quia illa ſtella Mercurij eſt, & illa ſtella Saturni eſt, & illa ſtella Iouis eſt, conuitia ſunt ſtellis. (Tum quia linguâ ſuâ fatentur ſe ſubditas Creatori, non hominibus tranſcriptis in aſtra: cœli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Ordinatione tua perſeue-

Digitized by Google

rat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Et ipſe fecit
Act. 3. nos, & non ipſi nos. Et iuſti cum Apoſtolis, quaſi
12. noſtrâ virtute fecerimus. Ipſius enim factura ſumus
Epheſ. creati in illo in operibus bonis, non enim idonei
2. 10. ſumus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis,
2. Cor. ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et quando lau-
3. 5. dantur ſancti, & non Dominus in ſanctis eius, &
Pſal. 150. 1. in firmamento virtutis eius, cum Pſalte dicunt: Qui
Pſ. 101. 5. laudabant me, aduerſùm me iurabant, & vim faciebant qui quærebant animam meam perdere per
Aug. in pſal. 93 vanam gloriam. Hinc & Auguſtinus; qui dicunt, Chriſtus eſt Sol, mentiuntur de Sole. Nouit Sol dominum ſuum eſſe Chriſtum, & Creatorem ſuum. Et ſi indignari poteſt, acerbius indignatur contra falsò honorantem, quàm contra contumelioſum. Seruo enim bono, maior contumelia eſt iniuria Domini. Quanta falſa de ipſis luminaribus quidam dicunt, & ferunt: tolerant, & non mouentur. Quare? quia in cœlo ſunt. Aſtra læduntur à reprobis dum iuxta Tertullianum, malæ mentis impetus fato vel aſtris imputant: vtputà furta Mercurio, adulteria Veneri, homicidia Marti, &c.) Quid illæ cùm audiunt tanta conuitia? (quid Carolus ad tormenti bellici diſploſionem?) numquid mouentur, aut non exercent curſus ſuos? ſic & homo qui in natione peruerſa & tortuoſa habet verbum Dei (verbi gratiâ, beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui perſecutionem patiuntur, &c. Et erit firmamentum in terra.) ſicut luminare eſt ſurgens in ſæculo, &c.
Pſ. 103. Cuius ergo cor in firmamento libri Dei eſt, iſta non
3. curat. Extendens cœlum ſicut pellem. Si liber legis extenditur ſicut pellis, tanquam liber eſt extentus vt legatur, &c. Qui ergo ſurſum habet cor, ipſum cor luminare eſt, in cœlo fulget, nec vincitur tenebris, infrà enim ſunt tenebræ, tenebræ autem ini-

Digitized by Google

quitas: non incommutabiles tenebræ, ſed qui hodie tenebræ ſunt, ſi velint, cras lux eſſe poſſunt. Apertè enim Apoſtolus, ne quis putaret naturales eſſe iniquitates quæ mutari nõ poſſent. Fuiſtis, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ſicut filij lucis ambulate. Lux, inquit, in Domino, non in vobis. » Epheſ. 5. 8.

Ambulate ergo vt filij lucis, monſtrantem iter lacteum & firmamentum Carolum ſectamini, qui nec dum calumnias, aut iacturam bonorum quæ dimiſit diuiſitque pauperibus, ſed & propriæ vitæ inſidiantem conſtanter pertulit. Sed ſunt qui ſenſu contrario & in ſummis montium, hoc eſt culmine dignitatum, & firmamentum in terra, id eſt bonis terrenis firmari & radicari volunt, etiam cum fratribus & proximis pro huiuſmodi pertinaciter litigantes. « Quare litigant de terra? quia volunt eſſe terra, &c. ſi enim rectè dictum eſt peccatori, terra es & in terram ibis: rectè dicitur iuſto: cœlum es & in cœlum ibis, &c. Fratres ergo ſi volunt eſſe concordes non ament terram, & ſi volunt non amare terram, non ſint terra. Quærant poſſeſſionem quæ diuidi non poteſt, & ſemper concordes erunt. Vnde inter fratres diſcordia? vnde perturbatio pietatis? vnde vnus vterus, & non vnus animus? niſi dum curuatur anima eorum, & partem ſuam quiſque reſpicit, & partis ſuæ opimandæ & exaggerandæ operam impendit, & in poſſeſſione ſua vult habere vnitatem, qui cum fratre ſuo poſſidet diuiſionem, &c. Quid tam iniquum quàm velle diteſcere alterius paupertate? Et tamen abundat hoc (abundat, inquam, iniquitas multorum, quia refrigeſcit charitas plurimorum.) Et fortè præualuit, & fortè preſſit & oppreſſit; torſit & extorſit, non quemcumque conſortem, ſed forſitan fratrem, &c. Ille labore & ino- Aug. in ſupplē. parte 1. Ser. 91. Gen. 3. 19.

Digitized by Google

piâ, frater eius plenus eſt copiâ: ſed plenus eſt ter-
Pſ. 48. 17. râ, & vacuus iuſtitiâ. Aduerte terra, quid audiat il-
le pauper: Noli metuere, cùm diues factus fuerit
homo, &c. quoniam cùm morietur, non accipiet ea.
Tene tu pauper quod dimittas moriens, (pannos at-
tritos, morbos, egeſtatem, &c.) & quod acquiras
in æternum viuens Tene iuſtitiam, non te pœniteat.
Contriſtaris quia in terra pauper es tu? pauper hîc
fuit qui creauit terrã. Conſolatur te Dominus Deus
tuus, conſolatur te Creator tuus, conſolatur te Re-
demptor tuus, conſolatur te non auarus frater tuus,
&c. Pro nobis pretium dedit ſeipſum, & factus eſt
Redemptor noſter, &c. Talis ergo frater interpella-
tus eſt à quodam fratre contra fratrem inter quos
non erat concordia: propterea & ait, Domine, dic
fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem, totum
tulit, mihi partem non vult dare, contemnit me, au-
diat vel te, &c. At ille quid dicit? O homo quis me
conſtituit diuiſorem hæreditatis inter vos, &c. minus
negauit, ſed quod plus eſt donauit; dixit, manife-
ſtè dixit, omni petenti te da, &c. dictum eſt, omni
petenti te da, non eſt dictum omnia petenti te da.
Malum petit, (vt vxor Putiphar, vt ſenes Suſannæ)
fecit hoc Ioſeph, &c. dedit & Suſanna (ſcilicet dan-
do verba & conſilia bona) hoc fecit Dominus. Pe-
tebat ille, quid? diuiſionem hæreditatis, dedit Do-
minus, quid? peremptionem cupiditatis. Numquid
petitorem inanem dimiſit, & non potiùs veritatem
impleuit, ſi implere vellet quod audiuit ab eo qui
Luc. 12. 18. ait, cauete ab omni cupiditate (ſubiicit parabolam
datam à Chriſto diuitis deſtruere volentis horrea,
&c.) Ecce quale conſilium Dominus fratribus de-
dit, diſſidentibus quò concordes eſſent, vt carerent
cupiditate, & continuò implerentur veritate. » Et
nos exemplo Caroli & verbo Chriſti edocti omn

petenti iuſta tribuamus, bona petentibus, bona: mala exigentibus, conſilia bona: « fratres ſint Chri- Aug.
ſtiani omnes, fratres ſint fideles omnes, fratres ſint ibid.
nati ex Deo, ex viſceribus matris Eccleſiæ, per Spi- ſup.inf.
ritum ſanctum fratres ſint, habeant & ipſi hæreditatem dandam, non diuidendam. » Sint Ieruſalem Pſ. 121.
ciues « cuius participatio eius in idipſum. » Sint & 3.
ipſi « firmamentum in terra in ſummis montium » alta quæque ſeculi contemnentes conuerſatione cœleſti, viam lacteam Caroli monſtrantis iter in hac vita ſectentur, vt per eius imitationem mereantur & gloriæ eius participationem. Amen.

IN FESTO S. MARTINI.

Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Luc. 11. 34.

VNica ſententia Damianus totam complexus eſt Eccli.
B. Martini panegyrim, & « Vas illud auri 50. 10.
ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, vas, inquam, Eccli 43. 2.
admirabile opus Excelſi » vna ſummatim periodo Damianus
comprehendit. « Nobilis ille Confeſſor, Sacerdo- ſer.
tum gloria, gemma Pontificum, Clericorum for- 56.
ma, lumen Monachorum, ſolemnem diem vniuerſitati noſtræ præfixit. Hic eſt Martinus, miraculorum poteſtate ſublimis, qui terrarum orbem lumine ſuæ cognitionis impleuit. Ægyptus religionis mater, & Eremitarum fœcundiſſima nutrix, Martinum tantis filiis poſuit in exemplum. Creuit in immenſum fama nominis eius, & auſa eſt in ipſam Apoſtolicam irrumpere dignitatem, quorum manus

Digitized by Google

1.Io 1.1 tractauerunt de Verbo vitæ, qui filium hominis inter filios hominum fœlici vocis officio diuulgarunt. In omnem terram peruagata eſt memoria tanti Pontificis, & vbicumque reſonat fides Chriſti, ſonat vita Martyni. Glorificatur Imperator in milite, laudatur miles in Imperatore. » Et vt hodierni Euangelij verbis vtar; Chriſtus qui eum oculum & lucernam oleo ſuæ gratiæ, & cœleſtis lucis ſplendore accenderat, eam ſub modio non poſuit, ſed Eccleſiæ domus ſuæ candelabro præpoſuit, vt tenebras Gentilium, noctemque peccatorum ſuæ lucis illuſtratione diſſiparet, & fidei ac charitatis igne ſuccenderet. Hunc nos hodie & peruigilem corporis Eccleſiæ oculum, & lucernam illuſtriſſimam domus Dei, & templi eius fuiſſe primò demonſtrabimus. Secundò reflexiones morales congruas propoſito colligemus. Nec te quidem inſalutata Maria, quem ob inſignem in te pietatem, comitantibus ſanctis Martyribus & virginibus Thecla & Agnete frequenter viſitare ſolitam legimus. Huic lucernæ filij tui, de plenitudine tua oleum ſæpius infudiſti; quæ « candelabrum aureum totum » ſeptiformi Spiritus ſancti lampade omnibus præfulſiſti; quam cum Angelo plenam gratiâ ſalutamus cum eo dicentes: Aue Maria.

DIVISIO. Sulpit. Seuer. dial. 3. de Vit. S. Martini. Zach. 4. 2.

EXORDIVM.

Ridiculam ſcriptorum veterum in Heroum ſuorum & virorum illuſtrium commendatione vanitatem non iniuria carpit Seuerus Sulpitius, nec immerito ſanctorum laudes & Encomia celebrantium ſcripta commendat. « Quid enim, inquit, aut ipſis occaſura cum ſæculo ſcriptorum ſuorum gloria profuit? aut quid poſteritas emolumenti tulit, legendo Hecto-

rem pugnantem, aut Socratem philoſophantem? Cùm eos non ſolum imitari ſtultitia ſit; ſed non acerrimè etiam impugnare, dementia: quippe qui humanam vitam præſentibus tantùm actibus æſtimãtes, ſpes ſuas fabulis, animas ſuas ſepulchris dederint. Si quidem ad ſolam hominum memoriã ſe perpetuandos crediderunt: cùm hominis officium ſit, perennem potius vitã, quam perennem memoriã quærere, nõ ſcribendo aut pugnando, vel philoſophando, ſed piè, ſanctè, religioſéque viuendo. Qui quidem error humanus, literis traditus in tantum valuit, vt multos planè æmulos, vel inanis Philoſophiæ, vel ſtultæ illius virtutis inuenerit. Vnde facturus mihi opere pretium videor, ſi vitam ſanctiſſimi viri exemplo aliis mox futuram præſcripſero: quo vtique ad veram ſapientiam, & cœleſtem militiam, diuinamque virtutem legentes incitabuntur. In quo ita noſtri quoque rationem commodi ducimus, vt non inanem ab hominibus memoriam, ſed æternum à Deo præmium expectemus: quia & ſi ipſi non ita viximus, vt alijs exemplo eſſe poſſimus, dedimus tamen operam, ne is lateret qui eſſet imitandus.» Et nos pariter «non doctas fabulas ſecuti, ſed veridici Seueri monumenta de B. Martini vita relicta ſequentes in comperta & probata ſcripſiſſe profitentem, non vacuæ venator gloriæ, & hic potentiſſima ſancti de quo ſcribimus apud Dominum ſuffragia captamus, & quantulicumque laboris noſtri præmium ab omnium ſanctificatore, & remuneratore expectamus. Prophetici verbi memores: «qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.» Hoc fine ſcribimus, hoc fine prædicamus. Et vos eodem audite & legite, huc oculos, ad oculum vigilem, ad lampadem illuſtrem:

Sulpitius Seuerus in prolog. vitæ S. Martini.

2. Pet. 1. 16.

Dan. 12. 3.

Digitized by Google

Pſal. 33. 6. « Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. » Si ſplendorem virtutum eius ſequentes, & ad lucem lucernæ eius ambulantes, eum imitamini.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Cum Apoſtolo teſte: « corpus Chriſti ſit Eccleſia; » Et Tertulliano conteſtante: « cùm ſub tribus & teſtatio fidei, & ſponſio ſalutis pignerentur, neceſſario adiicitur Eccleſiæ mentio: quoniam vbi tres, id eſt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ibi Eccleſia quæ trium corpus eſt: » id eſt, cùm in baptiſmo dato in nomine Trinitatis, fiat profeſſio fidei, & ex lauacro vitæ æternæ promiſſio nobis detur: debet proinde baptizandus poſt fidem Trinitatis, Eccleſiæ quoque Catholicæ credere, quæ corpus eſt, & ſponſa Trinitatis: cuius corporis caput eſt Chriſtus: oculi autem huius capitis, & lampades candelabri aurei ſunt Prælati & Paſtores, omnes ſimiles Angelo quem vidit Daniel « cuius oculi vt lampas ardens. » Vnde & Chriſtus vtrumque coniunxit: « Lucerna, inquit, corporis tui, eſt oculus tuus: » vt & quilibet Epiſcopus, in corpore & domo Eccleſiæ officium lampadis, & oculi implere debere ſe nouerit. « Carcer eſt totum corpus, tenebroſo inhorrens ſitu, niſi oculorum illuminetur aſpectu. Quod ergo Sol, & Luna in cœlo, hoc ſunt oculi in homine. Sol, & Luna duo mundi lumina: oculi autem quædam in carne ſydera fulgent deſuper, & inferiora claro illuſtrant lumine, nec patiuntur noctis quibuſdam nos tenebris implicari. Speculatores quidam noſtri die ac nocte excubant. Nam ex ſopore membris cæteris citius excitantur, & vigilantes circumſpectant omnia, viciniores enim ſunt cerebro,

Tertul. de bap. cap. 6.

Epheſ. 5. 23.

Dan. 10. 6.

Ambr. li. 6. in hexam. cap. 9.

vnde omnis manat vſus videndi, &c. Adhærent velut quibuſdam ſuperciliis oculi, vt & protegente montis cacumine tutiores ſint, & tanquam in ſummo locati, de quadam ſcena ſuperiore vniuerſa proſpectent, &c. Specula enim ſemper in alto eſt, vt aduenientium cateruarum hoſtilium explorari poſſit aduentus, ne improuisò occupent otiantem, vel vrbis populum, vel Imperatoris exercitum, &c. Medij ſunt oculorum orbes, & tuti ad cauendum, & ad intuendum liberi, & decori ad gratiam, vt pote in chryſtalli ſpeciem refulgentes. In quorum medio pupillæ ſunt, quæ videndi munus operantur: ac nè qua incidentis iniuriæ offenſa lædantur, pilis hinc inde conſertis, velut quodam vallo per circuitum muniuntur. Vnde tutum auxilium Propheta ait: Cuſtodi me, Domine, vt pupillam oculi, vt protectionis diuinæ fieret ei tam ſolicita & tuta cuſtodia, quàm pupillam oculi tutiſſimo quodam naturæ vallo munire dignatus eſt. Simul quia innocentia, & integritas leui ſorde aſperſa violatur, & gratiæ ſuæ munus amittit. Et ideo proſpiciendum ne quis eam puluis erroris oblimet, aut vlla vexet feſtuca peccati, &c.» Tales Epiſcopi qui propriè poſt Apoſtolos Eccleſiæ ſunt oculi de quibus Hilarius: « in corpore, inquit, oculos principalis eſſe officij ac virtutis nemini dubium eſt. Et quia oculi potiores cæteris membris ſunt, in his Apoſtolos ſignificari, non ambigendum eſt: per quos lumen Eccleſiæ, & operationis diuina myſteria præbentur. Quod Dominus manifeſtè in Euangelio oſtendit. Namque cum Apoſtolos ſal terræ, & lumen mundi, & lucernam domus in candelabro, ob egregia, & conſpicabilia, ad comparationis exemplum, fidei ſuæ opera nuncupaſſet: rurſum vocans eos à terrenis, & corruptibilibus theſauris, & à ſæculi lucris, (hoc eſt à con-

Pſal. 16. 9.

Hilarius in Pſal. 132.

Google

1. Io.2. 16. cupiſcentia oculorum, & à puluere & ſuperbia vitæ) eſſe oculos corporis dixit ita: lucerna corporis
Luc.11. 34. tui eſt oculus tuus &c. Apoſtoli itaque, qui Eccleſiæ, id eſt corporis Chriſti ſunt oculi, lucidi & ſimplices iubentur eſſe: Corpore toto lucido his ſimplicibus manſuro. Si autem nequam fuerit, toto corpore neceſſariò tenebroſo futuro: nullâ ſcilicet tenebris ſpe luminis reſiduâ, ſi lumen ipſum in tenebris ſit. Ex quo ingenti periculo Sacerdotes qui Eccleſiæ oculi ſunt, negotiis ſæculi, curis pecuniæ, & familiarium rerum incrementis, & conuiuiorum luxibus occupantur. Eccleſiæ enim lumen ſunt, id eſt corporis oculi; & ſi lumen ipſum auaritiæ & laſciuiæ nocte tenebreſcat; corpori id eſt Eccleſiæ, cui per naturam ſuam tenebræ ſunt, quantæ inſuper tenebræ de exemplo tenebroſi luminis inuehentur?» His magiſtri ſui Hilarij diſciplinis inſtructus Martinus, indignum ſe qui oculi ſedem in Eccleſiæ corpore occuparet, huc tamen inuitus & per dolum aſſumptus digniſſimè in edito corporis Eccleſiæ loco, lucis & oculi munere functus, chryſtallinam puritatem ab omni puluere vanitatis & lucri ſeruauit illæſam. Et velut pupilla oculi nullo proprio colore tincta eſt, quò omnes indifferenter excipiat: ſic Martinus vir Apoſtolicus, oculus ſimplex, pauperibus & diuitibus, paruis & magnis erat æqualis: « omnia omnibus factus, vt omnes Chriſto lucrifaceret.» Cui aptari merito poteſt illud Ambroſij:

1. Cor. 9. 22. Ambr. lib. de dignitate Sacerdotali cap. 6.

Epiſcopus qui lumen promeruit præeſſe in corpore, ſimplicitate ſancta, & innocentia decoratus, omnem Eccleſiam ſplendore luminis radiauit, &c. «Epiſcopus ipſo nomine cenſendus, in quo actio concordat nomini, & nomen ſe ſociat actioni. Namquid aliud interpretatur Epiſcopus, niſi ſuperinſpector? Maximè cùm ſolio in Eccleſia editiore reſideat,

reſideat, & ita cunctos reſpiciat, vt & cunctorum oculi in ipſum reſpiciant. &c. Et vt ſpecialiter ipſius Epiſcopatus modum & formulam omnibus Sacerdotibus depingamus; Apoſtolica eſt nobis regula reuoluenda, quæ de ijs per ſingula Epiſcopales actus depingit. (& Martini quammaximè mores ſaluo eius adipiſcendi, quem ſemper refugit, deſiderio.) Fidelis ſermo ac ſi diceret, de quo ſum locuturus, veraciter loquor, &c. Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Hoc eſt, magnum eſt quod eſſe cupis, ſed ſi & opus bonum ſimul amplectaris (vnde & Auguſtinus, magnum, inquit, opus eſt, grauis ſarcina, procliuum, arduum.) Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, hoc eſt non vino tantùm, ſed & vitiis parcum, &c. vt mente ſemper ſobrius inueniatur. Prudentem, prudentiâ non mundiali, de qua dicitur, quòd ſtultitia ſit apud Deum: ſed prudentiâ ſpiritali, id eſt, quæ & opere circumſpecta ſit, & verbo perita, vt ſit aſtutus ſicut ſerpens, & ſimplex ſicut columba. Ornatum, quod ſi iuxta ſenſum literæ tantum reſpiciamus, non aliud ſacerdotes, quàm amictum quærimus clariorem. Verbi gratiâ Caſtorinas quærimus & ſericas veſtes, & ille ſe inter Epiſcopos credit eſſe altiorem, qui veſtem induerit clariorem. (quamtum aberat ab illo faſtu Martinus vili Monachali veſte, prorſus incultâ & ſordidâ contentus :) ſed S. Apoſtolus taliter ſe intelligi non vult, quia non carne Epiſcopum, ſed mente decet eſſe ornatum : vt ille Sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compoſitam Deo. Hoſpitalem, vt egenum ſine tecto inducat in domum ſuam, nec ſolus deuoret dona quæ bonitas Chriſti eſt largita. (nec tantum in domum ſed & in proprium veſtimentum induxit pauperem, detractâ ſibi in ſacriſtia tunicâ) &c. Non cupidum, id eſt non turpis lucri ſectatorem, ne

Ambroſius ibid. cap. 4.

1. Tim. 3. 19.

Aug. ſer. 21. de verbis Apoſt.

1. Cor. 3. 19.

Matth. 10. 16.

Digitized by Google

lucri cupiditate Epiſcopus teneatur obnoxius, & nutriat auaritiam, quæ eſt radix omnium malorum. Qui ſtipendiis tantùm contentus Eccleſiæ ſuæ penitus non ambiat quæ intelligit eſſe ſuperflua, de ipſa potius paupertate Eccleſiæ ſuæ, libenter impertiat
2. Cor. 9.7. pauperibus Chriſti, ſicut ſcriptum eſt: hilarem enim datorem diligit Deus: & alibi, diſperſit pauperibus,
Pſal. 111. 8. &c. Domui ſui benè præſit, hoc eſt corpori ſuo tali iure dominetur, vt non ſubdatur ipſius voluntati,
1. Tim. 3. 4. ne in deſiderio luxuriæ deditus, in præcipitium demergatur: ſed potius filios ſuos caſtitatis exemplo, ad pudicitiæ regulam doceat. » Et quid pluribus Epiſcopi virtutes proſequar, quas omnes teſte Sulpitio Seuero, B. Martinus exemplo docuit, quas hîc
Sulpitius Seuerus in vita S. Martini c.7. poſt Paulum Ambroſius enumerat verbo. Ac primò quidem quàm alienus fuerit ab Epiſcopatus deſiderio: « Cùm, inquit, erui à Monaſterio ſuo facilè non poſſet, Ruricius quidam vnus è ciuibus vxoris languore ſimulato, ad genua illius prouolutus, vt egrederetur obtinuit. Ita diſpoſitis iam in itinere ciuium turbis, ſed quadam cuſtodia ad ciuitatem vſque deducitur, mirum in modum incredibilis multitudo etiã ex vicinis vrbibus ad ſuffragia conferenda conuenerat. Vna omnium voluntas, eadem vota, eademque ſententia Martinum Epiſcopatu eſſe digniſſimũ; fœlicem fore tali Eccleſiam Sacerdote, &c. Iam verò ſumpto Epiſcopatu, qualem ſe quantumque præſtiterit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. Idem enim conſtantiſſimè perſeuerabat, qui prius fuerat. Eadem in corde humilitas, eadem in veſtitu eius vilitas erat, atque ita plenus authoritatis & gratiæ implebat Epiſcopi dignitatem, vt non tamen propoſitum Monachi, virtutemque deſereret. » Et cùm, vt diximus, oculi locum teneret in ſapientis capite, &
Hebr. 3. 17. Chriſti corpore. « Peruigilabat, quaſi rationem pro

Digitized by Google

animabus redditurus : » ſpeculatoris enim officio Iſa. 21.
fungebatur, accipiens illud ſibi dictum : « vade & 6. & ſeq
pone ſpeculatorem : &c. & contemplatus eſt vehementer multo intuitu. Et clamauit leo : ſuper ſpeculam Domini ego ſum, ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus.» Et pulchrè quaſi leo, qui ob breuitatem palpebrarum, etiam apertis dormit oculis. Martinus verò
inuictum ab oratione ſpiritum non relaxans «in ora- 1. Pet.
tionibus ſemper vigilans, in oratione Dei perno- 4. 7.
ctans, ſine intermiſſione orans, ſemper orans & nũ- Luc. 6.
quam deficiens » cum Pſalte canebat : « oculi mei 12.
ſemper ad Dominum. Defecerunt oculi mei in elo- 1. Theſſ
quium tuum cuſtodiens vigilias noctis ſuper gregem, 5. 17.
à timore nocturno, à negotio perambulante in te- Luc. 18.
nebris, gregi ſuo præuidens non timebat. » Nec vno 1.
contentus oculo, vel duobus, omni circumſpectio- Pſal.
ne, ſimilis animalibus myſticis circumquaque ple- 24 15.
nus oculis, inſidias inimici præcauebat. « Ante ſe Pſal.
oculos habebat, quando audiens vocem Domini 118. 82.
dicentis : beatus ille ſeruus, quem cùm venerit Do- Luc. 2.
minus, inuenerit vigilantem : bona quæcumque po- 8.
terat operari, non deſinebat; vt tempore mortis ſuæ Pſal.
Domino veniente paratus inueniretur. A ſiniſtris 90. 6.
oculos habebat, cùm omnia tentamenta dæmonum, Apoc.
ſcuto fidei à mente ſuâ repellebat. A dextris oculos 4. 6.
habebat, cùm ſollicitè cauebat, ne pro bonis operi- Ambr.
bus extolleretur. Siue à dextris & à ſiniſtris oculos in Cap.
habebat, cùm eum nec proſpera erigere, nec ad- 4. Apo.
uerſa poterant inclinare. Inferius oculos habebat, Luc. 12.
cùm deſideria carnalia extinguendo calcabat. Supe- 43.
rius oculos habebat, cùm ad cœleſtem patriam toto mentis deſiderio anhelabat. Intus oculos, habebat dum cor ſuum à ſordidis cogitationibus cuſtodiebat. » Porro cùm duplex in nobis ſit oculus, carnis

Digitized by Google

& cordis; vtrumque cum Pſalte à vanitate auerti poſcebat: dicens cum eo, & cum Magiſtro ſuo Hi-
Pſal. lario intelligens: « Auerte oculos meos, ne videant
118. 37. vanitatem; in via tua viuifica me. Orat, inquit, &
Hilar. animi & corporis oculos, eos ſcilicet qui in theatra-
ibid. libus ludis captiui incubant, eos qui Circenſium certaminibus ſeruiunt, eos qui veſtium pretia mirantur, eos quos auri ſplendor, & gemmarum varietas occupat, orat auerti. Niſi fortè non magis equorum curſu, aſtrorum curſus eſt gratior: & obſcœnis illis ſpectaculorum turpium fabulis, non amœnius diuina illa humanæ ſpei eloquia cantarent. Niſi fortè huic terrenorum metallorum vſui, non magis æternitatis repoſitæ diuinæ honor & gloria præferetur: & blandior mihi erit auri ſpecies, quam hominis, & terræ, & lucis, & cœli? ab eorum igitur vanitatibus auerti oculos, & hos corpori ſuo, & illos animæ deprecatur: de quibus obcæcatis B. Apoſtolus docet, cùm ait: in vanitate ſenſus eorum intenebrati, alienati à via Dei. Et auerſorum oculorum à vanitate quod præmium ſit, non longè requirendum eſt. Sequitur enim: & in via tua viuifica me. Declinandi enim à vanitate ſunt oculi, vt nobis in via Dei vita ſit, non ea vita quæ nunc eſt, ſed ea quæ in cœlis repoſita eſt, & in Chriſto abſconſa, &c. Erigendi igitur oculi ſunt, quibus Chriſti potius gloria, quam mundi huius inania & vana cernuntur. In vitam enim Dei referentes oculos à vanitate, viuemus. » Et quidem cùm oculorum cibus & vita lux ſit, Chriſtus autem lux vera, in vno Chriſto Martini pupilla viuebat, dicentis: oculi mei ſemper ad Dominum. « Lux iſta, cibus eſt oculo-
Aug. rum; hac lumina noſtra paſcuntur: & ſi quis diu-
ſupple. tius in tenebris fuerit, tanquam ieiunando deficiunt,
1. parte &c. Iſta lux videtur ab omnibus, paſcit omniũ ocu-
homil.

les, & aſpectus videntis reficitur, & lux integra 7. de diuerſis
perſeuerat. Si duo videant, tanta permanet: ſi plures videant, eadem permanet: diues videat, pauper videat, æqualis eſt omnibus. Nullus in ea limites figit: Impletur pauperis inopia, vacat diuitis auaritia. Si ergo talis eſt cibus oculis noſtris, quid eſt ipſe Deus mentibus noſtris? &c. Lætantur fauces quærentium cibum. Cùm variè colorata blandéque depicta apponuntur aſpectibus noſtris, lætantur oculi quærentium aliquid videre luminoſum. Lætantur aures quærentium cantum; lætatur olfactus quærentium odorem gratum. Ergo lætabatur cor Martini quærentis Dominum. Psal. 104.3. Proculdubio ſingula quæ exhibentur diuerſis ſenſibus noſtris, ſingulos ſenſus delectant. Neque enim vel ſonus delectat aſpectum, vel color auditum. Cordi autem noſtro Dominus & lux eſt, & vox eſt, & odor eſt, & cibus eſt: Et ideo omnia eſt, quia nihil horum eſt, quia horum omnium Creator eſt. Eſt lumen cordi noſtro, cui dicimus, illumina oculos meos, Deus meus illumina Psal. 12. 4. tenebras meas. Eſt ſonus cordi noſtro, cui dicimus: Psal. 17. 32. Auditui meo dabis exultationem, &c. Eſt odor cordi noſtro, de quo dicitur, Chriſti bonus odor ſumus: 2. Cor. 2. 15. (curremus in odorem vnguentorum) ſi autem cibum quæritis, quia ieiunatis. Cant. 1. 3. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. Math. 5. 6. De ipſo autem Domino Ieſu Chriſto dictum eſt: quia factus eſt nobis iuſtitia & ſapientia, &c. ſeipſum commodans ait: Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Cibus eſt qui reficit, nec deficit. Cibus eſt qui ſumitur, & non conſumitur. Cibus eſt qui eſurientes ſatiat, & integer manet. Cùm hinc ad menſas veſtras diſceſſeritis, nihil tale manducabitis. » Hunc cibum cùm Martinus conficeret, viſæ ſunt manus eius plenæ gemmis, nec oculis videbat vanitatem, ſed ſponſo ſimilis erat de

Digitized by Google

Cant.5. 14. quo dicitur « manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.» Altera vice globus igneus de cœlo eius capiti incubuit, in tunicæ prius pauperi nudo datæ munus. Chriſtus illi lux & cibus, & lætitia cordis quærenti Dominum.« Vincit ille omnem lucem, vincit omnem ſonum, vincit omnem intellectum: deſiderandus eſt, & ad eum (ſicut Martinus) charitate inhiandum eſt, vt lætetur cor quærentium Dominum.» Aug. ibid. ſupra.

Neque verò oculi tantummodo, ſed & lampadis, Baptiſtæ ſimilis vices Martinus impleuit;« ipſe enim erat lucerna ardens & lucens.» Neque enim tantummodo « vnicuique noſtrum Dei verbum, lucerna eſt, ſed & vir Apoſtolicus toti corpori ſuo, id eſt Eccleſiæ lucerna eſt, &c. ſed lucerna pedibus, & lumen in ſemitis vtilem profectum præſtare debent, &c. ſenſim enim & domeſticè incedentibus lucerna opus eſt, peregrinum autem & publicum iter ingredientibus, lumen potius neceſſarium eſt, ne latro inſidietur, ne ambiguæ viæ terror occupet.» Parum erat B. Martino lucernam eſſe, niſi veluti candelabrum aureum Eccleſiæ, ſeptiformi Spiritus ſancti gratia velut ſeptena lucerna luxiſſet: « hæ ſeptem gratiæ ſunt, ſeptem mulieres virum vnum apprehendentes; ſeptem ſpiritus ſuper florem requieſcentes, ſeptem in candelabro lucernæ fulgentes, ſeptem in lapide oculi, ſeptem ſpiritus ante Thronum Dei.» Præter hæc autem & velut in tenebris occulta, ſic prophetiæ ſpiritu futura ſua lampade penetrauit. « Angelos vidit, futura præuidit » Scripturæ ſacræ licet illiteratus myſteria penetrauit: « in abſoluendis eius quæſtionibus promptus & facilis.» Et miro prædicationis eloquio, lucerna pedibus ſubditorum verbum eius. Quantis porro miraculis lucerna hæc mirifica radiabat? « Diues eſt iſte Martinus,

Hilarius in pſal.118

Zach. 4. 2.

Ber.ſer. de donis ſpiritus. cap.7.

Eſa.4.1

Ber.ſer in feſto S. Martini Surius in eius vita.

diues in meritis, diues in miraculis; diues in virtutibus, diues in ſignis, &c. Suſcitauit Martinus tres mortuos, quot nimirum legerat Dominum ſuſcitaſſe. Reddidit viſum cæcis, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum, aridis ſoſpitatem. Euaſit diuinâ virtute pericula: proprij corporis obice flammas repulit, immanem ſacrilegæ machinæ molem, columna parili à cœlo deſcendente proſtrauit, leproſum mundauit oſculo, curauit oleo paralyticum, dæmones vicit. » Et diaboli quidem, de quo Iob quærit, ob varias artes, & multiplices formas: « quis reuelabit faciem indumenti eius, & portas vultus eius quis aperiet? » Lampadis eius claritas præſtigias, arteſque detegebat. « Conſtat Angelos ab eo plerumque viſos, ita vt conſerto inuicem apud eum ſermone loquerentur. Diabolum verò tam conſpicabilem & ſubiectum oculis habebat, vt ſiue ſe in propria forma contineret, ſiue in diuerſas figuras ſpiritualeſque nequitias tranſtuliſſet, qualibet ab eo ſub imagine videretur, &c. Frequenter dum mille nocendi artibus ſanctum Virum conabatur illudere, viſibilem ſe ei formis ingerebat. Nam interdum in Iouis perſona, plerumque Mercurij, perſæpè etiam ſe Veneris ac Mineruæ transfiguratum vultibus offerebat; aduerſus quem ſemper interritus ſe crucis & orationis auxilio protegebat, &c. Quod cùm diabolus ſciret ſe effugere non poſſe, conuitiis eum vrgebat frequenter, quia fallere non poſſet inſidiis. » Cui ſemel veniam lapſis nullam eſſe dicenti: « Si tu ipſe, inquit, ô Miſerabilis, ab hominum inſectatione deſiſteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore pœniteret, ego tibi verè confiſus in Domino miſericordiam pollicerer. O quàm ſancta de Domini pietate præſumptio! in qua etſi authoritatem præſtare non potuit, oſtendit. » Quanta

Ber. ſupra.

Iob. 41. 4.

Seuerus Sulpit. in eius vita cap. 4.

Seuerus ibid.

Digitized by Google

autem in expellẽdis de Energumenis Martini poten-
tia, morbiſque curandis quis referat? « Nec præter-
eundum eſt quod fimbriæ veſtimenti eius, cilicioque
detractæ, crebras ſuper infirmantibus egere virtu-
tes, &c. Arborius autem vir Præfectorius ſancti ad-
modum & fidelis ingenij, cùm filia eius grauiſſimis
quartanæ febribus vreretur, Epiſtolam Martini,
quæ caſu ad eum delata fuerat, pectori puellæ in ip-
ſo acceſſu ardoris inſeruit, ſtatimque fugata febris
eſt. Quæ res apud Arborium, tantum inualuit, vt
ſtatim puellam Deo vouerit, & perpetuæ virginita-
ti dicarit, neque ab alio eam, quàm à Martino ha-
bitu virginitatis impoſito paſſus eſt conſecrari. »
Quid zelum eius pro Dei gloria euertendæ Ido-
lolatriæ referam? « Lampades eius lampades ignis
atque flammarum. » Arbores Dijs ſacras, & fana
Gentilium ſubuertit cœleſtis etiam militiæ Angelis
interdum cum miniſtris. Et ibidem vero Deo tem-
pla & Monaſteria extruebat. Tanta porro pro Dei
gloria paſſus eſt, vt lampas eius martyrum laudi &
gloriæ non ceſſerit. Eſt, inquit, ille conſertus Apo-
ſtolis ac Prophetis, & quod omnium ſanctorum pa-
ce dixerim, in illo ſanctorum grege nulli ſecundus,
vt ſpero, credo, confido; illis potiſſimum qui ſtolas
ſuas lauerunt in ſanguine Agni aggregatus: agnum
ducem, ab omni integer labe comitatus. Nam licet
ei ratio temporis non potuerit præſtare martyrium,
gloriâ tamen martyris non carebit. Quia voto at-
que virtutibus, & potuit eſſe Martyr, & voluit.
Quod ſi ei Neronianis, Decianiſque temporibus, in
illa quæ tunc extitit dimicare congreſſione licuiſſet,
teſtor Deum cœli atque terræ, ſponte equuleum aſ-
cendiſſet, vltro ſe ignibus intuliſſet, Hebræiſque pue-
ris æquandus, inter flammarum globos media licet
hymnum Domini in fornace cantaſſet. Quod ſi Eſa-

Seuerus Sulpit. in vita eius cap. 19. Ibid. cap. 20.

Cant. 8. 6.

Seuerus ibid. cap. 10. & ſeq. & Epiſt. 2. de obitu & apparit S. Martini.

Apoc. 7. 14.

Dan. 3. 51.

Digitized by Google

ïanum illud ſupplicium perſecutori fortè placuiſſet, numquam profectò impar Prophetæ ſerris & laminis diſſecari membra timuiſſet, &c. Si verò Gentium doctoris exemplo gladio deputatus, inter alias victimas duceretur, primus omnium carnifice compulſo palmam ſanguinis occupaſſet, &c. Lætus vulneribus, congaudenſque cruciatibus, quælibet inter tormenta riſiſſet. Sed quanquam iſta non tulerit, impleuit tamen etiam ſine cruore Martyrium. Nam quas ille pro ſpe æternitatis humanorum dolorum non pertulit paſſiones, fame, vigiliis, nuditate, ieiuniis, opprobriis inuidorum, inſectationibus improborum, cura proborum? &c. Quo enim ille dolente non doluit? quo ſcandalizante non vſtus eſt? quo pereunte non gemuit? præter illa quotidiana illius aduerſum humanæ ſpiritaliſque nequitiæ diuerſa certamina, dum in eo variis tentationibus appetito, ſemper exſuperat fortitudo vincendi, patientia expectandi, æquanimitas ſuſtinendi. O verè ineffabilem virum, pietate, miſericordiâ, charitate, quæ quotidie etiam in ſanctis viris, ſæculo frigente frigeſcit: in illo tamen, vſque ad finem aucta in dies perſeuerauit.» Sic qui oculus, & lampas, luxit, & arſit in terra, nunc plenius fulget, & ardet in gloria.

Tertul. de patientia c. 14.

Rom. 12. 15. 2. Cor. 11. 29.

SECVNDA PARS MORALIS.

1. Reflexio. Quæ de oculi, & lucernæ noſtræ ſplendoribus diximus, licet ſtupenda ſint, & miranda; plura tamen reliquit nobis illuſtria ſequendæ virtutis exempla. « Altiſſima quæ fecit magnalia, quidni mirifica quædam vaſa dixerim diuitis huius auro grauia, gemmis micantia, pariterque materiâ & opere pretioſa? Noli in his ſaporem quærere, ſed mirare ſplendorem. Luceat in huiuſmodi lucerna

Ber. ſer de S. Martino. Pſal. 70. 19.

Pſal.35. 10. noſtra, vt in lumine eius videamus lumen, quod quidem parum provt in ſe eſt, necdum præuales intueri: Non enim eſt iſte lux, ſed vt teſtimonium perhibeat de lumine, & appareat tibi interim glorioſus Deus in ſancto ſuo, dum non potes ad gloriam eius, ſicut eſt in ſcipſo. Cæterùm ne putaueris ornatas quidem Martini lampades, ſed vacuas inueniri: non eſt fatua virgo, habet in vaſis oleum, habet vinum in phialis: habet intra paropſides iſtas ciborum copiam, delitias vtique ſpiritales, vt non modo videant & mirentur, ſed edant pauperes & ſaturentur: atque in illis quidem Dominum laudent; porro in his viuant corda eorum. Alioquin quomodo mortui laudabunt te Domine? vt ergo ſit iucunda decoraque laudatio in admiratione, etiam viuant ex imitatione: & vt auidius ſumant delitias, ipſas quoque diuitias curioſius contemplentur. Sic nimirum, inter ſplendorem, & feruorem lucernæ huius, vicariis quibuſdam affectibus diſcurrendum; vt nobis alter ex altero commendetur, & ex mutua collatione vterque complacitior fiat. » Humilitas quidem eius non tantùm in Diaconatus, de manu Hilarij recuſatione, ſed & in humili veſte enituit: « pauper fuit, veſte ſordidus, crine incultus, facie deſpicabilis: quæ quidem licet in electione eius à quibuſdam maleuolis obiecta fuiſſent; in ipſo tamen Epiſcopatu, penitus non mutauit. » Vt de eo, ſicut & de Chriſto, interprete Gregorio impleretur illud Iob: « Lampas contempta apud cogitationes diuitum. Ipſe nobis lampas veraciter extitit, qui pro redemptione noſtra in cruce moriens, tenebroſis noſtris mentibus lucem per lignum (vt candelabrum aureum) fudit. Hac nos lampade Ioannes illuminari conſpexerat, cùm dicebat; erat lux vera, &c. Cùm tamen apud cogitationes diuitum contemptam vidit,

Io. 1. 7. Math. 25. 3. Pſal. 21. 28. Pſal. 113 17. Pſal. 146. 1. Ber. ibid. Iob. 12. 5. Greg. lib. 10. mor. cap. 17.

cùm paulò poſt ſubdit : in propria venit & ſui eum non receperunt. Huius lampadis flammas Herodes explorare voluit, cùm eius miracula videre concupiuit, &c. Sed lampas hæc ante eius oculos nullo radio lucis emicuit, &c. magis eligens apertè à ſuperbientibus deſpici quàm à non credentibus vacuâ voce laudari. Vnde & protinus lampas iſta contempta eſt ſicut illic ſubditur : ſpreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ. Sed contempta lampas quæ in terra irriſiones tolerat, de cœlo lucidius per iudicium coruſcat. Vnde hîc aptè ſubiungitur, parata ad tempus ſtatutum,&c. Hinc in Euangelio per ſemetipſam veritas denuntiat dicens : tempus meum nondum aduenit, &c. Nemo igitur hanc lampadem, cùm latet,deſpiciat, ne contemptores ſuos, cum de cœlo fulſerit, exurat. Cui enim nunc non ardet ad veniam, tunc proculdubio ardebit ad pœnam, &c. Benè itaque iuſti ſimplicitas, & lampas eſſe dicitur, & contempta lampas, quia interius lucet : & contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla reſplendet gloria decoris. Lucet ergo, & deſpicitur, quia flagrans virtutibus, abiectus æſtimatur.» An non lampas contempta Martinus, veſte ſordidus, crine incultus, facie deſpicabilis? Cùm referente Sulpitio «nonnulli ex Epiſcopis, qui ad conſtituendum Antiſtitem fuerant euocati, impiè repugnarent dicentes : contemptibilem eſſe perſonam, indignum eſſe Epiſcopatu, hominem vultu deſpicabilem, veſte ſordidum, crine deformem, &c. præcipuè Defenſor quidam nomine, dicitur reſtitiſſe. Vnde animaduerſum eſt grauiter illum lectione propheticâ tunc notatum. Nam cùm fortuitò lector cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuiſſet, turbatis miniſtris, dum expectatur

Luc. 23. 8.

Sulpitius Seuer. in vita eius cap. 7.

Digitized by Google

qui non aderat, vnus è circumſtantibus ſumpto
Pſal. 8. 3. pſalterio, quem primum verſum inuenit, arripuit, pſalmus autem hic erat: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & defenſorem, (ita enim apud Septuaginta,) quo lecto, clamor populi tollitur, pars diuerſa confunditur. Atque ita habitum eſt; diuino nutu pſalmum hunc lectum fuiſſe, vt teſtimonium operis ſui Defenſor audiret, quia ex ore infantium atque lactentium, in Martino Domini laude perfecta, & oſtenſus pariter, & deſtructus eſt inimicus.» Sic humiliatam lampadem, & modio damnatam, exaltauit Dominus ſuper candelabrum. Adeo vt referente Surio Valentinianus Imperator, lampadi noſtræ contemptæ aſſurgere dedignatus, igne ſubito de eius ſella egrediente, Martinum ſalutare ſit compulſus. « Sic honorabitur quemcumque Rex gloriæ voluerit honorare.» Vnde & Gregorius: « Statutum, inquit, contemptæ lampadis tempus, eſt extremi iudicij prædeſtinatus dies, quo iuſtus quiſque qui nunc deſpicitur, quantâ poteſtate fulgeat demonſtratur. Tunc enim cum Deo iudices veniunt, qui nunc pro Deo iniuſtè iudicantur, &c. Tunc reproborum oculis pateſcet quod cœleſti poteſtate ſubnixi ſint, qui terrena omnia ſponte reliquerunt. Vnde electis ſuis veritas dicet: Vos qui ſecuti eſtis me, &c. ſedebitis iudicantes, &c.» Cum Pſalte & Martino dicamus: propter te ſuſtinui opprobrium, &c. propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras;» ſim nunc lampas contempta ſub modio, modo intus ordeam, & fulgeam in iudicio.

[Margin: Surius in eius vita. — Eſther. 6. 9. — Greg. ſupra. — Math. 19. 28. — Pſal. 68. 8. — Pſal. 16. 5.]

2. Reflexio. Prælucentem nobis in Martino patientiæ lampadem attendamus, quam aduertit ex Sulpitio Bernardus: « tantam aduerſus omnes iniurias patientiam aſſumpſerat, vt cùm eſſet ſummus

[Margin: Ber. ſer. de S. Martino.]

Digitized by Google

Sacerdos, impunè etiam ab infimis Clericis lædere- Sulpitius in eius vita circa f.
tur, nec propter id eos aut loco vnquam amouerit,
aut à ſua, quantum in ipſo fuit, charitate repulerit.
Quod quidem in Brixio (eius irriſore, &c.) mani-
feſtè probatum, omnes vos arbitror meminiſſe.
Eum nempe ex omnibus ſibi ſucceſſorem elegit, &
de tanta poſt futura aduerſitate præmonuit: poſtre-
mò in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum.» Eccli. 45. 4.
Sic « carbones ignis congeſſit ſuper caput eius » qui Rom. 12. 20.
vt ſe igni luxuriæ non arſiſſe probaret, ignem etiam
illæſo veſtimento portauit. « O verè Beatus in quo Sulpitius in eius vita. cap. 26.
dolus non fuit! neminem iudicans, neminem con-
demnans, nulli malum pro malo reddens.» Quid
plura? « Quomodo illum Mediolani Auxentius Ar- Ber. ſer. de S. Martino.
rianus grauiter inſectatus, multiſque appetitum in-
iuriis, tandem de ciuitate exturbauit: quomodo &
alibi prius aduerſus Sacerdotum perfidias acerrimè
pugnans, ſuppliciis fuit affectus, publicè virgis cæ-
ſus, inde quoque exire compulſus eſt: quomodo
item in cuiuſdam fani euerſione cùm Gentilis eum
ſtricto gladio peteret, nudam ceruicem præbuit
percuſſuro (reiecto vt ait Sulpitius pallio) donec il- Sulpitius cap. 13.
le extollens ad ictum dexteram cecidit reſupinus:
quomodo alter eum cultro ferire voluit, ſed ferrum
de manibus eius elapſum repente diſparuit. Pro qui-
bus omnibus dubium non eſt multipliciter coronari
eum, qui quidem etſi non ſemel effectu conſum-
matæ paſſionis, ſed toties Martyr affectu deuotiſ- Cant. 5. 1.
ſimæ voluntatis. Comedite iam amici & bibite, &
inebriamini chariſſimi: (per me licet, Martinalia
ſic celebrate, non gentilium more. Sic vos iniuriis Iſa. 38. 17.
ſopitos & inſenſibiles præſtet imitatio Martini.) Sic
enim viuitur, & in talibus vita ſpiritus veſtri. Niſi
fortè Beatos prædicat ſermo diuinus qui mortuos
ſuſcitant, cæcos illuminant, morbidos ſanant, le-

Digitized by Google

Matth. 5. 3. & ſeq. proſos mundant, paralyticos curant, dæmonibus imperant, futura prænuntiant, miraculis coruſcant: Et non magis pauperes ſpiritu, mites, lugentes, eſurientes & ſitientes iuſtitiam, miſericordes, mundicordes, pacificos, perſecutionem propter iuſtitiam ſuſtinentes.» Lampas certè non diei proſperitatis. ſed aduerſitatis nocti, vt tempori ſuo proprio præparatur. Ita Gregorius; « Bonum, inquit, opus, cùm in medio perfidorum lucet, lucerna ardet in nocte.» Sed heu plurimis in aduerſitatis nocte lucerna extinguitur, & paruo etiam flatu, moleſti verbi ſufflatur, cùm ſcriptum ſit de « charitate patiente, & ſufferente omnia: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam, lampades eius, lampades ignis atque flammarum.» Mira æquanimitas B. Martini « nemo vnquam illum vidit iratum, nemo commotum, nemo mœrentem, nemo ridentem: vnus idemque ſemper, cœleſtem quodammodo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur. Numquam in illius ore niſi Chriſtus, nunquam in iillus corde niſi pietas, niſi pax, niſi miſericordia inerat.» Quid hoc ſonat, quid redolet, niſi lampadem oleo gratiæ diuinæ pleniſſimam? Ad eius lucem vitia contraria, & prauum iter corrigamus.

Greg. lib. 22. moral. c. 4.

1. Cor. 13. 4.

Cant. 8 7. & 6.

Sulpitius ſupra. cap 26.

3. Reflexio. Diſcamus à B. Martino & lampades ardentes boni operis & exempli ſemper in manibus habere, & oculo ſimplici acceptam à Deo lucis & olei & benè operandi gratiam, Deo ſoli referre: « ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Cingulum quidem eſt propriè indicium ſeruitutis, quòd & diſcurſus expeditos reddat; & faciat obſequentes, &c. Principaliter Dominus lumbos noſtros aſtringi iubet baltheo caſtitatis & totum carnis noſtræ pendulum, fluidum, reſolutum

Luc. 12. 35.

Chryſol. ſer. 24.

Digitized by Google

conſtringi mandat continua zona virtutis : vt carne ſuccincta, ad Domini occurſum liber, velox, expeditus noſtræ mentis reddatur inceſſus,&c. Conſtringenda eſt ergo caro continentiæ cingulo, ne effuſa vitiis, ac toto peccatorum grauata pondere, ſupernis & cœleſtibus inſiſtere non poſſit inceſſibus. Benè ergo Dominus adiecit : & lucernæ ardentes, &c. quia ſemper ad innocentiæ teſtimonium, lucernæ nocturno portantur in tempore : & ſicut vitiis amicæ ſemper ſunt tenebræ, ita lucernæ ſemper inimicæ criminibus. Sociæ ſemper boni operis ſunt lucernæ. Sed in manibus ſanctorum ipſa bona opera ſunt lucernæ, dicente Domino : ſic luceat lux veſtra coràm hominibus, vt videant veſtra bona opera, & magnificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Et verè portant lucernas ſuas, verè fomentis operum, verè miſericordiæ vnguento inflammant lampades ſuas ; quæ cùm loco, propoſito, ſtudio latitant, (intentione occultâ Deo ſoli placendi,) opere, virtute coruſcant, ac ſplendent toto orbe terrarum. Pluribus idipſum expoſuit Fulgentius. « Præcinguntur, inquit, fidelium lumbi, dum concupiſcentia mala comprimitur, dum cogitatio mala cohibetur ; dum libidini reſiſtit animus, dum laſciuiæ denegatur effectus : dum calcatur luxuria, dum auaritia contemnitur & rapina : dum proximi læſio deuitatur, dum ſuperbia vincitur, dum inuidia ſuperatur. Ardent verò lucernæ fidelium, dum rectæ fidei regulam ſeruant, dum in ſinu matris Eccleſiæ longanimiter perſeuerant : dum terrena contemnunt, & cœleſtia concupiſcunt : dum ſoliciti pacem cuſtodiunt, dum ſe inuicem purè diligunt, dum mutuo ſe honore præueniunt, dum manſuetudine cordis, & humilitate proficiunt : dum miſericordiæ opera libenter, atque hilariter faciunt, dumque in operibus bonis,

Math. 5. 16.

Fulgentius ſer. de Confeſſoribus.

non hominibus, ſed Deo placere contendunt. Omnis ergo Chriſtianus præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem; ardentem habeat lucernam, vt cuſtodiat caſtitatem. Præcinctos habeat lumbos, vt aliquid alienum nec rapiat, nec furetur: ardentem habeat lucernam vt de ſuo miſericorditer operetur. Præcinctos habeat lumbos, vt minorem non opprimat, ardentem habeat lucernam vt oppreſſo velamine, iuſtæ dumtaxat defenſionis auxilium impendat. Præcinctos habeat lumbos, vt habenti non auferat cibum, ardentem habeat lucernam, vt eſurienti tribuat alimentum. Præcinctos habeat lumbos, vt non ſpoliet veſtitum: ardentem habeat lucernam, vt veſtiat nudum. Præcinctos habeat lumbos, vt domum nullius inuadat; ardentem habeat lucernam, vt peregrinos Chriſti libenter excipiat. Præcinctos habeat lumbos, vt fugiat elationem; ardentē habeat lucernam, vt ſeruet humilitatem. Præcinctos habeat lumbos, vt expellat à ſe inuidiā & liuorem; ardentem habeat lucernā, vt puram cunctis exhibeat charitatem. Præcinctos habeat lumbos, vt non exhibeat membra ſua arma iniquitatis peccato; ardentem habeat lucernam, vt exhibeat membrâ ſua arma iuſtitiæ Deo.» Succinctum Angelico more, & ad renes ſicut Angelus apparens Danieli, & ad mamillas, vt qui viſus eſt Ioanni, zona aurea caſtitatis Martinum probat, & familiaris conuerſatio cum Angelis dum viueret, corde & carne purus, & cantus Angelicus in eius obitu à S. Seuerino Colonienſi Epiſcopo auditus, & caro eius poſt mortem ſimilis iam glorificatæ carni; de qua Tertullianus: « demutanda in atomo in Angelicā ſubſtantiam, per illud incorruptelæ ſuperindumentū.» Et de Martino Sulpitius: « teſtati, inquit, nobis ſunt qui affuerunt, iam ex animo corpore, glorificati hominis vidiſſe ſe gloriam.

Rom.6. 13. Dan.10 5. Apoc.1 13. Sulpitius ep.3. Tertul. 3.Cont. Marc. cap.24.

Digitized by Google

gloriam. Vultus luce clarior renitebat, cùm membra cætera ne tenuis quidem macula fuſcaret, in aliis etiam, & in illo tantùm artubus non pudendis, ſeptennis quodammodo pueri gratia videbatur. Quis iſtum vnquam cilicio tectum, quis cineribus crederet inuolutum? Ita vitro purior, lacte candidior, iam in quadam futuræ reſurrectionis gloriâ, & naturâ demutatæ carnis oſtenſus eſt. » Et de lucernis ſemper ardentibus in manibus eius: « interiorem, inquit, vitam illius, & quotidianam conuerſationem, & animum cœlo ſemper intentum, nulla vnquam explicabit oratio; illam ſcilicet perſeuerantiam, & temperamentum in abſtinentiâ & ieiuniis, potentiam in vigiliis & orationibus, noctesque ab eo perinde ac dies actas, nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulſerit, vel negotio, &c. Numquam hora vlla momentumque præteriit, quo non aut orationi incumberet, aut inſiſteret lectioni. » Et in his omnibus, & oculus eius ſimplex intentione ſoli Deo placendi, & tam oculus quàm lampas à Deo lumen acceptum gratiarum actione fideli refundebat. « Oculi carnis noſtræ dicuntur lumina, & vnuſquiſque iurat, per lumina mea. Lumina iſta quid ſunt? ſi deſit Sol, ſi deſit Luna aut lucerna, certè in tenebris remanent, &c. Sic omnes ſancti illuminati ſunt, vt viderent; & quod videbant, prædicarent. Ideo illis dictum eſt, vos eſtis lumen mundi. Sed lumen, non verum lumen. Quare? quia erat lumen verum quod illuminat omnem hominem, &c. » Simplex autem erat oculus cum Pſalte petens: « Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Senſus quem mihi fateor plus placere: Dominus in Euangelio dicit, ſi fuerit oculus tuus ſimplex, &c. Proinde magni intereſt, cùm aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione fa-

Sulpitius in eius vita cap. 26.

Aug. in ſuppl. p. 1. ſer. 44. de diuerſis.

Io. 1. 9. Et concione 12. in Pſ. 118.

ciamus, &c. in quâ vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, &c. Ab hac vanitate volens Deus auertere oculos ſeruorum ſuorum: attendite, inquit, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis &c. Non ergo ſit finis noſtri boni operis in laudibus hominum, ſed ipſas laudes hominum corrigamus, & ad Dei laudes referamus.» Duplicem oculorum vanitatem aduertit Ambroſius, quam à Deo poſcit auerti. « Ad Chriſtum dirige oculos tuos, auerte à ſpectaculis, auerte ab omni ſæculari pompâ, &c. Si videris mulierem ad concupiſcendam eam, intrauit mors per feneſtram. Si videris poſſeſſionem minoris aut viduæ, & concupieris diripere eam, intrauit mors per feneſtram. Si videris aliena monilia, aurum, argentum, & concupieris vt extorqueas, intrauit mors per feneſtram, &c. Hæc moralia ſunt etiam myſtici oculi quos auertere debeas à vanitate, &c. Sed non ſatis eſt tu auertas, ne fortè velis, & non poſſis; ſi offundat tibi diabolus vanitatum ſpectacula, incentiua inſerat voluptatum, (maximè vanam placendi tibi, vel homini intentionem) pete vt Dominus auertat oculos tuos. Et hæc gratia Dei, & hoc munus eſt Domini, vt oculos animæ noſtræ à negotiis mundi huius auertat. Beatitudo enim omnis à Domino eſt, Beatus autem vir cui nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas, &c. Cùm enim aduertit quòd de ipſo petis, vt auertat oculos mentis tuæ à vanitate, cooperatur animæ tuæ: vt ſi ſpecie aliquâ capitur, aut duritiâ, aut infirmitate non flectitur, flectat eam iugo verbi, & habenis ſuis regat: vt voluntate Dei abducatur à vitiis, & vitæ odorem capiat æternæ.» præterea « ſicut lucerna non à ſeipſa accenditur, ita nec anima humana ſibi præſtat lucem, ſed clamat ad Deum: tu

Matth. 6. 1.

Ambr. octon. 5. in Pſ. 118.

Pſ. 39. 5.

Aug. in Pſ. 119.

Digitized by Google

illuminabis lucernam meam Domine.» Sic Martinus, ſic Ambroſius, ſic Auguſtinus, ſic omnes ſancti oculorum & lucernarum ſuarum lumen participatum à Deo, puræ eius gloriæ referebant. Sic Martinus in morte nihil ſibi de malis operibus conſcius, aut vanitate de bonis, inſultabat dæmoni: « quid hîc aſtas cruenta beſtia, nihil in me funeſte reperies, Abrahæ me ſinus recipit (pauperum ſuſceptorem, &c.) Et cùm à diſcipulis rogaretur vt ſaltem vilia ſibi ſineret ſtramenta ſupponi; non decet, inquit, filij, Chriſtianum niſi in cinere mori.» In nobis verò quanta funeſta reperiet, qui nec oculos à vanitate auertimus, nec lampades ardentes habemus in manibus, nec cineri pœnitentiæ incumbimus? Cùm tamen etiam iuſti « quia in ipſis ſanctis operibus, in quibus per afflationem S. Spiritus ardenter inſiſtunt, quædam ſuperflua terrenæ corruptionis interſerunt, cùm lucernis etiam emunctoria neceſſariò fiunt. Emunctorio namque quod ſuperuacuum eſt in lucerna decerpitur, & diſtrictione pœnitētiæ humanæ prauitatis culpa deletur, &c. Sed quoniam hæc ipſa ſuperflua, quæ diſciplina pœnitentiæ reſecat, neceſſarium eſt vt contriti cordis fletus extinguat, non immeritò Moyſes poſt lucernas & emunctoria, etiam vaſa feciſſe memoratur, vbi quæ emuncta ſunt, extinguantur.» O Domine quanta non modo ſuperflua, ſed & noxia contraximus? quoties oculos vanitatis puluere, & lampades vento, aut olei defectu extinximus? tu es qui illuminas lucernam meam, &c. illumina oculos meos ne obdormiam in morte, ſed à vitâ gratiæ tranſeam ad vitam gloriæ. Amen.

Sulpitius ep. 3.

Damianus lib. 5. ep. 2.

Exod. 25.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. Virginis.

Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſsimo vota tua. Pſal. 49.14.

SI quis ad honorem ſtimulus , ſi quæ illecebra ad
gloriam, ſi quod ad ſummum dignitatis apicem
incitamentum , vel animo concipi vel voto cordis
Pſalm. optari poteſt, id totum Pſaltes vno verſiculo con-
44. 16. cluſit: « Adducentur, inquit, Regi Virgines poſt eam,
proximæ eius afferentur tibi in lætitia & exultatio-
ne, adducentur in templum Regis » quaſi diceret,
poſt glorioſiſſimam cœli terræque Reginam , poſt
chariſſimam Spiritus ſancti ſponſam, proximas, caſti
conſortes thalami, Regum Regi , Virgines offeren-
das. Quàm propero greſſu, quàm alacri animo, feſti-
nam, & vix triennem virgunculam , nullam ætatis
moram teneræ patientem, ſequi debent virgines, &
Cant. « in odorem vnguentorum eius currere » illectæ
1. 3. ſuauiter adoleſcentulæ, inuitante præſertim his vo-
cibus agniculo ſponſo, Electo ex millibus, mille ele-
ctis, & proximis poſt eam offerendis , ſingulas com-
Cant. 2. pellante: « Surge, propera amica mea, columba mea,
10. formoſa mea, & veni. Vox turturis audita eſt in ter-
Aponius ra noſtra: » Et quænam , obſecro , turtur alia quàm
Ibid. Maria? « Auis eſt caſtiſſima, & typum gerit caſtiſſi-
mæ Mariæ, cuius inſtar turturis vox emittens virgi-
nitatis votum, audita eſt in terra noſtra, qualis à ſæ-
culo nuſquam perſonuerat. » Hæc ſiquidem prima
vexillum virginitatis expandit, cæteriſque conſorti-

Google

bus prætulit: prima Deo huiuſmodi « laudis ſacrificium immolauit: » prima « corpus ſuum, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem exhibuit.» Hanc ſequimini Virginem, poſt præcurrentem currite, quam cœlum, & terra Reginam agnoſcit. Ego verò te magni Aſſueri prædilectam, eius in palatium, & conclaue adductam, & Angelis plus, quàm Sacerdotibus, eorumque cuſtodiæ, curæ, ornatui, velut Eſter Eunuchis, creditam ſequor; & cum Archangelo iam gratiâ plenam, in eaque creſcentem pluſquam ætate, ſaluto dicens: Aue.

Pſalm. 49. 23. Rom. 12. 1. Eſther. 2. 8.

EXORDIVM.

Si vtilitati publicæ, vel honeſtati ſeruientium rerũ inuentores & artifices, aliquam ſibi in poſterum animis gloriam & commendationem peperere: quo honore dignam beatiſſimam Virginem Deiparam æſtimabimus, quæ omnium prima, vtiliſſimæ Chriſtianæ Reipublicæ, & clariſſimæ virginitatis Deo conſecrandæ votum, Spiritu ſancto edocta, & præmouente ſpecialiter inuenit? Ego verò Pſaltis imperio famulans « notas facio in populis adinuentiones eius; » eaſque omnibus præteriti ſæculi, iure meritiſſimo adinuentionibus antepono; nec præ Mariæ nomine, Anaximenis, Laconum, Carmentes, Pythagoræ, Archimedis nomina faſtis inſcribenda cenſeo. Anaximenes horologiorum primus inuentor creditur: ſed virgo artem vitæ in terris Angelicæ, motuſque animi, & corporis temperandi, prima omnium inſtituit. Lacedæmonij cudendi gladij referuntur artifices: Maria mactandæ Veneri, & Dagon truncando, & « lectulo Salomonis » cordi, inquam, caſto, puroque corpori cuſtodiendo, pluſquam « ſexaginta fortibus gladios ad femur aptauit, omnibus ad bella doctiſ-

1. Paral. 16. 8. Cant. 3. 7.

ſimis.» Carmente Euandri mater extollitur laudibus, quod curruum & Carmentorum artificium ex-
Cant.3. 9. cogitauerit: & quis laudes Virginis ſileat,quæ ferculum de imputribili Cedro Libani, Regi ſæculorum immortali & inuiſibili propter filias Ieruſalem ſpe-
1. Cor. 6.20. ctabili fabricauit; « portans & glorificans Deum in corpore ſuo » virginali ? Pythagoras inuenta noua Mathematices Regula, hecatumbem Diis immolauit: Maria holocauſtum vni Deo viuo & vero,victi-
Gen.15. 9. mis cunctis acceptius in ſeipſa,vt Abrahæ filia«quaſi vacca trienni » litauit. Archimedes inauditam ſæculis in animo ſuo finxit Machinam,quâ molem vniuerſi loco ſe mouere poſſe iactauit; modo fixum extra orbem punctum,quo poneret, inueniret : Maria quid fecit ? Artem, machinæ mundi conditorem de cœlo trahendi, ſola ſine exemplo placentem Domino Virginitatis hoſtiam rationalem humiliter offerens, proximis poſt ſe templo Regis adducendis ape-
Ambr. lib.1. de Virginibus. ruit. « Quis autem humano eam poſſit ingenio comprehendere, quam nec natura ſuis concluſit legibus? Aut quis naturali voce complecti, quod ſupra vſum naturæ ſit? è cœlo accerſiuit quod imitaretur in terris. Nec immeritò viuendi ſibi vſum quæſiuit è cœlo, quæ ſponſum ſibi inuenit in cœlo. Hæc nubes, aëra, Angelos ſyderaque transgrediens, Verbum Dei in ipſo ſinu Patris inuenit,& toto hauſit pectore. Nam quis tantùm cùm inuenerit relinquat boni? Quis igitur neget hanc vitam fluxiſſe de cœlo, quam non facilè inuenimus in terris, niſi poſtquàm Deus, in hæc terreni corporis membra deſcendit? Tunc in vtero Virgo concepit, & Verbum caro fa-
Bern. homil. 3. ſuper miſſus. ctum eſt, vt caro fieret Deus. » Quid dicam ? « O Virgo,non dicam præceptum virginitatis, ſed nec conſilium (ab homine datum,vel ab Apoſtolo) nec exemplum habebas,niſi quod Spiritus ſancti vnctio

docebat te de omnibus, viuam te hoſtiam exhibens, 1. Io. 2
prius tibi magiſter factus eſt quàm filius. » Dic quę- 27.
ſo,« vbi legeras de virginibus, quia cantant Canti- Ber. ho-
cum nouum, quod nemo alius cantare poteſt, & ſe- mil. de
quũtur agnum quocumque ierit? (longè enim poſte- B. Vir-
rius id à te didicit Ioannes Apoſtolus:) vbi legeras, gine.
laudatos eſſe qui ſe caſtrauerunt propter regnum Apoc.
cœlorum? (id quoque poſt tuus ipſe docuit filius?) 14. 4.
vbi legeras, in carne ambulantes, non ſecundùm Matth.
carnem militamus: Et qui matrimonio iungit virgi- 19. 12.
nem ſuam, benè facit,& qui non iungit, melius fa- 2. Cor.
cit? vbi audieras, volo vos omnes eſſe ſicut & mei- 10. 3.
pſum: & bonum eſt ſi ſic permanſerit, ſecundùm 1. Cor.
conſilium meum? Chriſto ergo deuoues te exhibere 7. 38.
virginem: & neſcis quod ipſi exhiberi te oportet 1. Cor.
etiam matrem. » Vt totum hoc myſterium Præſen- 7. 7. &
tationis ordine decurramus, primò oblationis & ho- 40.
ſtiæ huius nouæ acceptiſſimæ Deo meritum perpen- DIVI-
damus: ſecundò fructuoſas & vtiles Reflexiones SIO.
colligamus.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Neſcio ſi quando Scripturas euoluentibus vobis res notatu digniſſima non occurrit: quòd cùm cæ- Num. 10. 10.
tera oblationum genera, cum ſilentio, de more, Sacerdotes offerrent; holocauſtomata tubis argenteis concrepantibus, in odorem ſuauitatis Domino incendere ſolebant. Nec iniuriâ quidem; cùm enim in aliis pars aliqua victimæ Sacerdoti, pars Laïco offerenti cederet; totum in holocauſto, iuxta nominis emphaſim, cremabatur. Atque vtinam mihi vel argenteus in manu calamus, vel in ore ſermo aureus, & vt in diebus Samüelis, pretioſus, pro tubis ductilibus eſſet, vt toto orbe, hodierni meritum holocau- 1. Reg. 3. 1.

Digitized by Google

ſti ſuper omnes veteris teſtamenti, ac templi oblationes buccinarem. Enimverò quis ipſam Antiochi
Geneb. in Chr. Seletis victimam, Chronologorum præconio decantatam, prælatamque donis omnibus, holocauſto Mariæ componat? Bouem ille pinguiſſimum, veſtitum purpurâ, cornibus auro gemmiſque conſpicuum, vaſis aureis & argenteis, aromatibus pretioſiſſimis onuſtum ac grauem, templo Ieroſolymitano donatiuum obtulit: Maria ſeipſam, cuius « veſtimentorum
Cant. 4. 10. & 11. odor ſuper omnia aromata, cuius è veſtimentis, myrrha, & gutta, & caſia » vnguentis virtutum optimis
Pſalm. 44. 10. delibutam, « quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo » hodie in templo præſentauit.
Ecli. 50. 10.

Et quidem, cùm multa ſint, quæ oblationis cuiuſlibet pondus æſtimationemque exaggerant; nimirum perſonæ offerentis dignitas, oblatæ rei pretium, oblationis denique tempus, & modus: quid in ordine naturæ, quid gratiæ, quid gloriæ, ad tanti muneris æſtimationem accedat? In quo Maria ſeipſam totam, triennem, incredibili mentis, & corporis alacritate, perpetuo virginitatis voto, ancillam Deo, perpetuam vera mundi Domina ac Regina mancipauit. Sed ſingulas ſeorſim huius holocauſti circumſtantias
Leuit. 27. 25. « ſiclo ſanctuarij ponderandas » maturiori libramine trutinemus.

Ac primò quidem, ſi Sacerdotem & victimam, ſi offerentem & rem oblatam attendas, non eſt in hac cauſa quod diuidas. Ipſa etenim Maria, quæ ſuper Angelorum Choros, meritorum verticem, Dei mater electa prouexit, coniunctim munerans, & munus, offerens & oblatio, immolatum, & immolans agnoſcitur. Nec eſt quod dicas:
Gen. 4. 4. « reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. » Turturem enim & co-
Gen. 15. 11. lumbam futuri myſterij præſcius Abraham non diuiſit. Nec Abele longè innocentior, ac melior, hîc à

Digitized by Google

ſuo munere diſtinguitur. « Fide quidem plurimam hoſtiam Abel quàm Caïn obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. » Vbi Chryſoſtomus: « hoſtiam in hoc loco dicit honorabiliorem, & clariorem. Et non poſſumus dicere quia non eſt ſuſcepta. Suſcepit quidem Deus: & dixit ad Caïn: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti. Ergo Abel & rectè obtulit, & rectè diuiſit. » Sed Maria rectiùs vtrumque coniunxit; & Abelem, caſtum licet, & iuſtum longè ſuperauit. « Probabiliter quidem, & rectè viuens, nullius exemplum habuit, quem imitaretur. Ad quem enim attendens imitatus eſt hic, vt honoraret Deum? Ad patrem, & matrem? ſed illi magis iniuriauerunt Deum pro tantis beneficiis. Num ad fratrem attendit? etiam ipſe iniuriauit. Proinde ex ſeipſo, hoc bonum inuenit. (Et quomodo? cùm non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo ſit?) & teſtimonium conſecutus eſt, quòd eſſet iuſtus. Dicitur ignis deſcendiſſe, & abſumpſiſſe hoſtias eius. In Abel, inquit, inſpexit, & in hoſtias eius. In Syrorum autem linguâ, & igniuit; habet, &c. quid eſt, & propterea mortuus adhuc loquitur? Hoc eſt, interemit quidem eum frater; ſed non cum eo interemit eius gloriam atque memoriam, &c. Quomodo adhuc loquitur? Hoc enim indicium eſt quòd viuat; quod in ore hominum verſatur, quod eum omnes admirantur & beatificant. Qui enim admonet alios, vel qui, vt iuſti ſint, loquitur: non enim tantùm proficit ſermo, quantum paſſio illius: Sicut enim cœlum tantùm apparens, loquitur, ſic & ille dum in memoriam venit. » Quid hîc Annam referam, ſuorum viſcerum in Samüele immolatricem: Samüel quidem poſtulatum Hebræis

Hebr. 11. 4.
Chryſoſt. hom. 22. in hunc locum
Gen. 4. 7.
Chryſoſt. ſupra.
2. Cor. 3. 5.
Gen. 4. 4.
1. Reg. 1. 20.

Digitized by Google

ſonat, quod mater à Domino poſtulaſſet illum. Sed beata Anna veteri dignior poſt annoſam ſterilitatem, multáſque preces & lacrymas, petitam de cœlo Mariam: quæ ſuis orationibus & meritis, non iam vt Samüel materno magis quàm ſuo arbitrio, ad tempus commodatus, Domino, ſed ſponte tradita,
Cant. 7. 2. « vt filia Aminadab, ſpontanea, pulcris greſſibus in calceamentis » proceſſit in templum, & perpetuo ſe voto Virginitatis addixit; & Diuini Verbi Incarnationem non accelerauit tantummodò, ſed poſtulatum, de congruo Virginitatis, & humilitatis ſuffragio obtinuit, quem primò templo obtulit inter brachia Simeonis, & vltimò conſecrauit humanæ ſaluti in patibulo crucis. Quis ergo Mariam, ſine exemplo voti poſteris omnibus exemplar factam non miretur, cuius fides poſt tot ſæcula viua loquitur, imò
Luc. 1. 48. cantat? « Ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes. » Tu verò, Paule, quid in hoſtia per-
Rom. 12. 1. fecta & conſummata exigis, quod in ſuo Maria perfectè non adimpleat holocauſto? Quod corpus, quæ anima, qui ſpiritus, cùm ea de ſanctitate contendat? Quid ſanctius? quid nobilius Dei matre? quid ſplendidius ea quam ſplendor elegit? in qua, & de qua, « quod naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei? »
Luc. 1. 39. Quid acceptius hac Virgine Domino, quæ cùm eſſet paruula, placuit Altiſſimo, vt de ſuis poſtea viſceribus cui ſe totam deuouerat, Deum pareret & hominem? quod rationabilius obſequium, quàm illius, quæ in pleno rationis vſu concepta, arbitra ſui, & mentis compos, non cæcum animal, ſed omnibus in-
Apoc. 4. 7. Ezech 1. 18. tus, antè, & retrò oculatis Ezechielis animalibus vigilantius, & perſpicacius holocauſtum Trinitati ſanctiſſimæ triennis incendit?

Greg. Iam verò ſi « omne quod datur, ex dantis mente penſatur; » quâ intentionis puritate, quo feruore

Digitized by Google

animi, quâ carnis alacritate, hæc « virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij » temperata aſcendit in templum; in eoque ſe, & ſua omnia hodie immolauit? Sed quod præ cæteris, omnium Angelorum, & hominum oculos rapit, & animos, admiratione ſuſpendit; eſt præpropera, ac velox Virginis huius « & virgæ vigilantis, & amygdalinæ » præcocis, tam ſpecioſi floris, & fructus virginei, « fructus, inquam, honoris & honeſtatis » emiſſio. Pennata vidit, & obſtupuit Prophetes « animalia plena oculis; pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quaſi planta pedis vituli: » ocyora fulgura coruſcante procedebant: ſed lenti pedes eorum, & reſpectu Mariæ tardigradi. « Ad templum quaſi thalamum properat, verè futura thalamus nuptiarum Verbi cum carne, quem votorum floribus ſternit ac præparat, cum ſponſa dicens: lectulus noſter floridus eſt. » Quis cum cœlitibus, hanc puellam maturè feſtinantem, & ſolùm « ſuper dilectum innixam » quindecim templi gradus, properâ grauitate ſcandentem intuens, non exclamet « quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens » primo ætatis vernantis diluculo, « delitiis virginitatis affluens? Quàm pulchri greſſus tui in calceamentis, filia principis! » Vel vt alij vertunt, « filia Nadab, ſiue Aminadab! » quæ vox ſpontaneum ſonat, vti præmiſimus: quòd primus in exitu Iſraël de Ægypto, viam maris rubri, nullo præcepto vrgente, nullo præmouente conſilio, imperterritus aperuiſſe feratur: quò alluſit ſponſa, cùm diceret: « neſciui: anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab. » Vel vt habet tranſlatio Pagnini ex Hebræo: « non noui: anima mea poſuit me, vt ſint quadrigæ populi mei ſpontanei. » Breuius 70. « non nouit anima mea: poſuit me currus Amina-

Cant. 3. 6.
Ierem. 1. 11.
Ecli. 24. 23.
Ezech. 1. 7.
Germanus Cõſtantinopol.
Cant. 1. 15.
Cant. 6. 9.
Cant. 7. 1. ex 70.
Lyran.
Cant. 6. 11.
Luc. 1. 29.

dab.» Neſciebat virgo electam ſe Dei Matrem,quæ & « in ſermone Angeli turbari » debebat. Sed à Deo mota,& poſita, velocior quadrigis Aminadab, vt filia Principis de tribu Iuda, intritam homini viam, « via viri in adoleſcentula » deſtinata, intentatæ hoſtiæ ſpeciem, incogniti voti normam,impollutis greſſibus, nullo præceptore vel conſule homine, ſed Spiritu ſancto duce ac rectore ingreſſa delineauit! ô pulchros greſſus Virginis, ſigni cœleſtis (vnicum enim Virginis ſydus alatum ab Anoſtronomis perhibetur!) ô ſtupendos Angelis Mariæ progreſſus! « Apud Dominũ greſſus eius diriguntur, & viã eius volet. Quæ eſt iſta quæ progreditur pulchra vt Luna?» Quid miramini? Lunæ ſimilẽ multiformi? An ipſius Dei immutabilitati, voti perpetui ſtabilitate conformem? Lunam certè magis cum Ioanne ſpectare lubet, lucidiſſimis eius pedibus aduolutam,quã cũ omni rerum ſublunariũ varietate conculcat. «Signum, inquit, magnũ apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius.» In cœlo dixit: Ego in templo « domina enim in templo ſancto ſuo, & quaſi in cœlo ſedes eius. Amicta lumine Solis, ſicut veſtimento, in veſtitu deaurato charitatis, circumdata varietate » virtutum, Lunam pro ſuppedaneo, « in ſuperbiam ſæculorum poſita » & mundi facta miraculum, humilis ancilla conculcat. Hæc nimirum, « omnibus mobilibus mobilioris Sapientiæ » futura mater, & « Sermonis currentis velociter, Soliſque tabernaculum exultantis vt gygas » ab æterno genitrix electa; iam tum « proxima, & adhærens vxor, Spiritui ſancto vt viro » voti vinculo « vnus effecta cum eo ſpiritus; » quid mirum, ſi Lunæ, Planetis omnibus ocyori, velocior præcurrebat? Si motum eius celerem, calcaneo leuiori ſuperabat? quæ velociſſimi Spiritus ſancti agilitati participans,

Prou. 30. ex Hebr.

Pſalm. 36.23.

Cant. 6 9.

Apoc. 12. 1.

Pſalm. 10. 5.

Pſalm. 44. 11.

Eſa. 60. 15.

Sap. 7. 24.

Pſalm. 147.

Pſ. 18.

Matth. 19. 5.

1. Cor. 6. 17.

Digitized by Google

« ſuper pennas ventorum ambulabat ; » & ipſa ani- Pſal.17.
malia pennata, Cherubim dico, & Seraphim, tardi- 11.
tatem ſuam, præ tanta alacritate mirantia, ſublimi
virtutũ penna præuolans tranſcendebat. Quod Lu-
na planetis omnibus velocitate præcellat, nec ſtu-
pendum; cùm orbe concluſa breuiori, ſuum citius
curriculum abſoluat. Sed maiori cœlo Saturnus
grauior, triginta annis, duodecim Iupiter; Mars,
Venus, & Mercurius eodem fermè cum Sole tem-
pore curſum adimplent. Ita planè multi lento ac
plumbeo Saturni greſſu procedunt: qui quò celſio-
rem honoris gradum occupant, eò ad virtutis ſta-
dium decurrendum ſegniores incedunt. Alij cum in-
ferioribus aſtris, Paulum audiunt,« vident,ne in va- 2. Cor.
cuum gratiam Dei recipiant; in breui conſummati, 6.1.
complent tempora multa: & vna hora nouiſſimè ve- Sap. 13.
nientes,totius diei pondus, & æſtum graui corde Math.
portantibus effecti pares, eodem ſunt denario diur- 20.12.
no compenſandi. At beatiſſima Virgo,ſummo « con- Pſalm.
ſurgens quaſi aurora diluculo, adiuuante ſe manè 45.5.
Deo, in benedictionibus præuenta dulcedinis » im- Pſal.
menſa Dei matris ab æterno ordinatæ ſpatia, ſphe- 20.3.
ramque latiſſimam,vno penè momento confecit. Et
quoniam « in ſplendoribus Sãctorum, ex vtero ante Pſ.109.
luciferum genitum » Verbum; puerum,inquam, il- 4.
lum « cuius nomen vocatum,accelera, feſtina » con- Eſa 8.
cipere Virgo debebat, & parere; licet implendi in 3.
ſe, præ humili ſui nihili ſcientia, neſcia myſterij, fe-
ſtina debuit voti præmaturi « hoſtiâ ſanctâ, viuente, Rom.
Deo placente, nec non obſequio rationabili,corpus, 12.1.
& ſpiritum immaculatum » totius ſanctitatis, vitæ,
rationis authori pariundo, prima omnium exhibere.

Neque verò mihi quiſpiam tot apud Gentiles Sy-
billas,& Veſtales, tot apud Iudæos, Eſſenos, tot in
templo Salomonis ſacras Deo Virgines opponat:

Digitized by Google

Pſal. 44 16. « poſt eam Virgines proximas Regi afferendas » Pſaltes Regius affirmauit. Non eſt quod inficiar, Ieſum Naue Chriſti Domini figuram exprimentem, Mariam ſororem Moyſi, noſtram vtcumque adumbrantem; Melchiſedech eiuſdem panis & vini oblatione ſacrificium incruentum referentem, Danielem cum tribus pueris, virginitatis florem, etiam in lege veteri conſeruaſſe: quorum poſtremi, ferocientis luxuriæ, & congeniti ignis impetus, caſtimoniæ frænis glorioſè domantes « extinxerunt impetum ignis, & ora leonum obturauerunt » ſed ſemel dictum eſt, ſententia firma eſt « adducentur Regi Virgines poſt eam. » Quotquot enim beatiſſimam Virginem vel præceſſere tempore, vel ſæculo ſucceſſere; omnes excellentiſſimæ ipſius virginitati palmas corouaſque ceſſere.

Hebr. 11. 33.

Ac primò quidem, vt oblati huius à teneris Sacrificij laudes, & hoſtiæ Deo tam placitæ meritum ſuper omnes, exequar; prius vt plurimum neglecta fuit, parum dixi, etiam ex parte maledicta. Virginitas; quia naturaliter eſt ei coniuncta ſterilitas; dicente, & prohibente Scripturâ; « non erit infœcunda nec ſterilis in terra tua. » Et rurſum: « non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus. » Et iterum: « hæc dicit Dominus: ſcribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine eius vir qui ſedeat ſuper ſolium Dauid. » Adeò vt & ſeptem mulieres ſterilitatis impatientes ignominiæ « virum vnum apprehenderent & ducerent: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodò inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum. » Quin & ipſa Iephte filia, præcipiti voto à patre immolanda « hoc, inquit, ſolum mihi præſta quod deprecor: dimitte me, vt duobus menſibus circumeam mon-

Exod. 23. 26. Deut. 7. 14. Ierem. 22. 30. Eſa. 4. 1. Iudic. 11. 37.

tes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. » Luxit illa, non tam irrationabilem, & cruentam ſuæ vitæ victimam, quàm dies & annos virginitatis ſuæ, quos velut otioſos, & vacantes, nuptiarum fructui ſe non impendiſſe dolebat. Quid dicam de Maria, Moyſi Aaroniſque ſorore, quæ poſt Virginem vitam cœlibeſque annos, Hur viro nupſiſſe nuntiatur. « Petulantior eſt, talis integritas, cuius corruptela ſeniori ſeruatur ætati. » Abul. & Ioſeph. Ambr. 1. de Virg.

Tanta porro habendæ tunc temporis prolis auiditas, ex ſpe naſcituri Meſſiæ procedebat: quo honore ſe fruſtratum Ezechias; de morte ante ſuſceptam prolem, ſibi prophetica comminatione intentata querebatur, dicens: « Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi, &c. Dixi non videbo Dominum Deum in terra viuentium; non aſpiciam hominem vltra, (ex poſteritate mea ſcilicet oriundum;) & habitatorem quietis; » quam in omnibus quærens, poſt gyrum cœli, circuitum terræ, ambitum maris, luſtrationem vniuerſi, in ſola tandem Maria placidiſſimam inuenit. Ad hæc accedit, quòd nullus eorum, neque ipſe Elias, Eliſæus, & Ieremias, quantumuis illibatæ Virginitatis gratia celebres, hoſtiam viuentem proprij corporis, vt Virgo beatiſſima, voto concepto, quoad viuerent, ad mortem vſque ſeruauerunt. Eſa. 38. 10. Ecli. 24. 8.

Omnes Maria in voti maturitate præuenit. « Virgini enim diuino munere collatum eſt, vt prima inter fœminas Deo Virginitatis munus offerret. » Enimverò « quis putet rationi conſentaneum, virilis puritatis primitias ante Ieſum quemlibet; muliebris verò, ante Mariam obtuliſſe? non enim poſſibile eſt, alij præter hanc, Virginitatis primitias adſcribere. » Beda homil. de Anunt. Orig. in cap. 13. Mat.

Et licet ex quorumdam ſententia hoc ſe voto tan-

tùm, cùm fuit deſponſata; ex aliorum opinione, trima obſtrinxerit; rationabiliter tamen credi poteſt, eam, rationabilem hoſtiam, ex quo potuit rationis vſu potiri, Deo conſecraſſe. Vnde, cùm à primo conceptionis articulo, tam naturæ, quàm gratiæ donis præuenta fuerit, quod erat melius, & Deo acceptius, iam inde Mariam quaſi « partem optimam elegiſſe » cenſendum eſt. Quapropter & conuenientiſſimè à Sophronio « perfectionis originalis exemplar » appellatur. Neque enim Mariam quæ correctricem, humanique per Chriſtum reparatricem generis, innocentiæ, & virginitatis originalis priuilegio cedere condecebat, cuius ex latere virginis permanſuræ poſt pactum, rerum ordine immutato, « ſecundus Adam de cœlo cœleſtis » prodire debebat. Hinc verè aurea Tertulliani manauit ſententia. « Cum hoc genus ſecundi hominis (id eſt Eua ſecundò formata poſt Adam, & ex Adam,) à Deo factum eſt in adiutorium hominis; fœmina illa ſtatim mulier eſt cognominata, adhuc fœlix, adhuc digna paradiſo, adhuc virgo. »

Luc. 10. 42. Sophr. homil. de Aſſumpt. 1. Cor. 15. 47. Tertul. de vel. Virg. cap. 5.

O quanta gloria templum hodie Salomonis irradiaſſe putandum eſt, quo omnibus cœli luminaribus, tenera puellula ſolo nomine radiantior, vtpote illuminatrix omnium Maria, Solis iuſtitiæ mater electa, ſua Patri luminum vota, à primo vitæ diluculo nuncupata renouauit, & reddidit! O verè « maiorem gloriam domus nouiſſimæ, quàm primæ; » quæ hodie « candelabrum aureum totum ſeptiformi Spiritus ſancti gratia, ſeu ſeptemplici lampade fulgidum; menſam, & arcam de ligno imputribili contextam, ad panem vitæ, panem Angelorum de cœlo præſtandum hominibus, virgam virtutis emittendam ex Sion, » Moyſi & Aaron virga potentiorem, tabulas legis, & ipſum legiferum Dominum, manna

Hebr. 3. 3. Zach. 4. 2. Exod. 25. 10. Io. 6. 35. Pſalm. 77. 25. Pſ. 109. 3.

Deumque

Deumque abſconditum ſuo ſinu pluſquam aureo excepturam, hodiernâ die ſuſcepit. O templum expande vela tua, dilata tentoria tua, vt latiorem terrâ, cœlo, mundo, excipias Virginem: cuius anguſtiſſimo humilitatis ſinu, & immenſo vacuo, ſed tãto vaſtiori, & auguſtiori palatio ſe Verbi diuini maieſtas immẽſa breuiabit. O Pater, ſuſcipe dilectiſſimam filiam: & tu Fili, ſuper omnes electam matrem; & tu, Spiritus ſancte, caſtiſſimam æquè, ac chariſſimam ſponſam amplectere. Et vos Angeli, debita Reginæ veſtræ obſequia, diu noctuque peruigiles mancipate, cuſtodite mundo theſaurum, cuius è vena prædiuite, pretium & copioſa redemptio vniuerſi; qua velut concha, margarita pretioſiſſima, de cœli rore à Patribus exoptato, ſub vmbra Spiritus opere diuino formabitur. Et tu Virgo pientiſſima, negotium omnium ſæculorum, in templo dum manes, cœleſtium mercium foro, contra negotium perambulans in tenebris, tota lucida, cum Patre luminum negotiare fideliter, & tuis precibus ac meritis, accelera, feſtina, « abſconditum à ſæculis » reuelare, & procurare « myſterium. » Luc. 1. 35. Pſalm. 90. 6. Coloſſ. 1. 26.

SECVNDA PARS MORALIS.

1. Reflexio. Quo gaudio, qua exultatione animi « proximæ poſt eam Virgines » Dei gratiâ vocante, Regi æterno præſentantur « vt ſequantur agnum & ouem, Ieſum & Mariam, quocumque ierint. » Nihil iſtis rationabilibus, & voluntariis holocauſtis, cum Iephteæ Virginis lacrymis, luctuque commune. Agnoſcite ergo Virgines cum lætitia matrem veſtram, & cum ea hodie vota renouate Domino, & reddite: in Ieroſolymis, in viſione pacis, Encænia veſtra celebrantes. « Beata Virgo, eſt mater om- Pſalm. 44. 16. Apoc. 14. 4. Albertus Ma.

gnus ſuper Miſſus. nium in virginitate, quæ prima ſine præcepto, conſilio, vel exemplo, Virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes Virgines, per imitationem Virginitatis genuit. » Nec ſolo virginum aureo & lucido,

Apoc. 12. 1. Solis inſtar, veſtitur amictu; ſed & coniugalis caſtitatis argenteo, velut Lunæ ſuppedaneo gloriatur; & ſtellato vidualis continentiæ diademate coronatur:

Pſal. 44. 11. « Circummicta videlicet Regina omnis caſtimoniæ, & pudicitiæ totius exemplar multicoloris Iridis, & ſecundùm Tertullianum cœleſtis prati varietatibus ornatur: » quas veluti Sol in nubibus roridis, cor-

Tertul. de exhort. caſt. cap. 1. poribus, dico, animiſque lege pudicitiæ benè temperatis, diuerſo occurſu; ex virgineo, viridi; ex coniugali, purpureo; ex viduali, ceruleo; multiformi caſtitatis ſpecie diſcriminat. « Id bonum, ſanctificationem dico, in ſpecies diſtribuo complures; vt in aliqua earum deprehendamur. Prima ſpecies eſt virginitatis à natiuitate. Secunda, virginitas à ſecunda natiuitate, id eſt à lauacro, quæ aut in matrimonio purificat ex compacto, (mutuo conſenſu coniugum) aut in viduitate perſeuerat ex arbitrio. Tertius gradus ſupereſt, Monogamia, cùm poſt matrimonium vnum interceptum, exinde ſexui renuntiatur. (Quoad vſum.) Prima Virginitas, fœlicitatis eſt, non noſſe in totum, à quo poſtea optabis liberari. Secunda, virtutis eſt; contemnere, cuius vim optimè noris. Reliqua ſpecies hactenus nubendi, (deinceps continendi,) poſt matrimonium morte diſjunctum, etiam modeſtiæ laus eſt. » Sed incorruptione, proximæ eius Virgines nomen agni, ſponſi dilecti capite præferentes, eminent cæteris puritatis merito, ſicut excellunt exultationis iubilo. His quippe tantùm ſpeciali prærogatiua donatum eſt, vtpote vincentibus, & præripientibus palmam, vt « man-

Apoc. 2. 17. na abſconditum, & calculum candidum, & in calculo

candido nomen nouum ſcriptum accipiant, nomen melius à filiis & filiabus, quod nemo nouit, niſi qui accipit. » His tantùm datum eſt, « cantare Canticum nouum, & ſingularis turturis voci recenter auditæ in terra noſtra, reſpondere; quæ emptæ ſunt ex hominibus, primitiæ Deo & agno; & in ore ipſarum non eſt inuentum mendacium. » Dum quod ore profeſſæ ſunt, toto ſtudio & opere laborant implere. « Exultate Virgines Chriſti, conſors veſtra eſt Mater Chriſti. Chriſtum parere non potuiſtis, ſed propter Chriſtum parere noluiſtis, &c. Caput veſtrum genuit Maria. » Si caput, & virum. Vir quippe Virginum & ſponſus, & caput eſt Chriſtus: teſtante Apoſtolo: « deſpondi vos vni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto: » O proximitas admiranda! quid tam propinquum, quàm quod vnum? « adhærebit, inquit, vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. » Dicam amplius, & in anima vna. « Itaque iam non ſunt duo ſed vna caro » anima vna, ſpiritus vnus. « Qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo. » Eia ergo, macte animo, « pergite Sancti Dei, pueri & puellæ, mares & fœminæ, cœlibes & nuptæ. Pergite perſeueranter in finem. Laudate Dominum dulciùs, quem cogitatis vberiùs. Sperate fœliciùs, cui ſeruitis inſtantiùs. Amate ardentiùs cui placetis attentiùs. Lumbis accinctis, & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptiis. Vos afferte ad nuptias agni Canticum nouum, quod cantabitis in cytharis veſtris. »

Eſa. 56. 5. Apoc. 14. 3. Aug. ſer. 12. in Nat. Domini. 2. Cor. 11. 2. Epheſ. 5. 31. 1. Cor. 6. 17. Aug. de ſancta Virg. cap. 27. Luc. 12. 35.

2. Reflexio. Sed vnde vos ad virginitatem vel vouendam Deo, vel reddendam exhortor, niſi vnde mihi dat Deus loqui, & vobis exequi quod loquor? « In bonis enim cogitationibus, non ſumus idonei cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et ob hoc non deficimus

D. Fulgentius ad Probam de

Virginitate indigentiâ, quia gratuito munere ab illo ſufficientia
noſtra eſt, in quo indigentia vlla non eſt. Qui ſicut
Ep 3. bonorum noſtrorum non eget, ſic ſemper abundat,
cap. 3. vt donet. Nec donando fit indigus, quia hoc donat,
2. Cor. quo ſemper eſt plenus. Nec eſt quod illi à nobis affe-
3. 5. ratur cogitationis, ſermonis, aut operis placitum mu-
Pſal. 15. 2. nus, quod ipſe non fuerit gratuitâ benignitate lar-
gitus. &c. Quia etſi quod eſt bonum cuiuſli-
Iacobi. bet hominis meritum, ab ipſo eſt vtique à quo
1. 17. eſt omne datum optimum, & omne donum per-
fectum. Quod nec habere poteſt homo, niſi ab
ipſo fuerit datum: Nec perſeueranter habere,
niſi fuerit ipſo cuſtode ſeruatum, &c. Virginem ſa-
Fulgentius. cram te ſibi munere gratuito fecit, qui omnia quę-
Ibid. cumque voluit, fecit: à quo ideò gratia nullis præ-
cap. 4. cedentibus meritis datur, vt illi ſemper gratiarum
Pſalm. actio pura cordis humilitate reddatur. Hic eſt au-
113. 11. tem vnigenitus Dei Filius, vnigenitus etiam Virginis
filius, vnus omnium ſacrarum Virginum ſponſus
ſanctæ virginitatis fructus, decus, & munus: quem
corporaliter ſancta Virginitas peperit, cui ſpiritali-
ter ſancta Virginitas nubit, à quo ſancta Virginitas
fœcundatur, vt perſeueret intacta: à quo decoratur,
vt permaneat pulchra: quo coronatur, vt regnet
perenniter glorioſa. Quapropter bonum depoſitum
cuſtodi, & meritum tanti boni, quod vt haberes,
Sap. 8. Deus dedit, (ſciens quod nemo poſſit eſſe continens,
21. niſi dederit Deus,) & vt Deo voueres ipſe fecit, &c.
Fulgentius Itaque cùm Virginis nomen ex nomine viri deſcen-
Ibid. derit, (Virgo enim dicitur quaſi virago, quòd de
cap. 5. viro ſumpta ſit) quis dubitet quod vir à virtute vo-
Gen. 2. catus ſit? Et quia, ſicut Paulus docet, illa omnia in
23. figura facta ſunt noſtri, profectò in illa Virgine, quæ
1. Cor. ex viri fiebat coſta, futura iam tunc præfigurabatur
10. 11. Eccleſia, quæ verè de viro ſumpta (vt Eua de Adæ

coſta) & de quo ſumpta, illi coniuncta , inde habet in veritate virtutem , vnde habet verum Virginis nomen , &c. Chriſtus eſt quippe vir , de quo hæc 1. Cor. Virgo ſumpta eſt, &c. Typicè itaque à viro dicitur 1. 24. Virginis vocabulum, quia nomen à Chriſto dicitur Chriſtianum. Chriſtus enim Dei virtus eſt & Dei ſapientia , ex quo eſt Eccleſia , quæ virgo in fide & charitate perſiſtens , & ſapientiam poſſidet & virtutem. Ideo nec ſeductione decipitur , nec violentia vincitur,quia internæ virginitatis integritate fulcitur.&c. » Vnum cauendum eſt ne corpus aut membra alteri quàm capiti , de virginitatis aut caſtimoniæ dono dent gloriam. « Dicit enim Paulus: Neſcitis quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti: & paulò poſt: An neſcitis quia membra veſtra templum eſt Spiritus ſancti,qui in vobis eſt,quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri ? Empti enim eſtis pretio magno; (hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & agno.) glorificate igitur, (non vos, ſed Deum) & portate eum in corpore veſtro. »

Fulgēt. Ibid. 1. Cor. 6. 15. Apoc. 14. 4.

3. Reflexio. Neque verò ſola virginali humilitate contentæ ſint virgines, totius humilitatis & virginitatis prototypo conformari : proximæ etiam poſt eam , in odorem vnguentorum eius feſtinæ concurrant. « Ex quo ingreſſa eſt templum , perpetuò Greg. carnem licet omnis rebellionis expertem cilicio macerauit, aſſiduoque ieiunio : nocturnis indefeſſa vigiliis, veſtitu laneo , eoque viliſſimo contenta ; inſtans operi, & orationi nihilominus incumbens: omnis, vt vno verbo perſtringam ſingula,virtutis forma & ſpeculum. » Poſt eam itaque , ad orationem deuotæ,poſt eam ad opus impigræ, poſt eam,ad viuam corporis , & animæ hoſtiam iugiter immolandam Religioſæ carnifices ; poſt eam tandem, ad ſedulam & feruidam , omnium virtutum eius imitationem

Ambr. 2. de Virg. celeres properate : « O quantis (in die iudicij) illa virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet dicens: hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſeruauit pudore. »

4. Reflexio. Sed non ſolis virginibus, ſed & fidelibus omnibus, Pſaltis, & Pauli ſententia dirigitur, dum ille: « immola, inquit, Deo ſacrificium laudis» iſte: « obſecro vos, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. » Quod ſic expoſuit verbis aureis Chryſologus:« Mira pietas, quæ vt largiatur, exorat! hodie namque Beatus Apoſtolus, non humana petens, ſed diuina conferens, ſic precatur : obſecro, inquit, &c. Medicus auſtera remedia cùm recipere perſuadet ægroto, agit precibus, non compellit imperio; ſciens infirmitatis, non voluntatis eſſe, quòd ſalutaria reſpuit, quoties profutura repellit infirmus. Et filium Pater, non poteſtate, ſed amore, ad rigorem pertrahit diſciplinæ; non ignorans, quàm ſit aſpera immaturis ſenſibus diſciplina. Et ſi corporalis infirmitas ad curam precibus ſic mouetur, ſic puerilis animus vix ad prudentiã ducitur blandimentis; quid mirũ ſi Apoſtolus, qui ſemper eſt Medicus, & Pater, humanas mentes morbis carnalibus ſauciatas, vt ad remedia diuina ſubrigat, ſic precatur? Obſecro, inquit, vos, &c. » Et quid tandem obſecrat? quid hortatur? « Præbete, inquit, corpora veſtra hoſtiam viuentem. Et quomodo corpus, inquies, hoſtia fiet? Nihil mali reſpiciat oculus, & factus eſt hoſtia. Nihil turpe loquatur lingua, & facta eſt oblatio. Nihil iniqui committat manus, & facta eſt holocauſtoma. Immò non ſufficiunt iſta, ſed bonorum nobis ſtudio, ac lucro opus eſt; nimirum vt eleemoſynam faciat manus, calumnias inferentibus benedicat os, auditus

Pſ. 49.
Rom. 12. 1.
Chryſol. ſer. 108.
Chryſol. ſer. 20. in Ro. 12. 1.

diuinis continuò ſermonibus vacet. Nihil enim immundi habet hæc hoſtia. Aliorum primitias complectitur: & nos igitur, tam manuum, quàm pedum, tam oris quàm omnium aliorum primitias Deo reddamus.» Addit & Paulus, viuentem. « Noua iſta huius ſacrificij noſtri lex eſt: hoſtia Iudæorum, quod offert & conſecrat, occidit; iſta verò viuum facit. Atque ideo mirabile etiam eſt hoc ignis genus. Neque enim lignis opus habet, aut alia huiuſmodi materia, ſed in ſeipſo noſter ignis viuit, nec victimam comburit, ſed magis viuificat. Hanc ſcilicet victimam iam olim Deus quęrebat. Vnde & Propheta dicebat: Sacrificium Deo ſpiritus contritus, &c. Neque detrectat inſidere membris noſtris, teſtante Apoſtolo, ſeu potius obteſtante, & obſecrante vt ſupra: glorificate, & portate Deum in corpore. Hoc eligit etiam ille qui Dominus eſt Angelorum. (Qui ſedet ſuper Cherubim: moueatur terra, & admiratione & exultatione ſubſiliat, tantæ dignationis inſpectu.) Quoniam igitur membra tua Deo ſunt ſiſtenda, quoniam hoſtia ſunt; omnem ab illis maculam auferto. Nam ſi maculam habuerint, hoſtia iam vtique non erunt. Neque offerri poterit oculus ſcortationi ſeruiens, neque manus rapiens & defraudans, nec pedes claudicantes in vtramque partem; nunc templa Dei, nunc mundi theatra viſitantes; nec venter delitiis deditus, voluptatumque deſideria inflammans; nec cor iram, aut amorem fornicarium fouens; neque lingua turpia loquens. Opus fuerit propterea corpus noſtrum diligenter à mendis huiuſmodi curandum conſiderare. Nam ſi qui veteres hoſtias offerebant, iubebantur omnia prius conſiderare, ne offerrent, quod auribus eſſet inciſis, aut cauda mutilata, aut ſcabioſum, aut impetiginem habens, huiuſmodi enim non permittebantur offerre. Multò

Chryſoſt. Ibid.

Pſalm. 50. 19.

Chryſ. in 1. Cor. 6. 20.

Pſ. 98. 1.

3. Reg. 18. 21.

Leuit. 22. 22.

magis nos, qui non irrationales oues, ſed nos ipſos rationale obſequium & cultum offerimus, maiorem oportebit impendere diligentiam, atque ex omni parte mundos eſſe, vt & nos cum Paulo dicere quea-
1.Cor. 15. 31. mus: ego enim iam immolor, &c. Erat enim quauis hoſtia purior. Vnde & libamen ſeipſum vocauit.
2. Tim. 4. 6. (Ego enim iam delibor.) Erit autem hoc, ſi veterem
Coloſſ. 3. 9. & 5. hominem ſuſtulerimus, ſi membra noſtra quæ ſunt ſuper terram mortificauerimus, ſi mundum nobiſ-
Galat. 6. 14. ipſis crucifixerimus. Ita neque machæra deinceps, neque altari, neque igne opus habebimus. Immo iſtis omnibus opus habebimus; veruntamen non manufactis, ſed de ſurſum nobis omnia dabuntur. De ſurſum eſt ignis, de ſurſum machæra: altare noſtrum erit, ipſa cœli latitudo. Si enim Heliæ ſenſibilem ac corporalem hoſtiam offerenti, delata deſuper flamma omnia conſumpſit, & aquam, & ligna, & lapides: multo magis hoc in tua oblatione erit, & ſi habueris dilutum (exiguum) aliquid ac temporale, obtuleris autem hoſtiam tuam mente rectâ: adueniens Spiritus ſancti ignis, & temporale illud conſumet, & oblationem omnem perficiet.

Aug. lib. 10. de Ciu. cap. 6. 5. Reflexio. Nec impar Chryſoſtomo Auguſtinus, hunc quoque Apoſtoli locum explanans: « verum, inquit, ſacrificium eſt omne opus quod agimus, vt ſanctâ ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet, ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus. Vnde & ipſa miſericordia, qua homini ſubuenitur, ſi propter Deum non fit, non eſt ſacrificium. Etſi enim ab homine fit, vel offertur, tamen ſacrificium res diuina eſt: itaut hoc quoque vocabulo, id Latini veteres appellauerint. Vnde ipſe homo Dei homini conſecratus, & Deo deuotus, in quantum mundo moritur, vt Deo viuat, ſacrificium eſt. Nam & hoc ad miſericordiam pertinet, quam quiſque in

Digitized by Google

ſeipſum facit. Propterea ſcriptum eſt: miſerere animæ tuæ, placens Deo. Corpus etiam noſtrum cùm per temperantiam caſtigamus, ſi hoc quemadmodum debemus, propter Deum faciamus, non exhibemus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma iuſtitiæ Deo. Ad quod exhortans Apoſtolus, ait: Obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, &c. Si ergo corpus, quo inferiore, tanquam famulo, vel tanquam inſtrumento vtitur anima, cùm eius bonus & rectus vſus ad Deum refertur, ſacrificium eſt: quantò magis anima ipſa, cùm ſe refert ad Deum, vt igne amoris eius accenſa, formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat; eique tanquam incommutabili formæ ſubdita reformetur, hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit (ſicut imago fuſilis ſumit à modulo immutabili formam) fit ſacrificium. Quod idem Apoſtolus conſequenter adiungit: & nolite, inquit, conformari huic ſæculo, ſed reformamini, in nouitate mentis veſtræ, ad probandum quæ ſit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum.» Paulò ſupra dixerat: «huius templum ſimul omnes, & ſinguli templa ſumus; quia & omnium concordiam, & ſingulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quam in ſingulis maior: quoniam nec mole diſtenditur, nec partitione minuitur. Cùm ad illum ſurſum eſt, eius eſt altare cor noſtrum, eius vnigenito cum ſacerdote placamur: ei cruentas victimas cædimus, quando vſque ad ſanguinem pro eius veritate certamus: ei ſuauiſſimum adolemus incenſum, cùm in eius conſpectu pio ſanctoque amore flagramus: ei dona eius in nobis, noſque ipſos vouemus & reddimus; ei beneficiorum eius, ſolemnitatibus feſtis & diebus ſtatutis, dicamus ſacramuſque memoriam, ne volumine temporum, ingrata ſubrepat ob-

Ecli. 30.24.

Rom. 6.13.

Rom. 12.1.

Rom. 12.2.

D. Aug. Ibid. cap. 4.

Digitized by Google

liuio, ei ſacrificamus hoſtiam humilitatis & laudis, in ara cordis, igne feruidæ charitatis. Ad hunc videndum, ſicut videri poteſt, eique cohærendum, ab omni peccatorum, & cupiditatum malarum, labe mundamur, & eius nomini conſecramur. » Nec quis rei familiaris inopiam in oblatione cauſetur, habes in te quod offeras. « Homo, offer Deo animam tuam, vt ſit pura hoſtia, ſacrificium ſanctum, viuens victima, quæ & tibi maneat, & data ſit Deo. Hoc qui non dederit Deo, excuſatus non erit, quia daturus ſe, non poteſt non habere. »

Chryſol. ſer. 43.

6. Reflexio. Suffundamur planè, & toto pudore perfundamur, ad tantum primitiuæ oblationis Virginis exemplum. « Vaccam triennem, capram trimam, arietem quoque trium annorum » Deus cum Abraham paciſcens, holocauſtum exegit: quod myſticè tantulæ ætatis, Virgo trimula ſuo reddidit & vouit authori, cui iam à primo conceptus ſui diluculo ſe ſuaque deuouerat, quæ vix viuentem, ſanctiſſimam tamen & placitiſſimam Deo, vtpote iam rationabilem obtulerat. Pudeat ſanè multos « inueteratos dierum malorum » & iam ad vitæ veſperam conſtitutæ, vix « ſacrificium contriti cordis, & contribulati ſpiritus » offerre. Et quomodo viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabilem hoſtiam ſui corporis exhibebunt, quorum iam emortua caro, nullis apta eſt ſeræ pœnitentiæ fructibus, mille anteactæ vitæ ſordibus, inquinata, cum tantæ ſanctitatis Domino irrationabiliter & malè diuiſa, exoſum præſtat, ſi quod reſtat, ſacrificium immolandum. « Probat hoc Caïn qui cum Deo parua, à quo totum perceperat, ingratus Pontifex ſic diuiſit, vt quod erat peſſimum, hoc adoleret altari: quod erat optimum, in ſuam reſeruaret offenſam. Denique cùm ſua ſuo malè compartitur authore, ſe, ſuoſque poſteros, & à

Gen. 15. 19.

Dan. 13. 52.

Pſalm. 50. 19.

Chryſol. ſer. 05.

Digitized by Google

vita, & ab humano genere perdiuiſit. Ergo Abel ſequamur ad præmium, non Caïn comitemur ad pœnam. Abel agnum portans ad Dei ſacrificium, ſicut agnus aſſumitur: Caïn geſtans ſibi ſtipulam, fomentum ſibi per quod exureretur, inuenit. Tandem non homo ex eo quod viuit, placet: ſed placet ex eo quod benè viuit: nec ex eo fit homo hoſtia, ſi ſe Deo offerat, ſed ſi ſanctè offerat Deo. Quantum enim immaculata victima placat Deum, victima ſi maculata fuerit, exacerbat. »

7. Reflexio. Quibus indumentis Sacerdotalibus ſacrificare debeamus, quas hoſtias offerre, à Chryſologo diſcamus. « Eſto homo, eſto, & da ſacrificium & Sacerdos non amittas, quod tibi diuina dedit, & conceſſit authoritas. Induere ſanctitatis ſtolam, præcingere balteum caſtitatis, ſit in velamento capitis tui Chriſtus, crux in frontis tuæ munimine perſeueret, pectori tuo appone diuinæ ſcientiæ ſacramentum, in odorem thymiama ſemper orationis accende, arripe gladium ſpiritus, altare cor tuum pone: & ſic corpus tuum admoue, Dei ſecurus ad victimam. Deus fidem, non mortem quærit: votum, non ſanguinem ſitit; placatur voluntate, non nece. Hoc probat Deus, ad hoſtiam Abrahæ ſancti filium cùm popoſcit. Nam quid aliud Abraham, quam corpus ſuum, immolabat in filio? Quid aliud Deus, quàm fidem requirebat in Patre, qui filium ſicut offerri iuſſit, ſic non permiſit occidi? Tali ergo homo confirmatus exemplo, offer corpus tuum, & non ſolùm macta, ſed etiam ſeca per omnium virtutum membra: quia toties tibi vitiorum artes moriuntur, quoties à te Deo viſcera fuerint immolata virtutum.* Offer fidem, vt perfidia ſit punita. Immola ieiunium, vt voracitas ceſſet. Sacrifica caſtitatem, vt moriatur libido. Impone pietatem, vt deponatur

Chryſol. ſer. 198.

impietas. Inuita miſericordiam, vt auaritia deleatur. Et vt conſumatur ſtultitia, ſemper ſanctitatem conuenit immolare. Sic fiet corpus tuum hoſtia, ſi nullo peccati iaculo fuerit ſauciata. Viuit corpus tuum, homo, viuit, quoties à te Deo virtutum vita, vitiorum mortibus immolatur. Non poteſt mori, qui vitali gladio meretur occidi: (ſermo enim Dei viuus
Hebr. 4.12. & efficax, licet penetrabilior ſit omni gladio ancipiti.) Ipſe autem Deus noſter qui eſt via, veritas
10. 14. 6. & vita, & à morte nos liberet, & perducat ad vitam.» Amen.

IN FESTO S. CATHARINÆ Virg. & Mart.

Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis. Cant. 4. 8.

2.Tim. 2. 3. PAulus Thimotheum ſpe coronæ ad certamen prouocans « labòra, inquit, ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt ei placeat cui ſe probauit. Nam
Ibid. 5. & qui certat in agone, non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. » Vel vt legit Syriaca, « non coronatur niſi iuxta legem ſuam certauerit. » Quod ſic
D. Th. in 2. Tim. 2. exponit Ibid. D. Thomas. « O Paule magna imponis! ſed quis eſt eorum fructus? reſpondet, aſſumatis exemplum in pugnis ſæcularibus, vbi non omnes, ſed legitimè pugnantes accipiunt coronam. Sic ergo erit & in ſpiritualibus: Quia nullus coronabitur, niſi ſeruet debitas leges pugnæ. » Catharina noſtra à

Digitized by Google

Paulo inſtructa retibus ſæculi expedita, nulli alteri negotio quàm gloriæ ſponſi ſui vacans, leges certaminis exactè ſeruauit,& virginitate contra carnem, doctrina contra errorem,conſtantia & fortitudine contra tormenta pugnauit, & de manu ſponſi triplicem,Virginis,Doctoris,Martyris, coronam legitimè certans obtinuit, vnde ter à Sponſo vocatur, veni, veni,veni. Sed poſt te, ô Virgo, Regina Virginum, Doctorum, Martyrum, adducta eſt Regi Catharina; quam omni gratiâ plenam Angelus ſalutauit. Aue.

D. Proſper ſapientiſſimus Auguſtini diſcipulus, ex floridiſſimo Auguſtini paradiſo flores ſelectiſſimos decerpſit, ex quibus librum Sententiarum inſcripſit,inter quas vnam elegit Venerabilis Beda, vt præfatum Pauli ad Timotheum locum illuſtraret. « Profectus, inquit, fidelium ſine tentatione non prouehit, nec ſibi quiſquã innoteſcit niſi probationis examine,nec coronabitur niſi vicerit,neque vincet niſi certauerit. Quis autem certat niſi inimicum habens,& tentationi reſiſtens?» His gradibus prouecta Catharina profecit, « ſpectaculum facta Deo, mundo, Angelis & hominibus » probationis examine innotuit ſibi; coronata, quia vicit; victorioſa, quia certauit; certamine exercitata; quia inimicos fortiſſimos habuit,& tentationibus reſiſtens, hoſtes ſuperauit. Certamina eius & coronas primò videamus, & ſecundò eius exemplo certare, vincere, coronari diſcamus, vt nobis aliquando ab Agonotheta ſicut ipſi dicatur; « Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis. »

Beda.in 2.Tim. 2. Proſper in Sent.

1. Cor. 4.9.

Divisio.

Cant. 4.8.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Cum ſponſa quælibet, iure coniugij, in ſortem

Digitized by Google

mariti tranſeat; adeo vt populum ſuum oblita vſque ad patrium nomen, viri appellationem aſſumat; Catharina non inſulsè à Ruffino, ante Baptiſmum Dorothea dicebatur, quaſi voce prophetica, Dei donis ornanda prædiceretur, & futura ſponſa eius, qui in flore virgæ de radice Ieſſe ſeptiformi Spiritus ſancti gratia cumulandus erat. Quemque Valentiniani ex omnibus Æonum dotibus conflatum commentati ſunt, de quo ſic Tertullianus: « Vt nautæ, inquit, ad Symbolam (id eſt collationem argenti ad mercaturam, vel ciborum ad cœnam) ſemper exultant; tale aliquid & Æones; vnum iam omnes, etiam forma, nedum ſententia, &c. Quod optimum atque pulcherrimum vnuſquiſque florebat, conferunt in medium, &c. Ex ære collatitio, quod aiunt, in honorem & gloriam Patris, pulcherrimum Pleromatis (id eſt plenitudinis, & cœli continentis omnes Æonas) ſydus fructumque perfectum compingunt, Ieſum: eum cognominant Soterem, & Chriſtum, & Sermonem, de Patruitis: & omnia iam, vt ex omnium defloratione conſtructum; Graculum Æſopi, Pandoram Heſiodi, Acci Patinam, Neſtoris Cocetum, Miſcellaneam Ptolomæi. Quàm propius fuit de aliquibus Atticis curis Pancarpon vocari à tam otioſis Authoribus nominum? Vt autem tantum ſigillarium (Idolum) extrinſecus quoque inornarent, ſatellites ei Angelos proferunt, par genus. » Certè Dorothea, non fabuloſè ſed verè ſponſi ſui Ieſu Chriſti, Verbi Dei, Saluatoris mundi ſatellitio Angelico digna, propter Virginitatis decus, par genere, præter naturæ dona, ſtirpem Regiam, formam eximiam, ſubtile ingenium, omnimodam ſcientiam, conſtantiam inflexibilem; omnium ſanctorum gratiam à ſponſo conſecuta eſt. Ab Angelis viſitata vt Magdala; exaudita pro deuotis, vt Margareta; à columba in carce-

Ruffin. lib. 8. cap. 17.
Eſa. 11. 2.
Tertul. cont. Valent. cap. 12.

re enutrita,non à coruo, ſicut Elias & Paulus Eremita; illuſtrata radio lucis,vt Andræas : Cœlo ante mortem ei patente , vt Stephano ; lacte de capite truncato manante vt Paulo; Angelico cum Clemente Pontifice donata ſepulcro ; oleo de corpore eius medicinali fluente, vt Nicolao. Sed ad tria capita omnia reuoco,per quæ maximis ſanctis comparabilis eſt, Ioanni Baptiſtæ & Paulo; in quibus nullam habet inter omnes Virgines ſimilem ; quia triplici corona , Virginis, Doctoris , & Martyris redimita triumphat. Vnde ſponſus ter ei acclamat gratulans, & ad Symbolam exultans,& æs collatitium; dicens: « multæ filiæ congregauerunt diuitias,tu ſupergreſſa es vniuerſas. » Prou. 31. 29.

Iapones Deum colunt , vno in capite triplici facie conſpicuum, ita, vt ſæpiùs adnotauit Tertullianus, Dei æmulator diabolus commentis lucem fidei eiuſque myſteria obnubilat , & Trinitatem in vnitate eſſentiæ ſimulat. Nos in vna Catharina triplicem perfectionem veneramur à Deo vero ſuſceptam. Nec præteribo quod aduertit Baronius, Catharinam non tantum apud Græcos,ſed & apud aliquos etiam codices Latinos Hecatherinam appellari. Hecate porro triformis apud Gentiles colitur, de qua Poëta cecinit: « tria Virginis ora Dianæ. » Faceſſant procul à ſanctiſſima Catharina prophana cuncta. Triplici oſculo dignam ſic Chriſtus Deus verus vocat; « Veni de Libano,ſponſa mea,veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon. » Libanus quippe candorem virginitatis, Amana ex Ambr. & Aug. iuxta 70. principium fidei; antequam in baptiſmo ſuſceptam, non erat dealbata. Sanir ex Hiero.idem eſt quod Hermon, & ſignificat viam lucernæ & Deum vigiliarum. In Symbolum ſcientiæ infuſæ. Hermon ſignificat lu-

Baro. An. Chri. 307.

Cant. 4. 8.

Aug. in Pſ. 33.

Aug. in Pſ. 132.

Deut. 32.

men exaltatum, ſcilicet doctrInæ; vnde & Moyſes, cui eam inferiùs præferemus, optabat; « deſcendat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. » Et Pſaltes: « ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion: » & alius: « ros lucis ros tuus. »
Oſee 2. 19. & ſeq. Quod & per Oſeam ſignificauit trino promiſſo; Sponſabo te mihi in ſempiternum: & Sponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus; & Sponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus. » O quanto ardore deperit huius ſponſæ pulchritudinem! Sed fide dealbatam. De nulla quod ſciam Virgine quid ſimile narratur, quale de Catharina refertur, quod noctu ei in ſomnis apparuit inter brachia intemeratæ B. Virginis puerulus Ieſus, quem ad ſponſam Catharinam exoſculandam hortata, auertit oculos infantulus indecoram auerſatus. Quo viſo monita baptiſmum ſibi ſuſcipiendum intellexit, & peccati originalis ſordes lauacro ſalutari purgandas; tum eam Chriſtus coram matre, comitantibus & teſtibus Angelis, annulo etiam maritali in digitum inſerto ſibi in fide deſponſauit. Huc facit Emblema Coſmi Medices Ducis Mediolanenſis? in quo triplex annulus adamantinus in vnum complexus viſitur, vna cum Epigraphe: « Superabo. » ſcilicet cæteras Virgines, puritate, doctrinâ, fortitudine.
Typotius in hierograph. Duc. Mediol.

Et quidem adamante conſtantior extitit eius virginitas: tanto ſolidior, & maioris meriti & præmij, quo plura habuit repugnantia puritati, ardorem iuuentutis, & bullientem ſanguinem, decimum enim octauum annum agebat. Et « adoleſcentia & voluptas vana ſunt » pulchritudine incredibili omnium in ſe oculos & corda conuertebat, proinde magis expoſita periculo, ſui iuris per parentum obitum facta, in rerum omnium abundantia, de qua Pſaltes: « prodiit quaſi
Eccle. 11. 10.
Pſal 72. 7.

diit quaſi ex adipe iniquitas eorum » ab Imperatore ſolicitata muneribus, oblata poſt Imperatricem prima dignitate, & ſtatua etiam ab omnibus adoranda in foro: cuius cauſa Eudoxia contra Chryſoſtomum ſuæ euerſorem inſaniit, tandem nec carcere, nec fame, nec tormentis à propoſito deterrita. Superabo, inquit, virginitatis Adamas.

Nec mirum ſi anima pura in ſancto corpore velut lumen in chryſtallina lampade reſplenduit in omnibus artibus liberalibus; & multo magis, deſponſata Verbo, ex eius oſculo, & afflatu, veram ſapientiam hauſit. Vbi enim vulgata legit apud Pſaltem: « Apprehendite diſciplinam: » Sanctes Pagninus ex Hebræo legit « oſculamini filium. » Quàm meritò tota ei accinit Eccleſia, « hæc eſt Virgo ſapiens. » Hanc præelegit ſapientiſſimam, qui aliàs « ſtulta mundi eligit, vt confundat ſapientes » & magno prodigio; cùm Apoſtolo teſte « ſcientia inflet » maximè mulierem, Euæ vanitatis hæredem, cui nec loqui, multò minus in Eccleſia docere permiſit Apoſtolus; doctiſſimā, ſapientiſſimos conuincere voluit. Sed præſcierat ſponſus, non « gloriaturam niſi in Domino. » Nouerat quantum eius charitas vniuerſam Eccleſiam ædificatura eſſet, vt ei diceret, « in vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui, vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa » in vna intentione pura; ſuper ſenem & docentem Dauid intelligens, « exercitabar, inquit, & ſcopebam ſpiritum meum » ſiniſtro oculo creaturis clauſo, vnicum ſcopum gloriæ ſponſi mei intendens. Vnde illud Cantici « vulneraſti cor meum » alij vertunt; « fidere me feciſti. » O laudem ſuper omnem laudem! cùm via ordinaria ſapientiæ Dei ſit, « vt ſtulta mundi eligat, vt confundat ſapientes: » ne inſtrumento potius,

Pſ. 2. 12.

1. Cor. 1. 27.

Cant. 4. 9.

Pſalm. 76. 7.

Cant. 4. 9.

1. Cor. 1. 27.

Digitized by Google

quàm cauſæ principali gloria tribuatur:hîc medium eligit conueniens, vt per doctam virginem inſtruat, cum plena fiducia ; « fidere, inquit, me feciſti. » Vt
Iob.28. 25. qui « fecit ventis pondus » nec ipſi Paulo « ſupra
Gal.1. 14. coëtaneos erudito » fidit, niſi prius eliſo, cæcato, aſſiduo Angeli Sathanæ colaphizantis ſtimulo humiliato : Catharinæ ſe vnico puræ intentionis oculo
Prou. 31. 11. intuenti confideret. « Confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit; » cui tot de diabolo & mundo ſpolia detracta conſecrauit.

Sed & quoniam Hermon ſignificat deſtructionem vel Anathema,ne quid Catharinæ gloriæ deſit & coronæ, perfectum ſe ſponſo ſacrificium obtulit, & glorioſo Martyrio ſe deſtrui,& anathema fieri ſummè lætata eſt. Parum enim fuerat Virginitatis & doctrinæ laureas conſequi, niſi & aureolam martyrij cæteris præſtantiorem obtineret ; vt maiori ſuper filios hominum Ioanni Bapt. & Paulo illi magno Gentium Apoſtolo,non inferior graderetur. Maximinus tum in Oriente imperabat, Herodis, & Neronis crudelitati non impar. Hic cùm Alexandriæ verſaretur, & in templo Diis immolaret ; audacter eum Catharina aggreditur; Idololatriam eius increpat; vnius Dei cultum inculcat; terretur ille,& mira pulchritudine, tam ſublimi ſapientiæ coniuncta ſtupefactus, eam poſt ſacrificium peractum , in aulam adduci iubet. Genus interrogat, ſapientiſſimos colligit vndequaque Rhetores , & Philoſophos quinquaginta ; quorum doctiſſimo , Poëtarum fabulis, Deos ſuos præ Chriſto, nec ab eis memorato,iactante; crucifixum Deum ſubſannante; per Catharinam ipſis Gentilium Sybillarum oraculis , firmiſque rationibus conuicto ; cæteriſque in illo vno principe ſuperatis; & vnum Deum Chriſtum confeſſis , quin etiam hortatu Catharinæ ignis martyrium , illæſo

Digitized by Google

capillo paſſis; multiſque Gentilibus ad fidem cum ipſa Imperatrice, Duce Porphirio, cum ducentis militibus, non tantum fidem, ſed & martyrij palmam adeptis; facta prius in baptiſmo Imperatricis & Porphirij matrina; ſapiens & fortis mulier de tyranno triumphauit. « Confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit. » Quot victoriæ, tot ſpolia, tot coronæ. Virginem matrem in aliquo imitata, multiplici partu fœcunda; quæ quinquaginta Philoſophos, ducentos milites, Ducem, Imperatricem vno fœcundiſſimo ventre profuderit. Vt ei dicat etiam ſponſus: « Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis: » quia liliis candidior virginitas, omni tritico fertilior, cribrata martyrio, multa electorum frumenta diuino horreo cœli congregauit. Prou. 31. Cant. 7. 2.

Hîc infremuit Maximinus, implens illud Dauidicũ, « peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet. » Nudari Virginem & delicatum corpus, virgis, neruis, plumbatis cædi iubet: dehinc obſcuro carcere abſque cibo tredecim diebus includi: vbi ab Angelis & Chriſto ipſo viſitata, & per columbam cibata eſt, vnde pulchrior & vegetior prodiit. Denique fruſtra variis tentata blandimentis, quatuor rotis enſatis & acuminatis vincta, ſoluta per Angelum, diſrupta & in circumſtantes Gentiles diſſiliente machina; gladio demum obtruncata eſt. Vt quæ Baptiſtæ & Paulo virginitate, doctrinâ, zelo peræquata fuerat, martyrij etiam genere compar euaderet. Pſ. 111. 10.

In quo notandum, iure Eccleſiam in manu Catharinæ, velut alterius Pauli, enſem ponere pro inſigni; propter gladium verbi Dei bis acutum, & ſimile inſtrumentum martyrii. « Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos Reges Pſ. 149. 6.

eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis
Aug. in Pſ.149. ferreis » in quem locum Auguſtinus; « Sermo, inquit, Dei gladius bis acutus. Vnde bis acutus? dicit de
Hebr. 4. 12. temporalibus, dicit de æternis; in vtroque probat
Matth. 10. 34. quod dicit, & eum quem ferit, ſeparat à mundo. Nonne ipſe eſt gladius de quo Dominus dicit, non veni pacem mittere in terram, ſed gladium? Audite quomodo venit diſiungere, quomodo venit ſeparare. » Separat etiam Imperatricem à viro ſuo, Philoſophos à bonis temporalibus, &c. Proſequitur Aug. « In manibus dixit, in poteſtate: acceperunt enim ſermonem Dei poteſtate, vt vbi vellent, dicerent; cui vellent dicerent, non timerent poteſtatem, non contemnerent paupertatem. In manibus enim habebant gladium; quà volebant, vibrabant, verſabant, percutiebant, &c. » De vindictis autem factis in Gentibus. « Quomodo, inquit, pagani occiduntur? Quomodo, niſi cùm Chriſtiani fiunt? Quæro paganum, & non inuenio, Chriſtianus eſt: ergo mortuus eſt paganus.
Act. 10. 13. Nam ſi non occiduntur, vnde dictum eſt Petro, macta & manduca? » De Paulo ſubiicit ſic occiſo, & gladio viuo & efficaci viuificato
Gal. 2. 20. vt diceret: « viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. » Sic occidit Catharina paganos, vt viuificaret.

Cant. 8. 8. Ac ne quid Apoſtolo cederet, gladio precuſſa, lac pro ſanguine fudit. O ſponſe! ne amplius dicas de Eccleſia Gentium; « ſoror noſtra paruula eſt, & vbera non habet: » cum duo ſint ipſi vbera, Paulus &
Eſa. 60. 16. Catharina; de quibus populo Gentili promiſſum fuerat: « erunt Reges nutritij tui, & mamilla Regum lactaberis. » Quid reſtat niſi vt detur pro mercede, lac fluenti, terra fluens lacte & melle? Naturæ genij referunt gemmam dictam Topazion, hoc eſt omnis coloris lapidem, malleatum, humorem la-

Digitized by Google

ɛteum effundere ; quid miramur omni virtute radiantem martyrem, tot contuſam ictibus, & tandem gladio percuſſam humore lacteo exundaſſe? Pudet hîc eam cum Moyſe conferre. Hic aquam Nili virga ſua ab Aarone percuſſam, vidit in ſanguinem tranſmutari; iſta pro ſanguine lac miſit. Ille aliquot Pharaonis Magos confudit, virga in Draconem verſa, eorum virgas ſerpentes factas deuorante: & de Virgine ſapiente dicendum pro quinquaginta Philoſophis non confuſis modo, ſed & conuerſis ; « omnis ſapientia eorum deuorata eſt. » De Moyſe ad petram dubitante, tanquam de Philoſopho Academico diſtinctione vtente; cùm loqueretur petræ, ſcriptum eſt: « Diſtinxit in labiis ſuis: » Catharina palam, indubitanter Philoſophis petrâ durioribus locuta; « conuertit Petram in ſtagna aquarum & rupem in fontes aquarum. » Moyſes lapides fugit in tabernaculo abſconditus; Catharina fortiter omnia tormenta ſuſtinuit. Moyſes legem in monte ſuſcepit ; hæc Dei legem in ſummo perfectionis monte docuit, & ſuaſit. Moyſes in radice montis inuenit vitulum aureum ex murenulis conflatum ; ipſa ſtatuam auream ſibi erigi recuſauit. Moyſes in valle Moab, ſepulchro ignoto conditus eſt ; Catharina in montis Sinaï vertice eſt ſepulta. Moyſi corpus Michaël prohibet reuelari; Catharinæ corpus ab Angelis tredecim dierum ſpatio in apicem montis Sina portatum, miracula manifeſtant. Moyſes vix ſua bis virga feriens ſilicem, aquam excutit: de Catharinæ tumulo, oleum medicinale ſponte decurrit. Et quid mirum ſi tumulo ſupra Moyſem exaltatur, quæ virginitatis oleo Moyſi coniugato ſuperfertur ? Et quoniam conſilium Pauli ſupra præceptum ; ibi corpus virgineum depoſitum fuit, vbi præceptum Moyſes accepit. Nec tacendum, quòd ſicut Equites Ordinis

Pſ.106. 27.

Pſ. 105. 34.

Pſ.113. 8.

Deut. 34. 6.

1.Cor. 7. 25.

Digitized by Google

& Preſbyteri, ſolos ſuæ conditionis efferunt in ſepulcrum; ſic ab Angelis incorruptis, corpus Virginis elatum eſt: « ſemper enim eſt Angelis cognata virginitas. » Quod ſi plures ad corpus eius Angeli baiuli concurrunt, quot eorum Chori ad grauiorem meritis Lazaro animam in cœlum ſubuehendam conuenerunt, præcinenti Chriſto accinentes? « veni de Libano ſponſa, veni de Libano, veni coronaberis. »

Chryſol. ſer. 143.

Luc. 16. 22.

Cant. 4. 8.

SECVNDA PARS MORALIS.

1. Reflexio. De oleo miſericordiæ eius ſecuri ſumus, ſi virtutes eius, quoad poſſumus imitemur. Obtinuit à ſponſo ante mortem, vt deuoti eius quidquid in ſuo nomine peterent, impetrarent. Narrant quemdam Scholaſticum Cantuarienſem, per eius interceſſionem, magnam ſcientiam, & puram conſcientiam obtinuiſſe, adeò vt Rex poſt breue tempus filium ſuum eius doctrina imbuendum tradiderit, qui Magiſtri correptionem fugiens, in fluuium lapſus, magiſtrum ab irato Rege in carcerem conjici compulit. Hic demerſum Catharinæ commendauit, quem illa ſequenti die, dum maior Miſſa cantaretur, in Eccleſiam ſuſtulit, inſcriptis in Camiſia literis aureis, hoc Dauidis verſiculo: « Da mihi intellectum & diſcam mandata tua. » Monitus Rex accurrit in templum; cui filius dixit, ſe per diem & noctem à Catharina ſeruatum in aquis, ob magiſtri meritum. Qui deinceps ingenio præpolluit; & Rex ideo tota vita Catharinam coluit; & Magiſtrum magnis honoribus cumulauit, à quo Eccleſia ſumpſit orationem compoſitam, quæ in hodiernum eius in officio cantatur. Et quis recuſet ſub eius patrocinio protegi cui tota Gallia credita eſt? Huic S. Ludoui-

Diſcipulus in Ser. de B. Cath.

Pſ. 118. 73.

Martyrolog.

cus Monaſterium Canonicorum Regularium ere- Gallic.
xit, cui primum lapidem impoſuit, cenſumque an- 25. No-
nuum reliquit aſcetis, vt pro animabus Philippi Au- uemb.
guſti, & Ludouici octaui, aui, & parentis, orarent. Quid quod & Ioanna Arcia, vulgo dicta Virgo Aurelianenſis, ſæpius eam vidit orans, ab eaque monita fuit, vt ex Eccleſia ſua Turonis extructa gladium iuberet afferri, quo Regni hoſtes Anglos ſterneret, & Carolum ſeptimum Rhemos vngendum perduceret. Quem gladio eius tuti, hoſtem timeamus?

2. Reflexio. A Catharina diſcamus quanti ſit facienda gratia baptiſmalis, & Chriſtiani dignitas. Nihil Chriſtus ſponſus eius ſtirpem Regiam, nihil eximiam formam, nihil diuitias, ipſamque omnium artium liberalium ſcientiam, nihil Philoſophiam, æſtimauit, eamque deformem auerſatus eſt, donec Baptiſmo lota, & Chriſtum ipſum induta, fieret Chriſtiana. Sic Carolo Magno ſupra Imperij coronam datus titulus Chriſtianiſſimi: ſic ſanctus Ludouicus, à loco baptiſmi, « de Poiſſi » maluit inſcribi: ſic Recaredo, ob fidem in Gothis propagatam Catholici nomen impoſitum. Quod Ferdinandus Arragoniæ interruptum petiit à Iulio II. coronæ Hiſpaniæ hæreditarium, & Sanctius Draconus iuxta Euſebium à Tyranno rogatus nomen, familiam, conditionem; ſicut noſtra Catharina reſpondit Maximino, Chriſtianus ſum. Nec ſatis eſt, niſi moribus & vita fidei Chriſtianæ coronam tueamur.

3. Reflexio. Vidiſtis triplici corona donatam à ſponſo, quæ legitimè certauerat. Quas autem credimus leges certaminis poſitas? Niſi vt Chriſtum dumus leges ſpinis coronatum dura quæque perferendo ſectemur. Et vbi ſunt Chriſtiani qui dicunt, « coronemus nos roſis, antequam marceſcant? » Attendite Sap. 2. 8.

Tertul. de corona milit. cap.14. quid in hanc rem Tertullianus ſcribat: « propterea, inquit, nec ornabitur operoſius mulier ex Apoſtoli proſpectu, vt nec crinium artificio coronetur. Qui tamen & viri caput eſt, & fœminæ facies, vir Eccleſiæ Chriſtus Ieſus, quale, oro te ſertum pro vtroque ſexu ſubiit? ex ſpinis opinor & tribulis, in figuram delictorum quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnem aculeum mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Certè præter figuram, contumelia in promptu eſt, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa ſæuitia, quæ tunc Domini tempora & fœdauerunt, & lancinauerunt: vti tu nunc laurea, & myrto, & olea, & illuſtri aliqua fronde, & quod magis vſui eſt, centenariis quoque roſis de horto Midæ lectis, & vtriſque liliis, & omnibus violis coroneris, etiam gemmis forſitan & auro, vt & illam Chriſti coronam æmuleris, quæ poſtea ei obuenit, quia & fauos poſt fella guſtauit; nec ante Rex gloriæ à cœleſtibus ſalutatus eſt, quam Rex Iudæorum proſcriptus cruci; minoratus primo à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus. Si ob hæc caput ei tuum debes, tale ſi potes ei repende, quale ſuum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, ſi ſpinis non potes; quia non floribus potes. Serua Deo rem ſuam intaminatam. Ille eam ſi volet, coronabit. Immo & vult. Denique inuitat: qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ. Eſto & tu fidelis ad mortem. Decerta & tu bonum agonem, cuius coronam & Apoſtolus repoſitam ſibi meritò confidit. Accipit & Angelus victoriæ coronam procedens in candido equo, vt vinceret. Et alius Iridis ambitu ornatur, cœleſti prato ſedent, & Preſbyteri coronati, &c. Et Reges nos Deo & Patri ſuo fecit Chriſtus Ieſus. Quid tibi cum flore morituro? habes florem ex virga Ieſſe, ſuper

Luc. 24. 42. Iſal. 23. 10. Apoc. 2. 10. 2. Tim. 4. 7. Apoc. 6. 2. Apoc. 10. 1. & 4. 3.

quem tota diuini ſpiritus gratia requieuit, florem incorruptum, immarceſſibilem, ſempiternum. » Sed vincendum vt coroneris; pugnandum vt vincas.

Apoc. 4. 4. Apoc. 14. 14. Apoc. 1. 6.

4. Reflexio. Agonem vobis proponite Catharinæ; conſtantiam eius imitamini, in ſeruanda caſtitate; quæ ex Damaſceno, « Martyrium ſimul eſt & miraculum » ſtupendum enim fuit ſic obduratum virginitatis merito fuiſſe corpus Danielis, vt nec leonum dentes fame exacuti poſſent impingi; & ab ignis edaciſſimi morſu tres pueri euaſerint illæſi. Hoc Martyrij genus Deo ſacrificium obtulit Iephte filia, virginitatis voto ab omni carnis voluptate, velut gladio ſeparata, & morte ciuili functa, vt multi ſentiunt. Sed quàm multæ fœminæ diſſimiles Catharinæ; quæ non iam pro ſumma dignitate, pro honore ſtatuæ aureæ, ſed vilis mercedis pretio, fidem Chriſto ſponſo debitam vendunt; nec iam tormentis, ſed oblectamentis victæ, tentationi ſuccumbunt.

Damaſ. lib. 4. de fide.

5. Reflexio. Quam paucæ animæ de quibus verè dici poſſit: « confidit in ea cor viri ſui, &c. » Quibus Chriſtus dicat: « in vno oculorum tuorum fidere me feciſti. » Nec fratribus Iudæis, ſe credebat Ieſus. Rara fidelitas, rariſſima intentionis puritas. Nec mirum ſi pauca nobis dona conferat, qui totum Dorotheæ noſtræ congeſſit, quia fidelis illa, nos fures & infideles, Deo gloriam eripimus; cui dicere deberemus; « tu es gloria mea, tu es ſuſceptor meus Domine, &c. » Pulcrè Aug. « Videte, inquit, quemadmodum nobis abſtulit gloriam, vt daret gloriam. Abſtulit noſtram, vt daret ſuam: abſtulit inanem, vt daret plenam: abſtulit nutantem vt daret ſolidam. Quanto ergo gloria noſtra fortior & firmior eſt, quia in Deo eſt? Non ergo in te debes glo-

Prou. 31. Cant. 4.

Pſ. 3. 3. De corrept. & gratia cap. 12. Ex Beda.

Digitized by Google

riari, quod & prohibuit veritas: ſed quod ait Apoſtolus, hoc præcepit veritas; qui gloriatur in Domino glorietur, &c. Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipſo. Non enim gloriantur iniuſti, quia non habent vnde; nec iuſti, quia ab ipſo habent vnde. Nec habent gloriam ſuam, niſi ipſum cui dicunt, gloria mea & exaltans caput meum. Ac per hoc, ad omnem hominem pertinet quod ſcriptum eſt, vt non glorietur omnis caro coram ipſo: ad iuſtos autem illud, qui gloriatur in Domino glorietur. »

6. Reflexio. Vtinam zelo gloriæ Dei cùm Catharina gladium verbi Dei exereremus, contra non dicã Anglos ſed Angelos malos, & peccatores ad victoriam non in nobis, & de nobis tantùm, ſed & de proximis reportandam. Vtinam in nobis impleatur illud Dauidicum: « gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam, &c. » In quem locum Auguſt. vult vnumquemque doctoris officio fungi, & gladio bicipiti verbi Dei, noui & veteris teſtamenti vti ad diuidendum proximum & ſeparandum à peccato & occaſione peccati. De gladio itaque bis acuto ſic loquitur « disiungit ſanctos, disiungit impios, ſeparat à te quod te impedit. Filius vult ſeruire Deo, pater non vult; venit gladius, venit ſermo Dei, diuidit filium à patre. Filia vult, mater non vult, gladio diuiduntur ab inuicem. Nurus vult, ſed ſocrus non vult, veniat gladius bis acutus; afferat promiſſionem vitæ præſentis & futuræ, conſolationem temporalium, æternorum perfruitionem. » Et rurſum poſt multa, « ne, inquit, verè tu putares, homines ferro percuti, ſanguinem fundi, vulnera in carne fieri, ſequitur & exponit: obiurgationes in populis. Obiurgatio quæ eſt? correptio. Procedat ex vobis framea bis acuta. Nolite ceſſare, dedit illam vobis Deus pro modulo veſtro. (Patri vt feriat filium, Domino vt ſeruum;

Aug. in Pſ. 149. 6.

Digitized by Google

amico, vt proximum) qualis homo es qui Idola colis? Dic amico tuo: qualis homo es qui dimiſiſti eum à quo factus es,& adoras quod feciſti? melior eſt faber,quàm quod fabricat faber.Si fabrũ adorare erubeſcis,adorando quod faber fecit,non erubeſcis? (talia & ipſi Maximino Idololatræ, talia Philoſophis gladio verbi armata, Catharina noſtra. Hæc nos vel plebeis, Deum offendentibus, & creaturis vilibus poſtponentibus dicere trepidamus.) Cùm cœperit erubeſcere , cum cœperit compungi, feciſti vulnus de framea , peruenit ad cor , mortuus eſt,vt viuat. » Nec aliter huic poſtremæ ſententiæ concinens Chryſologus : « Et quomodo,inquit, morietur,qui vitali gladio meretur occidi? » Dicamus cum Pſalte « quis conſurget mihi aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de Ciuitate Domini omnes qui operantur iniquitatem. » Chryſol. ſer. 108. Pſ. 93. 16. Pſ.100. 8.

O B. Catharina pugnas tuas, victorias tuas , coronas tuas , virtutes & præmia non miramur tantùm, ſed eidem Imperatori militamus cui deſponſata fuiſti, & tuas pugnas & agones imitari, nihil de nobis,omne de eo qui nos confortat & eius gratia præſumentes. De Libano venimus,in baptiſmo candidati ; ſed heu quàm ignauiter & remiſsè contra pardos & leones , dæmones & peccata huc vſque pugnauimus.Sed ad ignem zeli tui propiùs accedentes, nouo feruore ſuccenſi,arma reſumimus,gladium bis acutum arripimus, ſponte ſeparamur & diuidimur ab ſponſi tui hoſtibus, bellum eis immortale indicimus , vt pugnantes legitimè tecum in gloria coronari mereamur. Amen.

IN FESTO S. ANDREÆ Apoſtoli.

Continuò, relictis retibus ſecuti ſunt eum. Matth. 4. 20.

PRæſaga nouæ lex vetus, in tuba illa argentea ductili, capita multitudinis ad primum ſonitum, abſque mora ad Moyſem conuocante, Chriſtum Dominum, mirificam Patris æterni tubam, Spiritu ſancto ſuauiter & mirabiliter inſufflante, Eccleſiæ Principes ad ſe vocantem delineauit. « Si ſemel clangueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis Iſraël. » Vbi 70. Interpretes, non de duabus tubis, ſimul & ſemel clangentibus, ſed de vna, hunc locum intellexerunt. « Si autem in vna clangent, accedent ad te omnes Principes duces Iſraël. » Vix Chriſtus vna voce auribus Principum Apoſtolorum inſonuit, « Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum : » Cùm ecce tibi « continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum. » De qua tuba ſic Chryſologus : « Tuba (inquit) non quæ arctato ſpiritu, per concauum cornu ligni, vel æris, (vel argenti) triſtem bellantibus dat mugitum ; ſed quæ de corde Patris, ore Filij, vitalem ſimul & inferis & ſuperis dat clamorem. » 1. De excellentia vocationis S. Andreæ ; 2. de eius imitatione dicturi ; te primò Apoſtolorum Reginam ſalutabimus, quæ ad vnam argenteam Gabrielis tubam, obediſti, & obedientia mentis, Dei Filium concepiſti. Aue Maria.

Num. 10. 4.

Mat. 4. 19.

Chryſol. ſer. 103.

DIVISIO.

EXORDIVM.

Quod humanioris literaturæ Magiſtri, inter eoſque S. Clemens Alexandrinus, de Amphione, Thebarum muros ſuaui cytharæ ſuæ pulſu extruente referunt; id verè de Chriſto ſecundùm Pſaltem, « Ieruſalem muros ædificante, & ruinas Angelicas, per homines implente » dicemus; quem ſic Pſaltes compellabat, « Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cythara. » Vix enim Apoſtolicis auribus inſonuit, & ſtatim Zachariæ prophetiam impleuit. « Lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius. » Vel vt legit Sanctes Pagninus ex Hebræo; « lapides pretioſi eleuantur. » Vbi Hieronymus; « In tantum (inquit) erunt leues, vt non præſtolentur ædificantium manus, ſed feſtinent imponi ſuper fundamentum Chriſti. » Et in rem noſtram aptiſſimè Themiſtius Euphrada, de obedientia prompta militum Valentis Imperatoris: « Imperator (inquit) Amphionis muſicam, quam in ædificandis Thebarum mœnibus, oſtendit, facilè ſuperauit. Diceres lapides ſponte aduolui, &c. Tanta erat militum obedientia, & in difficillimis rebus facilitas. » Lapides porrò ſanctos, ſiue pretioſos, quis neget Apoſtolos, Sapphyro pretioſiſſimo lapidi conferendos? Vnde & Eſaïas Eccleſiam affatus his vocibus: « Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphyris; & ponam Iaſpidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles. » Quē locum explanans Paſchaſius Ratbertus Abbas Corbeïenſis; « Strauit, (inquit) Chriſtus in Eccleſia per ordinem lapides, quia in ea ſanctas electorum animas, meritorum diuerſitate diſtinxit: Fundauit eā in Sapphyris, qui ſcilicet lapides coloris aërei in ſe ſimi-

Clem. Alex. in exhort. ad Gēt. in p.
Pſ. 121. 3
Pſ. 109. 6.
Pſ. 107. 3.
Zach. 9 16.
Hiero. ibid.
Themi. Euphr. orat. 10.
Eſa. 54. 11.
Paſchaſius lib. 4. in lament. Ier. lit. Aleph.

litudinem tenent: quia robur Eccleſiæ in animabus cœleſtia appetentibus ſolidatur. Et quoniã Iaſpis viridis eſt coloris, Iaſpidem propugnacula eius poſuit; quia illi contra aduerſarios, pro ſanctæ Eccleſiæ defenſione obiecti ſunt, qui in illa ariditate temporis reprobi marceſcunt, &c.» Sed licet omnes Apoſtoli in hoc conueniant, quod ſint duodecim fundamenta myſticę Ieruſalem: Et omnes Sapphyri proprietates in ſe, Deo donante, expreſſerint; quod vt Sapphyrus Apollini Muſarum Principi à veteribus conſecrata; tum quòd pacem inter diſcordes conciliare, oculos purgare, necare araneam, vinctos ſoluere re-
Nahũ 1. 15. feratur; ſic Apoſtolici « pedes ſuper montes auangelizantes pacem, montes ſuſcipientes pacem popu-
Pſ. 61. 3. lo» Chriſto Domino pacis Principi & nouem Angelorum choris Præſidi mancipati, cæcorum oculos, Iudæorum, & gentilium mentes obſcuratas perfidiæ tenebris illuſtrarunt; ſerpentes & omnes venenatas beſtias & mortiferas ſuſtulerunt, vinctos peccati retibus abſoluerunt: Andreas tamen ſpecialiter in Sapphyro, ſecundo Ieruſalem fundamento, ex
Apoc. 21. 19. Abbatis Ioachim mente, adumbratur. « Fundamentum primum Iaſpis, ſecundum Sapphyrus.» Qui licet primò poſt Chriſtum Eccleſiæ capiti Cephæ, à Chriſto proprio etiam Petræ Symbolo honorato, primatus & ſummi Pontificatus deferat dignitatem; in cæteris non modò conferendus eſt fratri, ſed &
Chryſol. ſer. 133. meritiſſimè præferendus: Sic ſentit Chryſologus: « Andreas noſter, & ſi cedit ordini; præmio tamen non cedit, & labori.»

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Et quidem ſi ordinẽ temporis, & vocationis inquiras; Præcurſoris Domini Diſcipulus Andreas, « præ-
Io. 20. 4 cucurrit citiùs Petro» quẽ etiã, prior Chriſti obſequio

Digitized by Google

addictus, adduxit ad Ieſum; Primum iure dixerim fuiſſe omnium Chriſtianum. « Et Andreas quidem in Apoſtolici Senatus, catalogo ſecundus ponitur, qui tamen in agnitionem Domini, iuxta Euangelicam fidem, primus inuenitur. Dicit enim Ioannes Euangeliſta; quia cùm ſtaret Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, reſpiciens Ieſum ambulantem, Dixit, Ecce Agnus Dei: & audientes eum duo Diſcipuli loquentem, ſecuti ſunt Ieſum, &c. Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus qui audierant ab Ioanne, & ſecuti fuerant eum, &c. Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus: & adduxit eum ad Ieſum. » Hactenus Damianus. Cui nō impar Heſychius Andream auſus eſt primā Eccleſiæ vocare columnā. « Quaſi columna (inquit) affixus eſt, in Eccleſia: & ante Petrū, Petrus, fundamentique fundamentum: qui primitiarum fuit principium; qui antequam vocaretur, alios vòcat ad Dominum (intellige vocatum interius inſpiratione ſecreta, præuentum in benedictionibus dulcedinis: necdum enim tuba exterius ſonans vocis Chriſti dixerat, Venite poſt me, &c.) Quique antè conſignat, quàm conſignaretur; qui antequam adducatur, adducit: Euangelium quod quidem nondum creditum fuerat prædicans: eam aperiens ianuam, quam fortaſſis non erat ingreſſus: quam adhuc non cognouerat, vitam reuelans: panem ſe daturum promittens, quem nondum præ manibus habuerat. Numquid enim aliquid ex iis quæ in diſciplinis acquiruntur, audierat? Is tamen dixit Ieſu, vbinam habitas? Vbinam manes vt in aula Domini Ianitor fiam? magis enim elegi abiectus iacere in domo Dei mei, quàm in peccatorum tabernaculis habitare. Quod ſi didicero vbi ſit domus tua, non de-

Petrus Damia. ſer. 67.

Io. 1. 36.

Heſychius Ieroſol. orat. de S. Andrea.

cedam è janua.» Quid dicis Andrea? Quis te docuit
Io.1 36. hunc eſſe magiſtrum? An magiſtra tibi fuit vox illa
Apoc. Ioannis dicentis, Ecce Agnus Dei, qui librum cor-
5. 9. dium ſeptemplici munitum ſignaculo, hoc eſt nul-
1. Reg li apertum niſi Deo ſcientiarum Domino, & per hoc
2. 3. conſcientiarum arbitro, reſerare debebat. « O vox
Pſalm. exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſti, corde cre-
117.15. dentis ad iuſtitiam, & ore confitentis ad ſalutem »
Rom. & dicentis, « magiſter vbi habitas? præueniſti præ-
10.10. cinens Domino in confeſſione » fratrem Petrum, &
Io.1.38. Paulum ipſum dicentem, « Chriſtum habitare per
Pſalm. fidem in cordibus noſtris.» Quid ergo, vbi habitet
146.7. magiſter, interrogas? « Vnde ergo hæc de eo pro-
Epheſ. nunciare edoctus es? quonam pacto euaſiſti Prophe-
3. 17. ta? Quomodo ex tempore diuinarum rerum pro-
Heſychius palator es factus? quare Petri obtundis aures? &c.
Ieroſol. Sed Ioannes, inquies, te vt in hac verba erumperes,
Orat. concitauit, & tamen hæc tantùm verba te præſente
de S. protulit; Ecce Agnus Dei, &c. Tu verò Agnum cùm
Andr. audieris, Deum enuntias. Quæ deorſum ſunt deſi-
uiſti, & ea quæ ſurſum ſunt curioſè inquiris? Reli-
quiſti ſtagnum, & rete cœlum verſus laxaſti. Num
talia venari ſagena nouit?» O Petre nuſquam talem
Luc.5. piſcem « per totam noctem laborans capere potui-
5. ſti.» Duc in altum quantum iuſſerit Chriſtus, nec
iam à terra reduc puſillùm nauiculam, nuſquam in
profundo, inter magnos piſces centum quinquaginta
Ioan. tres, talem concludes, qualem Andreas tuus, nec-
21.11. dum hominum piſcator factus, piſcem inuenit,
Io.1.41. Deum & hominem, de quo dixit: « inuenimus Meſ-
ſiam, qui dicitur Chriſtus.» Tu verò totius Theolo-
giæ vertex, poſt tot diuina opera, poſt prodigia &
Matth. portenta, non « carne & ſanguine, ſed Patre cœleſti
16.17. reuelante » inſtructus; quid altius, & ſublimius de
Apoc. Chriſto pronunciare potuiſti? miſerat planè retia-
4. 6. culum

culum ſuum Andreas,in mare vitreum, quod Ioannes multò poſt vidit ante thronum Dei proiecerat: illud in « fluminis impetum, qui lætificat ciuitatem Dei » & laxauerat in torrentem voluptatis, vt in aquis ſupercœleſtibus, in vaſto paterni ſinus Oceano, Delphinum Paradiſi piſcaretur. Nec enim aliter dicere potuiſſet, inuenimus Meſſiam qui dicitur Chriſtus. « Vbinam enim, quo pacto,quando amiſiſti? Is enim reperiſſe dicitur qui amiſit: At quomodo amittitur is, qui omnes ſaluos facit? quo pacto is qui adeſt vbique, vel dicitur reperiri, vel poteſt? verùm quid ſibi his verbis velit Andreas rectè nouit; id enim inuenimus,quod Adam amiſit. Id nos inuenimus,cuius Eua erat paſſa iacturam: (gratiæ ſcilicet, innocentiæ veſtis,ligni vitæ,quæ omnia in agno Andreas reperit) id quod peccati nebula noſtris obtexit oculis. Id inuenimus quod à nobis ſeiunxit præuaricatio, quodque prope nobis præſenſque erat lõge abeſſe videri fecit. Eum inuenimus quem & Dauid quærere magno ſibi tribuebat honori. In die,inquit, affiictionis meæ quæſiui Dominum. Et Sophonias quoque clamat: quærite Dominum omnes humiles terræ. Inuentus enim exaltat humiles, è terra eleuat, & ſuper corruptionem erigit, ſublimibuſque ſublimiores reddit. » Vt iuxta Paulum, « conſedere faciat in cœleſtibus » & ſecundùm Pſaltem,« Reges terræ eleuet vehementer.» Audite verò quid de hac Andreæ voce penſitauerit Damianus. « Magnum, inquit, nuntium: noua & admiranda relatio: illum promittere viſibiliter oſtendendum, quem tot Prophetarum oracula præcinuerunt affuturum. Magni certè myſterij baiulus Andreas extitit fratri: qui nimirum eum ſe reperiſſe teſtatus eſt,quem ab origine mundi,omnes ſancti cum magno deſiderio præſtolati ſunt, & tamen videre non potuerunt. Non hoc

Pſ. 45. 4.
Heſyc. ſupra.
Soph.2. 3.
Epheſ. 2. 6.
Pſ. 46. 9.
Dam. ſer.57.

Gen. 49.18. præſtitum eſt Patriarchæ Iacob, qui dicebat, ſalutare tuum expectabo Domine. Non Abrahæ, cui diuina ſponſio facta eſt, quòd in ſemine ſuo hæreditaret omnes gentes. O quanti pretij æſtimaſſet inſignis ille Propheta Eſaïas, ſi ad hoc ſpectaculum aſpirare licuiſſet! Nimirum cùm tanti deſiderij ardore ſuccenſus, flagitaret mediatoris aduentum, & tanquam moroſæ dilationis impatiens, æſtuans proclamaret: Eſa.64.1. vtinam dirumperes cœlos, & deſcenderes; à facie tua montes diffluerent, ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, atque arderent igne: vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis. Quam terribilis ac vehemens tuba, vox hæc in Petri corde perſonuit, & tanquam repentinum fulmen inopinatò coruſcans attonitum fecit! Inuenimus, inquit, Meſſiam qui dicitur Chriſtus.» Quis non miretur huius adhuc Catechumeni fidem? Quis ſincerã, & nuſquam inuidam non obſtupeſcat diſcipuli charitatem? « Ecce Andreas, inter Dam. ſer. 57. ipſa noui tyrocinij ſui rudimenta fructificat, & veritatis iam prædicator efficitur, cuius adhuc vix erat auditor. Nouus diſcipulus factus, non eſt propria ſalute contentus, cõdiſcipulos quærit, ad alios lucrandos fraternus ſe amor extendit. Theſaurum reperit, gaudet aliis prodere; furtum deputat illum ſine conſortibus poſſidere.» Parum, meo iudicio licet multum ſenſerit de Andrea dixit Chryſologus dum eum Chryſól. ſer. 133. Petro per omnia coæquauit « non eum curſus fecit diſparem fratri, quem natura ſimilem, vocatio ſocium, parem gratia ipſa perfecit. Ad vnam Domini vocem, ſicut ille, Patrem, patriam, cenſum reliquit. Laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis pro Chriſto indefeſſis, germani ſocietate donauit.» Nam vt præfata retexam, Andreas præcurrit Petro, & eius, poſt electionis ſupernæ gratiam merito, totius Eccleſiæ principatus, fratri eius Pe-

Digitized by Google

tro eſt traditus. Narrant Rabini Prophetiam Iacob de tribu Iuda impletam, « non deficiet ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius ; » quòd Aminadab de hac tribu primus in tranſitu maris rubri , ſe in inſuetum iter promptum miſiſſet, ad nutum Moyſi, virgâ fluctus maris diuidentis. Vnde & Synagoga Iſraëlitici populi, eius exemplum ſequens, equitatus diuinus appellatur; « equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. » Quòd ſicut equitum virgis parent equi dociles; ſic poſt Aminadab , populus virgæ Moyſi & præcepto paruiſſet ; currus Pharaonis euadens. Hinc & rurſum eadem Synagoga in canticis, exemplo Aminadab ſe conformare quaſi hæſitans, terrorem ſuum indicat, & ſimul excutit dicens: « neſciui, anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.» Quas nempe turmas eius,non ſequi præeuntes,pudor eſſet. Quidquid ſit de ſceptro Iuda, audacter dicam, Petre, Regale Sacerdotium de tribu tua, non defeciſſe, qui dubitat, nouerit, obedientiæ Andreæ, veri Aminadab, hoc eſt ſpontanei tribuendum;qui virgâ virtutis Dei de Sion emiſsâ,primus mare ſæculi reliquit,primus in Oceanum diuinitatis Chriſti retia miſit,& prior Petro rubrum mare martyrij ingreſſus ad terram lacte & melle manantem pertranſiit.«O dulcis Apoſtolus,& primitiua vocatio Saluatoris, qui in ipſum Apoſtolicum Chorum primus aſſumptus tanti prioratus inſignitur faſtigio ! »

Lyr. in cap. 6. Cant. Gen. 49. 10.

Cant. 1. 8.

Cant. 6. 11.

Ber. ſer. 3. de S. Andr.

Neque verò mirandum eſt ſi huic fundamento Sapphyrino inſcriptus & adſcriptus Andreæ fuerit ſecundus Apoſtolici Symboli articulus : « & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum » licet Auguſtinus Ser.115. de tempore,qui eſt de traditione Symboli ſic deſcribat articulos. « Petrus (inquit) dixit, Credo in Deum Patrem omni-

Digitized by Google

potentem. Ioannes dixit, Creatorem cœli & terræ. Iacobus dixit, Credo & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum. Andreas dixit, Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine. Philippus ait, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus. Thomas ait, deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit a mortuis. Bartholomæus dixit, Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit, Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos. Iacobus Alphæi, Credo & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam. Simon Zelotes, Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum. Iudas Iacobi, Carnis reſurrectionem, Matthias compleuit, Vitam æternam Amen. » Tamen Ser. 13. ex nouis, ſecundum tribuit Andreæ. Sicut enim ceruleus eſt Sapphyro color, qui vt Philoſophi aſſerunt in cœlo, nihil
1. Cor. 15. 47. aliud eſt quàm maxima altiſſimæ lucis profunditas, vbi nullus datur viſionis terminus, ſic « ſecundus homo de cœlo cœleſtis » cuius lucis incomprehenſibilis immenſum pelagus, in cuius obtutu acies humanæ mentis euaneſcit. Sicut ergo Sapphyrus formam cœli ceruleo ſuo colore repræſentat, ſic Chriſtus imago bonitatis, & figura ſubſtantiæ Patris ab Apo-
Philip. 2. 6. ſtolo vocatur: « qui cùm in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. » Sed quia exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens,
Exod. 24. 10. ideo conſpicitur in Exodo, « ſub pedibus eius quaſi opus lapidis Sapphyrini, & quaſi cœlum cum ſere-
Ælianus de var. hiſt. lib. 14. cap. 34. num eſt. » Narrant præterea ſummum apud Ægyptios Sacerdotem officio Iudicis fungi ſolitum, appenſam collo geſtaſſe de Sapphyro imaginem veritatis. Quid Dei filio conuenientius? Ipſe enim « eſt
Pſ. 109. 5. veritas, ipſe Sacerdos in æteruum ſecundùm ordinem Melchiſedech; ipſe conſtitutus à Deo iudex vi-

Digitized by Google

uorum & mortuorum. » Quæ omnia Andreas noſter vno verbo complexus eſt, dicens, « inuenimus Meſſiam, qui dicitur Chriſtus. » Cuius theſauri primus inuentor, Petrum participem fecit. Ioan.1. 41.

Cæteras iam ſupra Petrum iaſpidem, & primum Eccleſiæ fundamentum, Andreæ Sapphyri proprietates, & priuilegia perſtringamus. Petrus modicæ fidei titubans in mari à Chriſto arguitur: « modicæ fidei, quare dubitaſti? » Andreas intrepidus triginta octo naufragos reti orationis ad littus eduxit, propriè & ad literam « factus hominum expiſcator. » Quos & per diſcipulos excitauit à mortuis. Quod nuſquam omni vi medica vnquam præſtitit lapis Sapphyrus. Petrus ab Herode compactus in carcerem, & vinctus cathenis ferreis, Angelo de cœlo miſſo ſoluitur, « neſciens quod fieret per Angelũ. » Andreas ab Angelo ſciens & vigilans portatur ad Mathæum cæcum & vinctum, vinculis & cæcitate liberandum. Sic Sapphyri mirandæ virtuti reſpondet: quæ & purgat oculos vt collyrium; & ſoluit vinctos. Quid plura? «Solum eſt quod tempore Dominicæ paſſionis fugit. Sed neque hoc impar, quia fugit. Negare autem, ſi aliqua putatur culpa, non eſt grauius fugere quàm negare. Sed tacenda ſunt talia. Æquauit fratres venia, quos ſic diſcreuerat culpa, & ſecuta deuotio perprobauit, quos metus improbauerat antecedens. Nam crucem quam refugerant, poſtea coniunctis viribus ardenter inuadunt: vt vnde reatum ſumpſerant, inde conſcenderent cœlum, inde præmium ſumerent & coronam. Petrus namque crucem, arborem conſcendit Andreas: vt qui Chriſto compati geſtiebant, in ſemetipſis figuram, formamque ipſius exprimerent paſſionis: & redẽpti ligno, conſummarentur ad palmam. » Et quamuis vterque conformis Chriſto fuerit, non fuit vterque cruciformis. De

Matth. 14.31. Abdias Babyl. de S. Andr. Act.12. 9. Albert. Magn. lib. de remed. cap. 17. Dioſc. Chryſol. ſer 133.

Digitized by Google

Aug. Ser. 5. de Apoſtolis. Petro enim modeſtè & humiliter auerſo corpore crucifigi volente, ſic exclamat Auguſtinus : « O virtus humilitatis ingenitæ, honorari etiam ſupplicij genere pertimeſcit: & qui nō recuſat Dominici tormenta patibuli, ſimilitudinem expaueſcit triumphi.» Tu vero Andrea, & fratre humilior, te indignum, non tantùm Magiſtri, ſed & conſerui reputans forma crucifigi, ſpeciale tibi crucis genus optaſti. « O beata germanitas quam ſicut mundo vna conſanguinitas edidit, ſic eadem triumphalis mors victores ad

Damianus ſer. 57. aſtra tranſmiſit. Et quos in hac vita vnius generis protulit natura conſortes, in illam beatitudinem ſempiternam crux parturiuit æquales. Eiuſdem nobilitatis in terra, eamdem proſapiæ celſitudinem ſortiuntur in cœlo. Qui enim hîc ſunt filij Ioannis, illic ſunt filij crucis. Iſti enim ſunt filij Chore, id eſt

Tit. Pſ. 45. & 46. calui ſcilicet Chriſti in monte Caluariæ crucifixi, qui in quorūdam pſalmorum titulis prænotantur. Crux enim quæ eos morientes huic vitæ ſubtraxit, cœleſti Ieruſalem renaſcentes cum triumphali gloria nouos ciues inuexit. » Frequenter Auguſtinus in Pſalmos meminit filiorum Chore, quos vult eſſe Chriſtianos omnes Chriſti Eccleſiæ ſponſi filios in Caluariæ

Aug. in Pſal. 83. monte in crucis lecto genitos. « Filij, inquit, Chore, Filij Chriſti. Nam & filios ſuos dicit ſponſus, cùm ait, non poſſunt filij ſponſi ieiunare, quandiu, cum il-

Aug. in Pſal. 84. lis eſt ſponſus, &c. » Et rurſum. « Quid eſt inquit filiis Chore? Interpretatur Chore ex verbo Hebræo in Latinum, caluum. Ergo filiis Chore, filiis Calui, &c. Nobis ergo cantatur Pſalmus iſte, vbi inſcribitur, filiis Chore. Sumus enim filij ſponſi. Ille quippe ſponſus dans arrhas ſponſæ ſuæ ſanguinem ſuum, & Spiritum ſuum quo locupletauit nos interim in iſta peregrinatione, adhuc autem ſeruat nobis occultas diuitias ſuas. » Sed quidquid dixerit Damianus

Digitized by Google

crucem,æquales filios & fratres Petrum & Andream parturiuiſſe, Andream conſtat & tempore, & zelo, & virginitatis merito, præceſſiſſe; cùm anno Chriſti ſexageſimo primo Andreas conſcenderit crucem; Petrus ſexageſimo octauo, crucis ſubierit paſſionem. Quos licet crux hæreditate ſit enixa pares, tempore tamen,& diuturnitate,atque affectu ſupplicij,genuit diſpares. Vnde & ſicut mater, quanto diutius, & laborioſius fructum parit, tantò ardentius & charius partum diligit: ſic & Andream velut Bennoni, doloris filium,debuit habere Chariorem, quem vt biduo apud ſe manentem, in principio conuerſionis concepit ad fidem; ſic biduo in cruce pendentem produxit, & perduxit ad Martyrij gloriam.

Parum fuerat Apoſtolorum Principi pariari, minus fuerat in multis, excepto ſemper primatus ordine, Petro præferri; niſi vt verum Chore filium,dixero Chriſto parenti ſimilari. « Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam illud; » auidus huius ſanguinis ſui balnei in cruce implendi,dicebat Dominus; « expanſurus manus ſicut expandit natator ad natandũ. » Et Andreas ardentiſſimam Martyrij ſitim, ipſa ſuæ forma crucis expreſſit. X. enim prima litera nominis Chriſti, cui crux Andreæ conformata traditur; apud Cymbros, vehementem properationem ſignificat. Quid hocce myſterij? Quanta vehementia ad crucem properauit? « Sequitur hic moriendo Dominum æſtuans,& anhelans, ac toto virtutis gradu Dominicis incumbit hærere veſtigiis. » Perge Andrea, i, ſequere agnum quocumque ierit: & per viam liliis & roſis ſtratam cum agno niueo & ruſſato thronum crucis aſcende, Nazareno conformis, candidior niue, rubicundior ebore antiquo, Sapphyro pulchrior.» De Chriſto deformato in cruce dixit Eſaias: « putaui-

Luc. 12. 50.

Eſa. 25. 11.

Chryſol. ſer. 133.

Eſa. 53. 4.

Google

mus eum quaſi leproſum. » Et iterum, « non eſt ſpecies ei neque decor, &c. Quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eum. » Andreas autem vt Sapphyrus cœlo ſereno ſimilis in cruce apparuit. Multos quidem moriens Chriſtus in cruce conuertit, reuertentes & percutientes pectus ſuum. At Andreas viginti millia patiens adduxit ad Chriſtum. Chriſto in crucem petito vt Eliſæo quondam inſultarunt Iudæi. « Quis eſt iſte caluus? Non vt irrideamus illum, ſed vt ploremus ante illum, &c. Caluum Eliſæum irriſerunt pueri, dicebantque poſt illũ, calue, calue, (vt Chriſto, tolle, tolle,) proceſſerunt vrſi de ſylua, & comederunt pueros malè ridentes & plangendos à parentibus ſuis. Significauit hoc factum prophetiâ quadam, futurum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Iſte enim à Iudæis irridentibus velut caluus irriſus eſt, qui in Caluariæ loco crucifixus eſt. » Sicut & illuſoriè, dicebant ei, « deſcende de cruce & credimus tibi. » Andream autem tortorum manibus plebs eripere, & de cruce deponere volebat: ſed verus filius Chore, crucis Chriſti filius, non tribus horis vt ille, ſed biduo pendere volens vtpote gratior fructus maturus in arbore, de ſe gratiſſimum « Deo, Angelis, hominibus ſpectaculum fieri » geſtiebat, & de palma crucis in menſam ſummi Regis Dactili ſuauiſſimi botrus Angelis baiulis præſentari. « Merito natus hodie creditur Andreas, quando non ad præſentem vitam materno eſt effuſus ex vtero, ſed conceptu fidei, martyrij partu, cœleſtem noſcitur generatus ad gloriam. Quando non eum materna cunabula ſuſcepere vagientem, ſed ſuperna triumphantem ſecreta receperunt: quando non infirmum lactis paſtum genitricis trahit ex pectore, ſed pro Rege ſuo deuotiſſimus miles virtutis ſanguinem fudit. Viuit, quia

Aug. in Iſ. 84. 4. Reg. 2. 23.

Matth. 27. 40.

1. Cor. 4. 9.

Chryſol. ſer. 133.

Digitized by Google

mortem cœleſtis militiæ bellator occidit. »

SECVNDA PARS MORALIS.

PRIMA REFLEXIO. Piſcatores hominum factos Apoſtolos ſine fructu noſtro, negligentiâ noſtrâ non ſinamus. « Includi lubeat tantorum retibus piſcatorum. Incaleſcat cor noſtrum ad tam promptæ & feruentiſſimæ deuotionis exemplum. Et quod doctores noſtros nouimus tunc feciſſe, ipſi etiam diuina opitulante clementia, ſtudeamus implere. » Mare ſæculi fluctuſque eius relinquamus, vt in piſcatorum nauim Verbi diuini reti tranſmiſſi in torrentem voluptatis, inter bonos electi, in vaſa transferamur. « Fugiamus tenebras, vitæque ſalſuginem effugiamus, ac vagum ambulantes mare, nociuam tempeſtatem euadamus, &c. Piſces ſupernæ ſagenæ, edulia Dominicæ menſæ, quâ Rex Regum cœnam ſuam parauit, noſtram ſalutem cibum quem habet manducare, exiſtimantes. » Satis fuit Ioanni agnum indigitaſſe feruenti Diſcipulo, vt continuò dominatoris terræ Agni, manſuetudine delinitus, odore delibutus, amore raptus, omnia mundi retinacula diſrumperet: vt tandem ab ipſo vocatus Agno, eundem paſtorem magnum ouium, & archipiſcatorem hominum, relictis retibus ſequeretur. Quid hoc fratres, quid tam promptæ obedientiæ exemplum, tepidæ noſtræ ac languidæ, ne dicam emortuæ charitati inculcat? Quoties diuini verbi tuba? quoties aduerſarij in via noſtra peruerſa Angeli vox tacita? quoties ipſius conſcientiæ vermis, & rodentis peccati tinea? quoties extremi iudicij buccina, & terrores Dei contra nos militantis? Quoties denique promiſſa blandientis, nos à mundi retibus, carnis reſtibus, dæmonum vinculis compeditos, irrita & caſſa vocatio-

Dam. ſer. 57.

Heſyc. ſer. de S. Andr.

Io. 4. 32.

Iſa. 16. 1

Iob. 6. 4.

ne, interiori gratiæ, obduratione propria reſiſtentes, aut ſecreta ſuperbia, ad veram ſpiritus libertatem vocauere? O nos vxori Loth ſimiles! quam iure merito « incredibilis animæ memoriam » ſapiens nuncupauit: vtpote quæ ſalis infatuati futura figmentum, « mittenda foras & ab hominibus, ſi non calcanda » cum tremore certè & ſtupore contemplanda erat, vt ſimilis pœnæ metu vero ſapientiæ ſale cæteri condirentur. Exiliiſſet vtinam ſalis inſtar ad ignis aſpectum, & incendij Sodomitici minas; quam vix à « gente peccatrice, populo graui iniquitate, filiis ſceleratis » Angelica monita, manuſque vrgentes abducere potuerunt. Nos verò numquid hac muliere incredula infideliores, proprio conſcientiæ teſtimonio conuincimur? Vritur Sodoma: ſulphureis ardet fœtidus orbis incendiis; & immobiles & inſenſibiles, ardenti, pereunti, in fauillas abeunti, tot licet monitis correpti, tot increpationibus flagelliſque compulſi inhæremus. O nos ex aduerſo ſtupendæ ſalis ſpeciei conformes, quem naturæ genij Ciſton vocant, proprio in centro plumâ leuiorem, eductum verò natiuo ſolo, plumbo grauiorem: ita planè, ſi quid naturæ corruptæ blandum arrideat, huic licet noxio, quaſi centro affigimur: hinc ad vtiliora ſaluti abſtrahi, pondere quodam, & mole malæ conſuetudinis, ceu talento plumbeo iniquitatis oppreſſi, renitimur.

Luc.17. 32.

Matth. 5.13.

Eſa. 1. 4.

Secvnda Reflexio. Non fuit ſatis Andreæ charitati Meſſiam eiuſque habitationem inquirere; parum fuit theſaurum abſconditum, pretioſiſſimum cœli margaritum, vnionem dico Verbi cum carne reperiſſe: « furtum credidit tantum bonum, ſine conſortibus poſſidere. » Vtinam eius nuſquam inuidæ charitatis æmuli certatim omnes adduceremus ad Ieſum, tunc verè Sapphyro com-

Dam. ſup.

Digitized by Google

parabiles de quo Philo Carpathiorum Epiſcopus in locum Cantici « venter eius pixis eburnea in lapide Sapphyro. Poſſumus (inquit) per ventrem ſponſi, Sanctorum chorum intelligere, purum ac nitidum, vt pixidem eburneam, nihil ſordidi habentem, nihil maculæ. In quâ quidem ſpiritali pixide codicilli ſapientiæ, ſuffragiaque conduntur, non ad terrenum imperium, ſed ad cœleſte regnum conductura. Quod verò lapide Sapphyro ornatum vas illud dixit, ad Sanctorum Communionem, charitatem ac gloriam referri poteſt. Vt enim Sapphyrus lapis quæcumque proximè attigerit, ſimilia ſibi reddit ac trahit; ſic & beatorum Chori, mutuâ charitate ſibi inuicem adhærentes ſemet, & alios, ſanctâ diſciplinâ atque inſtitutione, ad cœlorum regnum perducere nituntur. » De quibus & Propheta interrogat: « qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? » vt nubes enim vento parent, & agros & hortos rigant ſancti Spiritus inſtrumento: quas iratus Deus ſubtrahit ingratis. « Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam. » Et iterum: « non ſtillabis ſuper eos. » Columbas autem perunctas intellige odore balſameo ad foramina ſua alias pertrahentes? O Paulum de ſe & Coapoſtolis vt columbis dicentem: « Chriſti bonus odor ſumus in omni loco: » & ſponſa de odore nominis dilecti: « oleum, vnguentum effuſum nomen tuum. Trahe me poſt te, in odorem curremus vnguentorum tuorum. » Sed heu flens dico, ſimiles illicibus auibus, & traditricibus generis ſui, multi à Chriſto à Dei cultu, à libera Spiritus ſeruitute, ad duram mundi peccati, dæmonis ſeruitutem animas agni ſanguine redemptas abducunt. Quid reſpondebunt in tremendo iudicio, dum non tantùm ſuæ, ſed & alienæ ſalutis rationem reddere compellentur? Vtinam vox illa prophetica

Philo Carpathius in Can. cap. 4. Cant. 5. 24.

Eſa. 60. 8.

Eſa. 5. 6.

Mich. 2. 6.

2. Cor. 2. 15.

Cant. 1. 2. & 3.

Google

Zach.3. impleatur, « in die illa dicit Dominus exercituum:
10. vocabit vir amicum ſuum ſubter vitem, & ſubter ficum.» O ficum dulcem, & fructiferam vitem, Dominum Ieſum! quàm ſuaue, quàm volupè fratrem, amicum, vicinum, ſub vitea huiuſmodi porticu, &
Eſa. 25. ſub vmbroſa & frugifera ficu conuocare, ad « con-
6. uiuium pinguium, conuiuium medullatorum, vinde-
Cant. 2. miæ defæcatæ. Sub vmbra illius quem deſiderauer-
3. am ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.» Vtinam vel cum cæco illo oculato dicamus; « Numquid
Io. 9. & vos vultis Diſcipuli eius fieri?» hortemur inuicem
27. cum Eſaïa: « venite & aſcendamus ad montem Do-
Eſa 2.3. mini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.» O columbas Arca Noë dignas; ô pennas deargentatas, lacte lotas, bono Chriſti odore fragrantes, iuxta fluenta pleniſſima reſidete, in gratiarum aquis vmbram milui ſpeculamini, in cauernam maceriæ, & foramina petræ, vobiſcum verbo & exemplo ad Sacramenta, conciones, carceres, Noſocomia, proximos attrahite, eſtote & vos Apoſtolici viri, & hominum piſcatores.

Tertia Reflexio. Beatum Andream ad
Ber. ſer. crucem ardentiſſimè properantē imitemur. « Quan-
in vigil. ta exultatione vniuerſæ terræ celebrandum tantæ
S. And. nouitatis miraculum, tam magnificum opus diuinæ virtutis. O crux, inquit, deſiderata, &c. Fratres, ignis vibrans eſt, non lingua loquens: & ſi lingua, certè ignea eſt, carbones ſunt ignis illius, quem de excelſo
Thren. Chriſtus miſerat in oſſibus meis. Atque vtinam de-
1.13. ſolatorij nobis ſint, conſumentes quidquid in nobis eſt carnalis affectionis.» Quis vnquam nauita portum, viator domum, miles triumphum, amaſius nuptialem thalamum, poſt longa maris, viæ, belli, pericula, poſt multa procorum, & riualium diſſidia, ar-

Digitized by Google

dentius auidiuſque, quàm crucem B. Andreas inuaſit? O bona crux, inquit: & verè bona: in qua Magiſter bonus, poſuit omne bonum, quod prius latens ignorauerat mundus. Quid enim honeſtius, & auguſtius, hoc prius ignominiæ ſupplicio; quod diuinæ maieſtatis principatus, ſummi iudicis tribunalis, currus gloriæ triumphalis, Rex Regum Chriſtus honore donauit? quid vtilius ea, in qua theſaurum ſuum, cum totius mundi pretio conſtituit? Quid amabilius & delectabilius cruce, quæ « lectulus floridus eſt ſponſæ » in quo nuptias, virgineo in thoro contractas, cùm Eccleſia conſummauit. « En lectulum Salomonis » quem prius omnes fugerant, « ſexaginta iam fortes ambiunt » cuius Andreas ambitioſiſſimus candidatus, « quæ deerant paſſionum Chriſti in corpore ſuo fortiſſimus adimpleuit. » O nos ab Andreæ virtute degeneres, qui non iam tribulationem, dolorem, & crucem vltro quærimus, vt de inuenta gaudeamus; ſed, ſi nos tribulatio, & anguſtia inuenerit, eam quoad poſſumus auerſamur; & expuncti per Chriſtum opprobrij veteris immemores, cum Gentilibus, & Iudæis, crucem velut ſtultitiam, ſcandalum, & maledictum execramur. O « Magiſter bone ſequar te quocumque ieris. » Et qua via ad Patrem, niſi per te veniam? « Erraui ſicut ouis quæ periit » à via, niſi te agnum ſequens, ſim velut ouis occiſionis. « Te in carne paſſo eadem cogitatione armabor, vt propoſito gaudio ſuſtinens crucem, confuſione contempta » perueniam ad gloriam. Amen.

Cant. 1. 15.
Cant. 3. 7.
Coloſſ. 1. 24.
1. Cor. 1. 23.
Matt. 8. 19.
Pſ. 118. verſu vltimo.
1. Pet. 4. 1.

Digitized by Google

IN FESTO S. NICOLAI Epiſcopi.

Sobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo. Tit. 2. 12.

QVod ſingulis Paulus præſcripſit Chriſtianis, hoc perfectè Nicolaus impleuit: nullus enim in hoc ſæculo maiori ſobrietate, iuſtitiâ, pietate floruit.« Nicolaus iſte meus,(qui natali meo præluxit, & noſtrum Nicolaum Tolentinatem huius Eccleſiæ Patronum ſuis à Deo precibus ac meritis obtinuit;) immò & veſter, electus ab vtero, ſanctus à puero: iuuenum gloria, reuerentia ſenum, Sacerdotum honor, ſplendor Pontificum, &c. Cuius miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur: quem laudat orbis terræ, & vniuerſi qui habitant in eo, &c. glorificatur in mari, laudatur in terrâ, in omnibus periculis inuocatur. Denique qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & Nicolai per Deum miracula in profundo. Nonne poſt memoriam Virginis tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium obuerſatur, vt in die tribulationis, nomen Nicolai teneatur in ore, requieſcat in corde? » De ſobrietate, iuſtitiâ, pietate Nicolai dicturus, te cum Damiano priùs inuocandam, iuſtum & pium cenſeo; quam præ omnibus ſanctis ſobriam, piam, iuſtam, vtpote Domini virtutum matrem, gratiâ plenam Angelus agnouit, dicens: Aue Maraia.

P. Da. ſer. 59.

Pſalm. 106. 23.

Digitized by Google

EXORDIVM.

Iure merito Paulus omnē Chriſti Domini ac Magiſtri noſtri ſapientiam & eruditionē hoc vno verſu cōpendiosè complexus eſt, vt dixerit: « Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobrie, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo. » Quidquid enim perfecta ſanctitas & virtus exigit, in his tribus ponitur, vt vitam & mores rectè ordinet, circa ſeipſum, erga proximum, versùs Deū. Ita enim partitionem iſtam ab Apoſtolo factam poſt Bernardum aduertit Doctor Angelicus. Sic quippe Bernardus; « Filius (inquit) Dei apparuit, vt nos adiuuaret & erudiret: quod poteſt, quia eſt virtus Patris, & ſapientia. Virtus adiuuat, ſapientia erudit, & informat. Infirmitati auxilium eſt neceſſarium: cæcitas eruditione indiget & doctrinâ. Erudiuit ſanè faciens abnegare impietatem, & ſæcularia deſideria, &c. Impietas erat incredulitas, quia Deum nec credebamus, nec colebamus. Sæcularia deſideria ſunt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ, &c. Ita viuit homo ſobriè, quantùm ad ſeipſum, iuſtè, quantùm ad proximum, cui exhibet quod iuſtum eſt. Iuſtitia eſt in duobus: in innocentiâ, & beneficentiâ. Innocentia iuſtitiam inchoat, beneficentia conſummat. Piè, quantùm ad Deum. Pietas eſt in duobus: vt de nobis non præſumamus, ſed in Deo perfectè confidamus, vt per eum omnia mundi impedimenta vincamus. » Breuiùs totam hanc ſummam attigit D. Thomas: « cùm dicit ſobriè, &c. oſtendit quid boni faciamus. Et dicit, ſobriè, quantùm ad ſe: iuſtè ad proximum, piè ad Deum. Sobriè ad ſe, quaſi menſuratè. Bria enim

Tit. 2. 12.

Ber. ſer. 11. ex paruis.

D. Th. lect. 3. in ep. ad Tit.

Digitized by Google

menſura eſt. Et hoc eſt, ſi homo cum menſurâ rationis vtatur exterioribus rebus, & propriis paſſionibus. Vnde ſobrietas accipitur pro quolibet menſurato vſu rerum, exteriorum, & intrinſecarum paſſionum, &c. Iuſtè, ad proximum. Hortante Pſalmiſtâ ad iuſtitiam Dei imitandam: iuſtus Dominus & iu-
1. Tim. 4. 7. ſtitiam dilexit, &c. Piè, ad Deum. Exerce te ad pietatem. Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. » Tria
DIVISIO. hæc primò, in Nicolao videamus, & ſecundò ex ſingulis eius in his tribus erudiamur exemplis: « Apparuit enim poſt Chriſtum erudiens nos » de quo S.
S. Primaſius in c. 2. ad Tit. Primaſius « nullam excipiens conditionem & ſexum, & præceptis & exemplo » nos erudiuit quomodo ſobrij, & iuſti, & pij eſſe debeamus in hoc ſæculo.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Stupenda pendentis ab vbere ſobrietas, quæ bis in hebdomade ſucco lactis abſtinebat; illud Eſaïæ prodigium implens ad literam; « & delectabitur infans
Eſa. 11. 8. ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauernâ reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. » Quẽ locum Hieronymus explicat de recenter conuerſis, fidei virtute, ab energumenis expellẽtibus, vel eiiciẽtibus eos à ſuis delubris, & audacter Chriſti nomen
Victor. Vtic. lib. 3. hiſt. Vand. in medio. profitentibus: quales: Victor Vticenſis narrat duodecim puerulos ſymphoniacos, primò blanditiis, dehinc verberibus iteratis, acerrimè pro veritate fidei contra Arrianos ſtetiſſe victores. « Carthago (inquit) miro colit affectu, & quaſi duodecim Apoſtolorum, Chorum conſpicit puerorum, vnà degunt, ſimul veſcuntur, pariter pſallunt, ſimul in Domino gloriantur: » Nicolaus in hoc infante delineatus, in diaboli cauernam manum miſit, dum primam eius tentationem,

Digitized by Google

nem, gulæ ſcilicet, victor eliſit; dum ab vbere infantulus, non vetito, ſed neceſſario cibo Adam melior abſtinuit. Tria ſolent abſtinentiam facere difficilem: primò quidem ipſius abſtinentiæ pœnalitas, ſecundò tenella & indiga nutrimenti infantilis ætas; tertiò eſcæ ſuauis delectabilitas; quâ & Siſaram Iahel conſopitum, tabernaculi ſui clauo proſtratum affixit. O miram in infantulo Nicolao ſobrietatem: vbi nec abſtinentiæ rigidiſſima pœnalitas afficit, nec infirma ætas infantiæ deficit: nec delectabilitas mammæ nutricis allicit. « Hilarem, (inquit Paulus) datorem diligit Deus: » quid de Nicolao Eſaias? « & delectabitur infans. » Quod ſi gaudium & exultatio Ioannis in vtero, perſuadet vſum in eo fuiſſe rationis: quis dubitet Nicolaum eodem vſu anticipato potitum, qui non potuit ſine ratione, duos in hebdomade Mercurij, & Veneris addictos dies, ſic diſcernere, vt iis quandiu pependit ab vbere, ſingulis, ad veſperam vſque abſtineret. O beate infantule, Phariſæo arrogante, & de ieiunio præſumente melior; quod iactabat ille inſolenter faciem ſuam triſtis exterminans, & dicens: « ieiuno bis in Sabbatho: » tu humilis tacens, imples hilariter. De Ioanne vicini quærebant, « quis putas puer iſte erit? nam & manus Domini erat cum illo. » Et quid non de te fauſti ominis liceat auſpicari, & prænuntiare virtutis? Platonis, vt & Ambroſij facundiam, examen apum vtriuſque ori inſidens, & mellis fauum extruens nuntiauit: vt & opulentiam Crœſi, formicæ in palatum eius adhuc pueri apertum grana tritici plurima conuehentes: nos verò te, neceſſarium cibum ori tenero ſubtrahentem, magnæ abſtinentiæ, & auſteritatis virum fore prænoſcimus; vt de facto adoleſcens, dehinc clericus, tum Abbas, tandem Epiſcopus, quo magis ætate proficiebat & gradu; eo auſteriùs cibo, aquæ

Iudic. 5. 25.

2. Cor. 9. 7.

Luc. 18. 12.

Luc. 1. 66.

Gerſon ſer. de S. Nicolao.

potu, veſtitu contemptibili, cilicio, humicubatione, vigiliis, carnem animæ ſubderet, & aſpidem ac baſiliſcum iam ab infantiâ victor, edomaret. Nec ignorabat virginitatis amantiſſimus, quàm coniunctæ ſint auſteritatis, integritatiſque virtutes; & quantum ſit incentiuum libidinis, conuerſatio frequens, aſpectuſque mulieris; hinc quantùm potuit, & colloquiis, & viſu tali abſtinuit; ſanctum Iob ſibi in
Iob. 31. 1. exemplum ponens, dicentem: « pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine; quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hereditatem Omnipotens de excelſis? » 70. verò;
Greg. lib. 21. mor. cap. 2. « teſtamentum poſui oculis meis. » In quem locum Gregorius; « per hos (inquit) corporis ſenſus, quaſi per feneſtras quaſdã exteriora quæq; anima reſpicit, reſpiciens cõcupiſcit. Hinc etenim Ieremias ait; aſcẽdit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos
Ier. 9. 29. Eſa. 60. 8. noſtras, &c. Contra de iuſtis per Iſaïam dicitur: qui ſunt hi qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Iuſti namque volare vt nubes dicti ſunt, quia à terrenis contagiis ſubleuantur: & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas ſunt: quia per ſenſus corporis, exteriora quæque intentione non reſpiciunt rapacitatis, eoſque foras non rapit concupiſcentia carnalis, &c. Vt cogitationes cordis caſtè ſeruare poſſet, fœdus cum oculis pepigit, ne priùs incautè aſpiceret, quod poſtmodum inuitus amaret, &c. Semel enim ſpecies formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu ſoluitur, &c. Neque Eua lignum vetitum contigiſſet, niſi priùs incautè conſpi-
Gen. 3. 6. Thren. 3. 51. ceret, &c. Hinc etiam ſub Iudææ voce, quæ exteriora videndo concupiſcens bona interiora perdiderat, Propheta dicit; oculus meus deprędatus eſt animam. Concupiſcendo enim viſibilia, inuiſibiles virtutes amiſit, &c. Et quia non in ſe actionem tantummodo,

Digitized by Google

ſed & cogitationem luxuriæ extinxit, ſecurus adiunxit, vt ne cogitarem quidem de virgine, &c. Per Moyſem luxuria perpetrata, per authorem verò munditiæ, luxuria cogitata damnatur. Hinc eſt quod Diſcipulis primus Eccleſiæ paſtor dicit, ſuccincti 1. Pet. 1.
lumbos mentis veſtræ, ſobrij, perfectè ſperate in 13.
eam quæ affertur vobis gratiam. Lumbos enim carnis ſuccingere, eſt luxuriam ab affectu refrenare: lumbos verò mentis ſuccingere, eſt hanc etiam à cogitatione reſtringere. » Subiicit & de Angelo appa- Apoc.
rente Ioanni præcincto ad mammillas zonâ aureâ, 1. 13.
id eſt ex charitate cogitationes cordis conſtringente. Tum ſerpenti dictum notat: « pectore & ventre re- Gen. 3.
pes. Serpens videlicet ventre repit, quando hoſtis 14.
lubricus per humana membra ſibimet ſubdita, vſque ad expletionem operis luxuriam exercet. Serpens autem repit pectore, quando eos quos in opere luxuriæ non valet, polluit in cogitatione, &c. Sed quia per cogitationem ad explenda opera peruenitur, rectè ſerpens priùs pectore, & poſtmodum repere ventre deſcribitur. Vnde B. Iob, quia diſciplinam etiam in cogitatione tenuit, vnâ cuſtodiâ, ſerpentis pectus, ventremque ſuperauit, dicens, pepigi fœdus, &c. » Sic ſe victorem ab infantiâ præſtitit aſpidis & Reguli, qui ſobrietate, auſteritate, oculorum cuſtodiâ muniens virginitatem illibatam conſeruauit.

SECVNDA PARS MORALIS.

1. Reflexio. Nec mirũ ſanè ſi quotidiana conuerſatio carnalis, ſi potus ac ſibi indulgentia, propria luxuriæ pabula, & pectus & ventrem ſerpenti triumphanti ſubſternunt. Vidit mulier illicitum, edit, & viro edendum tradidit, & ſtatim apertis oculis nudos ſe

Digitized by Google

eſſe cognouerunt. Vide ſobrietatis tranſgreſſionem, integritatis corruptionem immediatè conſecutam. Adeo « Veneri & Libero conuenit; duo iſta dæmonia conſpirata & coniurata inter ſe ſunt, ebrietatis & libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus eſt » ait Tertullianus. Qui rurſum cognationem vtriuſque vitij pulchrè aduertit, ex populo Iudæo, ex epulis, ad luſum impudicum erumpente. « Conſcientiam (inquit) communem conſulamus; ipſa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum & potum, in Virgine adhuc ſaliuâ, exhibere conſuerit in rebus dumtaxat ſenſus, (id eſt mentis) agendis, quo diuina tractantur: ſi multo polluctioris mentis, ſi multo viuacioris cordis, quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis (intellige viſcera) eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis iam ſtercoribus æſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum: in quo planè nihil tam in proximo ſuperſit, quàm ad laſciuiam ſapere. Manducauit populus & bibit, & ſurrexerunt ludere. Intellige ſanctæ Scripturæ verecundiam: luſum niſi impudicum non denotaſſe. » Indiuiſas vbique ſic ſenſit comites, laſciuiam, & gulam, vt vel monſtruoſam, hoc eſt imperfectam, aut raram dixerit gulam ſine laſciuiâ, vel laſciuiam, abſque præcedente gulâ. « Monſtrum ſcilicet haberetur libido, ſine gulâ; cùm duo hæc tam vnita atque concreta ſint, vt ſi diſiungi omnino potuiſſent, ipſi priùs ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus, & vna regio eſt. Denique pro diſpoſitione membrorum, ordo vitiorum; prior venter, & ſtatim cætera ſaginæ ſubſtructa laſciuia eſt. Per edacitatē ſalacitas tranſit. » Tandem & Apoſtolus indiuiſim vtrumq; coniunxit. « Appendices ſcilicet gulæ laſciuia atq; luxuria. Quam ſocietatem & Apoſtolus ſciens, cum præmiſiſſet, nō in ebrietatibus nec in cō-

Tertul. de ſpec. cap. 10.

Tertul. de ieiuniis, cap. 6.

Exod. 32. 6.

Tertul. de ieiun. cap. 1.

Tertul. de ieiu. cap. 17.

Rom. 13. 13.

Digitized by Google

meſſationibus; adiunxit, nec in cubilibus & libidinibus.» Qui enim volet radices extirpare luxuriæ, quæ teſtes Iob, « ignis eſt, vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina » priùs debet fundamentum eius, gulam euertere. Sic notauit Tertullianus: « etiam fundamenta eius ab Apoſtolo effoſſa; cùm ebrietates, & commeſſationes compeſcit, ſicut & hîc, & nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. » Conſpirat Auguſtinus qui ſtatim poſt peccatum gulæ, exortam libidinem agnoſcit. « Quæ (inquit) poſt peccatum exorta, inſpecta, confuſa, velata eſt.» Exulem item factum paradiſo, per peccatum gulæ, & pruritum concupiſcentiæ. « Princeps (inquit) ille humani generis Adam, quandiu ieiunauit, ſeruans mandatum (abſtinentiæ ſcil. à ligno vetito) in paradiſo fuit. Vbi verò comedit, eiectus eſt de paradiſo. Et qui in paradiſo Dei Virgo fuerat, eiectus de paradiſo, cognouit vxorem. Semper enim iuncta eſt ſaturitati laſciuia.» Et iterum in eam rem: « quamdiu manſit in illis temperata parcitas, manſit & impolluta virginitas, &c. Fames enim amica virginitatis eſt, inimica laſciuiæ: ſaturitas verò caſtitatem prodit, nutrit illecebram. » Quid mirum ſi tu, Nicolae, rigidæ cultor abſtinentiæ, perpetuus fueris cuſtos virginitatis & innocentiæ?

Iob. 31. 12. — Tertul. de pud. cap. 17. — Epheſ. 5. 18. — Aug. 14. de Ciuit. cap. 21. — Gen. 3. 7. — Aug. ſer. 65. de tẽp. — Aug. ſer. 77. de tẽp.

Qui ſobriè vixit, auſterus erga ſeipſum, pietatem, & Religionem erga Deum coluit; perpetuum & incorruptum Spiritui ſancto de ſeipſo extruens templum. A ſancto Pontifice auunculo ſuo, primò cooptatus in Clerum; dum Sacerdotali charactere donaretur, prophetico ſpiritu exclamauit ad populum, Epiſcopus conſecratur; nouum in Nicolao Solem, orbi à Deo excitatum, & fœlicem futurum aliquando, ſub tanto Paſtore Chriſti Domini gregem. Ab eodem, propter eximiam vitæ ſanctitatem Abbatiæ

M iij

Digitized by Google

Præfectus; amore ſolitudinis, in deſertum abiit; Ieroſolymam peregrè profectus, dum ſolitudinem meditatur, Diuinâ reuelatione, in Monaſterium remeare compulſus; ibi poſt aliquod tempus, dum omni virtute ſubditis præluceret, cœleſti voce dicente ſibi, « non hîc, ſed alibi, te Dei gloria propaganda, & pietas ac cultus eius vocat: » egreſſus, Myram ignotus appellit, vbi collecti Epiſcopi, defuncto eiuſdem vrbis Pontifici, ſucceſſorem dum prouident; ſancto cœtus Præſidi oranti reuelatum eſt, & ab omnibus acceptum; eligendum fore, qui ſequenti mane primus, Nicolaus nomine, Eccleſiam oraturus intraret. Pernoctantibus itaque in oratione ſingulis, pro foribus templi affixum pauimento Nicolaum inuenerunt, & fruſtra plorantem ſeque indigniſſimum hoc munere peccatorem ingeminantem conſecrarunt. Dignitatis huius celſitudo, non inflauit, vti ſolet, ſed humiliauit Epiſcopum; nec, vt multi, veſtibus, ornamentis, cæteroque luxu dilatatus; ſed veſtitu pauperrimo, omni carnis abſtinentiâ, nudâ terrâ pro lecto contentus, libros ex charitate ſibi commodatos accepit; tanto pietatis zelo æſtuans, vt ſuos ad Martyrium hortatus, Deorum templa, & Dianæ maximè euertens, in exilium ageretur; vnde à Conſtantino magno reuocatus, cum cæteris Nicenæ Synodi Patribus, hæreſis Arrianæ condemnationi ſubſcripſit. Cùm enim Arrius cum ſequacibus ſuis, trium in Trinitate Perſonarum indiuiduam vnitatem abnueret; accepto Nicolaus in manu latere; « En (inquit) vnum ex tribus elementis inter ſe diſtinctis compoſitum » & continuò cernentibus omnibus, ignis ſurſum erupit, aqua deorſum effluxit, terra arida eius in manu remanſit: quo velut triſulco fulmine victrix veritas, hæreticam prauitatem peruicaciamque confregit. An non in hoc triumpho pietatis, cum Dauide com-

Valderama fer. 2. de S. Nicolao.

Digitized by Google

parandus Nicolaus, qui incircumciſum Goliath in fundâ & lapide proſtraturus: « Ego (inquit) venio ad te in nomine Domini exercituum.» Vbi notandũ eſt, in Hebræo legi plurale, « Eloim;» quod ſignificat Iudices. In quo myſterium Trinitatis innuitur. Vnitas quidem eſſentiæ, nomine ſingulari, Trinitas autem Perſonarum in nomine plurali. Sic Arrius, ſic Goliath, ille latere, iſte lapide proſtratus eſt. Atque vt Victori Dauidi certatim acclamarunt Ieruſalem filiæ: ita prorſus Angeli, & homines Nicolao de Arrio triumphanti, paribus modulis & concentibus applaudunt. 1. Reg. 17.45.

SECVNDA REFLEXIO. Vbi zelus noſter? vbi pietas? vbi ardens pro cultu diuino, & verâ Religione æmulatio, « non coutebantur Iudæi Samaritanis » & Catholici etiam nuptias contrahunt impunè cum hæreticis? « Quis conſurget mihi aduersùs malignantes, aut quis ſtabit mecum aduersùs operantes iniquitatem: » Quam porro diſtant à piâ humilitate, & humili pietate Nicolai, dignitates Eccleſiaſticas ambientes, & fauore, precibus, & quod deteſtandum amplius, etiam pecuniâ, Simoniacè ſe miniſteriis ſacris, & tremendis, intrudentes, & pauperum patrimonia, fructus Beneficiorum ſuperfluos, numeroſæ famulorum inutilium turbæ, curribus, canibus, equis, menſis, thoris, tapetibus pretioſis impendentes. Audiant Paulum, ſic monentem, & à præcipitio imminenti deuertentem: Vbi & pietatem Pontifici propriam, & vocationem ad id muneris obeundi neceſſariam manifeſtat. « Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poſſit ijs qui ignorant & errant: quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate. » Aduerte ex hominibus aſſumptum dicere: & Io. 4. 9. Pſalm. 93.16. Hebr. 5. 1. & ſeq.

Pſ.64. 4 iuxta Pſaltem, «Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti.»
De Aarone ſubiicit: « Nec quiſquam ſumit ſibi ho-
Hebr. 5. 4. norem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. »
Quid hoc? D. Thomas de miraculo explicat, quo
D. Th. lect. 1. in cap. 5 Hebr. virga eius floruit, & vocatione eius, quam primò
Deus ſignificauerat Moyſi dicens; « Applica ad te
Aaron. Et ideo Dominus confirmauit Sacerdo-
Exod. 28. 1. tium eius per virgam quæ floruit. Tales ergo debent
Num. 17. 8. aſſumi, qui non ſe ingerunt. Vnde antiquitus ſigno
viſibili oſtendebatur, ſicut patet de B. Nicolao. »
Hæc in rem noſtram aptiſſimè Doctor Angelicus,
qui & de Chriſto iuxta Paulum ſubdit; « ſic &
Hebr. 5. 5. Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex
fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu.
Pſ 2. 7 Quemadmodum & in alio loco dicit: tu es Sacerdos
Pſ. 109. 4. in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.»
Vbi D. Thomas; « primò (inquit) oſtendit quòd
Chriſtus non promouit ſeipſum: ſecundò oſtendit à
quo ſit promotus, &c. Non dicit, non fecit ſeipſum
Pontificem; ſed dicit, non clarificauit. Sunt enim
quidam qui ſe clarificant, vt fiant; ſicut hypocrytæ
qui demonſtrant in ſe aliqua vt eligantur, vel præ-
Ier. 23. 21. bendas conſequantur.» De quibus & Propheta: « ip-
ſi currebant, & ego non mittebam eos. » Et Chri-
Io. 10. 1. ſtus: « qui non intrat per oſtium, ille fur eſt, & la-
tro. » Ipſe verò ſe dicit oſtium, per quod, & ad cuius
exemplum, veri paſtores intrare debent, vocati, non
intruſi, à Deo clarificati, non ſeipſos clarificantes,
libris, concionibus, diſſertationibus hoc fine ſe in
publicum edentes. Fures, & latrones, qui melioribus
& vtilioribus ſe ſuperbè præponunt, Eccleſiam di-
gnioribus miniſtris fraudant, pauperum bona corro-
dunt, non paſcentes gregem ſed ſemetipſos; quorum
Zach. 11. 17. ſingulis illud à Prophetâ dicitur: « O Paſtor & ido-
lum! » Sibi enim thus, honoréſque diuinos deferri

volunt, & circa pauperes « oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt » &c. Nec miſeris ſubditis opem de bonis Eccleſiæ ferunt. Pſ. 113. 13.

« Tantùm pompæ immobile ſepulcrum, in quo pietatis totus vtique & viſus deficit & auditus. » Chryſol. ſer. 121.

3. Reflexio. Neque verò ſolum Deũ vera pietas, ſed & proximũ propter Deũ colit & diligit; & non ſolùm piè, ſed & iuſtè, neceſſitatem patienti tribuit. Vnde Paulus Timotheum inſtruens, non tam exercitationem mortificationis, abſtinentiæ, & operum corporis pœnalium, quàm opera pietatis commendabat, cùm diceret: « exerce teipſum ad pietatem; (tranſlat. Syr. ſcopo noſtro fauens, & iuſtitiam in pietate complectens, in rectitudine, vertit:) nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt; (Syr. ad exiguum tempus prodeſt, rectitudo verò in omnibus vtilis eſt.) Pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt & futuræ. » Quo loco Doctor Angelicus, multa ad mores vtiliter congerit. Et primò notat priùs Paulum à ſuperſtitioſâ abſtinentiâ dehortatum; virtuoſam, cui plurimùm addictus erat Timotheus, aliis virtutibus comparare: deinde quid ſit pietas definit: « pietas eſt, per quam parentibus patriæque beneuolè officium impendimus: ſicut Religio per quam cultum debitum Deo exhibemus. Pietas enim importat quandam affectionem ad ſuum principium. Principium autem generationis eſt pater & patria. Et ideo oportet quòd homo circa eos ſit beneuolus, pater autem omnium eſt Deus. Si ego, inquit, Pater, vbi eſt honor meus? Et ideo nomen pietatis eſt deriuatum ad cultum Dei, vt dicit Auguſtinus: pietas eſt verax veri Dei cultus. Sed quantum ad Chriſtianam pietatem requiritur vt homo omnibus hominibus ſit beneuolus, quia omnes ſumus eiuſdem patriæ. Et ideo pietas

1. Tim. 4. 8.

D. Th. lect. 2. in 1. Tim. 4.

Malac. 1. 6.

Aug. lib. 4. de Ciu. cap. 23.

Digitized by Google

ſumitur pro miſericordiâ. Vnde gloſſa; ad pietatem, id eſt, ad cultum omnipotentis Dei, & opera miſericordiæ. » Singulariter autem duo hîc aduertit, primò quòd frequenter auſteri & abſtinentes, in ſeipſos duri, ex ſe alios metientes, ſint duri & immiſericordes. « Sciendum (inquit) quòd iſte Timoheus erat homo valde abſtinens; vnde dicitur infra, quod modico vino vtatur; & fortè, vt ſit ſolicitus de his quæ ad miſericordiam pertinent: quia qui non parcunt ſibi, frequenter nec aliis parcunt. Et ideo inducit eum vt pietatem præferat abſtinentiæ, &c. Et dicit, exerce, non fac: quia exercitium dicit promptitudinem: & hoc ideo quia exercitatus facit leuiùs, delectabiliùs, & ſtabiliùs. » Quàm bellè hæc D. Nicolao conſonant, quam mirabiliter quadrant, viro ſimul & in exercitatione corporali, & pietate ſimul, ac iuſtitiâ, indefeſsè Deo, ac proximo vacanti! quo ſibi ſtrictior, eo proximo propter Deum abundantior: qui ampliſſimum ſibi à parentibus patrimonium relictum, nutriendis, veſtiendis, fouendis pauperibus, largus effudit; famem in Liciâ, Mercatori in Hiſpaniam pergenti è Siciliâ in ſomnis apparens, tribus aureis in pignus datis, abundantiâ frumenti ſubleuauit. Tres ciues iam librato carnificis gladio innocentes eripuit. Tres item Tribunos falsò accuſatos, Conſtantino in ſomniis apparens & Ablauio Præfecto, calumniam improperans, liberauit, ſancito hac causâ per Conſtantinum edicto, vt Epiſcoporum ſententiæ ratæ ab omnibus haberentur. Quoties Nautis in naufragio propitius adfuit; & in tempeſtate gubernaculum ipſe tenuit, &c. Quid dicam de tribus formâ & nobilitate inſignibus Virginibus, quibus dotem, iam patre ad proſtitutionem accincto, noctu clam prouidit, miſericors & iuſtus, & tertiâ vice deprehenſus, ſilentium, flebiliter exultanti

D. Th. ſupra. 1. Tim. 5. 23.

Digitized by Google

patri impoſuit, filiabus honorificè collocatis, ipſiſque & parente, ab infamiâ, & offensâ Dei præuentis? Sic ſic, & propria, & Eccleſiæ maximè bona, pauperibus; & quàmmaximè verecundis, partienda, & humiliter contra iactantiam, & iuſtè ad extremam inopiam ſubleuandum; & ſecretè ad pudorem proximi temperandum, exemplo Nicolai perdocemur.

QVARTA REFLEXIO. Prudenter & cautè faciendam eleemoſynam Chriſtus monuit, eamque iuſtitiæ nomine honorauit, tum quòd iuſtitiam peccatori procuret: iuxta illud, « quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis: » Luc. 11. 41. Tum quòd non ex rapinâ, ſed iuſtitiâ partis, vel iuſtâ hæreditate relictis, ſit facienda; tum denique quia extremâ inopiâ laboranti non iam ex ſolâ charitate, ſed ex iuſtitiâ debetur. « Attendite (hoc eſt prudenter aduertite) ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. » Matth. 6.1. Præceſſerat & Pſaltis monitum: « Diſperſit, dedit pauperibus. » Pſalm. 111. 9. Charitatem fortè pietatemque dixeris: non ſic, ſed « iuſtitia (inquit) eius manet in ſæculum ſæculi. » Prudentiæ ſymbolum vetus, ſerpens, non Ægyptijs modò, ſed & Chriſtianis. « Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. » Matth. 10. 16. Non tam vt diſcutias egeſtatem, cùm præceptum ſit, « omni petenti te, tribue. » Luc. 6. 30. Sed quòd ſicut ſerpens præ cæteris membris ſeruat caput; ſic intentionem, quâ ſoli Deo placeamus, & capiti in ſuis membris egenti tribuamus, prudenter aduertere debeamus. Memini ſcriptum de ſerpente Scitala à quo & litteræ Scitalæ vocatæ ſunt, id eſt occultæ & hieroglyphicæ; quòd ſemper in cauernâ deliteſcat, nec inde niſi coactus prodeat. Sic inuitus in ducem prodiit Nicolaus, & à memorato nobili in benefacto deprehenſus erubuit, memor Euangelici verbi: « te autem faciente elee- Matth. 6. 3.

Digitized by Google

Matth. 6. 2. moſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.» Nec tubâ ante ſe canebat. « Bene tubâ, quia Chryſol. ſer. 9. talis eleemoſyna hoſtilis eſt, non ciuilis; non miſericordiæ dedita, ſed clamori; ſeditionis vernula, non alumna pietatis: oſtentationis nundinatio, non commercium charitatis. Eleemoſynam quiſquis oſtentat, inſultat, &c. Captiua gloriæ, verecundiam pauperum non releuat, ſed fatigat; quæ de gemitu inopis pompam ſuæ gloriationis inquirit; quæ ſuam laudem dilatat pauperis ex dolore; quæ de miſeriâ petentis, famam ſuæ oſtentationis expandit.» Eſt & aliud in præfato ſerpente memorabile, & ſequendum: quippe qui, non vt alij ſolſtitio, ſed mediâ hyeme pelle ſe exuit, ſic calidâ, vt eius agricolæ exuuiis; baculos operiant, quos tractando, manus frigidas breui excalefaciant. Quid proficit extra neceſſitatem eleemoſyna? quid lauta diuitibus conuiuia præ- Luc. 12. 42. parantur? « beatus ille ſeruus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore Pſalm. 51. 8. tritici menſuram.» Dicat Nicolaus: « Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei mei.» Nec mirum ſi relictis virginibus fatuis, quæ non ſumpto oleo, in ſepulcri lecto dormierunt: de eius tumulo iuge oleum, ex abundantiâ miſericordiæ eius in ægros curandos emanauit; qui dum viueret, oleo pietatis in pauperes exſudauit. Æſtate flores mittit oliua, nec ardore marceſcunt; hyeme fructus vberes fundit: vis quippe huic, non in cute, ſed in intimâ medullâ, eſt arbori: vt cùm aliæ plantæ, & floribus & fructibus exuuntur; Nicolaus in vtriſque perſeueret. Sunt qui nec verba florida, nec opera frugifera dent egentibus: pietas autem & iuſtitia Nicolai, vtpotè medullata, vtriſque abundauit. Exercete, quæſo, vos ad pietatem, & iuſtitiam, ad omnia vtilem; id eſt ſe- D. Th. cundùm D. Thomam, « ad omnia peccata delenda:

Digitized by Google

Ignem enim ardentem extinguit aqua, & eleemoſy- lect.2.
na reſiſtit peccatis. Item ad bona promouenda. in 1. Tim.4.
Eleemoſyna quippe hominis, quaſi ſignaculum 8.
cum ipſo. Item promeretur ſpiritalem Dei mi- Ecli.3.
ſericordiam; Beati miſericordes, quoniam ip- 33.
ſi miſericordiam conſequentur, &c. Quia ho- Ecli.17.
mo benefaciendo aliis, inducit alios ad oran- 18.
dum, pro ſe: & Dominus donat aliquando ve- Matth.
niam peccatoribus, precibus Sanctorum. » Quid 5.7.
ergo mirum, ſi Pſaltes exclamet: « Beatus qui in- Pſ.40.
telligit ſuper egenum, & pauperem, in die ma- 1.
lâ liberabit eum Dominus. » Vbi Auguſtinus: Aug. in
« reſpice pauperes, egentes, eſurientes, & ſi- Pſ. 40.
tientes, peregrinantes, nudos, ægrotos, in carcere conſtitutos. Intellige ſuper talem paupe-rem: quia & ſi ſuper talem intelligis, ſuper illum intelligis qui dixit; Eſuriui, &c. Dominus conſeruet eum, &c. Erige ergo oculos in hæc promiſſa, Chriſtianâ fide: non te deſerit Deus in terrâ, & aliquid promittit in cœlo, &c. Quamuis in æternum viuificet, beatum faciat eum in terrâ. » Sic in hoc ſæculo, Nicolaum imitan-
tes, ſobriè quantùm ad nos, piè circa Deum, Tit.2.
iuſtè erga proximum, viuamus; vt « expectan- 13.
tes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei » in æternum cum eo regnemus. Amen.

Et aliquod coinquinatum non intrabit.» Et quidem Apoc.
magna peccati originalis macula ; quæ totam inno- 21.27.
centiæ veſtem polluit. Lepra contagioſiſſima , quæ omne corpus humani generis infecit;& ſolo Dei ſanguine potuit expiari. Ruga tenaciſſima, quæ in cruce
debuit extendi,vt dixerit Auguſtinus: « propter ma- Beda ex
culas abluit in ſanguine ; propter rugas extendit in Aug. in
cruce. » Abyſſus profundiſſima,de qua ſcriptum eſt; cap. 5. Epheſ.
« gygantes gemunt ſub aquis. » Audite duos gy- Iob.26.
gantes, virtute proceros. Magnum inter Orientales 5.
virum Iob: « pereat dies in qua natus ſum,& nox in qua dictum eſt,conceptus eſt homo:» ſcilicet in peccato. Attendite etiam gygante Goliath maiorem, Pſ.50.7
& victorem Dauid : « Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum , & in peccatis concepit me mater mea. » Ingens debitum, cuius chirographum debuit per crucem tolli,& in ea figi, & pretio magno , hoc eſt agni ſanguine deleri. Hanc nos omnes maculam, rugam, lepram, debitum contraximus;in hac abyſ-
ſo demerſi ſumus ; tu ſola Virgo « tota pulchra , & Cant.
macula non eſt in te; » Quæ dicere potuiſti : « non- 4.7.
dum erant abyſſi & ego iam concepta eram. » Tu Prou.8. 24.
arca Noë diluuio ſupernatans. Tu arca fœderis, intus & foris inaurata; de Sethim id eſt ſpina generis Exod. 25.10.
humani , orta quidem; ſed ſine aculeo peccati, « ſi- 11.
cut lilium inter ſpinas , ſic amica mea inter filias. » Cant.2.
Vel Aſpalatho ſimilis , Iride coronato,& rore Cœli 2.
conſperſo odorem ſuauiſſimum afflanti , « ex quo Cant.8.
facta ſum,ais, quaſi pacem coram ipſo reperiens » 10.
cuius Iris eſt Symbolum ſicut & arca fœderis : quâ tranſeunte in terram promiſſam fluentem lacte &
melle, quâ Chriſtus nutriendus erat ; tranſeunte, Ioſue.
inquam,à non eſſe,ad eſſe; Iordanis,hoc eſt Iudicum 3.16.
fluuius in omnes homines torrentis inſtar inundan- Exod.
tis, ſtetit attonitus. Arca de ligno imputribili con- 25.10.

Digitized by Google

ciperetur. Quid mirum ergo ſi « armis lucis iuduta» Cant.6.
Principes tenebrarum in ipſo conceptus momento 9.
debellet, facta ipſis « rerribilis vt caſtrorum acies
ordinata? » Certè ſi cum Procopio ſentimus, prima
illa lux quæ fuit nubes lucida, de qua poſtea die
quarta corpus Solis formatum eſt, in figuram Beatiſ-
ſimæ Virginis poſita eſt lux. Virgo enim dicitur « pri- Eccli.
mogenita ante omnem creaturam. » Et rurſum de 24. 5.
ea ſcriptum eſt: « luci comparata prior inuenitur. » Sap. 7.
Quin & ipſa « de qua natus eſt Ieſus qui dicitur 29.
Chriſtus » apud Sapientem ſic fatur: « ego feci vt Math.
oriretur in cœlis lumen indeficiens. » Lux ſcilicet illa 1. 16.
vera quæ illuminat omnem hominem venientem in Eccli.
hunc mundum, quæ in tenebris lucet, & tenebræ 24. 6.
eam non comprehenderunt » quod ſi Apoſtolum Io. 1. 9.
interroges, reſpondebit tibi: « quæ conuentio lucis 2. Cor.
ad tenebras, & Chriſti ad Belial? » Quid Mariæ toti 6. 15.
pulchræ, cum originalis peccati fœditate? Et tu Ioan-
nes quid vides? « Signum magnum apparuit in cœ- Apoc.
lo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & 12. 1.
in capite eius corona ſtellarum duodecim, &c. Et Ibid. 4.
Draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, vt
cùm peperiſſet deuoraret filium eius, &c. Et raptus
eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Et mu-
lier fugit in ſolitudinem, &c. Et datæ ſunt mulieri Ibid.
alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum. » 14.
Filius quidem in momento conceptionis raptus eſt à
« Verbo, quod caro factum eſt » & ad thronum glo-
riæ, quo impeccabilis, omni peccato imperauit; &
mater eius, duabus alis, gratiæ & viſionis beatificæ,
vt infrà videbimus, euolauit in ſolitudinem, Draco-
nem eludens; quia ſola à lege communi exempta
fuit. Sole veſtita innocentiæ, lunam calcans pedi-
bus, maculis omnibus ſupereminens, & velociſſimo
planetæ præcurrens, tam rationis, quàm gratiæ lu-

Digitized by Google

Aug. in Pſ.142. mine. Lubet hîc referre Auguſtinum: « Idem, inquit, ipſe altiſſimus fundauit eam ciuitatem in qua factus eſt homo. Itaque & illa mulier Sole cooperiebatur, Sole ipſo iuſtitiæ, quem non cognoſcunt impij &c. Ergo & amicta erat Sole, & geſtabat viſceribus maſculum paritura. Idem ipſe erat condens
Apoc. 21.11. Sion, & naſcens in Sion; & illa mulier ciuitas Dei (aurum mundum ſimile chryſtallo puro, quò aliquid coinquinatum non intrat;) eius luce protegebatur, cuius carne grauidabatur. Meritò & Lunam ſub pedibus habebat, quia mortalitatem creſcentis & decreſcentis carnis, virtute calcabat. » Quid porro ſtellæ primò productæ cum lumine, niſi conceptam in luce, & victoria peccati originalis coronatam Virginem ſignificant? De cæteris ſanctis, nocte
Iob.3.9. peccati originalis inuolutis, ſit dictum: « obtenebrentur ſtellæ caligine eius: expectet lucem, (Chriſtum) & non videat, (ſibi ſubiectum) neque ortum ſurgentis auroræ » Mariæ. Adiuuerit Dei gratia Ieremiam & Ioannem Baptiſtam, mane, ab vtero, in ventre matrum ſanctificauerit, & purgauerit à peccato; impletum tamen in eis, ſicut & in cæteris, communi lege in peccato conceptis, illud Iob; vbi de
Iob.41.21. principe tenebrarum Leuiathan: « Sub ipſo erunt radij Solis, & ſternet ſibi aurum quaſi lutum. » Qui
Beda citatus in Gloſ. ſunt hi aurei radij Solis? « filij certè lucis, qui à principe tenebrarum, in præuaricatione Adam, fiunt noctis filij. » Sed licet draco tertiam partem ſtella-
Apoc. 12.4. rum trahat cauda ſua, hoc eſt Angelorum; omnes hominès in Adæ peccato abripiens; de virgine tamen
Gen. 3.15 dictum eſt: « ipſa conteret caput tuum. » Hæc eſt
Iudith. 14.16. enim illa Iudith, quæ caput Holofernis abſcindens; « vna mulier Hebræa fecit confuſionem, in domo
Iudic. 5.26. Regis Nabuchodonoſor. » Hæc ipſa Iahel, « percuſſit Siſaram, quærens in capite vulneri locum, &

tempus validè perforans. » Quid enim Siſara, niſi, « excluſionem gaudij » ſignificat? Peccato enim originali, omnes à gaudio æternæ beatitudinis excludimur, in quod intrauit Maria, ſtatim atque ex nihilo prodiit. Hæc illa eſt Eſther « paruus fons qui creuit in fluuium, & in lucem Solemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit. » Et vbi ſordes in aquis puriſſimis? Vbi tenebræ in luce, & Sole? Cadant omnes de cœlo ſtellæ, cum eo vel ab eo abſtractæ, qui « in veritate non ſtetit: » ſed de Chriſto, & Maria Propheta cecinit: « Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo; (id eſt ſibi proprio gratiæ originalis tabernaculo) in luce ſagittarum tuarum, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuę; (qua eos proteges ab omni peccato, &c.) Percuſſiſti caput de domo impij, &c. Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius. » Atque vt reuertar ad Eſther; licet à facie Dei cum Adamo omnes veſte innocentiæ nudati, trepidi fugiamus; nec coram eo etiam vocati apparere audeamus; ſoli Virgini, ſicut Eſther, à magno Aſſuero dictum eſt; « Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere, non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt. Accede igitur, & tange ſceptrum. » Quæ enim proximior ſceptro & throno Regio Chriſti, vt omni prorſus peccato imperet, quàm Regina mater? quam « qui tangit, tangit pupillam eius. » Quod ſi tota terra Ægypti tributum pendebat Pharaoni; ſola Sacerdotum terra ab eo exempta fuit: « abſque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. » Siue, vt habet tranſlatio 70. « præter terram Sacerdotum tantùm, non erat Pharaoni: » ſupple huic tributo ſubdita. Quæ autem terra Sacerdotalis, niſi Maria mater ſummi Pontificis Chriſti & Regis, quæ ſummum gratiæ meruit principatum? Vnde & de Chri-

Eſther. 10. 6.

Habac. 3. 11.

Eſther. 15. 12.

Gen. 47. 26.

Digitized by Google

Eſa.9.7 ſto Eſaïas: « Multiplicabitur eius imperium » vbi Rabby Haccados inuenit ſcriptum, « Miriam Sarah; » hoc eſt, Maria Domina; quòd imperium Virginis, ſit filij ſui ſceptro coniunctum. Et notandum, quòd hoc loco, litera M. contra morem, in medio vocis ſit clauſa, magno myſterio; vt quæ, « porta Ezech. 44.2. Orientalis clauſa principi » futura erat, Virgo concipiens, & pariens; concepta quoque vndequaque foret clauſa peccato.

Tu verò ſponſe, num inter tot Scripturæ oracula tacebis, in communi acclamatione Virginei conce- Cant. 4. 12. ptus, ſponſæ tuæ? Dic nobis quid de ea ſentias? « hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. » Apertus fuerat paradiſus ſerpenti Euam decepturo, concluſus fuit ne ſerperet in Mariam. Et velut in India, planta pretioſa, in radice petitur à ſerpente dicto Attuſo; quâ infectâ veneno, rami omnes contabeſcunt, niſi oleo inungantur. Radix generis Adam, à ſerpente omnes ramos & membra veneno mortifero infecit: ſola Virgo inuncta gratia immunis ab eo floruit. Proſequitur ſponſus; « fons ſignatus » in quem nullum potuit virus effun- Ibid.13. di. « Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum » ſiue vt legit Sanct. Pagn. ex Hebræo « plantationes tuæ » alij autem vertunt: « halitus tuus paradiſus, &c. » Vt prima eius reſpiratio exhalauerit felicitatem paradiſi, & ſtatum innocentiæ. Nec ſine cauſa cæteris arboribus prætermiſſis, meminit malorum punicorum, ſiue granatorum: quæ numquam ſine corona florent vel fructificant. Dum enim fructus huius arboris in flore concipitur, ſua etiam corona à natura decoratur. Vt ex eo diſcas, Mariam primo in conceptu ſpirantem, floruiſſe Reginam & omnis prorſus peccati victricem. Quid plura? « Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. » Vel

iuxta alias verſiones, « ruga, reprehenſio, momus, irriſio non eſt in te. » Nulla ruga ex Adam veteri contracta, cuius cauſa dictum eſt, « puer centum annorum morietur. » Quomodo puer centum annorum dicitur? Hoc eſt dum concipitur puer vnius momenti, rugam in fronte portat ipſa generatione ex Adam veteri contractam; vix viuit puer, & rugoſus eſt ſenex; vix viuit corpore, & animâ moritur. Sed « ruga non eſt in te. » Momo, hoc eſt irriſori diabolo, omnes ſint expoſiti; quid in te arguant, rideant, reprehendant inimici? « Momus, irriſio, reprehenſio non eſt in te. »

Cant. 4. 7.

Eſa. 65. 20.

Scripturæ teſtimoniis, ſanctorum Patrum accedat authoritas. Ac primò quidem D. Andreæ Apoſtoli ſententia præcedat. Hic enim iuxta Abdiam, Beatam Virginem comparabat terræ adhuc Virgini, necdum maledicto ſubiectæ. Et quis cedat Mariam vſquam peccati maledicto ſubditam? Ita ſenſit Ambroſius à Gerſone Eccleſiæ Pariſienſis Cancellario relatus. « Nec mirum, inquit, ſi Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoauit à Mariâ; vt per quam ſalus omnibus parabatur, eidem primò fructum hauriret ex pignore. Quid enim nobilius Dei matre? &c. Vt de cæteris eius virtutibus taceam, Virgo erat, non ſolum corpore, ſed & mente. » Vnde concludit, ſanctiſſimam Virginem non fuiſſe à lapſu peccati erectam, ſed præſeruatam. Aliàs Virgo mente non fuiſſet, ſi fuiſſet peccato originali corrupta. Quod autem dicit Ambroſius eam redemptionis fructum hauſiſſe ex pignore, confirmat Auguſtinus, vbi de ſanctis viris & fœminis veteris teſtamenti tractabat; B. Virginem excipit à peccato « exceptâ, inquit, B. Virgine Mariâ, de qua, propter honorem Domini, (vide complexum matris & filij in omne peccatum imperium) nullam prorſus cùm de pecca-

Gerſ. tom. 2. ſer. de Cõcep.

Aug. tom. 7. libro de natura & gratia cap. 36.

Digitized by Google

tis agitur, habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum eſt ad vincendum omni ex parte peccatum; quòd eum concipere meruit & parere, quem nullum conſtat habuiſſe peccatum.» Nec dicas hoc loco agere Auguſtinum, de peccatis actualibus, quibus nulli dubium eſt, immunem fuiſſe Beatiſſimam Deiparam: apertè enim dixit, « nullam prorſus cùm de peccatis agitur, velle ſe habere quæſtionem, idque propter honorem Domini » cui plus repugnat, Matrem habuiſſe peccato originali corruptam, quàm omnibus venialibus maculatam: Nec verum fuiſſet, plus ei gratiæ collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, ſi peccato originali ſuccubuiſſet, naturâ iræ filia ſicut cæteri. Et quod omne tollit dubium, eſt quod ſubiicit; « eum concipere meruit & parere, quem nullum omnino conſtat habuiſſe peccatum.» Vt inde concludat, & matrem eius, propter honorem filij, ab omni prorſus etiam originali labe præſeruatam; cùm eſſet iuxta Bernardum, « quantùm abſque perſonali vnione dici poteſt, luci illi inacceſſibili immenſa:» vtpote, « mulier amicta Sole » quem vtero portare debebat.

Ber. ſer. ſup. ſignum mag. Apoc. 12 1.

Quod ſi D. Thomam opponas, in Summa, Virginē communi lege in peccato conceptam, tria, cum bona Doctoris Angelici venia, ex ipſo habeo quæ reſpondeam. Primò enim idem ipſe, « poteſt, inquit, aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit. Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit; fuit tamen ſub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccādum.» Et rurſum; « ipſa, inquit, puriſſima fuit quantum ad omnem maculam: quia neque originale, neque mortale, neque veniale peccatum incurrit.» Tertiò quia

In recētiori bus nō reperi. D. Th. 1 Sent. diſt. 44 à 3. ad tertium in edit. Lugd. Iacobi Myt.

Digitized by Google

contra eum retorqueri poteſt, argumento ad hominem, quod ipſe habet in Summa; vbi ſic probat Virginem natam ſanctam. « Eccleſia (inquit) quæ errare non poteſt, non facit feſtum, niſi de ſancto, ſed celebrat feſtum Natiuitatis B. Virginis; ergo nata eſt ſancta. » Sic reſumo. O Doctor Angelice, ſi nunc viueres, & videres Eccleſiam hodie celebrare feſtum Conceptionis; numquid ſic eam ſanctam comprobares? Eccleſia nuſquam aberrans feſtum Conceptionis modo celebrat, ergo conceptio eius eſt ſancta & immaculata.

anno 1520. recognita per M. Lãbert. in expoſit. in Aue Maria. D. Th.

Supereſt vt etiam idipſum ratione probemus, à qua longiſſimè abſunt, (licet Eccleſia contrariam ſententiam non abſolutè condemnet) qui intemeratum Virginis conceptum negant. Accipite Tertullianum ſic de ratione loquentem: « Res Dei ratio. Quia Deus omnium conditor, nihil non ratione prouidit, diſpoſuit, ordinauit; nihil non ratione tractari, intelligique voluit. ». Cui mirè conſonat Auguſtinus: « Quidquid (inquit) tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum tanquam bonorum omnium conditorem. Non eſt autem vera ratio, ſed inuidiæ infirmitas, cùm aliquid melius faciendum fuiſſe cogitaueris, &c. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit. Humana quippe anima naturaliter diuinis, ex quibus pendet, connexa rationibus, cùm dicit, melius hoc fieret, quàm illud: ſi verum dicit, & videt quod dicit, in illis, quibus connexa eſt rationibus videt. Credat ergo Deum feciſſe, quod vera ratione ab eo faciendum fuiſſe cognouit, etiam ſi hoc in rebus factis non videt. » Hoc principio poſito, apertè conuincitur, B. Virginem à peccato originali fuiſſe exẽptam: meliori ſiquidem ratione probatur, medicinam præſeruatiuam optabiliorem eſſe purgatiuæ

Tertul. lib. de pœnit. cap. 2.

Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 5.

Digitized by Google

Pſ.45.8 præuentionem lapſus, erectione. « Dominus quidem erigit eliſos » qui cum Patre Adamo ceciderunt: ſed
Pſ.114. ſola Virgo per Pſaltem, gratias agit: « conuertere
7. anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu. » Et quis non præferat iam abducendum in captiuitatem, tyranno præripi: debitum grande contracturum in parente prodigo, à benefico creditore in contractu non comprehendi; quàm poſtea poſt carcerem & vincula redimi? Sic Laurentius Iuſt. vbi de Virginis con-
Laur. Iuſt. ceptu: « In benedictionibus (inquit) præuenta dulcedinis, à maledictionis aliena chyrographo, prius eſt ſanctificata quàm nata. » Numquid melius eſt Reginam priuilegio gaudere, quàm ſeruum? Nonne indecens foret, Angelos & homines primos, vel Dominæ & Imperatrici ſuæ præponi, vel æquari? Mariam poſtponi Angelis, & primis parentibus in gratia creatis: Mariæ, Ieremiam & Ioannem Baptiſtam ſanctificatos in vtero, coæquari, quæ ratio concludit? Adam tam remotè futurum Chriſti Patrem in ſtatu innocentiæ creatum; Mariam veram & imme-
Sap. 1. diatam Chriſti Matrem, in peccato concipi? Si « in
4. maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: » quod de creata, & infuſa ſapientia dictum eſt: quomodo in Mariam increata Dei Sapientia intrare voluiſſet? An prius Maria iræ filia, quàm gratiæ, ſerua diaboli quam Dei? Quis audeat dicere Spiritum ſanctum, à ſerpente conſtupratam, & reliquias eius fœdatas accepiſſe in ſponſam? Si à dolore & corruptione partus & mortis, propter honorem Domini, cui hoc opprobrium repugnaret, creditur exempta; quanto magis ab omni corruptione peccati? Tandem ſi Pater omnipotens, Filius ſapiens, Spiritus ſanctus bo-

Digitized by Google

nus; quid cùm poſſet, ſciret, vellet, perfectiſſimam filiam, matrem, ſponſam eligere & creare; ei potuit, aut ſciuit, aut voluit denegare? & cùm ſtatus innocentiæ integræ, ſic abſolutè perfectior ſtatu reparatæ; « cùm tibi vera ratione hoc melius occurrat, ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium conditorem. » Aug. ſupra.

Eſt & alia ratio in viſione beatifica fundata. Referunt enim Patres Deiparam ſæpiùs vidiſſe diuinam Eſſentiam. Ita Bernardus, Albertus Magnus, Bernardinus Senenſis, & noſter D. Thomas à Villanoua Archiepiſcopus Valentinus. Quod priuilegium ipſi conceſſum fuiſſe aſſerunt D. Bernardinus & Gerſon, nec tantum potuiſſe id ei conferre Deum, ſed in ipſo Conceptionis inſtanti plurimum decuiſſe affirmat. At viſio beatifica ſubſiſtere non poteſt cum peccato, nec ſumma animæ beatæ cum Deo coniunctio, compati cum animæ miſerrimæ à Deo diuiſione, quæ fit per peccatum originale. Et hoc confirmatur reuelatione quam ſancta Birgitta accepit à B. Virgine, cui dixit; « Cum anima mea ſanctificabatur, & corpori ſuo iungebatur, tanta dulcedine ſum repleta, vt impoſſibile ſit effatu. » Quod ſi exultatio Baptiſtæ in matris vtero, vſum rationis, & ſanctificationem eius probat; vt riſus proprietas eſt manans à lumine rationis; iuxta Pſaltem, « ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo: » quid illa ineffabilis dulcedo & exultatio cordis Mariæ in ſuæ Conceptionis inſtanti, niſi gaudium ex beatifica viſione profluens indicabat? « Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei: » nec tantummodo gratioſa; cuius « fundamenta in montibus ſanctis: „ quia prima gratia tibi conceſſa, altior eſt omni ſanctorum montium, Angelorum & hominum apice, & gloria. De qua ibidem ſcriptum eſt: " flu-

Ser. in Apoc. & Ser. 5 de Aſcenſione. Albert. in Mariali. c. 32. & 140. B. Th. ſer. de Reſur. Bernar. Sen. to. 2. ſer. 51 art. 1. Gerſon in Alphab. lit. 3. S. Birgitta in reuel. Pſ. 4. 7. Pſ. 86. 3. Ibid. 1.

Pſ. 45.5 minis impetus (torrens voluptatis) lætificat ciuitatem Dei.» Cuius fluminis? ex fonte paradiſi manan-
Gen. 2. tis, Tigris, quod interpretatur « læta velocitas.»
14. Velociter enim cæteris præcucurrit tam rationis vſu, quàm gratiæ, gloriæ, lætitiæ priuilegio : vnde
Pſ. 45. 5 ſubiicit Pſaltes : « ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus:» de quo tabernaculo, ſecundum aliquam
Pſalm. verſionem legitur : « non accedet ad te malum, &
90.10. flagellum lepræ, non appropinquabit tabernaculo
4. Reg. tuo » quæ nimirum « adhæſit Gieſi, & ſemini eius
5. 27. vſque in ſempiternum.»

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Gratulor Sorbonæ Pariſienſi, exigere ſolitæ à Doctore initiando, ſub iureiurando; vt teneat, & doceat Beatiſſimam Virginem in gratia originali fuiſſe conceptam, cuius ſententiæ plurimum fauit Paulus 5. qui maturè penſato voto Cardinalium inquiſitorum, ſub cenſuris cauit, ne quis in concionibus, vel diſputationibus publicis contrarium docere præſumeret. Et tibi, ô puriſſima, & ſuper Angelos & homines gratioſa Virgo ; congaudeo ; & credo, quod in ſtatu gratiæ ſis
Cant. concepta. « Tota pulchra es amica mea, &c.» Sed
4.7. dum te « ſpeculum ſine macula » contemplor, eru-
Sap. 7. beſco ; forma tua deformitatem noſtram, gratia
26. peccatum, candor nigredinem arguit & confundit. Tu mundiſſima, nos immundi omnes: tu ſtellis coronata, & veſtita Sole, nos tenebrarum Principi ſubie-
Cant. cti. Tu « hortus concluſus » nos vndique aperti ſer-
4.12. penti. Tu fons ſignatus ; nos poſt lauacrum, mille ſordibus inquinati. « Halitus tuus paradiſus » nos vix ſine fœtore ſpiramus. « Momus in te non fuit » nos in omnibus reprehenſibiles. « Tu caput Draco-

Digitized by Google

nis contriuiſti » nos cauda eius abducti, pedibus
conculcati, vnguibus laniati ingemiſcimus. De qui-
bus verè Propheta dixit: « facti ſunt hoſtes eius in Thren.
capite. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata 1.5.& 7.
eius. » Enimverò, vt ait Bernardus, « cur quod dile- Ber.ſer.
ctus repudiat, non irrideat inimicus? » Lunam Virgo 46. in
pedibus calcat, hoc eſt iuxta eundem Bernardum, Cant.
Luciferum, qui « ſtultus vt luna mutatus perdidit ſa- Ecli.27.
pientiam ſuam in decore ſuo » inordinatè dilecto: 12.
nos caput ei ſubiicimus, & quem ſub pedibus Dei Ezech.
gratia proſtratum atterere potuimus; ſerui eius per 28. 27.
peccatum effecti, iugo ipſius tyrannico colla ſubdi-
mus; vt impleatur in nobis vox prophetica; « tradam Eſa.19.
Ægyptum in manu dominorum crudelium. » 4.

Secvnda Reflexio. Caueamus, ne ho-
ſtes facti in capite, « videant & derideant Sabbata Thren.
noſtra » ne feſtum Conceptionis, quo vacamus ab 1.5.& 7
opere manuali, ſcurrilibus & ab hoſtibus noſtris ir-
ridendis impendamus. Quod fit teſte Gregorio; Greg.
« cùm maligni ſpiritus ipſa vacationis otia, ad cogi- 5. mor.
tationes illicitas pertrahunt. » Si feſtum hoc, vt par cap.22.
eſt, deuotè & caſtè celebramus, cœleſtia concipien-
do deſideria, fœlicem partum ſalutis expectemus per
Mariæ ſuffragia. Quod & ſpondet cuicumque mu-
lieri grauidæ pro fœlici prolis emiſſione Oroſius: Oroſ. in
« coram Deo, inquit, noui, & in veritate comperi, ep. ad
quòd nulla mulier in partu periclitatur, ſuper quam Heliod.
deuotè B. Virgo imploratur, & dies eius Conceptio-
nis celebratur. » Et quid periculi timeat anima deuo-
ta Virgini, Conceptionem eius cum deuotione cele-
brans; quæ & hæretico fœlicem ſalutis æternæ par- Ex lit-
tum promeruit? Anno Domini 1608. Martinus Gu- teris
trich, nobili Catholico familiaris, Concionatorem Federic
Bambergenſem audierat laudes B. Virginis, & ſalu- Forner.
tationis Angelicæ commendantem. Quo, licet hære- ſuffrag. Bamb.

Digitized by Google

ticus, ad eam per diem triceſies ſepties recitandam inductus, febre mortali correptus eſt: & contradicentibus hæreticis, accerſito prædicatori dixit, ſibi B. apparuiſſe Virginem, ipſo Conceptionis immaculatæ die, multa luce circumfuſam, dicentem ſibi: « quia me ſæpè deuotè ſalutaſti; moneo te, vt in ſinum Eccleſiæ redeas, extra quam non eſt ſalus; peccata confitere, Euchariſtiam ſuſcipe: futurum eſt enim vt proximo die Natiuitatis Filij mei, eâdem horâ, quâ de impolluto & virginali ventre meo prodijt, ad te veniam, & animam tuam excipiam, & in paradiſum deducam.» Et eodem præſcripto momento, in puriſſimæ Virginis manus & ſinum ſpiritum ſuum
Num. 23.10. ſumma cum animi tranquillitate emiſit. « Moriatur anima mea morte iuſtorum & fiant nouiſſima mea horum ſimilia. » O ſi quid ſimile Conceptionis feſto nobis accideret, vt Natiuitatis proximæ ſolemniis emori mundo, & Deo cum Chriſto naſci nobis Virgo promitteret!

Tertia Reflexio. Libenter interrogarem veſtrum quemlibet; quid cauſæ fuiſſe putatis, vt ab
Cant. 4.7., Aug. ſupra. ipſo Conceptionis inſtanti, Virgo « tota pulchra & ſine macula » fuerit? Cur Auguſtinus, « cùm de peccatis agitur, nullam prorſus voluit de ea habere quæſtionem?» Cur mulier coronata ſtellis, luna ſub pedibus aduoluta, amicta Sole gratiæ deſcribitur? Reſpondebit Ioannes tanti myſterij conſcius, quia
Apoc. 12.2. Ioſue. 15.7. « in vtero habebat. » Quem verò, niſi Dei filium, propter quem dicta eſt « electa vt Sol? » Quem quia vt vera mater, & « fons Solis » vtero concipere debebat, « ab æterno ordinata, ante abyſſos concepta » propter honorem Domini, omni prorſus labe peccati, gratiâ ab æterno præuenta, carere debebat. Ab æterno prædeſtinata mater Filij Dei, « qui prædeſtinatus eſt Filius Dei. » Hinc Doctè Chryſolo-

Digitized by Google

gus: « & genitrix quando non, quæ ſæculorum generauit Authorem?» Cùm ergo Chriſtus ab æterno prædeſtinatus, « Pater futuri ſæculi» ſit dictus; « per quem fecit & ſæcula; » & propter vnionem Verbi, & omnis peccati purgationem, non debuerit ſubiici legi peccati; genitrix eius ſanctiſſima, « quæ eum cõcipere debebat & parere, plus habere omnibus debuit gratiæ ad vincendum omni ex parte peccatum, propter honorem Domini, quem nullum omnino ſcimus habuiſſe peccatum.» O Chriſte an alius es; & minori puritate dignus, qui quotidie reciperis à nobis? Apis, ſic referente Richardo à ſancto Laurentio, nec in alueario chryſtallino, vel aureo ſubſiſtit, ſi minimæ in eo ſordes fuerint. O Chriſte, Virginea, de Virgine, apis ſine corruptione concepta, nec in eius puriſſimum vterum intrare voluiſſes, aut in eo conſiſtere, ſi vel originali maculâ deturpata fuiſſet: « exi à me Domine, quia homo peccator ſum, ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c.» & originali maculæ tot actuales ſuperaddidi. « Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ » & potenti halitu de cauerna cordis ſerpentes extrahe. Sed tu « tota pulchra, hortus concluſus, lectulus floridus » da flores contra fœtorem peccatorum meorum. « Fons ſignatus » es, ô puriſſima Virgo, ſordes omnes abſterge. « Nihil tibi Virgo comparabile, nil æquale: quidquid eſt, aut ſupra te, aut infra te eſt: ſupra te, niſi ſolus Deus; infra te omne quod Deus non eſt.» Tuis ergo aduoluti pedibus cum omni cœlitum & terreſtrium turba, tota cordis reuerentia te ſolam « totam pulchram & ſine macula » veneramur, & vt noſtræ fœditati, ex tot maculis contractæ inopiam ſupplere digneris, humiliter & ſupplices deprecamur; vt conceptum ſalutis noſtræ florem, ad fructum gratiæ & gloriæ perducere valeamus. Amen.

Chryſol. ſer. 146.
Eſa. 9. 6
Hebr. 1. 2.
Aug. ſupra.
Luc. 5. 8.
Pſ. 50. 7
Cant. 8. 14.
Anſel.
Cant. 4. 7.

Digitized by Google

IN FESTO S. THOMÆ Apoſtoli.

Profundum abyſsi quis dimenſus eſt. Ecli. 1. 2.

NVllum D. Thomâ elogium, abyſſo dignius; nihil Chriſti verbis in Euangelio hodierno recitatis conuenientius. Si enim iuxta Doctorem Angelicum, & prius idipſum docentem Hieronymum, Thomas abyſſus interpretatur, & Dydimus geminus, Ieſus filius Sirach Author libri Eccleſiaſtici, luce prophetica, D. Thomam ſub abyſſi nomine intellexit; ſiue profundum infidelitatis eius, ſiue abundantiam fidei poſt conuerſionem eiuſdem poſteris voluit commendare. Quid enim obſcurius, quid fidei luce priuatum magis, quàm dicere: « niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam? » Quid rurſum fidei gratia & abundantia plenius, quàm audire dicentem; « Dominus meus, & Deus meus? » O geminam abyſſum! ô duplicem fidei confeſſionem! & Dominum Ieſum hominem, triumphatorem mortis agnoſcit, de quo Pſaltes: « & Domini Domini exitus mortis;» & Deum verum, Dei filium confitetur. Primam abyſſum increpat Chriſtus dicens, « noli eſſe incredulus » alteram commendando infundit, dum ait: « ſed fidelis. » Vtrumque profundum huius abyſſi quis dimenſus eſt? Vtrumque prima huius tractatus parte ſcrutari conabimur, & in ſecunda tanquam pro refluxu maris, reflexiones mo-

D. Th. ſer. vlt. — Io. 20. 25. — Ibid. 28 — Pſalm. 67. 21. — Io. 20. 27. — Ibid. — Diviſio.

Digitized by Google

tales producemus. Te verò, Maria, deuotus Bonauentura « congregationem aquarum » & abyſſum gratiarum appellauit, quam Angelus plenam gratia ſalutauit: Aue. Gen. 1. 10.

EXORDIVM.

Impenetrabiles, & inueſtigabiles diuinitatis abyſſos fide certiſſima confitemur; ſiue eſſentiam, ſiue perſonas, ſiue attributa cogitemus, per omnia & ſingula; « nobis ſtupor, & admiratio, quia nulla penetratio. » Aug. Et cum Apoſtolo exclamandum eſt: « O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. » Rom. 11. 33. Vel vt habet Syriaca tranſlatio; « nemo ſcrutatus eſt iudicia eius, & viæ ſuis ſunt imperueſtigabiles. » Quis enim immenſum pelagus diuinitatis huc vſque ſcrutatus eſt? Quis fluxum & refluxum Patris & Filij? quis emanationes diuinarum perſonarum huc vſque comprehendit? « Generationem eius quis enarrabit? » Eſa. 53. 8. & de attributis quid loquar? An non ſingula, quia diuina ſunt, immenſa ſunt? « quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? » Pſ. 105. 2. Qui omnia de nihilo creauit, & omnium hominum corpora in cineres reſoluta reformabit. « Sapientiæ eius non eſt numerus. Magnitudinis eius nō eſt finis. Pſ. 146. 5. Iudicia tua abyſſus multa. Pſ. 35. 7. Miſericordia Domini plena eſt terra. » Pſ. 144. 3. Pſal. 32. 5. Quis non ſtupeat profundiſſimam Thomæ incredulitatis abyſſum? quis Chriſti in eum abundantiſſimam miſericordiam non obſtupeſcat? Hac admiratione ſuſpenſus Eccleſiaſticus dixit: « profundum abyſſi quis dimenſus eſt? » Siue demerſum in imum incredulitatis, ſiue in ſummum fidei prouectum Thomam attendas.

Digitized by Google

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Diſſimulare non poſſum eorum errorem, qui ne-
Rom. ſcio qua, vt ita dicam, impia pietate, & « non ſecun-
10. 2. dum ſcientiam zelo » erga ſanctos, Regi ſanctorum omnium non modica irreuerentia inſultant, non ad-
Pſ.98.3. uertentes ſapiens illud Dauidis oraculum: « honor Regis iudicium diligit. » Sic ægrorum captiuorum, naufragantium morbos, cathenas, debita, pericula palpant, vt medici, Redemptoris, nautæ gratiam vel imminuant non modicè, vel prorſus annihilent. Pleno nos ore grauitatem morbi, pondus debiti, profunditatem abyſſi, naufragium fidei Thomæ loquamur, vt immenſitatem gratiæ
Rom. 5. 20. Chriſti extollamus. « Vbi enim abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. » Aliqui in D. Thomam plus æquo affecti, volunt eum excuſare, quaſi fuerit incredulitas eius non profunda, ſed exti-
Gen.1.2 ma, ſicut de abyſſo ſcripſit Moyſes: « tenebræ erant
Pſalm. 103 6. ſuper faciem abyſſi. » Vel cum Pſalte dicunt: « abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius. » Nec cordis in
Iob.38. 30. eo fuiſſe duritiem, ſed vt ait ſanctus Iob; « in ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & facies abyſſi conſtringitur. » Imò verò & in profundo cordis incredulus fuit; nec minus quàm Petrus errauit. Et de vtroque Pſaltes cecinit, ſicut de abyſſi fluctibus, vel
Pſ.106. 26. nauibus: « aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos. » Petrus quidem vt fluctus intu-
Matth. 26.33. muit, cùm de ſe præſumens ait, « & ſi omnes ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor. Si opor-
Ibid. 34. tuerit me mori tecum, non te negabo. » Non ſecus Thomas, cæteris Chriſtum ab reditu in Iudæam de-
Io.11. 16. terrentibus; « eamus, inquit, & nos, & moriamur cum eo. » Non deſertor tantùm Magiſtri fuit, ſicut cæteri;

Digitized by Google

cæteri;ſed & pertinax reſurrectionis eius oppugnator. Primò enim Domini verbis ſæpius ſuam reſurrectionem inculcantis non credidit. 2. Exemplo Ionę triduo in ventre ceti concluſi, & poſtea incolumis in littus eiecti,vt nec templo ſui corporis poſt tres dies excitando perſuaſus,figuræ iam impletæ conſentire voluit. 3. Quia decem teſtibus oculatis idipſum confirmantibus obſtitit. Cum tamen in vtraque lege Deus ſanxerit, « in ore duorum vel trium teſtium Deut. 17. 6.
ſtabit omne verbum. Dixerunt ei alij Diſcipuli: vi- 2. Cor.
dimus Dominum. Ille autem dixit eis: niſi videro in 13. 1.
manibus eius,&c. & mittam digitum,&c. mittā manum, Io. 20.
&c. noncredam.» Et noſter Thomas:« Niſi vi- 25.
dero, &c. Admiranda duritia,cui tot fratrum autho- S. Th. à
ritas, & gaudium inſpectum non ſufficit ad fidem. » Villa
Quid rurſum, ô Thoma, teſtes infideles adhibes & ſer. in
fallaces? « Niſi videro, inquis. Et fides eſt credere Oct. Paſch.
quod non vides.Et fides ex auditu:auditus autem per
verbũ Chriſti.» Non audiſti à decem Apoſtolis ver- Rom. 10. 17.
bũ quod Chriſtus eis locutus eſt; « dũ venit & ſtetit
in medio & dixit eis: Pax vobis. Et cùm hoc dixiſſet Io. 20. 19.
oſtendit eis manus & latus, & gauiſi ſunt Diſcipuli viſo Domino. » Vis digito & manu tangere, & craſ-
ſiſſimo omnium ſenſui, quo deceptus eſt Iſaac, tam Gen.
remotum à ſenſu myſterium tractandum commit- 27. 21.
tere? Hinc D. Thomas notat obſtinatam eius dubi- D. Th.
tationem: « circa Thomam, inquit, conſiderandum in cap.
eſt,quod durus fuit ad credendum, & irrationabilis 20. Io.
ad petendum. Durus quidem, quia noluit credere lect. 5.
niſi ſenſibili argumento, & non tantùm vnius ſenſus,ſed duorum. Scilicet viſus, quia,niſi videro,&c. Et tactus: & mittam manum, &c. Irrationabilis verò fuit,quia petebat vulnera videre ad probationem fidei, cùm maius videret,ſcilicet totius hominis reſuſcitati reparationem. » Mirum dictu quod in hanc

Digitized by Google

Chryſol. ſer. 84. rem oratorio more ſcripſit Chryſologus. « Certè, inquit, Prophetia magis quàm cunctatio fuit. Nam cur talia peteret, niſi à Domino ad indicium reſurrectionis ſuæ ſeruata ſola vulnera prophetali ſpiritu cognouiſſet? » Ibidem tamen duritiem eius agnoſcit, Chryſol. ibi. vbi ait, « cur Thomas veſtigia fidei ſic requirit? Cur tam piè patientem, tam durè diſcutit reſurgentem? Cur ea vulnera quæ manus infixit impia, deuota dextera ſic reſulcat? Cur latus quod impij militis lancea patefecit, refodere manus nititur obſequentis? Cur tormentis Dominum, cur pœnis Deum, cur cœleſtem medicum probaturus, de vulnere Diſcipulus Tertul. de Anima cap. 50. ſic requirit? » Ridet Tertullianus ſomniculoſum baptiſma Menandri, quo lotos diſcipulos ſuos immortales aſſerebat; ſed & ſimul carpit incredulitatem Thomæ, ſenſibus fidem ſuam committentem: « vbi ſunt illi quos Menander ipſe perfudit, quos in ſtygem ſuam merſit, (mortem diluentem) Apoſtoli perennes veniant, (id eſt immortales, cùm & Ioannes ſit mortuus) adſiſtant. Videat illos meus Thomas, (qui nec Chriſto ſuſcitato credidit,) audiat, contrectet, & credidit. »

Sed quid expreſſius priuata & communi in Tho-
Dan. 3. 55. mam incredulum exprobratione Chriſti? Hic « qui
Pſalm. 7. 10. intuetur abyſſos, ſcrutans corda & renes » apertè dixit, « noli eſſe iucredulus. Et exprobauit incredu-
Io. 20. 27. litatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt. » Increduli
Marc. 16.14. fuere mulieribus cæteri, Thomas autem & Apoſtolis viris reſtitit obſtinatus. Et quidem ſi Paulus aſſe-
Epheſ. 3. 17. rit « Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris: » de Thoma Iob ſpiritu præſago concluſit:
Iob. 28. 14. « abyſſus dicit non eſt in me, & mare loquitur non eſt mecum. » Et Eccleſiaſticus impenetrabilem eius obſcuritatem arguit, dum rogauit,

Digitized by Google

« profundum abyſſi quis dimenſus eſt? » Ecli.1.2
Supereſt iam, vt quoniam Didymus geminum ſignificat, immenſam Chriſti erga Thomam miſericordiæ abyſſum eum fide & gratia exundare facientem contemplemur. « In abyſſo, inquit D. Tho. duo ſunt; ſcilicet profunditas & obſcuritas. Abyſſus ergo Thomas obſcuritate infidelitatis quam habet ex ſe, item abyſſus ex profunditate miſerationis quã habet à Chriſto. Vnde de hoc dicitur in Pſalmis abyſſus profunditatis ſcilicet Chriſtus, abyſſum obſcuritatis ſcilicet Thomam inuocat miſerando. Et abyſſus obſtinationis ſcilicet Thomas abyſſum profunditatis ſcilicet Chriſtum inuocat confitendo. » Id ni fallor hauſerat ex Auguſtini fontibus dum exponeret illum Pſaltis verſiculum. « Abyſſus (inquit) eſt profunditas quædam impenetrabilis, incomprehenſibilis, & maximè ſolet dici in aquarum multitudine: ibi enim altitudo, ibi profunditas quæ penetrari vſque ad fundum non poteſt. Denique quodam loco dictum eſt, iudicia tua abyſſus multa. Hoc volens Scriptura commendare, quia iudicia Dei non comprehenduntur. Quæ ergo abyſſus? quam inuocat abyſſum? ſi profunditas eſt abyſſus, putamus quod cor hominis abyſſus eſt. Quid enim eſt profundius hac abyſſo? &c. Quid intus gerat, quid intus poſſit, quid intus agat, quid intus diſponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendat? &c. De quo alibi dictum eſt, accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Si ergo homo abyſſus eſt, quomodo abyſſus inuocat abyſſum? homo inuocat hominem, id eſt ad ſe vocat, &c. Sic diſcitur ſapientia, ſic diſcitur fides, cùm abyſſus abyſſum inuocat, &c. Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, (quanta in Thoma Apoſtolo) quando quid in ſe ageretur intus neſciebat, & ſe moriturum cum

D. Th. lect. 5. in cap. 20. 30.

Aug. in Pſalm. 41.

Pſ. 63. 8.

Matth. 26.34. Domino, vel pro Domino temerè promittebat? quanta abyſſus erat, quæ tamen abyſſus nuda erat oculis Dei? nam hoc illi Chriſtus prænuntiabat, quod in ſe ipſe ignorabat.» Quod & in D. Thomam torqueri poteſt, cuius abyſſum occultam penetrauit Chriſtus & aperuit. « Dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit» dum Chriſtus homo Deus, manus ſuas extollens, & pedes, ac latus oſtendens Thomæ, « abyſſus abyſſum inuocauit, in voce cataractarum ſuarum » hoc eſt plagarum; quot enim in Chriſto vulnera, tot fuerunt cataractarum cœleſtis Adæ in diluuio ſanguinis aperta ora, dum ait, « infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam & mitte in latus meũ, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. » In quæ verba Chryſologus: « vt, inquit, effundant toto orbe, iterum te aperiente hæc vulnera fidem, quæ aquam in lauacrum, ſanguinem in omniũ pretium iam fuderunt. » Huic animæ velut « Ephraim columbæ ſeductæ, cor non habenti » dictum eſt à Chriſto: « veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. » Proh quanta D. Thomæ dignitas, quis theſaurus! « ponens in theſauris abyſſos » id eſt, inter theſauros gratiæ reponens & computans abyſſos miſeriæ, ſuis theſauris impleuit animam Thomæ, « in quo reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ. » Hinc & noſter D. Thomas à Villanoua Archiepiſcopus Valentinus, ſuo Patrono Thomæ Apoſtolo applauſit: « Fœlix manus, quæ Dominici pectoris ſecreta rimauit. Quas diuitias non intus inuenit? Hîc Ioannes arcana cœleſtia dormiendo, Thomas theſauros grandes reperit ſcrutando. » Et Bernardus eximium Thomæ præ cæteris in ſponſi ſecreto locum aſſignat: « mulier, inquit, vna, compuncta ſecus pedes Domini Ieſu ſortita eſt locum,

Habac. 3. 10.

Io. 20. 27.

Chry-ſol. ſer. 84.

Oſeæ 7. 11.

Cant. 2. 14.

Pſ. 32. 7

Coloſſ. 2 3.

S. Thomas à Villanoua ſer. in Octaua Paſch.

Ber. ſer. 23. in Cant.

Digitized by Google

cùm altera ſuæ deuotionis fructum ad caput inuenerit, ſi tamen altera. Porrò Thomas in latere, Ioannes in pectore, Petrus in ſinu Patris, Paulus in tertio cœlo, ſecreti huius gratiam ſunt aſſecuti, &c. Prior mulier ſtrauit ſibi in tuto humilitatis, poſterior in ſolio ſpei, Thomas in ſolido fidei, Ioannes in lato charitatis, Paulus in intimo ſapientiæ, Petrus in luce veritatis, &c. Nunc vero id noſſe ſufficiat, nulli adoleſcentularum, nulli concubinarum, nulli vel Reginarum patere omnino acceſſum ad ſecretum illud cubiculi, quod ſuæ illi columbæ formoſæ, perfectæ, vni, vnicum ſponſus ſeruat. »

Quis exprimat ſenſus animi D. Thomæ? quis motus cordis eius ediſſerat? Eum ſic inducit Philo Carpatiorum Epiſcopus à S. Epiphanio ordinatus exponens illud Cantici Cantic. « Frater meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Videtur, inquit, non abſurdè de Thoma Apoſtolo poſſe intelligi, cùm Ieſus illi dixit, infer manum tuam in latus meum, &c. Tunc ille de vera Chriſti reſurrectione certior factus, tunc fide plenus. Tunc venter eius, hoc eſt, mens & animus exhorruit ad tam veram, tamque mirabilem reſurrectionis præſentiam, &c. » Dehinc ſubiicit de ſponſa ſurgente ab infidelitatis ſomno, & dicente, « manus meæ ſtillauerunt myrrham. Tunc, inquit, illius manus myrrham ſtillauerunt, & digiti pleni myrrha electa fuerunt, cùm Ieſu latus, manibus ſuis contrectauit, & in loca clauorum digitos immiſit, &c. Tunc manus Thomæ & digiti myrrham ſtillauerunt gentibus, cùm omnium certiſſimè prædicare potuit, quod ipſe ob aliorum vtilitatem dubitando palparat ac ſenſerat. » O quanta amaritudine animi exclamauit Didymus, & confeſſione verè geminus! « Dominus meus, & Deus meus; » Deum & homi-

[Philo Carpat. Comment. in Cant. cap. 5. 4]
[Cant. 5. 5.]
[Io. 20. 28.]

Digitized by Google

Pſ.76. 3. nem conteſtatus; & cum Pſalte ſic ei verba eius applicante Chryſoſtomo, « Deum exquiſiui manibus meis, & nocte contra eum, & non ſum deceptus. » Quàm obſcura in nocte, quantis tenebris abyſſus cordis mei operata erat, dum te manibus attrectare quærebam. Et tamen non ſum confuſus, non deceptus ab expectatione mea. O Dominus meus, & Deus meus. Impleuit Thomas quod prædixit Salomon « aqua profunda verba in ore viri. » Et noſter Thomas ſupra, « theſauros grandes ſcrutando reperit vt Ioannes arcana cœleſtia dormiendo. Grandis illa ſchola quæ tales diſcipulos facit. Inde alter ſuper aſtra volans mira de Diuinitate dictat, dum ait: In principio erat Verbum, &c. Alter radio veritatis tactus, ſublimiter exclamat, Dominus meus, & Deus meus. Maior incredulitate confeſſio, altiùs ſonare non potuit: quidquid fides habet, breui eloquio comprehendit. O miram hominis perſpicaciam! Hominem palpat, & Deum vocat. Aliud tetigit, aliud credidit. Si mille codices ederet, non ita Eccleſiæ profuiſſet. Quàm apertè, quàm fideliter, quàm nudè Chriſtum vocat Deum. O verbum Eccleſiæ Dei vtiliſſimum & neceſſarium, quo multæ hæreſes & validiſſimæ olim ab Eccleſiâ extirpatæ ſunt. Laudatus eſt Petrus quia dixerat: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Expreſſiùs intonat Thomas, Dominus meus & Deus meus: ſimplici verbo vtramque naturam in Chriſto confeſſus. » O Petre, « duc in altum. » Quo altius ſurges? « Tu es Chriſtus Filius Dei viui. » Non inferius Thomas: « Dominus meus, & Deus meus. » Liceat hîc mihi cum Auguſtino mirari: « neceſſarium erat, vt manifeſtarum præſens expreſſio cicatricum, crucifixi corporis faceret fidem, quia ſplendor nouæ lucis priſtinam obduxerat veritatem, & cognitionem quodammodo

Prou. 18. 4. S. Thomas à Villa noua. ſupra.

Luc. 5. 4. Matth. 16. 16. Io. 20. 28. Aug. ſer. 156. de tẽp.

Digitized by Google

claritas obſcurauerat. Viſis ergo cicatricibus, reſpondit Thomas, & dixit: Dominus meus, & Deus meus. Nouo genere veſtigia vulnerum diuinitati perhibent teſtimonium; quia templum erat Dei indumentum corporis vulnerati. Duas hoc loco in Chriſto mirare ſubſtantias. Fixuram perſpicit corporis; & Deum prædicat maieſtatis. »

Nec tantum coram Chriſto & Apoſtolis, ſed & coram Gentibus myſterium prædicat reſurrectionis. « Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum, hac credentes ſumus.» Ait Tertullianus. Cuius articulum in Symbolo, Eccleſiæ traditio à D. Thoma ſuſcepit. Vnde Chryſologus: «Quæſiuit, inquit, fratres pietas iſta, exegit iſta deuotio, vt reſurrexiſſe Dominum nec ipſa in poſterum dubitaret impietas. Sed Thomas non ſolum cordis ſui, ſed omnium hominum curabat incertum: & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodum tantæ fidei aſtrueret Sacramentum, executor ſtrenuus perquirebat. » Memini me in veteri nummo Commodi vidiſſe ſignatum militem armatum lanceâ, cum Symbolo, FIDES. Sit hoc emblema Thomæ, qui pro fide reſurrectionis quam Indis inculcauit, lanceâ in latere percuſſus occubuit; qui prius manus in latus Chriſti lanceâ perforatum miſit. Cui bellè ſubſcripſit Auguſtinus; « quàm bona, inquit, ignorantia, quæ erudiuit ignaros, quæ inſtruxit incredulos; quam bona infidelitas quæ ſæculorum fidei militauit, &c. Vnius interrogatio, vniuerſitatis eſt inſtructio. » Tandem concludo cum Eccleſiaſtico, « profundum abyſſi quis dimenſus eſt?» Et Iob, cum Deo interrogo; « numquid ingreſſus es profunda maris, & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti? » Vidiſtis abyſſum duplicem, hinc incredulitatis, inde fidei per dilectionem vſque ad martyrium operantis.

Tertul. de Reſur. cap. 1.

Chryſol. ſer. 84.

Aug. ſer. 156. de tēp.

Eccli. 1. 2.

Iob. 28. 16.

Iam reflexiones morales ex priori parte huius tractatus deducamus, & 3. abyſſum penetremus.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Theſauros ingentes aperit nobis hæc abyſſus, timoris, & ſpei. Quis præſumat in quocumque tandem gradu perfectionis exiſtas? « noli altum ſapere, ſed time. » Cùm Apoſtoli inani gloria inflati, Chriſto dixiſſent, « Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis: » quid eis Chriſtus reſpondit? « Videbam ſathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. » Cui Propheta « quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris? » Cecidit itaque Angelus in cœlo, Adam lapſus eſt in paradiſo, Petrus & Thomas in Apoſtolorum collegio. « Iudicia tua abyſſus multa. »

Rom. 11. 20. Luc. 10. 17. Ibid. 18. Eſa. 14. 12. Pſ. 35. 7

Secvnda Reflexio. Quis rurſum deſperet videns « ruptos fontes abyſſi magnæ » miſericordiæ Chriſti, & cataractas, id eſt, plagas cœleſtis Adæ nobis apertas, velut quinque ciuitates refugij. Accipite Bernardum; « Petra (inquit) Chriſtus, bona foramina, Chriſti vulnera, quæ fidem adſtruunt reſurrectionis, & Chriſti diuinitatis. Dominus meus, inquit, & Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum, niſi ex foraminibus petræ? In his paſſer inuenit ſibi domum, &c. in his ſe columba tutatur, & circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem, &c. Quid non boni in Petra? In Petra exaltatus, in Petra ſecurus, in Petra firmiter ſto, &c. Petra refugium herinaceis, & reuerà vbi tuta firmaque infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Saluatoris? &c. Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur, non cado, fundatus enim ſum ſupra firmam Petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed

Gen. 7. 11. Ber. ſer. 61. in Cant. 2. 14. Pſalm. Pſ. 103.

non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini re-
cordabor. Nempe vulneratus eſt propter iniquita- Eſa. 53.
tes noſtras. Quid tam ad mortem, quod non Chriſti 5.
morte ſaluetur? &c. Ego verò fidenter quod ex me
mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini, quo-
niam miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina
per quæ effluant, &c. Et per has rimas licet mihi ſu- Deut.
gere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo; id 32. 13.
eſt guſtare, & videre, quoniam ſuauis eſt Dominus,
&c. Patet arcanum cordis per foramina corporis, Pſ. 33.
patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent 9.
viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit Luc. 1.
nos ex alto, &c. Etſi miſericordiæ Domini ab æter- 78.
no vſque in æternum, ego quoque miſericordias Do-
mini in æternum cantabo. Numquid iuſtitias meas? Pſ. 88. 1
Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Ipſa eſt enim Pſ. 70.
& mea. Nempe tu mihi factus es iuſtitia à Deo. 16.
Numquid mihi verendum, ne non vna ambobus ſuf-
ficiat? Non eſt pallium breue, quod ſecundùm Pro- Eſa. 28.
phetam non poſſit operire duos. Iuſtitia tua, iuſtitia 20.
in æternum. Quid longius æternitate? & te pariter, Pſ. 118.
& me operiet largiter, larga & æterna iuſtitia. Et in
me quidem operit multitudinem peccatorum, in te
autem Domine quid niſi pietatis theſauros, diuitias
bonitatis. Hæ in foraminibus Petræ repoſitæ mihi,
&c. » Sed heu, ſunt qui plagas, obductas refri-
cent; vt patet ex reuelatione facta S. Mariæ de
Ragi, Ordinis S. Dominici, cui Chriſtus hoc ip-
ſo D. Thomæ die feſto, poſt communionem to-
to corpore ſanguinolentus apparuit. Cui illa ge-
mebunda, & ſuſpirans, peccata ſua tam vbertim
exundantis ſanguinis cauſam reputans, « ego, inquit,
te Chriſte infidelitate mea percuſſi, ego te rurſum in
corde crucifixi: » Tum verò illi Chriſtus, digitum
in latus, ſicut Thomæ iuſſit immittere, dicens; « ſen-

Digitized by Google

Hebr. 6. 6. ti, & percipe ſponſa dolorem meum.» Quo illa ſubitò exarſit zelo in peccatores; in quos inuehitur Paulus. « Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.» Siue, vt legit Syriaca D. Th. Ibid. 1. Pet. 3. tranſlatio; « & ignominiâ afficientes:» Hoc eſt iuxta D. Thomam, « quia quantum in ipſis eſt, rurſus crucifigunt Chriſtum, quia Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt ſemel; cùm ergo peccas baptizatus, quantum in te eſt, das occaſionem, vt iterum Apoc. 1 Chriſtus crucifigatur: & fit contumelia Chriſto, in cuius ſanguine te lotum maculas. Dilexit enim nos, & lauit nos à peccatis noſtris.»

TERTIA REFLEXIO. Quis ſpem ſalutis non concipiat, in quamcumque tandem iniquitatis abyſſum prolapſus fuerit, videns omnibus patere, diuinæ miſericordiæ fontes in vulneribus Saluatoris? Cerno ereptum de telonio Mathæum, de negatione Petrum, de incredulitate Thomam, de vanitate & luxuria Magdalenam, de perſecutione Paulum, de fraudibus & vſura Zachæum, de baſphemia & latrocinio latronem, de adulterio & homicidio Dauidem. Supereſt vt « in nouiſſimis abyſſi deambu-Iob. 38. 16. les» & qui ſecutus es errantes, ſequaris pœnitentes. Sed quoniam de miſericordia Chriſti in conuertendo Thoma agimus; quid pro vna oue errante egerit attendamus; & cum Angelico Doctore penſitemus; cur ad eam reuocandam cicatrices in ſuo corpore D. Th. in Io. 20. lect. 6. ſeruauerit. « In corporibus, inquit, glorificatis, nullus poteſt eſſe defectus. Cicatrices autem ſunt defectus quidam. Quomodo ergo fuerunt in corpore Lib. de Symbolo. Chriſti? Ad hoc reſpondet Auguſtinus ſic dicens: poſſet de corpore ſuſcitato & glorificato omnem maculam cuiuſlibet cicatricis in ſuo corpore abſtergere: ſed ſciebat quare cicatrices in ſuo corpore ſeruaret. Primò quidem vt demonſtraret Thomæ non

Digitized by Google

credenti niſi tangeret, & videret. Deinde verò ad exprobrandum infidelibus & peccatoribus in iudicio. Non vt eis dicat ſicut Thomæ, quia vidiſti me credidiſti: ſed vt conuincens eos dicat: Ecce hominem quem crucifixiſtis. Ecce vulnera quæ infixiſtis. Agnoſcite latus quod pupugiſtis. Quoniam & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.»

QVARTA REFLEXIO. Exemplo D. Thomæ diſcamus numquam à congregatione ſanctorum, & communi Eccleſiæ ſenſu recedere; vt prænotauit Doctor Angelicus, « iſte (inquit) Thomas non erat cum eis, tardius enim rediit quàm alij qui de die diſperſi erant: & ſic amiſit ſolatium, Dominicæ viſionis, pacis eulogium, & ſancti Spiritus afflatum.» O quantis ſe bonis pro priuatâ abſentiâ defrundauit, ab aliorum communione ſeiunctus; Vnde & ſubiicit idem S. Doctor, « inſtruimur (inquit) per hoc, à ſocietate ſeparari non debere.» In cuius rei confirmationem adducit locum Apoſtoli ſcribentis ad Hebræos: « non deſerentes collectionem veſtram, ſicut eſt conſuetudinis quibuſdam.» Vel vt habet Syriaca tranſlatio « congregationem veſtram » quod fit dum ab vnitate fidei, vel pace & concordia Eccleſiæ, per Doctrinas nouas, varias & peregrinas, ab antiquis ſanctorum Patrum placitis, plerique recedunt. Vnde idem in hunc locum, « quia, inquit, charitas eſt amor, proprium autem amoris eſt vnire, quia vt dicit Dionyſius, amor eſt vis vnitiua, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus, & cognoſcat mundus, quia dilexi eos, ſicut & me dilexiſti; ideo recedere ab inuicem, eſt directè oppoſitum charitati: & ideo dicit, non deſerentes collectionem noſtram: ſcilicet Eccleſiæ, quam aliqui deſerunt tripliciter. Scilicet propter perſecutiones apoſtatantes à fide, &c. Ad tempus

D. Th. lect. 5. in cap. 20. Io.

D. Th. Ibid.

Hebr. 10. 25.

D. Th. in Heb. 10. lect. 2.

Io. 17. 22.

Luc. 8. 13. credunt,& in tempore tentationis recedunt. Aliqui verò ex ſuperbiâ: quia cùm poſſent eſſe vtiles ad regendum, cum notâ ſuperbiæ ab aliis ſe ſeparant. Iudæ. 19. Hi ſunt qui ſegregant ſe ab aliis,animales, ſpiritum non habentes quaſi ſub ſpecie maioris perfectionis. » Tertium addit genus, malorum Prælatorum, qui dimittunt oues in periculo; ſimiles illi; de quo Io.10. 12. Chriſtus in Euangelio, « mercenarius fugit, quia mercenarius eſt. » Quantam Prælatis Chriſtus ouibus errantibus requirendis præſcripſit in Thomæ S. Th.à Villanoua Ser. in Octaua Paſch. Io. 18. reductione diſciplinam! « Pius Paſtor ouem ſuam perire non patitur, ſicut ad Patrem dixerat. Quos dediſti mihi non perdidi ex eis quenquam. Diſcant Prælati quam commiſſis ouibus ſolicitudinem exhibeant; ſi pro vnâ ſolâ Dominus apparuit, omnis ſolicitudo, omnis labor vnius animæ negotio minor eſt. Ciuem Romanum fieri, olim magni pretij res erat, ciuem cœlorum fieri, quanti erit! Qui errantem ouem reducit ad ouile, ſi illa ouis à vitâ diſcedat, magnum ſibi apud Deum aduocatum legauit. »

QVINTA REFLEXIO. Regrediantur cum Thoma ad ouile fugitiui, & per patentes ianuas cicatricum boni Paſtorum Principis « hauriant aquas de fontibus Saluatoris » & eodem cum Bernardo afBer. in Soliloquiis. fectu, plagas Domini contemplantes dicant: « ex Num. 4 præcepto tuo,& dono tuo ſto in petra fidei tuæ, (ſicut præceptum eſt Moyſi) fidei Chriſtianæ, in loco Exod. 33.21. qui eſt verè penes te, in qua vt poſſum interim fero patienter, & amplector, & deoſculor tegentem & protegentem me dexteram tuam,& aliquoties contemplans, & videre geſtiens poſteriora videntis me, humilitatem ſcilicet pertranſeuntem diſpenſationis humanæ Chriſti Filij tui ſuſpicio. Sed cùm accedere geſtio ad eum,& vel ſicut Hæmoroïſſa illa, infirmæ

& miſeræ animæ meæ, ſalutifero tactu vel ſimbriæ Matth.
eius, quaſi furari geſtio ſanitatem: vel ſicut Thomas 9.21.
ille vir deſideriorum, totum eum deſidero videre &
tangere,& non ſolùm,ſed accedere ad ſacroſanctum
lateris eius vulnus, oſtium arcæ quod factum eſt in
latere: vt non tantum mittam digitos,vel totam ma- Gen. 6.
num, ſed totus intrem vſque ad cor ipſum Ieſu, in 16.
ſanctum ſanctorum, in arcam teſtamenti,ad vrnam
auream, noſtræ animam humanitatis, continentem
intra ſe manna diuinitatis. Heu dicitur mihi, noli
me tangere. Et illud de Apocalypſi,foris canes,ſicq; Io.20. 17.
condignis conſcientiæ meæ verberibus expulſus & Apoc.
propulſus, improbitatis & præſumptionis meæ pœ- 22.15.
nas cogor luere; rurſumque in petram meam me re-
cipiens, quò refugium eſt herinaceis, ſpinis pec- Pſ. 103.
catorum plenus, reamplector, & reoſculor tegen- 18.
tem & protegentem me dexteram tuam. Et ex eo
quod vel leuiter ſenſi vel vidi,magis accenſo deſide-
rio vix patienter expecto, vt aliquando auferas ma-
num tegentem, & infundas gratiam illuminantem;
vt tandem aliquando ſecundùm reſponſum veritatis
tuæ (dicentis, non videbit me homo & viuet) mor- Exod.
tuus mihi,& viuens tibi, reuelatâ facie ipſam faciem 33.20.
tuam incipiam videre; & affici tibi à viſione faciei
tuæ. Et ô facies, facies,quàm beata facies, quæ affi-
ci tibi mereretur, videndo te, ædificans in corde ta-
bernaculum Deo Iacob: & omnia faciens ſecundùm Exod.
exemplar quod ei oſtenditur in monte. Hîc verè & 25.40.
competenter cantat: tibi dixit cor meum, exquiſiuit Pſal.26.
te facies mea, faciem tuam Domine requiram.» 8.

Vnum ſupereſt, fratres,quod in Euangelij conclu- S. Th. à
ſione cum cæteris fidelibus,& in aliquo præ cæteris Villa-
gratulemur. « Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: noua Ser. in
beati qui non viderunt,& crediderunt.» Quid ergo? Octaua
An non beati Apoſtoli quibus idem ipſe Chriſtus: Paſch.

Digitized by Google

« beati oculi qui vident quæ vos videtis? » Grandis ex hoc verbo nobis eſt conſolatio, fratres, ſi enim illi beati qui viderunt fruitione tam magnificæ viſionis; nos beatiores merito noſtræ credulitatis. « Quoties dicimus, quoties clamamus, ô beati oculi, ô tempora fœlicia, ô ſecula dulcia, quæ tanta myſteria iuſpicere, ac videre meruerunt? Ita eſt, beati oculi qui vident quæ vos videtis, ait Dominus; ſed & beati qui non viderunt, & crediderunt. Fuit illud maioris ſolatij, hoc altioris meriti. Viſio magis lætificat, fides ampliùs honorat. Quid magnum, quòd Petrus, & Andreas, & Thomas, & alij Apoſtoli, pro Domino, quem viderant à mortuis viuum, & in cœlo ſublimatum, vitam expoſuerint? An non altioris meriti videtur, pro non viſo mori? Niſi quòd Apoſtoli duplici hoc titulo beati ſunt, & quòd viderint Chriſtum à mortuis ſurrexiſſe, & quòd ſic viderint, vt hæc viſio meritum fidei non euacuaret, quæ poſteris relicta eſt in exemplum. Admiramur autem ampliùs eorum fidem & conſtantiam, qui cùm neque Chriſtum, neque Apoſtolos viderint, Apoſtolicæ fidei & perfectionis imitatores, & veluti hæredes ſunt. Non ſic ſtupeo cùm Petrum & Andream crucifixos video, ſicut cùm Laurentium inter prunas, & Sebaſtianum inter ſagittas, gloriantes aſpicio. Vnde Bernardus ad Fratres: quid eſt quòd vita veſtra vitam Apoſtolicam non repræſentet? Illi reliquerunt omnia in ſcholâ Saluatoris ſub eius præſentiâ congregati, vos autem non in præſentiâ, ſed in abſentiâ, non ad verba oris eius, ſed ad vocem nuntiorum eius, ſimile aliquid feciſtis. Defendite vobis hanc prærogatiuam, Fratres: quod illi ad viſum & ad verbum, vos ad auditum &
1.Pet.1. nuntium crediḋiſtis, &c. Et Petrus: quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non

Digitized by Google

videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili, & glorificatâ: reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum. »

« Profunditatem huius abyſſi quis dimenſus eſt?» Eccli. 1.2. Abyſſus, inquam, multa, & numero, & profundo. Intra me abyſſus peccati, & expaueſco. Supra me abyſſus iudicij, & contremiſco. Circa me abyſſus tẽtationum inimici; & abſorbeor. Infra me abyſſus inferni, & « vrgente ſuper me ore putei » horrida aquæ tempeſtate demergor. Quis tot obſeſſus abyſſis portũ de ſe præſumat appellere, niſi immenſam pietatis abyſſum nouerit appellare? Ps. 68. 16. O abyſſus gratiæ & miſericordiæ! inuocat te abyſſus miſeriæ meæ. « Abyſſus abyſſum inuocat, in voce cataractarum tuarum.» Ps. 41. 8 O Adam nouiſſime! « de cœlo veniſti cœleſtis, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. Ps. 70. 20. Apertæ ſunt cataractæ cœli, rupti ſunt fontes abyſſi magnæ. » Gen. 7. 11. Et quid mihi « multitudo ſonitus aquarum de medio petræ dant voces, niſi vocem virtutis » miſericordię tuæ? Ps. 76. 18. Petram mihi cataractæ plagarum, & abyſſi fontes abluant maculas peccatorum. O, « Dominus meus, & Deus meus, Ps. 103. 12. Dominare in medio inimicorum tuorum, pone peccata mea inimicos verè tuos ſcabellum pedum tuorum » Pſalm. 67. 34. Io. 20. 28. Ps. 109. 2. vt per plagas tuas & paſſionis tuæ merita per diluuium ſanguinis ereptus naufragio, portum ſalutis in arca crucis attingere; & de abyſſo miſeriæ huius vitæ, ad littus reſurrectionis, & torrentem voluptatis valeam transfretare. Ibid. 2. Amen.

IN NATALI DOMINI.

Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri, omnibus hominibus, erudiens nos.
Ad Tit. 2. 11.

Sap. 18. 15. VErbum Patris ad infantiam redactum, « omnipotens ſermo diuinus, in medio ſilentio » natus, breuiata immenſitas, & ad pueriles contracta anguſtias; vel præ ſtupore ſilentium, vel conſummatum & breue à nobis exigit verbum: vt aut cum Auguſtino dicamus breuiter: « factus eſt qui fecerat, vt inueniretur qui perierat: » Aut cum Paulo: « apparuit gratia, &c. Benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei. » O virgo huius gratiæ tibi poſt Deum debitores ſumus, quæ latentem prius fontem gratiæ aperuiſti mortalibus. « Qui lucem inhabitabat inacceſſibilem » ad homines adduxiſti, ex te ſumpſit humanitatem, vt in ea nobis ſuam exhiberet benignitatem & gratiam. O verè Theotocos hodie nominanda, quæ eodem iure quo Pater æternus, licet mater facta ex tempore, vnico Dei Filio, & vtique tuo dicere potuiſti: « Filius meus es tu; ego hodie genui te. » Licet enim propriè æternæ generationi congruere locus hic ab Auguſtino cenſeatur; conuenit nihilominus temporali. « Quia hodie, præſentiam ſignificat; atque in æternitate, nec præteritum quidquam eſt, quaſi eſſe deſierit; nec futurum, quaſi nondum ſit, ſed præſens tantum, quia quidquid æternum eſt, ſemper eſt; diuinius accipitur ſecundum id dictum, hodie genui te, quo ſempiternam generationem virtuti & ſapientiæ Dei, qui eſt vnigenitus filius,

Aug. ſer. 9. in Natali Domini ad Tit. 3. 4. 1. Tim. 6. 16.

Aug. in Pſal. 2.

filius, fides ſinceriſſima & Catholica prædicat: tamen etiam poteſt ille dies, in Prophetia videri, quo Ieſus Chriſtus ſecundùm hominem natus eſt.» Hunc nobis hodie genuiſti Virgo, authorem gratiæ, quem de Spiritu omnis gratiæ concepiſti, Angelo nuntiante, & dicente: Aue.

EXORDIVM.

Videre mihi videor Apoſtolum Paulum, ſimilem homini, orientem Solem contemplanti, & ſplendore ſuo nocturnas tenebras, & obſcura lunæ, & ſyderum lumina, extinguentem: cùm dicit « apparuit gratia, &c. Benignitas & humanitas apparuit: » cætera quippe attributa diuina, in fulgentiſſimam benignitatis & gratiæ diuinæ abyſſum abſorpta diſparent. Apparuit in mundi creatione Dei potentia, de nihilo cuncta creantis; apparuit in opificij ordine & oeconomia ſapientia omnia ſuauiter diſponentis: Apparuit in tanta & diuerſa ſingulis creaturis perfe-ctione & pulchritudine diſtributa, effuſa largiter bonitas conditoris. Apparuit tandem in præcipitato inſtar fulguris è cœlo lucifero, abacto homine paradiſo, mundo deleto diluuio, Sodomis igne ſulphureo cineratis, vindex & ſeuera vltoris Dei iuſtitia. Sed in Verbo ſuper terram abbreuiato, latere dicam, an apparere omnia? « Quia omnipotens erat, fieri potuit, manens quod erat fecit ſibi matrem, cùm eſſet apud Patrem. » Quia ſapiens erat, modum & ordinem ſuæ incarnationis conuenientem inuenit; « & vt ſapiens Architectus ſeipſum fundamentum poſuit, domum ſibi ſapientia ædificauit, vt habitaret in nobis. » Vt infinita bonitas, perſonam & naturam diuinam communicauit. Et quia iuſtus, læſæ maieſtati diuinæ in rigore ſatisfacere voluit, corpus ſibi in quo

[Margin: Tit. 3. 4. — Aug. ſer. 15. de Nat. Chriſt. — 1. Cor. 3. 10. — Prou. 9. 1.]

Digitized by Google

pro homine pateretur aptauit. Sed quid dico? « verè
Eſa. 45. 15. tu es Deus noſter abſconditus. » Vbi poteſtas in infirmitate pueruli? Vbi ſapientia in infante? vbi maieſtas, in ſtabulo pauperrimè naſcente? omnia, ô Paule, diſparent, gratiâ, humanitate, benignitate apparente. « Vnus Grabriel Virgini obumbrationem
Cypr. de Nat. Chriſt. virtutis altiſſimi nuntiat; multitudo cœleſtis exercitus, gratulabunda Saluatorem mundi prædicat aduenisſe, & reconciliata terreſtria ſuperis canit; & conſilium antiquum prodiit palam, nec iam ſecretum eſt, ſed innotuit publicè in conſpectu gentium reuelata Chriſti benignitas, & oblata mundo, in nullo à nobis differens, excepto quod peccati expers fuit Saluatoris humanitas. » Cætera velut exinanita euaneſcunt. Et vbi illa per Eſaïam prophetata Emanuëlis inſignia? « Vocabitur nomen eius (Emanuel)
Eſa. 9. 6. Cypr. Ibid. ſupra. admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Qui necdum loquitur, quomodo conſiliarius erit? Paruulus quomodo creditur omnipotens Deus? Omnino infirmus, in quo videbitur fortis? Nihil omnino poſſidens, ad apicem regni, & principatus faſtigium, quibus aſcenſionibus attinget? » Quid nos tantilli tanto de myſterio pro-
Fulgẽtius ſer. de duplic. Nat. loquamur? « quomodo verò ſufficienter aut dignè loqui poterit quis? de quo? homo de Deo, mortalis de immortali, viſibilis de inuiſibili, mutabilis de incommutabili, opus de opifice, de Creatore creatura, de factore factura, paruus de immenſo, temporalis de æterno, humilis de altiſſimo, plaſmatus è limo, de illo qui omnia creauit ex nihilo. Cuius eſt inenarrabilis potentia, qua nos gratuita bonitate fecit; nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos omnipotentiſſima miſeratione ſaluauit. Qui & opus creatricis omnipotentiæ gratis fecit, & opus gratiæ ſaluatricis omnipotenter impleuit, &c. Omnipo-

Digitized by Google

tentiam verò nunc dicimus, qua Verbum quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat, fecit omne quod non erat: gratiam verò quâ Verbum caro factum, venit quærere, & ſaluum facere quod perierat. Omnipotentiam quâ fecit omnem diem, gratiam, quâ certo die concipi, & certò die dignatus eſt naſci. Idem igitur minoratus paulominus ab Angelis, in die factus hominum, qui coæternus & æqualis Deo Patri, dies ſanctorum ſemper eſt Angelorum. » Apparuit in hoc die gratia Saluatoris noſtri Dei. Vbi ſciendum eſt iuxta doctrinam Angelici Doctoris. « Quòd gratia importat miſericordiam. D. Th. Quia gratia eſt de eo quod gratis datur; & quod gra- lect. 3. tis datur, hoc miſericorditer datur. Miſericordia au- ad Tit. tem ſemper in Deo fuit, tamen olim circa homines 2. latebat. Vnde Pſaltes, Domine in cœlo miſericordia Pſal. 35. tua. Ante Chriſtum enim omnes quantumcumque 6. eſſent iuſti (id eſt minus, reſpectu aliorum ſceleratorum, peccatores) ſub damnatione erant, ſed Chriſto Filio Dei carnem aſſumente, apparuit gratia, &c. Hæc autem gratia non proponitur vni ſolummodo populo Iudæorum, ſicut olim: ſed omnibus hominibus. (Non ſingulis, ſed omni generi morta- Eſa. 40. lium, id eſt tam Gentilibus, quàm Iudæis) Videbit 5. omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt, & Eſa. 52. videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Et 10. poteſt dici, quòd in Natiuitate Chriſti apparuit hæc gratia dupliciter: vno modo, & primo, quia per maximam Dei gratiam datus eſt nobis. Vnde eius conceptio, cùm ſit operatio totius Trinitatis; attribuitur tamen ſpecialiter Spiritui ſancto, qui eſt principium gratiarum. Et hæc gratia apparuit omnibus hominibus, & ſpecialiter homini Chriſto, quem vidimus plenum gratiæ & veritatis. Et ex hac gratia ſecundò Io. 1. 14 ſecuta eſt inſtructio humani generis: quia ante Chri-

Digitized by Google

ſtum fuit mundus in ignorantia & hæreſi. Hinc Eſaïas: populus inquit, qui ambulabat in tenebris
Eſa. 9. 2. vidit lucem magnam. Vnde dicit, erudiens nos. »
DIVISIO. Videamus ergo quomodo prius latens gratia apparuerit, ſecundò pro reflexionibus moralibus, quomodo nos erudierit.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Exulta iam filia Sion, iubila filia Ieruſalem, gaudio tripudia humana natura, exaudita ſunt vota tua, adimpleta ſunt deſideria tua. Quod tam ardenter voce ſponſæ poſcebas, accepiſti, vt prius latentem, foras miſſum dilectum exoſculari & amplecti poſſes. « Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ vt inueniam te foris, & deoſculer
Cant. 8. 1. te, & iam me nemo deſpiciat? Apprehendam te & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis. » Quid themati noſtro cõgruentius? » Apparuit gratia Saluatoris noſtri Dei, omnibus hominibus, erudiens
Greg. in Cãt. 8. cap. 8 nos: » quem in locum Cantici, Gregorius: « in veteri, inquit, lege Eccleſia poſita Chriſtum exoptabat, & in ſecreto Patris manentem, foras venire per carnem ad humanos oculos non mediocriter cupiebat. Vnde & Dauid deſiderans dicebat: exurge & ne
Pſal. 43. Pſ. 143. Iſa. 64. repellas in finem. Et alibi: inclina cœlos tuos & deſcende. Et Iſaïas valde cupiens eum videre, dicebat: vtinam diſrumperes cœlos & deſcenderes. Vult ergo ſponſum foris, ſponſa inuenire, & deoſculari. Quia concupiſcit ſub lege poſita, vt per carnem appareat, vt ei per amorem ſeruiat, cui prius non accepta gratia, plus timore, quàm amore ſeruiebat. »
Ambr. lib. de Inſtit. Virg. cap. 1. Cui præluxit Ambroſius: « foris, inquit, factus eſt, qui erat intus. Vide illum intus, quando legis quod in ſinu eſt Patris; cognoſce illum foris, quando nos

Digitized by Google

quærit vt redimat: foris ſibi factus eſt vt mihi intus eſſet, & fieret medicus noſter. » Multo iam tempore latebat incluſus profundâ, & vmbroſâ nocte legis vmbraticæ, in prophetiis, & figuris, in Sacramentis, & ſacrificiis, & cerimoniis veteris teſtamenti. Vnde ſummo ardebat deſiderio videndi ſponſi, velut Solis è nocte, & vmbris emergentis de quo velut die præclaro ſurgente, diceret Apoſtolus? « nox præceſſit, dies autem appropinquauit. » Quam diem pulchrè deſcribit noſter Fulgentius: « de ipſo Propheta dicit: benè nuntiate diem de die, ſalutare eius. Quid eſt, diem de die, niſi Filium de Patre? Eſt igitur de Patre Filius, de die dies: ſed tamen Pater & Filius, nõ duo dies, ſed vnus eſt dies, &c. » Sed dies iſte, « qui lucem inhabitat inacceſſibilem, in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genitus » erat oculis humanis inacceſſus, donec foras prodiret incarnatus ſolus. Vnde & ſupra Gregorius: « quis, inquit, det te mihi, &c. Vt inueniam te foris ſolum? » Pater quidem « miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati » & Spiritus ſanctus Virginem obumbrans, eius conceptui præfuit: ſed ſolum « Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis. » Vnde ſupra Fulgentius, « vnus, inquit, dies æternitatis ſimul Pater & Filius à nobis agnoſcitur, in die autem temporis ſolus Filius inuenitur. Dies etenim æternus, Pater & Filius noſtrum corpus & animam fecit: in die verò temporis ſolus Filius noſtrum corpus animamque ſuſcepit; Chriſtus dies æternus vnigenitus in forma Dei manens: Chriſtus in die temporis vnigenitus formam ſerui accipiens. Chriſtus dies æternus, diues permanens vt conderet nos: Chriſtus in die temporis pauper factus, vt redimeret nos. Dies æternus Chriſtus Deus de Deo Patre: Chriſtus in die temporis Deus homo de Virgine matre. Chriſtus

Rom. 13. 12.
Fulgẽtius ſer. de duplici Nat. Chriſt.
1. Tim. 6. 16.
Pſ. 109. 4.
Cant. 8. 1.
Rom. 8. 3.
Io. 1. 14
Fulg. ſup.

dies æternus Verbum eructatum de corde Patris, Chriſtus in die temporis Verbum caro factum de vtero Virginis matris. Chriſtus dies æternus, DEUS verus de DEO vero: Chriſtus in die temporis ſponſus procedens de thalamo ſuo. » Quam rationabiliter ô ſponſa deperibas, quam certè complecti ardebas hunc fratrem, & inducta in cellam vinariam ordinata charitate dicebas. « Quis det te mihi? Et quis, niſi Pater ille qui genuit in quo ſibi benè complacuit? Quis det? non commodet? non debitum reddat, ſed det gratis, debitorem tamen ſe fecit nobis, non accipiendo aliquid à nobis, ſed promittendo nobis. Quis det, « datum optimum & donum perfectum. Deſcendens à Patre luminum. » O Ioannes « ſic DEUS dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret. » O Paule, « qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, numquid cum illo omnia nobis pariter donauit, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditi, cuius inopia diuites facti ſumus, vt impleamur in omnem plenitudinem DEI » te mihi DEUM homini, Verbum carni, totum nihilo. Mihi non Angelo. « Nuſquam enim Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. » Vt totus ſit mihi, vt mihi ſint oculi eius intenti, vt me aſpiciat, mihi proſpiciat, mihi lugeat, mihi infantulus ſubrideat? Mihi « aures eius fiant intendentes, in vocem deprecationis meæ. » Mihi genarum areolæ liliis & roſis conſitæ, ad oſcula: mihi os & lingua & diffuſa in labiis gratia, ad oracula & documenta; manus tornatiles aureæ plenę hiacinthis ad munera, pedes ad auxilia, humeri ad onera baiulanda, &c. Quis det te mihi fratrem? O dignationem plenam dilectionis & indicibilis charitatis, vt qui vnicus eſt Patris & matris fœcunditatem exhauriens, vnicus naturâ, fratres adoptiuos plures ſibi adſcriberet ex

Iac. 1. 17. Io. 3. 16. Rom. 8. 32. Hebr. 2. 16. Iſ. 12. 9. 2.

Digitized by Google

gratia. « Filij Dei ſumus. Vnde hoc probamus? Mortuus eſt pro nobis vnicus, (dicamus hodie, natus eſt pro nobis vnicus) ne remaneret vnus. Noluit eſſe vnus, qui mortuus eſt vnus. Multos enim filios Dei fecit vnicus Filius Deo. Emit ſibi fratres ſanguine ſuo: probauit reprobatus, redemit venditus, honorauit iniuriatus, viuificauit occiſus. Dubitas quod dabit tibi bona ſua, qui non dedignatus eſt ſuſcipere mala tua. » O charitatem fratris ineffabilem! « magnum myſterium, dilectiſſimi fratres, magnum diuinæ dilectionis indicium. Homo Deum contemnens, à Deo diſceſſit: Deus hominem diligens, ad homines venit. Dilexit impium, vt faceret iuſtum. Dilexit infirmum, vt faceret ſanum. Dilexit peruerſum, vt faceret rectum. Dilexit mortuum, vt faceret viuum. Et quid amplius dicam? quandoquidem Deus vnigenitus humanam naturam tantùm dilexit, vt eam non ſolum à poteſtate mali Angeli liberaret, verum etiã in ſeipſo ſuper omnes bonos Angelos in Patris dextera collocaret, &c. » Vt iuxta Paulum, « eſſet primogenitus in multis fratribus. » « Hanc primam gratiam ingrediens mundum, noſter paruulus attulit: & à cunabulis nos ſibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in perſona. Quia verò filij Dei ſumus, humanitatis participatione frater noſter fieri voluit, vt eſſemus ſecum beatitudinis cohæredes, & habet tota compoſitio hominis perfectam plenamque lætitiam; cùm ſpiritus diuinam repræſentaret imaginem, & caro noſtra, Chriſti corporis ſimilitudinem; conſummatæ ſocietatis beneficium obtineremus; cùm nominis Chriſti, & hæreditatis conſortes, & diuinæ naturæ communicamus per ſpiritum, & humanæ per corpus. » Et hunc poſcebat ſponſa fratrem, ſugentem vbera matris ſuæ. Ergone qui dat eſcam omni carni paruo lacte digna-

Aug. ſer. 37. de Ver. Do. in f.

Fulg. ſer. de duob. Nat. Chriſt.

Cypr. Nat. Chriſt.

Rom. 8. 29.

Digitized by Google

tus eſt paſci? O beata vbera quæ ſuxiſti frater!
Cypr. de Nat. Chriſt. « paruulus ſugens vbera, pura alimonia vtebatur, & fons ſacri pectoris, defæcatum edulium ori mundiſſimo infundebat. » O Mater iam noſtra adoptione quæ vnigeniti Dei Filij vera mater effecta, quis dignè referat gaudia quæ cordi tuo ſanctiſſimo infantulus frater tua lactens vbera reciprocâ benigni-
Cypr. de Nat. Chriſt. tate refluebat? « Et cor matris quædam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum, imbuebant, eratque vtrinque mira iucunditas, cùm pia ſanctæ matris & deuota humilitas, & ſancti ſanctorum immenſa benignitas, confœderatis affectibus mergerentur. » Pergit ſponſa, & foras prodire depoſcit:
Cant. 8. 1. « & inueniam te foris. » Foris de Patre, foris de ſolio maieſtatis, foris ab immenſitate, foris ab æternitate. Foris è diuerſorio eiectum, foris ex vtero matris effuſum, foris in ſtabulo natũ. Quid tum poſtea? « & deoſculer te. » Dudum oſculum ſuſpiraueras ſponſa,
Cant. 1. 1. cùm diceres in ipſo Epitalamij tui Exordio; « oſculetur me oſculo oris ſui: » iam deliba quot volueris oſcula, iam, quæ diuiſa peccato fueras à Deo, humana
Pſ. 84. 11. natura, compoſita pace; « apparuit gratia Dei, &
Ibid. 13. Saluatoris noſtri. Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. » Deoſculer te: vt reciproco ſpiritu, & commercio diuinitatis & carnis, in te ſuſcipias miſerias meas, & mihi rependas miſericordias tuas. « Etenim Dominus da-
D. Th. opuſc. 60. a. 4. bit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. » Quam in rem Doctor Angelicus: « Apparuit, inquit, Dei potentia in creatione, ſapientia in rerum gubernatione, ſed benignitas maximè in humanitate, &c. Exhibuit nobis benignitatem in diuinitatis ſuæ communicatione, ſed miſericordiam in hu-
Ber. ſer. 1. in Epiph. manitatis noſtræ ſuſceptione. » Et Bernardus: « Quid tantopere declarauit eius miſericordiam, quam quòd noſtram ſuſcepit miſeriam? quid tam pietate

Digitized by Google

plenum, quàm quòd Dei Verbum propter nos fa-
ctum eſt fœnum? » Et quid ei rependit terra noſtra,
quid in hoc commercio contulit ſuſcepta humani-
tas? « terra noſtra dabit fructum ſuum.» Heu quem
fructum Adam nouiſſime? « ſpinas & tribulos ger- Gen. 3.
minabit tibi.» Carnem paſſibilem, vagitus, gemitus, 18.
omnem ſtabuli paupertatem, hæc ſuſcepit qui ſuam
nobis nimiâ benignitate & gratiâ largitus eſt Deita-
tem: vt ſicut in oſculo mutua fit tranſpiratio, &
communicatio animorum, ſic fieret Verbi cum car-
ne, Dei cum homine communicatio idiomatum.
Et quod ſignum benignitatis huius & gratiæ? Spon-
ſa ſubiunxit: « & nemo (inquit) iam me deſpiciat.» Cant.
Quis enim iam Angelorum viſa tanta oſculi digna- 8.1.
tione, naturam prius deſpicabilem audeat dedigna-
ri? Accipite Gregorium ſic fantem: « poſt cuius (in- Greg.
quit) oſculum iam à nemine deſpicitur: quia poſt- in Cãt.
quam Chriſtus venit & fidelibus ſuis ſpiritum liber- cap. 8.
tatis infudit, ab ipſis etiam Angelis Eccleſia honora-
tur. Hinc eſt quod Ioſue Angelum adorauit: Ioanni Ioſue
verò volenti ſe adorare dixit: Vide ne feceris, con- 5. 15.
ſeruus tuus ſum, & vnus fratrum tuorum habentium Apoc.
teſtimonium Ieſu.» Ab omnibus etiam creaturis ir- 22. 9.
rationabilibus deſpiciebatur meritiſſimè rationalis
creatura, quæ omnium rerum dominio ſuperba in-
ſultauerat Creatori: ſed iam inſtauratoris in Chriſto
omnibus, ipſi etiam Angeli propter Verbum caro
factum, paſtoribus viliſſimæ ſortis hominibus blan-
diuntur, & apparente benignitate & humanitate Dei
Saluatoris, benigniores quoque ſuo Principi con-
formati, & humaniores apparent. « Ecce (inquit)
Euangelizo vobis gaudium magnum.» Et quod gau-
dium infirmo, moribundo, captiuo, naufrago, ignis
æterni reo; cùm dicitur, ecce medicum, redempto-
rem, &c. « Ecce quaſi ſaccum plenum miſericordia Ber. ſer.

Digitized by Google

1. in Epiph. ſua Deus Pater miſit in terram, ſaccum, inquam, in paſſione concidendum, vt effundatur quod in eo latet pretium noſtrum. Saccum vtique etſi paruum, ſed plenum. Paruulus ſiquidem datus eſt nobis, ſed in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Poſtquam enim venit plenitudo temporis, venit & plenitudo diuinitatis, venit in carne, vt vel ſic carnalibus exhiberetur, & apparente humanitate, benignitas agnoſceretur. Vbi enim Dei innoteſcit humanitas, iam benignitas latere non poteſt. » Et quid ſubiecit Angelus ad cumulum gaudij? Luc. 2. 11. « Quia (inquit) natus eſt vobis hodie Saluator. » Et quod ſignum ſalutis Angele nuntias? an armis aureis, gladio fulgurante, cum exercitu multo venit vt redimat obſeſſos, cum mulis & curribus auri argentique baiulis, vt liberet oberatos? Pſ. 129. 7. « Copioſa apud eum redemptio, merces eius cum ipſo eſt. Apoc. 22. 12. Inuenietis infantem pannis inuolutum & poſitum in Luc. 2. 12. præſepio. » Hæc verò ſigna, non quidem maieſtatis & potentiæ regalis, ſed benignitatis & humanitatis Saluatoris. Hugo Card. Ibid. « Signum ſalutis eſt humilitas Saluatoris. Nam per ſuperbiam ſalutem amiſimus, & infans humilis factus eſt via ſalutis. »

SECVNDA PARS MORALIS.

PRIMA REFLEXIO. Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus Verbum quod factum eſt & apparuit nobis in ſtabulo, noſtræ genitricis domo, ibi nos docebit, qui nos erudiens apparuit. Et quid apparens tanta Philantropia exigit à nobis niſi Bernar. apud D. Th. in opu. apparentia amoris ſigna. « Magnus Dominus & laudabilis nimis, factus eſt paruulus, & amabilis nimis. Paruulus natus eſt nobis. Ipſe enim nobis eſt omne amabile. Ipſe eſt Pater, frater, Dominus, Ma-

giſter, præmium, & exemplum, &c. Quanto minorem ſe fecit in humanitate, tanto maiorem ſe exhibuit in bonitate. Quanto autem maiorem bonitatem exhibuit, tanto magis affectum noſtrum accendit » ait Bernardus. Qui rurſum ex vilificato, grandeſcētem amoris merito infantulum adpretiat: « vt (inquit) nec turbatum quidem oculum lateat, in Sole poſuit tabernaculum ſuum. Ecce pax non promiſſa, ſed miſſa: non dilata, ſed data: non prophetata, ſed præſentata, &c. Hic attendat homo quanta ſit cura eius Deo. Hinc ſciat quid de eo cogitet, aut quid ſentiat: non interroges homo ea quæ pateris, ſed quæ paſſus eſt ille. Quanti te facit, ex his quæ pro te factus eſt, agnoſce: vt appareat tibi benignitas eius ex humanitate. Quanto enim minorem ſe facit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto mihi charior. » Species eſt iaſpidis dicta pæderota: eo quod amorem conciliet puerorum « tales malunt pæderotas vocari, alij anterotas, multi Veneris gemmam, quod maximè videtur decere, & ſpecie, & colore extremo gemmæ. Magorum vanitas reſiſtere ebrietati eas promittit, & inde appellatas. Præterea ſi lunæ nomen, ac Solis, ſcribatur in iis, atque ita ſuſpendantur è collo capillis Cynocephali, vel plumis hirundinis, reſiſtere veneficiis. Iam verò quomodo adeſſe Reges adituris; grandinem quoque auertere, & ſimilia, & locuſtas; precatione addita, quam demonſtrant? » In hoc paruulo lapide verè pæderota nobis acceſſus ad Patrem, per quem omnia iræ eius tormenta amolimur, gratias promeremur, veneficia mundi, Diaboli tentamenta, Solis, ac Lunæ, Chriſti, & Mariæ inuocato nomine repellimus. Vtinam huius pueri amorem, hanc gemmam veſtris cordibus poſſim

Ber. ſer. 1. in Epiph.

Plin. lib. 37. cap. 9.

inſerere. Inferat Auguſtinus ex diuite ſcrinio, & dicat: « Propterea (inquit) Deus factus eſt homo, vt hominem totum in ſe beatificaret, tota hominis conuerſio ad ipſum eſſet, & tota dilectio eſſet in ipſo: cùm à ſenſu carnis, videretur per carnem, & à ſenſu mentis per diuinitatis contemplationem: & hoc totũ hominis bonum erat, vt ſiue ingrederetur, ſiue egrederetur, paſcua in factore ſuo inueniret; foris in carne Saluatoris; intus in diuinitate Creatoris.» Alluſit ad verba Chriſti dicentis: « ego ſum oſtiũ, per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Poſſem (inquit) dicere, ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus, egredi autem, quando exterius aliquid operamur. Et quoniam ſicut dicit Apoſtolus, per fidem habitat Chriſtus in cordibus noſtris; ingredi per Chriſtum, eſſe ſecundum ipſum fidem cogitare: egredi autem per Chriſtum, ſecundum ipſam fidem etiam foris, id eſt coram hominibus operari: vnde & in Pſalmo legitur, exiet homo ad opus ſuum, &c. Non autem poteſt quiſque per oſtium, id eſt per Chriſtum egredi ad vitã æternam quæ erit in ſpecie, niſi per ipſum oſtium, in Eccleſiam eius, quæ eſt ouile eius, intrauerit ad vitam temporalem quæ eſt in fide. Ideo, ait, ego veni vt vitam habeant, hoc eſt fidem quæ per dilectiõnẽ operatur, per quam fidem in ouile ingrediuntur vt viuant, quia iuſtus ex fide viuit: & abundantius habeant, qui perſeuerando vſque in finem, per illud oſtium, id eſt per fidem Chriſti egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur: & abundantius habeant vitam, veniendo quo Paſtor ille præceſſit, vbi numquam deinde moriantur. » Et iterum de eiſdem æternis paſcuis: « bona (inquit) paſcua, vita æterna dicitur: ibi nulla herba areſcit, totum viret, totum viget. Solet quædam herba dici ſem-

Aug. apud D. Th. in opu. Habes etiã in manuali c. 26.

Aug. tract. 45. in Io. 10.

Pſ. 103. 23.

Io. 10. 10.

Gal. 5. 6

Abac. 2. 4.

Aug. tract. 48. in

per viua, eſt herba quæ ſemper dicitur viuere: ibi Io.10.
ſolum viuere inuenitur.» Et quid Eſaïas de gloria fœni & flore marceſcente ſubiunxit? « Verbum autem Domini manet in æternum.» Sed Verbum illud caro factum, conſequenter factum eſt fœnum, reclinauit eum mater in præſepio, vt in eo homo ſimilis factus iumentis, ingrediens Bethleem; domum vtique panis, paſcua inueniret. Vt nihil iam inuideat Angelis, vile prius & deſpectum hominum genus. Sic hodie meditabatur noſter Fulgentius: « Dies (inquit) æternitatis Chriſtus in cœlo ſanctos Angelos paſcens: dies temporis Chriſtus homines in terrâ reficiens: Vt enim panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus eſt homo, vtroſque paſcens, & integer permanens. Quàm bonus panis, qui & Angelos paſcit per ſpeciem, vt de ipſo ſatientur in patria; & nos paſcit per fidem, ne deficiamus in via. Ille panis qui ſeipſum dat Angelis ad gaudium ſtabilitatis: ſeipſum dedit hominibus ad remedium ſanitatis. Et qui eſt Angelorum eſca, nobis factus eſt medicina (qui ſanat omnes infirmitates tuas, ſuperbiam humilitate, auaritiam liberali paupertate; luxuriam incorrupta virginitate.) Verumtamen hîc dilectiſſimi fratres attendite magnitudinem gratiæ, (apparuit enim gratia omnibus hominibus quorum naturam aſſumpſit) & agnoſcite quid Deus homini dignatus eſt prærogare. Chriſtus enim Dei Filius, de Deo vero Deus verus, & vnus cũ Patre naturaliter Deus, ſemper ex ſeipſo ſanctos Angelos paſcit, ſed tamen Angelicam naturam Dei Filius non accepit. Vt autem ſuam charitatem Deus commendaret in nobis, filius eius naturam noſtram ſuſcepit ex nobis: & Deus vnigenitus qui panis eſt Angelorum, vt etiam hominum ſeipſum faceret panem, ſimul hominis & animam ſuſcepit & carnem.»

Fulg. de dupl. Nat. Chriſt.

Secunda Reflexio. Si verè nos diligentem, diligimus, humilitatem quam præ cæteris elegit, diligamus. « Hic eſt primus religionis introitus, ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus; vt quicumque piè vult viuere, humiliter de ſe ſentiat, neque ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat. Fundamentum ſanctitatis, fuit ſemper humilitas; nec in cœlo ſtare potuit ſuperba ſublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noſter paruulus attulit: & à cunabulis nos ſibi conformet fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in perſona, &c. Filius datus eſt nobis, qui cùm in forma Dei eſſet, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, non eſt confuſus, ſe ad formam ſerui exinanire, vt qui de fraternitate eius gloriantur, & volunt aſcendere, non erubeſcant deſcendere. (Ad pannos, ad deſpectum habitum, ad ſtabulum pauperum, &c.) Sed eidem ſcalæ cum Iacob innitantur, & cantantes Canticum graduum ab imis ad ſuperiora conſcendant, &c. » Deſinat tandem eſſe homo ſuperbus, propter quem factus eſt humilis Deus. « Deus humils factus eſt, erubeſcat homo eſſe ſuperbus. »

Cypr. de Nat. Chriſt. — *Hebr. 1. 3.* — *Philip. 2. 7.* — *Aug. in Pſ. 54.*

Tertia Reflexio. « O beata infantia per quam noſtri generis reparata eſt vita! ô gratiſſimi & delectabiles vagitus, per quos ſtridores dentium gemituſque æternos euaſimus! ô fœlices panni, quibus peccatorum noſtrorum exterſæ ſunt ſordes! » Tranſeamus animo & corde; non enim pedibus mouetur anima, ſed affectibus: tranſeamus vſque Bethleem, & in paruuli noſtri contemplatione defixi hæreamus. « Paruulus qui maior eſt omni laude, natus eſt nobis, vt nos viri poſſimus eſſe perfecti. Totum mundum vario qui veſtit ornatu, pannis vilibus inuoluitur, vt nos ſtolam primam recipe-

Aug. ſer. 5. in Nat. Domini. — *Beda in Luc. 2.*

re valeamus. Per quem omnia facta ſunt, manus pedeſque cunis aſtringitur, vt noſtræ manus ad opus bonum exertæ, noſtri ſint pedes in viam pacis directi. Cui cœlum ſedes eſt, duri præſepis anguſtia continetur, vt nos per cœleſtis regni gaudia dilatet. Qui panis eſt Angelorum, in præſepio reclinatur, vt nos quaſi ſancta animalia carnis ſuæ frumento reficiat. Marc.
Qui ad dexteram Patris ſedet, in diuerſorio, loco 16. 19.
eget; vt nobis in domo Patris ſui manſiones multas Io. 14.
præpararet, &c. Non in parentum domo, ſed in via 2.
naſcitur, ipſe namque ait, ego ſum via, veritas, & vita. Qui ergo per diuinitatis eſſentiam, veritas & vita permanet, per Incarnationis myſterium via factus eſt, qua nos ad patriam, vbi veritate & vita frueremur, adduceret.» O verè cæcum, qui tam apparentem gratiam, humanitatem, & benignitatem Saluatoris noſtri Dei non agnoſcat, ô rupe duriorem animam, quæ ad tenelluli infantis amorem rigidum & frigidum pectus non emolliat! O fratrem, ô ſponſum, ô totum amabilem! « quis det te mihi ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te?&c.» Foris ego de ſuperbiæ tumore, in tuam exinanitus humilitatem abſorbeor. Foris, de omni voluptate carnis, tuæ mundiſſimæ ac virginali carni adglutinor. Foris, ab omni ſæculi pompa, diuitiiſque ac commodis, pauperis ſtabuli inopiæ me totum deuoueo. Quis mihi omnium hominum & Angelorum corda ardoreſque Seraphicos præbeat, vt totus ſpecioſi forma præ filiis hominum, & præ millibus Angelorum dilectione exardeam? « Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam » donec ad Cant. 3.
ſatietatem paſtus eius adorabili humanitatis fœno in 4.
ſtabulo, diuinitate eius & verbo cum Angelis æternum paſcar in Regno. Amen.

Digitized by Google

IN FESTO S. STEPHANI Protomartyris.

Statuit ſupra Petram pedes meos, & direxit greſſus meos : & immiſit in os meum Canticum nouum, carmen Deo noſtro.
Pſalm. 39.

NVllum motiuum & incitamentum efficacius ad impellendos ſucceſſorum ad virtutem animos, quàm illuſtria Patrum & prædeceſſorum exempla. Probè id norat Iſaïas, cùm ſic Iſraëliticum populum commemoret: « Audite me qui ſequimini quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci de qua præciſi eſtis. Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos. » Qui locus, vt videtis, licet ad literam, de patre & matre credentium referatur, Hieronymus tamen ad Chriſtum retulit, vt & 70. innuerunt. « Inſpicite in ſolidam petram quam excidiſtis, & in foueam laci quam fodiſtis. » Enimverò, quæ ſolidior, petra Chriſto? Et qui petram hanc vulneribus conciderunt, qui latus eius, velut lacum aperuerunt, quàm Iudæi? Sed quòd ſapienter admonuit Eſaïas, neglexit Iſraëliticus populus, feruenter adimpleuit Stephanus. Aderat quippe morienti Chriſto, ad petram quæ excidebatur attendit; apertum lacum fideliter ingreſſus eſt, & mediante eius gratia, ſe huic petræ conformauit, & Propheticæ voci ſibi præludenti gratulabundè reſpondit: « Statuit ſupra petram pedes meos, vt firmiter, & inoffenſo

Iſa. 51. 1.

Hier. lib. 14. cap. 48. Eſa. 51. 1.

Aug. ſer. 1. de S. Steph.

Pſ. 39. 3.

Digitized by Google

& inoffenſo gradu per omnia ſequerer; & direxit greſſus meos, in finem vſque « miſericordiâ eius quæ Pſalm. præuenerat, omnibus diebus ſubſequente. » Et quo- 58.11. niam in cruce velut cythara extenſis corporis ner- Pſ.22 8 uis, vt fidibus, ſuauem modulum prius inauditum, pro tranſgreſſoribus exorans, meis auribus inſonue- rat; « immiſit in os meum canticum nouum, car- Pſ.39.4 men Deo noſtro. » Primò ergo ſtatutum ſupra pe- tram Stephanum, magiſtro ſimilem videamus. Se- cundò canticum nouum, in os eius immiſſum pro reflexione morali ediſcamus. Sed de Protomartyre dicturi, te prius Reginam Martyrum, ſupra Saram fœcundatam Virginem « montem excelſum, de quo Dan. 2. lapis ſine manibus exciſus eſt » cum Angelo ſaluta- 45. bimus. Aue Maria.

EXORDIVM.

Abſit vt tenuitatem meam imò nullitatem, cum ſublimitate magni Patriarchæ Iacob componere præſumam. Nihil mihi cum viſionibus meritiſque commune; ſimpliciter dicam, quod ſicut de illo ſcriptum eſt: « Cum veniſſet ad quendam lo- Gen. cum, & vellet in illo requieſcere poſt Solis occubi- 28.11. tum, tulit de lapidibus qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo dormiuit in eo loco. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam. Et Dominum innixum ſcalæ, &c. Surgens ergo Iacob mane tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper. » Sic cum ego in profunda lapidum proiectorum in Stephanum meditatione defixus obdormiſſem, videre mihi viſus ſum ſcalam non abſimilem, à terra ad cœlum vſque porrectam, deſcen-

Digitized by Google

dentes aſcendenteſque per eam Angelos. Nec me ludificauit imaginatio ſomnij. Apud Rupertum quippe comperi ſcalam, DOMINICÆ Incarnationis eſſe figuram, ima ſummis, Verbum carni, Deum homini coniungentem: cuius duo latera, miſericordia & veritas; gradus, Chriſti Incarnati virtutes; niſi mauis, plebis Iudaïcæ Reges, ex quibus ſecundum carnem natus eſt, præcedentes. Vidiſtis heri deſcendentes ad Angelum teſtamenti Angelos collaudantes; & videmus hodie per eiuſdem ſcalæ meritum, ad cœlos apertos aſcendentem Stephanum, exemplo ſuo, ad aſcenſum purpureum, & per eum ad veri Salomonis ferculum, multos poſt ſe futuros Angelos cohortantem. « Quam pulchra bonorum conſequentia eſt! quam iucunda lætitiæ ſucceſſio! Ecce enim diem feſtum ex die feſto, & gratiam pro gratia accipimus, &c. Ille hominem pro nobis induens, hic pro illo hominem exuens. (In Angelum transfiguratus.) Ille vitæ ſpeluncam propter nos ſubiens, hic propter illum ex ſpelunca excedens. » Quid ſupereſt, niſi vt euigilans à ſomno, in figuræ complementum, erigam Stephanum ceu lapidem in primum titulum Diaconi Cardinalis, & primum veluti cardinem, cuius, poſt Chriſtum, exemplo, cœlum gloriæ Martyrij vertitur: vt è Chriſto ſimilem lapidem, ſuper eum ſtatutum probem, deinde oleum miſericordiæ eius in lapidatores effuſum oſtendam.

Rup. lib. 1. in Mat. & lib. 3. de diuin. offic. cap. 18.

Cant. 3. 10.

Greg. Nyſſ. orat. de S. Stephano.

Eſa. 66. 23.

DIVISIO.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Et quidem ſi perfectio effectus, imaginis, Diſcipuli, filij, prædeſtinati, imperfecta cum cauſa, prototypo, magiſtro patre, primogenito prædeſtinatorum Chriſto Dei Filio ſimili conſiſtit, vix vllum Stephano ſimiliorem extitiſſe, contendo, de quo puto præſcio

Spiritu, prælocutum Zachariam dum ad literam de templo Ieroſolymitano per Zorobabel Principem, & Ieſum Ioſedech Pontificem inſtaurandum loqueretur. « Educet lapidem primarium ; (Sanct. Pagn. ex Hebr. addit, cum clamoribus) & exæquabit gratiam, gratiæ eius. » 70. paulò aliter: « educam lapidem hæreditatis, æqualitatem gratiæ, gratiam eius. » Quod de Meſſia Chaldaïca Paraphraſis intellexit: « emerget Meſſias. » Alij « lapidem capitis » ſiue angularem cui pulchrè & firmiter ſtatutus adhæſit Stephanus, de quo primario & ſummo Eccleſiæ fundamento S. Cyprianus vbi multa de Christo lapide teſtimonia congerit « ſuper lapidem ipſum vnum ſeptem oculi ſunt; & ſcribes ſuper lapidem omnem legem hanc manifeſtè nimis, &c. Hic eſt lapis in Geneſi quem ponit Iacob ad caput ſuum, quia caput viri Chriſtus, &c. Quem lapidem conſecrauit & vnxit, Sacramento vnctionis Chriſtum ſignificans » de quo & Greg. « Et notandum (inquit) valde eſt quod ille dormiens Angelos conſpicit, qui in lapide caput ponit: quia nimirum ipſe ab exterioribus operibus ceſſans, interna penetrat, qui intenta mente, quæ principale eſt hominis, imitationem ſui Redemptoris obſeruat. Caput quippe in lapide ponere, eſt mente Chriſto inhærere. » Quo quid aptius in rem noſtram dici valeat, vix inuenio. Statuit enim, diuinâ præuentus gratiâ Stephanus, ſupra petram pedes ſuos, & caput ſuper lapidem capitis, lapidem angularem impoſuit, vt poſt primum fundamentum Chriſtum, proprij cæmento ſanguinis in ædificationem Eccleſiæ poſitus, Chriſti gratiæ & virtutibus ſimilis factus exæquaretur. Vt enim benè ſibi copulentur ædificij lapides, & firmiter ac ſolidè ſtatuantur, debent ſibi inuicem pariari.

Zach. 4. 7.

Cypr. lib. 2. teſtim. cont. Iud. 16. Zach. 3. 9. Deut. 27. 8. Gen. 28. 11.

Greg. lib. 5. Mor. cap. 22.

Quod vt pleniùs intelligas, præmitto hiſtoriam, à

Lyrano ex Rabinorum veterum relatione productam. Cùm ſagaciſſimus Salomon, ſtruthionis in pullos inſtinctum, venari vellet, coram femella, pullum in denſiſſimo & vaſto vaſe vitreo concluſit: quod cùm roſtro fruſtra ſæpiùs frangere tentaſſet, excuſſis effoſſa terra vermiculis dictis zanir, eorum ſanguine vas roſtro illiniens, leui mox tactu diſſoluit, & carceratum, applaudentibus alis eripuit: quo facto magnam ibidem Salomon huiuſcemodi vermium copiam nactus, expertuſque eandem in ſecandis eorum ſanguine templi lapidibus, mirabilem facultatem, id egit, quod ſcriptum eſt, vt nullum mallei, aut ſerræ murmur auditum ſit in ſtructura tẽpli: quidquid ſit de materiali illa fabrica; vnum habemus certiſſimum, Chriſtum tenerrimum ligni vermiculum voce Dauidica de ſeipſo cecinisſe: « ego
Pſ. 21.6 vermis, & non homo; » cuius attriti propter ſcelera noſtra ſanguine cuius effuſioni præſens adſtabat Stephanus, & lapides omnes electi ad reſtaurandos Ieruſalem muros, expoliti ſurgunt in templum ſanctum Domino, Stephanus porrò ſic exæquatus primario lapidi, vt per omnia & perfectè compactus æquaretur.

Io. 1 14 Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis: » & de Stephano quid? « Stephanus autem plenus gratiâ,
Act. 6. 8 &c. » De Chriſto Pſaltes: « Dominus fortis & po-
Pſ. 22. 8 tens, Dominus potens in prælio. » Et de Stephano
Act. 6. 10. Lucas: « diſputantes cum Stephano pleno fortitudine, non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui
Verſu. 15. loquebatur.» Chriſtus Angelus teſtamenti: « intuentes autem Stephanum, omnes qui ſedebant in concilio viderunt faciem eius, tanquam faciem An-
Pſ. 44. 3. geli.» De Chriſto Pſaltes: « ſpecioſus, inquit, formâ præ filiis hominum; » de Stephano Auguſtinus, om-
Aug. nia vna periodo eius elogia complectens: « Stephano

Digitized by Google

Martyri & pulchritudo erat corporis, & flos ætatis, & eloquentia ſermocinantis, & ſapientia ſanctiſſimæ mentis, & operatio diuinitatis.» Quid vltra? vobis datum eſt non tantum vt in eum credatis, (plenus Stephanus fide) ſed etiam vt pro eo patiamini.» Poſt Chriſtum non agnum quem ſequuntur virgines, non tantum cuſtos Virginum.« Stephanus ad miniſterium viduarum ab Apoſtolis deputatus, teſtimonium meruit ſinceriſſimæ caſtitatis.» Sed & inſuper « adhuc laïcus Diaconij meruit electionem, & Leuita Martyrij obtinuit principatum, &c. Diſcipulus erat ordine, ſed factus eſt magiſter exemplo. Quos ſequebatur deuotione fidei, præceſſit velocitate Martyrij, &c. Vnde licet iuxta Pſalmum qui lectus eſt, pretioſa ſit in conſpectu Domini mors ſanctorum eius; ſi quid tamen diſtare inter Martyres poteſt, præcipuus videtur eſſe qui primus eſt. Nam cùm S. Stephanus Diaconus ab Apoſtolis ordinatus ſit, Apoſtolos ipſos beata ac triumphali morte præceſſit. Ac ſic qui erat inferior ordine, primus factus eſt paſſione: & qui erat Diſcipulus gradu, magiſter cœpit eſſe Martyrio: complens illud, &c. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuere enim voluit primus Stephanus Martyr Domino, quod cum omni humano genere acceptum à Domino.» Cui conſonat illud Chryſologi « Stephanus (inquit) vocatus eſt à corona, quia primus meruit pro Chriſti nomine ſubire conflictum &c. Stephanus purpuratum dixit exercitum, qui pro Domini ſui adhuc calente ſanguine, ſanguinem ſuum auidus bellator effudit: & quia ſanguine proprio, (recole præmiſſum ſupra titulum Cardinalis,) tinctam ſibi ipſe purpuram conquiſiuit, meritò à Rege ſuo conſecutus eſt poſt coronam, qui iam cùm naſceretur, nomen ſortitus eſt à corona.»

ſer. 6. de S. Steph.

Aug. ſer. 5. de S. Stephano.

Pſ. 115. 5

Chryſol. ſer. 154.

Digitized by Google

Sed quod magis exæquat gratiam Stephani, gratiæ Domini; cùm iuxta Auguſtinum Martyrem faciat, non pœna, ſed cauſa: ſicut Chriſtus extra portam paſſus eſt, quòd tanquam blaſphemus ſe Dei filium æqualem Patri prædicaret, in Moyſem & Prophetas iniurius: ſic Stephanum tanquam blaſphemum, eijcientes extra ciuitatem lapidabant. De Chriſto Paulus, « propoſito (inquit) gaudio ſuſtinuit crucem » ſic Stephanus, Pauli documenta præcurrens, « aſpexit in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum: Ecce (inquit) video cœlos apertos & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei. » Vnde ſic in Iudæos inuehitur Auguſtinus: « Qui (inquit) deſpexiſtis faciem Moyſi legiſlatoris, perſonam Iudæi ſuſcepiſtis crudeliſſimi delatoris. Et ad dedecus veſtrum ſemper additis crimen veſtrum, &c. Intendite faciem Stephani, ſi poteſtis. Moyſes enim propter excæcationem veſtram, contra faciem ſuam poſuit velamentum: Stephanus verò ad confuſionem veſtram, contra veſtrum conuentum, reſurrectionis annuntiat Scaramentum. (Tum quòd Chriſtum poſt mortem, glorioſum ſe videre teſtetur: tum quod ipſe anticipata reſurrectionis gloria, fulgeat Angelica claritate.) Et Moyſes veſter quando velamentum poſuit contra ſanctam faciem ſuam, nolebat videre criminoſam faciem veſtram: Stephanus verò reuelatâ facie ſuâ ſpeculabatur in cœlum, gloriam Dei Filij: ideo videbant vultum eius Iudæi, tanquam vultum Angeli Dei. » Maiore adhuc Emphaſi Tertullianus, de Moyſi & Stephani claritate inuicem comparata: « mutatur facies Moyſi, incontemplabili claritate. (Cornuta quippe facies eius inſtar Lunæ nocti legis præſidentis apparuit, ſed quid ad Angelicum Stephani ſplendorem fulgidiorem Sole?) ſic & Stephanus Angelicum fa-

Hebr. 12. 2.

Aug. ſer. 6 de S. Stephano.

Tertul. de reſur. c. 55.

ſtigium iam induerat, ſed non alia (ſubſtantia ſcilicet adhuc mortali) genua lapidationi ſucciderant.» Non tantùm quia, iuxta Patres, Virgines Angelis innubis ſunt æquales; ſed quia velut Angelus faciem Patris iam videbat, & radianti facie velut Angelus coruſcabat. « Quã manifeſtè familiaris Angelis erat Aug.
amicus qui in medio luporum vt Angelus apparebat. ſer. 99.
Adapertis etenim cœlis, aſpectus mutatus eſt Confeſſoris. Et cœpit tanquam Sole illuſtratus iuſtitiæ ita ſplendere, vt humanam ſpeciem non haberet, ipſis patentibus cœlis, ipſis teſtantibus inimicis. Nam ſtabat in medio luporum, & erat facies eius, tanquam facies Angeli ſtantis in medio Iudæorum. Quid agitis ô Iudæi, non timetis ouem Chriſti pediſſequam; (& direxit, inquit, thema noſtrum, greſſus meos) ipſum eſt ſignum quod vobis in Stephani fronte lucebat. Hoc ſignum viderunt cœli & patefacti ſunt: & tanquam oſtenſo ſignaculo in ſpecie Angelorum, patefactæ ſunt portæ cœlorum, &c. Eſt autem non homo ſed Angelus. Homo ſedem palatij Domini ſui non aſpicit clauſam, ſed patefactam. » Vnum hîc ſtupeo, dixerat Chriſtus: « ſufficit diſcipulo, ſi ſit ſicut & magiſter eius: » dixit & Auguſtinus, admirabundus: « quantam cum Domino ſuo Ser. 95.
habuit ſimilitudinem paſſionis! » Sed de Domino Eſa. 53.
quid Propheta? « Vidimus eum tanquam leproſum, 2.
& non erat ei aſpectus neque decor. » Et de Stephano quid? « Videbant vultum eius tanquam vultum Act. 6.
Angeli. » Et Chriſte quid? quid de Diacono & de 15.
miniſtro? « Volo vt vbi ego, illic ſit & miniſter Io. 12.
meus? » Et tamen ſupra Pontificem ſacrificium ſui 26.
ſanguinis offerentem, Diaconus? Abſit. Sed formoſiſſima Chriſti deformitas, formoſam & Angelicam Diaconi ſui faciem effecit. « Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Venit nobis cum verbo gratiæ, cum oſculo Aug. in Pſ. 44.

Digitized by Google

gratiæ » inquit Auguſtinus. Ex hoc oſculo formoſus eſt factus Stephanus. « Nobis ergo iam credentibus vbique ſponſus pulcher occurrat. Pulcher Deus Verbum apud Deum, pulcher in vtero Virginis, vbi non amiſit diuinitatem, & ſumpſit humanitatem, &c. Pulcher in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, &c. Pulcher in ligno; pulcher in ſepulchro, &c. » Quid mirum ergo ſi de Magiſtri ſplendore Stephanus radiauit? « Pulcher erat miniſter, quia pulcher erat & magiſter. Pulcher erat vbique Stephanus iſte, in corde & corpore. »

Et ſer. 13. de temp. Et ſer. 6. de B. Steph.

Sed cum præſtantior ſit decor animi quàm corporis: & ſecundùm Auguſtinum, « quantum creſcit amor, tantum creſcit pulchritudo, quia charitas eſt ipſa animæ pulchritudo: » in hac etiam forma ſpecioſus præ filijs hominum, ſpeciem ſuam intendit in Stephanum: Adſtabat quippe Chriſto morienti & charitatem orationis ſuæ, in crucifixores ſuos extendenti: vnde & ſubiecit pro Stephano Pſaltes, « & immiſit in os meum canticum nouum, &c. » Et quodnam hoc putas canticum « diſcite, inquit, canticum nouum. Mandatum nouum do vobis, &c. Diligis & taces, dilectio tua vox eſt. » Et rurſum canticum illud immiſſum in os Stephani ex ore Chriſti, meditatus, « orauit (inquit) Chriſtus pro ſuis crucifixoribus, orauit & Stephanus pro ſuis lapidatoribus. Dominus Ieſus Chriſtus orauit affixus ligno, Stephanus genuflexo, &c. Domine, inquit, ne ſtatuas illis hoc peccatum: tanquam diceret, ego patior in carne, illi non pereant in mente, &c. Magna pietas fratres, magna clementia. Prorſus qualia in menſa Domini ſui comedit, talia & ipſe in ſuo conuiuio præparauit. Scriptum eſt in lege, ad magnam menſam ſediſti,

Aug. in Pſal. 39.
Aug. in Pſ. 95.
Aug. ſer. 1. de S. Steph.
Prou. 23. 1.

Digitized by Google

ſcito, quoniam talia te oportet præparare. Talia ergo Eccli. 31. 12.
in oratione exhibuit, qualia in ſui Domini menſa
comedit. » Et hac eſca ſaginatus, hoc poculo ebrius, Prou. 23. 1. ex 70.
obdormiuit in Domino. « O ſomnum pacis! quid
illo ſomno tranquillius? quid illo ſomno quietius. »
Quid vltra? « fœlix ſomnus & requies vera. Ecce Aug. ſer. 1. de S. Steph.
quid eſt requieſcere; pro inimicis orare. » En termi-
num vltimum & perfectum conſummatæ charitatis,
& « patientiæ, quæ perfectum opus habet. Omnis Aug. ſer. 2. de S. Steph.
conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum
nimis. » Neque enim terminum ponit, niſi & ad ini-
micos etiam dilatetur extenſio dilectionis. Hoc Can- Iac. 1. 4
ticum nouum, quod ex ore didicit Saluatoris. « Can- Pſ. 118. 96.
ticum vetus cantat cupiditas carnis, Canticum no-
uum cantat charitas Chriſti. » Sanguis Abel vindi- Aug in pſ. 95.
ctam clamat: ſed « ad aſperſionem ſanguinis acceſ-
ſiſtis melius clamantem quam Abel. » Veniam enim
& remiſſionem clamat poſt Chriſtum ſanguis Ste-
phani. Si non potes imitari Dominum, imitare con-
ſeruum. « Meminerat dixiſſe Dominum, mihi vindi- Aug. Ibid.
ctam, & ego retribuam, dicit Dominus. Et iterum, ne Deu. 32. 43.
dixeris, vlciſcar me de inimicis meis: ſed expecta
Dominum vt tibi auxilium ſit. Expectare nos iubet Prou. 20. 22. ex 70.
Dominus Deus, vt in die futuræ retributionis cum
ſanctis martyribus vindicemur, &c. Æſtuas, furis, an-
helas, feſtinas vindicari: attende Chriſtum medicum
ægritudinis tuæ. Attende redemptorem animæ tuæ.
Propter te pependit in ligno, & nondum eſt vindi-
catus, & tu vis vindicari? &c. Vide pendentem, &
tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentum con-
ficientem: vide pendentem, & tibi de ligno tanquam
de tribunali præcipientem. Audi precantem, Pater Luc. 23. 34.
ignoſce illis, &c. Sed potuit hoc Chriſtus, dicis mihi,
ego non poſſum: ego enim homo ſum, ille Deus ho-
mo. Deus ergo vt quid homo, ſi non corrigitur ho-

Digitized by Google

mo? Sed hæc tibi loquor ô homo : multum eſt à te imitari Dominũ tuum, attende Stephanũ conſeruũ tuũ. Certè Stephanus homo erat an Deus? planè homo erat, hoc erat quod tu : ſed quod fecit, non fecit niſi donante illo, quem rogas & tu. » Si difficultatem pateris & laborem in præcepto, deprecare gratiæ largitorem, & intuere Stephanum authoris gratiæ imitatorem. « Factum videmus in Stephano, qui cum à Iudæis vi & lapidibus necaretur, non ſibi vindictam, ſed interfectoribus veniam poſtulabat dicens, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Sic eſſe oportuit primum Chriſti Martyrem, qui Martyras ſecuturos glorioſa morte præcurrens, non tantùm Dominicæ paſſionis prædicator eſſet, ſed & patientiſſimæ lenitatis imitator. »

Cypr. de bono patientiæ.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Quid ergo iniuriis laceſſiti præſtabimus? Hoc primum, Deo vindictam immolabimus, nec temerè ius eius inuademus. « Quem honorem litabimus Domino Deo, ſi nobis arbitrium defenſionis arrogauerimus. Nos vtres (inflati vento ſuperbiæ, vtres veteres oleum & vinum charitatis non continentes, inepti Cantico nouo, & vino nouo.) Vaſa fictilia, ſeruulis noſtris aſſumentibus ſibi de conſeruis vltionem, grauiter offendimur ; eoſque qui nobis patientiam obtulerint ſuam, vt memores humilitatis, ſeruitutis, ius Dominici honoris diligentes, non probamus modò, ſed ampliorem quàm ipſi ſibi præſumpſiſſent, ſatisfactionem facimus : id nobis in Domino, tam iuſto ad æſtimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo credimus Iudicem illum, ſi non & vltorem? Hoc ſe nobis repromittit dicens: vindi-

Tertul. de patientia cap. 10.

Digitized by Google

ctam mihi,& ego vindicabo. Id eſt,patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo. » Quoties ergo « impatientiæ ſtimulus vltionis libido negotium curans aut gloriæ aut malitiæ » pupugerit animum, à tergo monentem audi Pſalmiſtam: « Deus vltionum Dominus, Deus vltionum, liberè egit. » Tanquam diceret, Dei iura ne præſumito violare. Solius eius eſt exigere vindictam,qui liberè ſolus & plena animi libertate,abſque paſſionis nubilo,&vt ait Sapiens « cum tranquillitate iudicat, & ſecundùm menſuram delicti, plagarum modum » imponit. Tu verò in turbine & feruore iræ metus excedis. « Quoniam nihil impatientiâ ſuſceptum,ſine impetu tranſigi nouit: nihil impetu actum, aut non offendit, aut corruit, aut præceps abiit. » Solus nouit Deus quid cuique iniuriæ debeatur: grauem tu æternâ dignam pœnâ, non æquè quauis temporali pœnâ vindicabis. Leuem grauiori quàm par eſt vltione penſabis.« Iam ſi leuius defendaris, inſanies. Si vberius, oneraberis. Quid mihi cum vltione, cuius modum regere non poſſum per impatientiam doloris?» Sunt enim qui & vſuras exigunt præter ſortem iniuriæ principalis: in quos Auguſtinus verſum explicat Pſaltis: « Non defecit de plateis eius vſura & dolus. Eſt (inquit) & alia vſura peior,quando non dimittis quod tibi debetur,&c. Verbum contumelioſum audiſti, vis exigere damnationis ſupplicium: vel tantum exige quãtum dediſti,&c. » Sed vt ait Tertullianus: « malitia numquàm non Domino odioſa,hoc quidem loco maximè cum alterius malitia prouocata, ſuperiorem ſe in exequendâ vltione conſtituit, & remunerans nequam duplicat quod ſemel factum eſt. » Quam in rem rurſum Auguſtinus verba orationis Dominicæ expendens, dimitte nobis debita noſtra « non accepturus (inquit) ſi non dicturus: non acceptu-

Deut. 32.35.
Tertul. Ibid.
Pſ.93.1.
Sap. 12. 18.
Deut. 25. 2.
Tertul. Ibid.
Tertul. Ibid.
Aug. in Pſ.54.
Tertul. ſupra.
Aug. ſupra.

Digitized by Google

rus, ſi falſum dicturus, &c. Quid enim tibi prodeſt quia exigis iniurias quas pertuliſti ? vltio te reficit? ergo de malo alieno gaudebis ? paſſus es malum, ignoſco, ne duo mali ſitis. » Quod pulchrè ſic exaggerat Tertullianus « quid enim refert inter prouocantem, & prouocatum ? Niſi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, at ille poſterior. Tamen vterque læſi hominis Domino reus eſt, qui omne nequam & prohibet & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio eſt: nec locus ſecernit, quos ſimilitudo coniungit. Abſolutè itaque præcipitur, malum malo non rependendum. Par factum, par habet meritum. »

Tertul. ſupra.

Rom. 12. 17.

SECVNDA REFLEXIO. Nec à Deo petenda vindicta eſt, ſed eius nutui & diſpoſitioni relinquenda, ne maledicto Prophetæ ſubiaceas: « oratio eius fiat in peccatum. » Et cuius? de quo præmiſerat: « cùm iudicatur exeat condemnatus. » Fit enim vt dum à Deo Iudice vltionem petit, ipſe exeat condemnatus. Pròh quantum peccatum vindictam orantis ! quod ſubtiliter Auguſtinus aduertit, thema noſtrum exponens: « immiſit in os meum Canticum nouum, hymnum Deo noſtro : laudans (inquit) inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Hymnus eſt Canticum cum laude, laudans inuoca, non reprehendens. Quando enim inuocas Deum vt perimat inimicum tuum ; quando de malo alieno gaudere vis, & ad hoc malum inuocas Deum, participem eum facis malitiæ tuæ. Non ergo laudans eum inuocas, ſed reprehendens: talem enim putas Deum, qualis tu es. Vnde tibi in alio loco dicitur, hæc feciſti & tacui : ſuſpicatus es, inique quod ero tibi ſimilis, &c. » Vrget amplius hoc peccatum, vbi ſic inducit orantem vltoris animum : « figis genu, collidis frontem in terram, oro vt moriatur inimicus

Pſ. 108. 6. 7.

Aug. in Pſ. 39.

Pſ. 49. 21.

Aug. ſer. 4.

Digitized by Google

meus; Deus,ſi quid à te promerui, occide inimicum meum. Et vtique tu qui oras vt homo moriatur, malus oras contra malum & facti eſtis duo mali. Ille malè agendo, tu malè orando. Tu malus orando incipis eſſe quando dicis, Deus occide malum. Reſpondet tibi ipſe, quem malum? (Certè ſi deteriorem occidat, blaſphemum te impudentem fulmine percutiet.) Aduertat ſanctitas veſtra: Iudex homo per ſe reum non occidit, ſed iubet,& ſpiculator occidit. Iudex dicit, occide, & tortor occidit. Et tu quando dicis, occide inimicum meum, te facis iudicem, & Deum quæris eſſe tortorem. Reſpondet tibi Deus, non ero prorſus, non ero peccatoris tortor, ſed liberator, quia nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Nam ſi voluntatem tuam haberem, te prius occiderem, &c. Nonne me blaſphemaſti? Nonne me in tuis malis operibus irritaſti? Nonne nomen meum de terra delere voluiſti? Nonne me in præceptis, vel in ſeruis meis contempſiſti? Si tunc te occidiſſem inimicum, quem modo facerem amicum? Quid ergo malè orando doces me, quod non feci in te. Immo ergo dicit tibi Deus, doceam te, vt imiteris me. In cruce pendens dixi, Pater ignoſce illis, &c. Docui hoc milites meos, docui Martyres; prius eſto & tu martyr meus, tyro meus: aduerſus Diabolum aliter inuicte nullo modo pugnabis, niſi pro tuis inimicis oraueris. de S. Steph.

TERTIA REFLEXIO. Diſce quàm ſancta & fructuoſa ſit oratio facta pro inimicis. « Cœpimus habere nos prædicatorem, quem S. Stephanus habuit lapidatorem. Sic ergo exauditus eſt ſanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum quod commiſerat Saulus, &c. Nam ſi S. Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed Aug. ſer. 1. & 4. de S. Steph.

Digitized by Google

ideo erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus, exauditus eſt Stephanus.» Magnum ſecretum: vis
1.Io.5. 14. exaudiri, «hæc eſt fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus, ſecundùm voluntatem eius audit nos.» Paulum interroga quæ ſit voluntas eius, reſpondebit, voluntas eius ſanctificatio veſtra.» Prædixerat ſupra ex Ieremia Auguſtinus, nolle Deum mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Ora ergo vt Deus dimittat inimico: nec dimittet, niſi conuertatur, & ſatisfaciat, & ex inimico fiat amicus. Dic ergo cum
Pſ. 108. 2. Pſalte «locuti ſunt aduerſum me linguâ doloſâ, & ſermonibus odij circumdederunt, & expugnauerunt me gratis, pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.» O ſingulare carmen & Canticum nouum, ex ore Chriſti in os Stephani & noſtrum immiſſum! O carmen Dei auribus gratum, carmen venefici incantantis ſapienter, in conuertendo inimicum meum retrorſum vt ex inimico conuertatur amicus ex malefico, beneficus; ex peccatore ſanctus! O Stephane, petra lapidibus exæquata petræ. O pedes ſuper petram ſtatuti firmiter, ô directi greſſus in lato mandato nimis. O plena gratia de tua in nos plenitudine effunde, vt in petra exaltati recto greſſu te ſequamur in via, vt in cœlos apertos hymnum Deo noſtro cum conuerſis inimicis cantemus in patria. Amen.

Digitized by Google

IN FESTO S. IOANNIS Euangeliſtæ.

Eructauit cor meum verbum bonum.
Pſalm. 44. 1.

SI titulus qui inſcribitur Pſalmis, iuxta Hieronymum, quædam clauis eſt; ſecundùm Auguſtinum, velut inſcriptio literæ; & ex mente Ruperti, velut quidam Titan, titulus eſt appellatus; Titulus huius Pſalmi 44. Nobis theſaurum aperit meritorum Beatiſſimi Ioannis; Titan & Sol, radios virtutum eius, in hoc verſu latentes pandit; & inſcriptio docet, Ioanni dilectiſſimo hanc literam, Canticum, Epithalamium ſcribi. « Canticum pro dilecto. » Et quis ille dilectus, niſi « Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus? » Sic ſecretus, vt Scriba & Euangeliſta dicatur, altiſſimi conſilij particeps; tanta eloquentia pollens, vt lingua pronuntietur; ſic dilectus, vt cor « ſupra pectus Domini recubuiſſe » iactetur. Audite Pſaltem pro Chriſto, de Ioanne dilecto loquentem: « Eructauit cor meum verbum bonum, &c. Lingua mea, calamus ſcribæ velociter ſcribentis.» De tua, ô Virgo, gloria agitur, dicturo de filio tuo adoptiuo, da cor, & linguam; vt digna meritis eius concipere, eloqui, ſcribere poſſim; per Gabrielem Archangelum exorata. Aue.

Titulus Pſ. 44. Io. 21. 7. Ibid. Pſ. 44. 1

EXORDIVM.

Ni perfecta charitas, æmulationis neſcia, regnaret in cœlis; Ioannem cum Petro conferre timerem; nec 1. Cor. 13. 4.

præſumerem quærere, quod olim adhuc imperfecti Dominum interrogauerunt Apoſtoli, ortâ inter ipſos
Marci contentione; « quis eorum videatur eſſe maior. »
9.33. Sed ſi iuſta magnitudinis veræ menſura, à dilectionis
Aug. magnitudine petenda eſt, vt dixerit Auguſtinus, « ſi magnam habueris, magnus es: » cùm Ioannes, verum
Io. 21. 15. de ſe teſtimonium ſcribens, « ſe Diſcipulum dixerit, quem diligebat Ieſus: » & Petrus roganti Chriſto,
Ibi. 17. « Simon Ioannis, diligis me plus his? » reſponderit
1. Cor. 2. 13. interrogationi tertiæ; « Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te: » nos ſecundùm Paulum, « ſpiri-
D. Th. lect. 5. in cap. 21 io. 14. tualibus ſpiritualia comparantes; vtriuſque meritum ex dilectione penſantes; » quid ſuper hac quæſtione ſoluenda Doctor Angelicus ſcripſerit, attexemus. « Diligebat (inquit) Ioannem Ieſus, non excluſis aliis; quia ſupra dicit, ſicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Sed quia ſpeciali dilectione præ cæteris
Prou. 14. 35. dilexit; & hoc propter tria. Primò propter intellectus eius perſpicacitatem: Magiſtri enim ſpecialiter diligunt intelligentes Diſcipulos: acceptus eſt enim Regi miniſter intelligens. Secundò propter mundi-
Prou. 22. 11. tiæ puritatem; quia Virgo fuit. Qui enim diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum Regem. Tertiò propter teneram ætatem. Pueris enim, & deficientibus, magis compatimur, & ſigna familiaritatis oſtendimus. Sic & Chriſtus Ioanni, iuueni conuerſo. Puer Iſraël, & dilexi eum.
Oſeæ 11. 1. In quo datur intelligi, quod Deus ſpecialiter diligit illos qui in iuuentute ſeruiunt ei. Præcoquas ficus
Mich. 7. 1. deſiderauit anima mea. » Hæc in commendationem Ioannis. D. Thomas, qui in honorem Petri ſubiecit
Prou. 8. 17. ex Prouerbiis Salomonis Chriſtum inducens: « ego diligentes me diligo: ſed Petrus diligebat plus Chriſtum: dicentem, diligis me plus his? Ergo Chriſtus plus Petrum debuit diligere, quàm Ioannem. » Tum

verò

Digitized by Google

verò ſic diſſoluit quæſtionem: « Poſſet dici, quòd Ioannes quia plus dilectus fuit, fœlicior: ſed Petrus quia plus diligens, fuit melior. Sed hoc eſſet contra iuſtitiam. Et ideo hoc refertur ad myſterium. Nam per hos duos, duplex vita ſignificatur, ſcilicet actiua, & contemplatiua: & vtriuſque finis, & obiectum eſt Chriſtus. Sed vita actiua quæ ſignificatur per Petrum, plus diligit Deum, quam vita contemplatiua, quæ ſignificatur per Ioannem; quia magis ſentit præſentis vitæ anguſtias, & æſtuantiùs ab eis liberari deſiderat, & ad Deum ire: contemplatiuam verò vitam Deus plus diligit, quia eam magis conſeruat: non enim ſimul finitur cum vita corporis, ſicut vita actiua. Vnde & diligit Dominus portas Sion (ſtabi- Pſ. 75. 1
les & manentes) ſuper omnia tabernacula Iacob; (id eſt tentoria viatorum militum.) Sed aliqui ſeſecundùm literam hoc ſoluere volentes, diſtingunt in Chriſto duplicem dilectionem, ſecundùm duplicem voluntatem, diuinam ſcilicet, & humanam: & dicunt quòd Chriſtus plus dilexit Petrum dilectione diuina, Ioannem verò plus dilectione humana. Sed contra hoc eſt, quia voluntas humana in Chriſto totaliter conformis erat voluntati diuinæ. Vnde quem plus diligebat voluntate diuina, plus etiam dilexit voluntate humana. Dicendum ergo, quòd illum plus diligebat, cui magis bonum volebat. Petrum autem plus diligebat, ad hoc, vt faceret eum magis ſuum dilectorem. Ioannem autem diligebat ad aliud, ſcili- Ecli. 15.
cet ad perſpicacitatem intellectus: impleuit eum 5.
Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus. Et ſecun- 1. Cor.
dùm hoc, Petrus eſt melior: quia charitas ſuperemi- 13. 8.
net ſcientiæ. Ioannes verò melior in perſpicacitate intellectus. Sed merita ipſorum ponderare, ſolius Dei eſt. Spirituum enim ponderator eſt Dominus, & Prou.
ideo alij dicunt & melius; quòd Petrus plus dilexit 16. 2.

Digitized by Google

Chriſtum in membris : & ſic etiam fuit plus à Chriſto dilectus. Et ideo ei Eccleſiam ſuam commendauit. Ioannes verò plus Chriſtum in ſeipſo: & ſic ab eo plus fuit dilectus, vnde ei matrem commendauit. Vel dicendum, quòd Petrus plus dilexit Chriſtum, quantùm ad promptitudinem & feruorem: Ioannes verò plus fuit dilectus, quantùm ad familiaritatis indicia, quæ ei Chriſtus magis demonſtrabat, propter eius iuuentutem & puritatem. » Quidquid ſit, quantùm Ioannes dilectus fuerit, ex donis à Chriſto collatis, primò æſtimabimus. Secundò reflexiones morales honoris & imitationis eius meritis & exemplis debitæ colligemus.

DIVISIO.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Quærenti num poſſit Chriſtus vnum plus altero diligere, breuiter reſpondebo iuxta præmiſſa; duas in Chriſto fuiſſe naturas, & duas proinde voluntates & amores; humanus augmenti capax, diuinus vt infinitus, incapax incrementi. Nec diuina Chriſti dilectio, ſicut humana, præſupponit in creatura meritum, ſed illud ipſum efficax eius dilectio ponit. Nec ſicut Sol pro diſpoſitione ſoli, hîc vermem illic producit adamantem; ſed Dei dilectio etiam hominis præparat voluntatem. Humana autem Chriſti dilectio, quæ in Ioanne ſine merito dona gratiæ, & priuilegia, diuina charitas, præ cæteris contulerat vberius; humana meritò diligebat abundantius. Vnde ſi ex donis, amor omnis beneficientiæ origo penſetur, Ioannem omnibus Apoſtolis dilectiorem fuiſſe cenſebimus. Sponſam cantici Canticorum interrogemus: « qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima inter mulieres? » an non reſpondebit; « ſpecies eius vt Libani? » Tanquam diceret: ſint

Prou. 8. 35. iuxta 70.

Cant. 5. 9.

Ibid. 15.

alij, « ſicut oliua fructifera in domo Domini: multi- Pſ.51.
plicentur vt cedri Libani quas plantauit, iuſti vt 10.
palma floreant: ſint vt cypreſſus in monte Sion: Pſal.91.
ligna denique plantata ſecus decurſus aquarum: » 13.
Ioannes, Libano ex omnibus electis arboribus con- Ecli.24.
ſito, comparabilis, omnium in ſe electorum virtutes 17.
congeſtas habet, ex dilecto dilectus: « ſpecies eius Pſ. 1. 3.
vt Libani. » Et cùm Pſaltes egiſſet de pennis colum- Cant.
bæ deargentatis, diuiſiſque à Spiritu ſancto gratia- 5.15.
rum ſpoliis, ad ſpeciem & ornatum domus eius;
præmiſerat de Ioanne dilecto ex dilecto, quaſi om-
niũ ſpolia in ſe colligente, & affectum dilecti poſſi-
dente pleniſſimè: « Rex virtutũ, dilecti dilecti: & ſpe- Pſ. 67.
ciei domus diuidere ſpolia: » vt qui ſolus inter me- 13.&14.
dios Apoſtolos, velut « inter medios cleros, dile-
ctior dormiret, & recumberet in pectore Domini.»
Ibidem quippe de Beniamin ſcriptum legimus: « ibi Ibid.67
Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. » De
quo & Moyſes: « & Beniamin ait: amantiſſimus Do- Deut.
mini habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo, 33.12.
tota die morabitur, & inter humeros illius requieſ-
cet. » Beniamin filius dexteræ, continens eos, inter-
pretatur, quòd licet adoleſcentior & iunior cæteris
Apoſtolis, eorum omnium dona, & merita contine-
ret. « Adoleſcentem legimus Ioannem; quamuis Ber.lib.
nulli ſeniorum in virtute fuerit ſecundus. Erat enim de ordine vitæ.
in eo ſenectus venerabilis morum, & cana pruden-
tia virtutum omnium. » Sed diligenter aduerten-
dum, quod Propheta dixit, « ibi in mentis exceſſu » Pſ.67.
& vbinam? « ſupra pectus Domini, Beniamin ado- 28.
leſcentulus, continens eos, & mente excedens eos.» Exod.
Recolite Pontificem in ſancto ſanctorum, rationali 28.19.
ornatum, in quo inter cæteras gemmas fulgebat
Achates. Ibi Beniamin noſter eſt adumbratus, « cui Virgil.
fidus Achates it comes. » Nec famoſus ille ſilentio

Digitized by Google

premendus Achates Pyrrhi,de quo Plinius velut naturæ portento, nouem Muſas, medio inter cytharam pulſante Apolline, continente,ſic fatur: « Regia fama eſt gemmæ Pyrrhi illius qui aduersùs Romanos bellum geſſit. Namque habuiſſe traditur Achatem, in qua nouem Muſæ, & Apollo cytharam tenens, ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ, ita diſcurrentibus muſculis, vt Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. » Prodigium habemus in Ioanne totius plenitudinis gratiæ, in Beniamin non ſolum continente, ſed excedente cæteros omnes Eccleſiaſticæ Hierarchiæ choros; Eccleſiæ Patriarcham, Prophetam, Apoſtolum, Euangeliſtam, Pontificem, Virginem, Anachoretam; & ne deſit calix ſacco Beniamin, affectu, & Chriſti compaſſione crucifixi, pluſquam Martyrem; « Euangeliſta Ioannes ſub typo vitæ contemplatiuæ, ſub ſponſæ figura, in plenum oleo feruente dolium deſcendit. » Quid quod vt charitas omnia proximi bona noſtra facit, « ſicut Petrus in Ioanne virginitatis habet meritum: ſic Ioannes in Petro Martyrij habet præmium. » Sed ne de pectore recedam; vnde vrim, & thumin; doctrina & veritas rationalis, vnde & Petrus per Achatis lucem præfulgentem, & excedentem ſe ſciſcitabatur à Pontifice traditorem; quàm auide de illo ſapientiæ fonte potauit? « Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt. » Quem in locum Auguſtinus; « ille (inquit) auidiſſimus epulator Ioannes Apoſtolus, cui non ſufficiebat ipſa menſa Domini, niſi diſcumberet ſuper pectus Domini, & de arcano eius biberet diuina ſecreta, quid eructauit? In principio erat Verbum. » O quanto exceſſu cæteros debuit tranſcendere, qui tantum arcanum eructauit! Et rurſum: « Ioannes (inquit) Apoſtolus, in Euangeliſtis quatuor eminentiſſimus, dixit de Verbo

Plin. lib. 37. cap. 1.

Gilbertus Abbas ſer. 36. in Cant.

Guarricus Abbas ſer. in Purif. Virg.

Aug. in Pſ. 44.

Aug. lib. 2. de

qui eſt ipſe filius. » Et iterum verſum Pſaltis exponens: « ſuſcipiant montes pacem populo, &c. Erat (inquit) iſte Ioannes de illis montibus de quibus ſcriptum eſt, ſuſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Montes excelſæ animæ ſunt,& colles paruæ animæ ſunt,&c. De his montibus & Ioannes erat qui dixit, In principio erat Verbum, &c. Qualis iſte mons erat, quàm excelſus! tranſcenderat omnia cacumina montium terrarum, tranſcenderat omnes campos aëris, tranſcenderat omnes altitudines ſyderum, tranſcenderat omnes choros & legiones Angelorum. Niſi enim tranſcenderet iſta omnia quæ creata ſunt, non perueniret ad eum per quem facta ſunt omnia. Non poteſtis cogitare quid tranſcenderit, niſi videatis quò peruenerit. Quæris de cœlo & terra? facta ſunt. Quæris de his quæ ſunt in cœlo & terra? vtique multo magis & ipſa facta ſunt. Quæris de ſpiritalibus creaturis, de Angelis,de Archangelis,ſedibus,dominationibus, Virtutibus, Principatibus? & ipſa facta ſunt. Nam cùm commemoraret hæc omnia Pſalmus, concluſit ſic, ipſe dixit & facta ſunt,&c. Si dixit,& facta ſunt, per Verbum facta ſunt: ſi autem per Verbum facta ſunt, non poterat Ioannis cor peruenire ad id quod ait,In principio erat Verbum, &c. Niſi tranſcendiſſet omnia quæ ſunt facta per Verbum. Qualis ergo iſte mons,quàm ſanctus, quàm altus inter illos montes qui ſuſceperunt pacem populo Dei, vt colles poſſent ſuſcipere iuſtitiam!»

conſenſu cap. 6. & Tract. 1.in Io. Pſal.71

Pſ.32.9.

Neque verò noſtri Beniamin exceſſus, in montium vertice figendus eſt. « Sanctus Ioannes Apoſtolus,non immeritò ſecundùm intelligentiam ſpiritalem Aquilæ comparatus, altiùs multoque ſublimiùs aliis tribus erexit prædicationem ſuam, & in eius erectione etiam corda noſtra erigi voluit.Nam

Aug. Tract. 36. in Io.8.

Digitized by Google

cæteri tres Euangeliſtæ tanquam cum homine Domino in terra ambulant, de diuinitate eius pauca dixerunt; iſtum autem quaſi pigueret in terra ambulare, ſicut ipſo exordio ſui ſermonis intonuit, (ô tonitrui filium !) erexit ſe non ſolum ſuper terram, & ſuper omnem ambitum aëris, & cœli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque conſtitutionem inuiſibilium poteſtatem, & peruenit ad eum per quem facta ſunt omnia, dicendo, In principio, &c. Hoc ructabat quod biberat. Non
Io. 13. enim ſine cauſa de illo, in iſto ipſo Euangelio narratur, quia & in conuiuio ſuper pectus Domini diſcumbebat. De illo ergo pectore in ſecreto biberat: ſed quod in ſecreto bibit, in manifeſto eructauit. »

Nec ſegnior Aquilâ, nec impari volatu, & oculo, cæteris ſuperfertur animalibus myſticis, in mentis
Ezech. 1. exceſſu. « Facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor. »
Aug. lib. 1. de conſenſu cap. 6. Vnde Auguſtinus: « hæc (inquit) animalia tria, ſiue leo, ſiue homo, ſiue vitulus, in terra gradiuntur: vnde iſti tres Euangeliſtæ in his maximè occupati ſunt quæ Chriſtus in carne operatus eſt, & quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit: at verò Ioannes ſuper nubila infirmitatis humanæ velut Aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis acutiſſimis atque firmiſſimis oculis cordis intuetur. »

Philip. 3. 20. 2. Cor. 12. 4. Pennatum iactet animal paulum Gregorius, conuerſantem in cœlis, ad tertium vſque cœlum ereptum: audiuit quidem ille arcana verba, ſed plura, quæ non licet homini loqui: Ioannes autem « in mentis exceſſu » vidit vnum Verbum, Verbum vitæ, quod hominibus eructauit. Inter Angelos illos primus, qui « aſcendit & deſcendit ſuper filium hominis; » dum aſcendit ad Verbum in principio apud

Digitized by Google

Deum, deſcendit ad Verbum caro factum. Quod ſi ex Paulo,& interprete eius Chryſoſtomo, « innotuit principatibus & poteſtatibus multiformis gratia Dei per Eccleſiam: » an non Ioannes Doctor extitit Angelorum,qui magiſter fuit Eccleſiarum? Quid mirum ergo ſi Hieronymus dixerit Ioannem nouiſſe ſecreta, quæ fortè fuerant & Angelis ignota? Et Angelum factum Ioannem agnouit. Auguſtinus, & in Deum quodammodo per participationem diuini luminis eleuatum. Dum enim de montibus, vt ſuprà, dixiſſet; « qui (inquit) contemplati ſunt ipſam ſapientiam, quantùm humanis cordibus potuit contingi, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit: » de Ioannis Angelici & diuini exceſſu ſic proſequitur: « Si in cor hominis non aſcendit, quomodo aſcendit in cor Ioannis? An non erat homo Ioannes? An fortè nec in cor Ioannis aſcendit, ſed cor Ioannis in eam aſcendit? quod enim aſcendit in cor hominis., de imo eſt ad hominem; quò autem aſcendit cor hominis, ſurſum eſt ab homine. Etiam ſic, fratres,dici poteſt, quia ſi aſcendit in cor Ioannis, ſi aliquo modo poteſt dici, in tantum aſcendit in cor Ioannis,in quantum ipſe Ioannes non erat homo. Quid eſt, non erat homo? in quantum cœperat eſſe Angelus: quia omnes ſancti, Angeli; quia annuntiatores Dei. Ideo carnalibus & animalibus,non valentibus percipere quæ ſunt Dei, quid ait Apoſtolus, cùm enim dicitis,ego ſum Pauli, ego Apollo, nonne homines eſtis? quid eos volebat facere,quibus exprobrabat quia homines erant? Vultis noſſe quid eos facere volebat? Audite in pſal. ego dixi Dij eſtis,& filij Excelſi omnes.» In Deum transformatum cor Ioannis hac ſimilitudine probauit Bernardus,« turbatus oculus nullatenus ſerenum Solem videt, propter diſſimilitudinem: ſerenus aliqua-

Epheſ. 3.10. 1. Pet. 4. 10.

Hier. in cap. 14. Zach. in f.

Aug. Tract. 1. in Io. 1. Cor. 2

1. Cor. 3. 4.

Pſ. 81. 6.

Ber. ſer. 31. in Cant.

Digitized by Google

tenus videt, propter nonnullam ſimilitudinem. Profecto ſi pari prorſus puritate vigeret, videret omnino inoffenſâ facie eum ſicuti eſt, propter omnimodam ſimilitudinem. Ita & Solem iuſtitiæ videre in hoc mundo ſicut illuminat, illuminatus poteſt, tanquã iam in aliquo ſimilis; ſicuti eſt omnino non poteſt, tanquam nondum perfectè ſimilis, &c. Qui itaque clarior, illi propinquior: eſſe autem clariſſimum, perueniſſe eſt.» Quis clarior oculus mentis, quis Ioanne Soli propinquior, cuius luci coniunctus intimè fuit chariſſimi diſcipuli intellectus. Sicut oculus Solem videre non poteſt, niſi radius eius luci Solis immenſus, vnum quaſi cum eo ſit factus: ſic cor Ioannis, Verbum Patris eructare non poterat, niſi
Pſ.63.8. cordi Patris vnitum. O cor altum! « aſcendet homo ad cor altum, aſcendet in mentis exceſſum;» ſed cum aſcenderit, iam non erit homo, iam non Ange-
Pſ.44.1 lus, ſed « exaltabitur Deus:» vt cum Patre æterno
Aug. Ibid. dicat, & dicat ſemel, vt ſemel loquitur Deus « eructauit cor meum Verbum bonum, dicere Dei ſine initio eſt, & ſine fine: & tamen vnum Verbum dicit: dicat alterũ, ſi quod dixit tranſierit. Cùm verò, & à quo dicitur manet, & quod dicitur manet, & ſemel dicitur, & non finitur: & ipſum ſemel ſine initio dicitur, nec bis dicitur, quia non tranſit quod ſemel dicitur.» Sed quid apud Pſaltem ſequitur? « lingua mea (organum Verbi, diuinæ mentis interpres Ioannes) calamus ſcribæ velociter ſcribentis.» Audite
1.Io.1.1 quid ipſe. « Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur: & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.» Cur autem linguam annuntiantem Verbum ex corde diuino, calamo ſcribæ com-

paret,docet Auguſtinus:« quia (inquit) quod lingua Aug. in
dicitur,ſonat & tranſit,quod ſcribitur , manet: cùm Pſ. 44.
ergo dicat Deus Verbum, & Verbum quod dicitur,
non ſonet & tranſeat,ſed & dicatur , & maneat,ſcri-
ptis hoc maluit Deus cōparare quàm ſonis,&c.Quod
autem addidit,velociter ſcribentis, &c. Cogitet ve-
lociter, & videat quare dictum ſit velociter. (Velo- Pſ.147.
citer currit ſermo eius.) Velociter Dei tale eſt , vt 4.
velocius nihil ſit. In ſcripturis enim ſcribitur litera
poſt literam , ſyllaba poſt ſyllabam , verbum poſt
verbum; nec ad ſecundum tranſitur,niſi primo præ-
ſcripto: ibi autem nihil velocius,vbi non multa ſunt
verba, nec tamen aliquid prætermiſſum eſt, cùm in
vno ſint omnia. » Videte iam , ſi quis ſcriba velo-
cior ſit Ioanne , vel auis ocyor Aquilâ noſtrâ. Vide-
te,ſi poteſtis, à terra, nictu oculi , in cœlum vſque
volantem, quatuor vaſtas elementorum paginas, &
cœlorum omnium pellem extentam, vno tractu ca-
lami tranſcurrentem;in vno Verbo omnia per ipſum
facta deſcribentem: & inde celerrimâ velocitate , à
cœlo ad terram,à Verbo ad carnem, à Deo ad homi-
nem, tam latè fuſum medium tranſuolare. Iam vi-
debas in ſinu Patris Aquilam pennâ ſuâ ſcribentem,
« In principio erat Verbum: » & ſtatim cernis in ter-
ra, ſuper virginea pelle ſcribentem ; « & Verbum Io 1.
caro factum eſt. » O Ioannes impletum in te, quod Verſu
dixit Chriſtus:« bonus homo, de bono theſauro pro- 14.
fert bona.» Tu verè, « Scriba doctus in regno cœlo- Matth.
rum,profers de theſauro tuo noua,& vetera. » Quid 12. 35.
vetuſtius,« antiquo dierum,Verbo in principio apud Luc. 6.
Deum, antequam Abraham fieret, ex antiquis ante- 45.
quam terra,ante Luciferum, initium viarum Domi- Dan.7.
ni,antequam quidquam faceret à principio,ab æter- 13.
no ? Quid tam nouum; quam Verbum caro factum, Io.1.2.
in quo nouiſſimè locutus eſt Pater , nouum faciens Io.8. 58 Prou.8. 23.22.

Io.1.14. ſuper terram, noua faciens omnia." O ſcribam, ca-
Hebr.1. lamum, linguam, cor excedens omnem montem,
2. hominem, Aquilam, Angelum; cuius laudes nullus
Ier.31. ſatis ſcribat calamus, lingua nulla referat, cor nul-
22. lum concipere valeat.
Apoc.
21.5.

Vnum mihi præ cæteris cordi eſt, Ioannis Elogium, quo cætera omnia referuntur, & velut in mari flumina omnia reuoluta, nomen ſuum amittunt, & mare vocantur; ſic quidquid prius Ioannem vocaueris, audito dilecti nomine, velut abſorpta, in ſuam originem omnia diſſoluuntur. Cor ſi Chriſti appellaueris, in eius pectore & ſinu placidiſſimè recumbens omnia eius priuilegia vnico hoc verbo inſtaurabis. Aquilæ pullum cordi matris propinquiore, dum oua fouet, chariorem referunt, qui auis huius genium penitius ſcrutati ſunt. De Ioanne quis dubitet ſuper Chriſti corde incubantem, velut Beniamin fuiſſe amantiſſimum? in ſigmate triclinij, vxor viri pectori, vt primogenitus matris ſinui incubabat: & hîc iunior Ioannes, totius Eccleſiæ in Apoſtolis collectæ, Chriſti ſponſæ locum occupat; vt ouis Vriæ
2.Reg. vnicè dilecta, « de calice eius bibens, & in ſinu eius
12.3. dormiens."

Vultis vt eructem ego quod de Ioanne ſentio? ô quantum eſſe oportuit, quem Chriſtus ſummè ſapiens, quem vnicè diligeret, elegit; & dignum in quo ipſe viueret, effecit. Duplicem in homine vitam agnoſcimus; vnam naturalem, quâ anima principium vitæ, dat eſſe, viuere & ſentire naturale corpori. Alia eſt vita moralis, quâ magis viuit anima, vbi amat, quàm vbi animat. Vt ergo Verbum Patris elegit ſibi perfectiſſimam ſui corporis formam, quam omnibus donis adornauit, ſanctiſſimam ani-
1. Reg. mam: ſic cor Ioannis, in quo moraliter amore caſtiſ-
18. 1. ſimo viueret, & « agglutinaretur ſicut anima Iona-

Digitized by Google

thæ animæ Dauid » ſuauiſſima æternaque charitate præelegit. « Iſte puer meus electus quem elegi, Iſa. 42. 1.
poſui ſuper eum ſpiritum meum. » Vt ſicut vnigenitus in ſinu Patris; ſic Ioannes in pectore Filij; vt Filius omnem hauſit de ſinu Patris ſapientiam: ſic Ioannes omnem de ſinu Filij ſcientiam. « Latuit Tertul. de præſcr. ca. 22.
Ioannem aliquid dilectiſſimum Domino, pectori eius incubantem, cui ſoli Iudam traditorem præmonſtrauit, & loco ſuo filium Mariæ demandauit? » Accipite rurſum Auguſtinum præteruolantem ſe Aquilam commendantem: « meliùs (inquit) me Aug. Tract. 16. in Io. 4.
veritatem videbat, qui eam de pectore bibebat. Ipſe eſt enim Ioannes Euangeliſta, qui inter omnes diſcipulos ſuper pectus Domini diſcumbebat, & quem Deus charitatem debens omnibus, præ cæteris diligebat. »

Alterum quoque pro ſe matri filium prouidiſſe in quo ſuperſtes viueret, & diutiſſimè (cor etenim vltimum moritur) Auguſtinus adnotauit: « Non vt famulæ Deus quam creauerat & regebat, ſed vt matri Aug. Tract. 119. in Io. 19.
homo de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro ſe quodammodo filium prouidebat. » Nec vacuè Euangeliſta dixit, « peperiſſe Mariam Matth. 1. 25.
primogenitum ſuum: » habet enim ordinem primogenitus ad ſecundum: non quidem naturalem, ſed adoptiuum. Primum ſine dolore peperit, ſecundum cum dolore, verè Bennoni, hoc eſt doloris filium. Ipſe enim Ioannes in Apocalypſi de hoc ſecundo partu Apoc. 12. 2.
« habebat in vtero mulier, & cruciabatur vt pareret. » Adoptio porro ſimilitudinem naturæ exprimit. ff. de inofficioſo teſt. l. ſi ſuſpecta. §. quoniam.
Et licet præſcriptum ſit in lege: « niſi iuſſu Principis, mulier adoptare non poteſt; » hanc etiam legem Chriſti & Ioannis mater impleuit. Iuſſu enim Principis & Regis Regum vrgente, & dicente: « mulier ecce filius tuus: » Maria Ioannem adoptauit: &

Digitized by Google

Io.19. 26. cùm duæ viæ ſint excitandi liberos, naturâ ſcilicet vel adoptione, vtroque modo Virgo filios accepit. Et licet « in natura caſus eſt, in electione iudicium: » & Theodoricus apud Caſſiodorum: « in ſobole frequenter fallimur (caſu enim fit aliquando vt à parentibus degenerent.) Ignaui eſſe neſciunt quos iudicia pepererunt. » In vtroque tamen Virginis partu, beatiori mente quàm ventre, electio & iudicium præfuit. Suam itaque Chriſtus, in corde ſuo, Ioanne viuens & ſuperſtes, viuam & expreſſam matri reliquit imaginem. Supponit Ambroſius ſuperſtitem adhuc ſanctum Ioſeph, licet ei non commendauerit matrem, ſed Ioanni: cuius rei hanc profert rationem, quòd myſterio redemptionis tum impleto, cuius cauſa Virgo tradita fuerat viro Ioſeph vt myſterium iuxta Ignatium celaretur diabolo, de cætero Virgo vmbraculo Ioſeph non indigeret. « Quo loco, (inquit) vberrimum teſtimonium Mariæ Virginitatis perhibetur. Neque enim abrogaretur vxor marito, cùm ſcriptum ſit: quod Deus coniunxit homo non ſeparet. (Quod vtique non diceret, ſi crederet morte Ioſephi ſoluto matrimonio, iam ſeparatam à viro Mariam.) Sed quæ pro myſterio (velando & celando, vnde & nomen myſterij à Græcis deriuatur,) coniugium prætexuit, completis myſteriis, iam coniugio non egebat. Aut ſi moralia ſequimur, in mœrore caſtitas imperatur. Myſticum tamen eſt quòd commendatur Ioanni inter cæteros iuniori: quod non otioſis auribus debemus accipere. Periculoſa enim eſt mulieribus copula adoleſcentis, & ſpecies iuuentutis, ne qua fortè curioſa exempli, incurioſaq; myſterij, quæ luxuriari in Chriſto cupiens Mariam ſpecie prætendat, non imitetur affectu, ſicut vulgus nunc malè audit mulierum, relicto ſeniore marito, vt iuniorem ſequatur. Diſcat ergo Eccleſiæ

Ambr. ep. 64. Caſſiod. lib. 3. variarũ epiſt. Theod. Reg. Herulorum.

Ambr. li. 10. in Luc. 23. in verba ſtabant autem & mulieres. Et expreſſimè lib. de Ioſeph Patriar. cap. 2.

Matth. 19.

1. Tim. 5.

hîc eſſe myſterium, quæ populo ſeniori (id eſt Iudæo) ſpecie ante copulata, non vſu; poſtquam peperit Verbum, & in corporibus ac mentibus hominum, per fidem crucis, & ſepulturam Dominici corporis ſeminauit, ex præcepto Dei ſocietatem populi iunioris elegit.» Id eſt Gentilis. In quo quidem præcellentem aduerto Ioannis, etiam ſuper ſanctiſſimum Ioſeph Beatiſſimæ Virginis ſponſum, tunc temporis iuxta Auguſtini, & Cypriani mentem ſuperſtitis prærogatiuam; de qua Cyprianus: «materno, inquit, moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ, cubiculario dilecto commendans, & prouides ſedulo Benedictæ inter mulieres Apoſtolicam clientelam; & obſequium Virginis, Virgini diſcipulo tradis: vt iam non Ioſeph tanti miniſterij oneretur præpoſiturâ; ſed Ioannes. Quia iam exigebat ratio, vt coniugij remoueretur opinio: nec vltra Pater Chriſti æſtimaretur, (qui tunc myſterium redemptionis, vt Dei verus & Mariæ filius implebat) qui eatenus vicem patris & coniugis tenuerat. Habebat Ioſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilem contradictionem, cùm alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognouiſſet carnalem maritum: ſed quia in ſpiritu actum erat coniunctionis illius myſterium, paſſus eſt Ioſeph æquanimiter ſibi eum in hoc ſeruitio præponi, quem digniorem ſe iudicabat; & ideo maximè, quia magiſtri electio ſic negotium ordinabat:» cuius iudicium adoptantis, falli non poterat.

Aug. ſer. 81. de tēp. Cypr. de Paſſione Chriſt. Vide tract. de S. Ioſeph.

Cypriani & Auguſtini ſenſum ſecutus eſt Arnoldus: «ecce, (inquit) Ioannes, præ hæreditatis ſuſcipis teſtamentum: eligeris, & in hoc præponeris omnibus: Ioſeph qui eatenus miniſtrauerat, te ſubrogato cedit: nec maritalia iura opponit, vt obſtruatur os loquentium iniqua in poſterum: quia matrimonium

Arn. Carno. tract. in Verba: Mulier ecce filius

tuus, & tract. de laud. Mariæ. tom. 12. p. 2. Biblioth.

illud diſpenſationi diuinæ, non copulæ carnali ſeruierat, &c. Hoc teſtimonium integritati Matris Chriſtus in fine perhibuit, vt haberet Eccleſia ſancta ex Euangelio lapidem, quem Bonoſi, Helgidijque hæreticorum impudenti fronti infigerent, qui in Matris illibatæ virginitatem auſi ſunt impia blaſphemaque garrire, &c. Petro commendatur Eccleſia, tibi Maria. Illi tumultuoſa negotia, tibi pacifica & quieta: illi atria & veſtibulum, & altaria ſanguinum, tibi commendatur altare incenſi & ſancta Sanctorum. Ad culmen miniſterij tui nullus tecum admittitur: ſolus illi aſſiſtis propitiatorio, ſolus illud vas aureum continens manna, illud diuinæ legis ſcrinium Pontifex deſtinatus obſeruas. Loco filij poſitus es, & vt vicẽ in Matre ſuppleas, ordinaris: nec abnuit te Mater ſancta vicarium, licet longè imparem & inferioris tituli, tamen quia ſic viſum eſt filio, amplectitur ſucceſſorem, &c. Intueor igitur quadrigam quà currendum eſt ad Patrem ſic debere diſtingui, vt per te ad Matrem, per Matrem ad Filium, per Filium verò attingere poſſit pœnitentis ad Patrem. Et in hoc ferculo quod nos ab hoc ſeculo euehit, tu ſis columna argentea, Mater aſcenſus purpureus, Filius media charitas, reclinatorium aureum viſio Patris in decore ſuo, & æternæ pacis iocunda tranquillitas.» Quòd ſi ex mente Chryſoſtomi vnum pallium, & vnus ſpiritus, alterum Eliam in Eliſæo reliquit; quidni Chriſtus in corde ſuo, Ioanne ſuo, ſui amoris ſpiritum, Euchariſtiam Matremque relinquens ſeipſum, vt alterum Ieſum Matri chariſſimæ commendarit; vt audentiùs Paulo iactare poſſet: « viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Chriſtus. »

Chryſoſtom. orat. de diuitiis & paup. in f.

Digitized by Google

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Quis tantum ſibi Patronum & defenſorem non ambiat? « Quantæ deuotionis inſtantia, B. Ioannis debemus flagitare auxilium, quem ſibimet interuentorem & ipſi Apoſtoli quæſierunt? Quantum apud iuſtum iudicem pro peccatoribus poterit, qui & pro ipſis cœleſtis curiæ Senatoribus interuenit? & qui aduocatus factus eſt ſummis, quàm humiliter implorandus à minimis.» Mirum quod ex reuelatione diuina, circa Ioannis cultum didicit B. Birgitta; quoties hîc in Eccleſia militante dicitur, « Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus:» toties in triumphante, omnes cœlites congaudentes applaudenteſque aſſurgere Ioanni. Per me non ſtet, ô beatiſſime & dilectiſſime Chriſto, & Virgini Ioannes, vt omnes vtriuſque « Eccleſiæ ciues & domeſtici Dei» ſublimitati tuæ profundiſſimè inclinentur: tu enim verè « Diſciplulus ille quem diligebat Ieſus.» Sed ne ſterilis & vacuus opere ſit noſter affectus; S. Eduardum Regem Angliæ Ioanni deuotiſſimum imitemur. Hic cùm vouiſſet, nihil petenti ſe in honorem Ioannis negaturum, & aliquando nihil præter annulum aureum, quod daret pauperi roganti, haberet, per Ioannem poſtulanti ereptum digito tradidit: vos aliquam ſaltem, vel vnius oboli eleemoſynam, in Ioannis honorem pauperi date.

Dam. ſer. 63.

Birgitta in reuel.

Io. 21. 7

Epheſ. 2. 19.

In eiu vita.

Secvnda Reflexio. Ne hæreticos audiamus, ſed eos exemplo Ioannis auerſemur, qui nec Balneum, in quo Cerinthus lauabatur, ingredi voluit; nec ei Aue dici permiſit, quem Polycarpus eius Diſcipulus imitatus, Marcioni Romæ obuius, rogatuſque an non ſibi notus foret: noui, inquit, te

primogenitum Diaboli. Hæretici, ſub ſpecie zeli honoris Chriſti, vnici aduocati & mediatioris, iniuriam meritis eius fieri dogmatizant; dum ſanctos inuoca-
Pſ.67. 36. mus & colimus; cùm iuxta Pſaltem: « mirabilis
Pſ. 150. 1. Deus in ſanctis ſuis, laudetur in ſanctis ſuis » de quibus rurſum: « nimis honorati ſunt amici tui Deus,
Pſ. 138. 17. &c. » Quorum honor, vt membrorum redundat in caput; quod ſibi imputat omne quod ſuis impenditur, ſicut enim, cùm Sitigambis Darij mater erubuiſſet, Epheſtionem pro Alexandro ſalutaſſe; ſubridens Alexander, alterum ſe in intimo ſuo Epheſtione ſalutatum adgratulatus eſt: ſic Chriſtus deputabit ſibi, exhibitum Ioanni corculo ſuo dilecto obſequium; cui & matrem ſuam propriam, & pectus ſuum, cum omni charitatis plenitudine donauit.

Tertia Reflexio. Nec eſt quòd Ioanni præcipua eius priuilegia inuideamus, pectoris Ieſu, & matris eius adoptionis honorem. Primò enim in Ioanne adoptiuorum primogenito, omnes ſimul adopti-
Io.19. 27. uos & electos Dei in ſuos accepit, ſi nos « eam accipiamus in noſtra: » nec cedamus Græco illi puero, qui offerenti ſibi maiori natu fratri, hinc ſolius matris, inde auri argentique & gemmarum copiam, vnius matris ſinum & amplexum, neglectis cæteris, prælegit. Nos beatiſſimam Virginem, poſthabitis
Prou.8. 17. omnibus mundi diuitiis eligamus. « Ego (inquit) diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, inuenient me. Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In viis iuſtitiæ ambulo, (Sanct. Pagn. ex Hebr. Ambulare faciamus in medio ſemitarum iudicij. Vt ditem diligentes me, (Sanct. Pagn. Hereditare faciam) & theſauros eorum repleam. » Secundò,

& pectus eius, & cor & corpus,& totum filium eius in ſanctiſſimo Sacramento,quoties volumus, poſſidemus. « Accepit ouilem veſtem perinde atque maximam hæreditatem Heliſæus. Enimverò maxima dubio procul erat hæreditas ; & omni auro pretioſior. Et erat duplex Helias ille : eratque ſupra Helias, & infra Helias. Noui quod beatum iudicetis iuſtum illum, velitque vnuſquiſque veſtrum ipſe eſſe. Quid igitur ſi vobis demonſtrabo, aliud quiddam multo maius illo nos omnes accepiſſe ? Nam Helias quidem veſtem ouilem dimiſit diſcipulo : filius verò hominis aſcendens,ſuam ipſius carnem nobis reliquit. » Memini me aliquando apud D. Paulinum legiſſe, mirabilem dignationem Chriſti erga extremæ ſortis adhuc Catechumenum nautam, nomine Victorem, cuius ab ore erepti naufragio, quæ ſequuntur accepit : « Illicò illic in proximo freto exorta tempeſtas temerè de portu ſolutam multarum nauium claſſem à curſibus deſtinatis retorſit, & fregit in littore : huius nauem, &c. Ne ſimiliter illideretur,anchoris fundare conati ſunt: ſed hyemis eiuſdem violentiâ præualeſcente, rumpentibus vinculis, nautæ exterriti ſcaphulam demiſerunt,&c. Vt ſeipſos, ſi poſſent, à diſcrimine nauis eriperent : ſed illos ſtatim cum fragili perfugio lembuli ſui,arripuiſſe in ſcopulos procella dicitur, & ſuperfuſis fluctibus obruiſſe, vnum ex omni numero Nautarum ſenem ſentinando deputatum,vel metu immemores, vel vt vilem animam contemnentes,reliquerunt.Interea deſtituta nauis nautis, & anchoris, aufertur in pelagus. Senex ille qui neſcierat ſe relictum, vt iactari voluique ſe ſenſit, ab intimo nauis emergit, &c. Sex dies & noctes ieiunum Dominus adire, & verbi cibo animare dignatus eſt,&c. Arborem iuſſus incidit,quam excidi in eo tempore remedium nauis

Chryſoſt. tom. 5. orat. de diuit. & paup. in f.

Paulinus in ep. ad Macarium.

Digitized by Google

erat,&c. Bis tantùm & leuiter vt à ſenili manu tactus magis, quàm ictus ſecuri malus, ita proſiliuit à vulnere, vt longè extra nauem in vndas expulſus tuto ceciderit. Deinde variis, vt marina iactatio, & naualis instructio poſcit, officiis; cùm aut artemone armari oportebat, aut ſentinam depleri neceſſe erat, nomine Victoris vocatus à Domino, porrigere tantùm ſpecie agendi manum ad quamlibet operam iubebatur, &c. Gentilitio ſigno Valgius vocabatur, &c. Mira fides, & ineffabilis pietas Domini Saluatoris, qui ſenem, ſi fortè ſomno piger lentius ad gerenda conſurgeret, & molli manu ante præpalpans, ne trepidus expergefieret, vellicata blandè auricula ſuſcitauit: cùm leuiter adnitens ſenex, à primo ſtatim conatu ſuo, manibus Angelicis res effectas videret, &c. Nam ſæpè vidit armatos milites excubare nauigio, & cuncta nautici muneris adminiſtrare. Nec ſanè nauem illam niſi Angeli Nautæ ducebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Ipſe enim Dominus nunc ſuo vultu coruſcus, vt in Apocalypſi deſcribitur, & coma fulgidus; nunc Confeſſoris, & amici ſui, Domini mei communis Patroni Fœlicis ore venerabilis, in puppi ſedebat, &c. Infœlix fœliciter, vt pro amiſſis omnibus viris & armis ſuis, aut Domini Martyrem, aut Dominum martyris obtineret. Narrat gaudio lachrymans ſenex, ſe ad ipſius pedes, nunc Domini, nunc Martyris gubernantis, ſolitum procubare. Etiam familiarius ipſo allectante, in genibus quoque ac ſinibus ſacris beatum, & adflatibus diuinis odorum reclinati capitis puluinar habuiſſe, &c. Viginti tres dies homo non modo à terris, ſed & ab hominibus excluſus, omnium ventorum ludibrium, diuerſi maris hoſpes, inter fluctus, & belluas maris, in vago erraticæ nauis hoſpitio, ieiuniis, ſenio, timore confectus, quæſo

Apoc. 1.14.

te, numquid natura ſua perdurauit? &c. Nauis enabat toto ſecreta pelago,&c. Finem errorum atque diſcriminum in lucanis poſitura littoribus; quibus propinquanti Dominus æternus tacito ſuæ aſpirationis inſtinctu, compulſos à littore, in duabus nauiculis piſcatores obuiam miſit; qui nauem hanc eminus conſpicati, primo aſpectu territi fugerunt: plenam enim armatorum, & Liburnæ æmulam, ſibi viſam ipſi poſtea retulerunt. Deinde magnis,& ſæpè repetitis ſenis noſtri vocibus, aliquando reuocati acceſſere nauigio, vacuumque militibus eſſe, quod longe ſtipatum viderant, crediderunt, &c. Et ſuperſtitem naufragij, victricem ventorum & fluctuum nauem, ad portum ſuum, remulco præeunte duxerunt.» Quis iam in variis huius vitæ tempeſtatibus, de prouidentia diuina deque Chriſti miſericordia diffidat? In mediis aduerſitatum fluctibus ad Chriſti pectus, in Euchariſtia cum Ioanne recurre. « Nec alia iſtum pietate, quàm omnem hominem in huius mundi pelago volutantem, dedita patri vſque ad crucis mortem pietate miſeratus eſt; quia videlicet, vnus homo, vniuerſitatis portio: & vniuerſitas, vnius forma hominis, & cauſa eſt.» Paulinus. Ibid.

QVARTA REFLEXIO. Qui liberum volet ad Chriſti,& Virginis ſinum habere acceſſum, cum Ioanne colat animæ,& carnis puritatem.« Qui enim diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.» Prou. 22.11. Si enim S. Emericus, S. Stephani Regis Vngariæ filius, fratres Monaſterij S. Martini ſecundùm gradus caſtitatis oſculatus, ſeptena Mauro omnium caſtiſſimo oſcula prælibauit; quot baſia Chriſtum, pro diuerſo puritatis gradu, ſingulis communicantibus dare putabimus?

QVINTA REFLEXIO. Quod Verbum, niſi bonum,& Sanctum eructare debent, qui inter lilia,

Digitized by Google

& roſas ſanctiſſimi Sacramenti paſti ſunt his diebus? hoc eructabat Ioannes quod biberat? « ô prædicare, ô ſaginã Dominici pectoris eructare! ille qui ſuper pectus Domini diſcumbebat, putamus quid bibebat? Non putemus, ſed potemus: modo enim & nos audiuimus. » An non meliores ſumus, verè Chriſto paſti, Poro illo commentitio Platonis, qui in horto reſupinus, nectar, & ambroſiam pleno ore ructabat? ô latè, & ſuaue ſpirantem hortum, pectus Domini! in quo Ioannes, in quo & nos, « de plenitudine eius accepimus. » Sed quid eructant homines mali, niſi mala de malo theſauro cordis? Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Ipſi de mundo ſunt, ideo de mundo loquuntur. » Loquere vt te videam. Crapulas, libidines, voluptates loqueris, video te Epicuri de grege porcum. De choreis, veſtibus, pompis; Galilæus es, id eſt de volubili mundo eiuſque prætereunte figura. Blaſphemias, iuramenta, execrationes euomis; de inferno os tuum diabolicum impietates eructat: « nam & loquela tua manifeſtum te facit. » Tu verò anima mea, quid eructes? ſi Deo plena, ſi bonis domus eius repleta, « Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Benedic anima mea Dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi? » Narrate cœli gloriam eius, exultet terra in conſpectu eius, « omnis ſpiritus laudet Dominum. Pſallam Deo meo quamdiu fuero » donec, & luce, & feruore plenior, eructem omnes laudationes eius in gloria. Amen.

Aug. ſer. 24. de diuerſis.
Io. 1. 16.
Matth. 12. 34.
Io. 3. 31.
Matth. 26. 73.
Pſ. 102. 1. 2.
Pſ. 34. 10.
Pſ. 18. 1.
Pſ. 150. Verſu vltimo.

Digitized by Google

IN FESTO SANCTORVM Innocentium.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.
Cant. 2. 15.

QVid vobis de Pſalte Regio videtur? Numquid conſilij Herodiani conſcium arbitramini, in Chriſti tenelluli necem media innocentum ſtrage conſpirantis? Cùm diceret: « captabunt in animam iuſti, (conſilium, in Chriſti mortem, ſolius inter homines iuſti, captabunt: & ne poſſit euadere,) ſanguinem innocentem condemnabunt. » Sed vulpes deceptæ ſunt; eluſus Herodes, prædam quam quærebat, amiſit; innocentes crudeliter occiſos, Martyres fecit; vineas vix erumpentes in gemmas, maturos pronexit in botros; qui torcularibus preſſi in proprij ſanguinis vinum eliquati, cœleſtibus reconderentur apothecis. Sic Herodis Conſiliarij « comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant. » Ioſeph ab Angelo excitatur: « ſurge, inquit, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi: futurum eſt enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. » Et tu Maria vineam transfer in Ægyptum, lumen in tenebras, &c. Sed quocumque fugeris, ſequar, & cum oeconomo Incarnationis Gabriele, te gratia plenam ſalutabo: Aue Maria.

Matth. 2. 13.

EXORDIVM.

Erratis,ſi de futuris tantùm, Prophetias eſſe cenſetis: Prophetæ in ſcripturis dicti ſunt videntes, ſicut ipſe DEUS, à Græcis dictus eſt,quaſi videns; & Prophetia participatio eſt lucis vbique præſentis, cui omnia ſunt præſentia tempora. Sed Ioannes noſter, Propheta maximus, omnia ſimul tempora, vt & aſtra diei, ac noctis, Solem, Lunam, ſtellas, vnica viſione comprehendit; & ortum & finem vidit Eccleſiæ, « mulieris amictæ Sole, Lunam ſub pedibus habentis, in capite coronam ſtellarum duodecim.» Vidit & Draconem,id eſt dæmonem, qui primò ſerpebat in Adam; creſcebat in Pharaone, proficiebat in Antiocho; iam totus rubeſcit ſanguinolentus in Herode. « Dolet impietas ſe inluſam, dilatam ſe crudelitas furit,fremit doloſitas ſe deceptam,& in ſe fraus reuerſa colliditur. Herodes ſtridet, cadens ipſe in laqueum quem tetendit; hinc iniquitatem quam condiderat, euaginat: de fide (Magorum ſcilicet) perfidiæ ſumit arma: terreno quærit furore, quem natum cœlitus non credit: ad ſinus matrum, militum cogit caſtra, inter vbera arcem pietatis oppugnat, in teneris vberibus ferrum durat, lac fundit antequam ſanguinem, dat ante mortem ſentire quàm vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem. Sic agit Magiſter mali, miniſter doli, iræ artifex,inuentor ſceleris, impietatis author, pietatis prædo, inimicus innocentiæ,hoſtis naturæ, malus omnibus, ſuis peior, peſſimus ſibi; quem Chriſtus non vt euaderet, ſed ne videret aufugit.» Fluuium ſanguinis fundit ore cruento Draco; vix partum effudit mulier, & filium eius deuorare præſumit: ſed «datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ.» Gabriel & Ioſeph,

Apoc. 12.1.

Chryſol. ſer. 152.

« fugit in ſolitudinem » Ægypti; ibi ſeruat frumentum, & vineam, mox florentem. Vulpem ſua expectatione fruſtrat, & capit; paruulas interim & innocentes vineas demolitur: dum mulier calceata Luna, & noctis illo planeta velocior, tot aſtris coronata rutilat, quot fulget virtutibus, reportata de Dracone victoria, PLuelluli Ieſu brachiolis amicta pluſquam Solis radiis. Primò de vulpibus captis à Chriſto, ſecundò quomodo vineis noſtris inſidiantes ſint capiendæ, dicamus.

Apoc. 12. 14.

Divisio.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Licet Patres ſciamus grauitate venerandos, & morum authoritate celebres; nonnumquam tamen animos, nimia contemplationis attentione laſſatos, relaxare conſuetos legimus: Ioannem Euangeliſtam in perdice, manu tractanda: B. Franciſcum in ouicula; Iudices item, & Reges, nec non Eccleſiæ Patres, Sanſonem, Salomonem, Auguſtinum, venandis vulpibus, & hæreticis capiendis indulſiſſe; qui intentione lædendi Dominicæ vineæ, hoc eſt Eccleſiæ, coniunctiſſimi caudis, vt diuiſi capitibus & ſententiis; frequentiſſimè reperiuntur « in conſiliis, quibus cogitant, capti. » Cùm de his tractaret Auguſtinus; « in peius (inquit) ſibi iſti conſentiunt, quamuis diſſentire à ſe inuicem videantur. Ideo Sanſom caudas vulpium colligauit. Vulpes, inſidioſos, maximéque hæreticos ſignificant; doloſos, fraudulentos, cauernoſis anfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes, &c. Opinio diuerſa eſt, vanitas vna eſt, ipſi de vanitate in vnum colligantur.» Subiicit de Chriſto præclaro vulpium venatore: « vulpes ſolent habere tales foueas, vt ex vna parte intrent, & ex alia parte exeant. Ad vtrumque fora-

Aug. in Pſ. 80. Iudic. 15. 4.

Pſ. 61. 9.

Digitized by Google

men captor vulpium retia poſuit. Dicite mihi: Baptiſmus Ioannis de cœlo eſt, an ex hominibus? ſentiunt illi eum ex vtraque parte tetendiſſe, vnde caperet; & aiunt apud ſe, ſi dixerimus de cœlo, dicturus eſt nobis, quare ergo nō credidiſtis? ille enim te-
Matth. 21. 25. ſtimonium Chriſto perhibuit: ſi dixerimus de terra, lapidabit nos populus, quia vt prophetam eum habent. Sentientes ergo hinc atque hinc eſſe vnde caperentur, reſponderunt, neſcimus. Et Dominus: nec ego vobis dico, in qua poteſtate iſta facio. Vos dicitis vos neſcire, quod ſcitis: ego vobis non dico quod quæritis. Quia ex nulla parte exire auſi eſtis, in veſtris tenebris remanſiſtis.» Tum verò ſe à Deo compulſum ad capturam vulpecularum, id eſt Mani-
Aug. Ibid. chæorum, exultans, ſic proſequitur. « Obtemperemus ergo & nos, ſi poſſumus, dicenti verbo Dei, capite nobis vulpes, puſillas exterminantes vineas: videamus ſi & nos quaſdam vulpeculas capere poſſumus. Proponamus ad foramen vtrumque, & vnde vulpes exire voluerit, capiatur: verbi gratiâ, Manichæo facienti ſibi Deum recentem, & in corde ſuo potenti quod non eſt; dicamus & interrogemus eum; ſubſtantia Dei, corruptibilis eſt, an incorruptibilis? elige quod vis: exi quà vis, ſed non effugies. Si dixeris, corruptibilis; non à populo, ſed à teipſo lapidaberis. Si autem dixeris incorruptibilem Deum, incorruptibilis quomodo timuit gentem tenebrarum? quid factura erat incorruptibili, gens corruptionis?» Sed ne longiùs venando euagemur; Pſaltes Herodem cum ſuis vulpeculis inſidiantem, de longè proſpexerat, & vinearum paruularum demoli-
Pſ. 62. 10. tionem, cùm diceret: « introibunt in inferiora terræ, ſicut vulpes foueas habentes; linguis ſuis doloſè agentes: tradentur in manus gladij, (paruuli Innocentes) partes vulpium erunt;» quia in partes la-

niati ſunt. Quem in locum Auguſtinus, « vulpes (inquit) dicit Reges ſæculi, qui tunc fuerunt quando Iudæa debellata eſt. Audite, vt noueritis & intelligatis, quia ipſos dicit vulpes. Herodem Regem ipſe Dominus vulpem appellauit. Ite, inquit, & dicite vulpi illi. Videte & attendite fratres mei, Chriſtum Regem habere noluerunt, & partes vulpium facti ſunt, &c. Repellentes Chriſtum, dixerunt, non habemus Regem niſi Cæſarem. Repulerunt agnum, elegerunt vulpem, meritò partes vulpium facti ſunt, &c. Rex verò, id eſt verus Rex, cui titulus inſcriptus eſt quando paſſus eſt, &c. Rex verò lætabitur in Deo. » Sed iam tum cùm natus per ſtellam agnitus eſt Rex Iudæorum, inquirentibus, « vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? turbatus eſt Herodes » & vulpes cum ſuis vulpeculis, vineam recenter florentem cum paruulis demolire volens, vulpina fraudulentia dixit: « ite & interrogate diligenter de puero, vt & ego veniens adorem eum; » vulpem ſe de ſimulatione probauit. Sed capta eſt vulpes, deceptus eſt & illuſus à Magis Herodes. Sic Rupertus « vulpes Herodes, vulpeculæ ſiue vulpes paruulæ illius temporis, omnes qui quærebant animam pueri, &c. Ergo vulpes Herodes, maximè quia non ſolum crudelis, verum etiam doloſus ille qui dixit, ite & interrogate diligenter de puero, &c.» Tum inducit B. Virginem loquentem « nonne videtis paruulas vulpes iſtas quæ demoliuntur vineas? Herodes enim non ceſſat occidere, &c. Non ceſſat perſcrutari, vt funditus deleat domum Dauid, de qua Regem Chriſtum naſciturum fore audiuit. Nonne videtis quod teneros palmites fera iſta momordit, quod infantes beſtia crudelis occidit, &c. Capite, capite, nam vinea noſtra floruit, &c. Vinea propter quam cæteras demoliuntur vineas, &c. Fructus eius adhuc flos, &

Aug. Ibid.

Luc. 13. 32.

Matth. 2. 2.

Rup. lib. 2. in Cant. 2.

Digitized by Google

non botrus eſt. Nondum matutuit, & idcirco damnoſum nimis eſt huiuſmodi vineam, vel florem eius
Num. ſuccidi, vel demoliri. Creſcat prius, & de flore pro-
13. 24. ueniat fructus, &c. In veſte crucis portetur, vt experimento reſurrectionis,& dulcedinis eius,cognoſcatur,qualis terra,quale ſit regnum eius, ad quod non pertinent vulpeculæ iſtæ quæ vineas demoliun-
Parapl. tur.» Ad hoc facit & Paraphraſis Chaldaïca huius
Chald. loci. « Impius Amalech furabatur animas de tribu
in Cāt. Dan, & occidebat eas, ſub vmbra nubium gloriæ.»
2. Nec moueat, quòd Bethleemitici pueri, de tribu Beniamin, Iudæ coniuncti, fuerint oriundi, & non de tribu Dan: cùm & Hieronymus, ob nudam ſepulturam Rachel, iuxta Bethleem ſepultæ, ſecundùm Prophetam dicat in paruulis occiſis, « Rache-
Matth. lem ploraſſe filios ſuos.» Cùm enim Dan, ſignificet
2. 18. cauſam, & iudicium, paruuli noſtri iniquo Herodis iudicio, causâ Chriſti mactati ſunt ab Amalech, id eſt « populo lambente» vulpeculis blandientibus:
Pſ.10.3. « quoniam laudatus eſt peccator in deſideriis ani-
Pſ.5.11. mæ ſuæ.» Et ipſe Herodes, vt vulpes lambens, « & linguis doloſè agens; ite inquit, & interrogate, &c. ſub vmbra nubium gloriæ: » Tum vt gloriam ſceptri per tyrannidem vſurpati, extincto Rege recens nato, conſeruaret; tum vmbrâ, & prætextu noui
Fulg. Regis adorandi: « vt & ego veniens adorem eum. O
ſer. de calliditas ficta! ô crudelitas impia,ô nequitia frau-
Epiph. dulenta! Si adorare iſtum puerum certiſſimè diſponebas,quare pro illo multos pueros occidebas? ſanguis Innocentum quē crudeliter effudiſti, atteſtatur quid de hoc puero voluiſti.» Sed dic Herodes; « in-
Chry-ſol.ſer. fantes quid?quorū lingua tacuit, oculi nil viderunt,
152. nil audierunt aures, manus nil fecerunt, & quibus actus nullus eſt, vnde culpa? ſumpſerunt mortem, qui viuere neſcierunt, &c. Quis excuſabit, quem

Digitized by Google

pulſat innocentia, infantia impetit, lac vt ſanguis accuſat? hoc contra Herodem. At Chriſtus futurorum præſcius, conſcius ſecretorum, cogitationum Iudex, mentium perſcrutator, quare deſeruit, quos ſciebat quærendos eſſe, & propter ſe nouerat occidendos? &c. Fratres, Chriſtus non deſpexit ſuos milites, ſed prouexit, quibus dedit ante triumphare quàm viuere: quos fecit capere ſine concertatione victoriam, quos donauit coronis, antequam membris, quos voluit virtutibus vitia præire, ante cœlum poſſidere, quam terram, nec ante humanis inſerere, quam diuinis, &c. Viuunt, viuunt, qui verè viuunt, qui pro Chriſto merentur occidi.» Et rurſum palmas Innocentum ſic laudibus proſequitur «cohorta regi cohors ſua, magis præmori, quam commori tota geſtit, Chriſto dicati milites cœperunt ante militare, quàm viuere: ante pugnare, quàm ludere: fundere ante ſanguinem, quàm lactis vbera peroptare: ardentes animæ moras corporis non tulerunt, à gremio, ad furentes hoſtium cuneos peruolantes, anticipant virtutibus blandimenta, vulneribus oſcula, vnguenta ferro, vt cœlum poſſint ante inhabitare, quàm terram; præmia ſpiritus ante portare quàm carnem; ante referre triumphos Deo, quàm proferre hominum nutrimenta.» Nec eos præteriit Cyprianus leni ac blando eloquentiæ ſuæ fluxu palmas eaſdem rrigans, vbi vulpē illuſam & deceptū Herodē fruſtratumque expectatione ſuâ carpit. «Acriori inflammatus rabie, in neces Innocentium debacchatur. Sic ſanctorū perſecutionibus tyrannus crudelis illuditur, &c. Quibus lucra vitæ perpetuæ, per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur. Ecce paruuli iſti, quos hoſtis naturæ, pietatis inimicus, beſtialis ſæuitiæ, inauditæ crudelitatis monſtrum, Herodes occidis, ſubitò fiunt martyres; &

Chryſol. ſer. 153.

Cypr. ſer. de ſtella & magis.

Digitized by Google

dum vice Chriſti, & pro Chriſto auulſi à matrum vberibus detruncantur, teſtimonium,quod nondum poterant ſermone, perhibent paſſione; & ſufficit cauſa teſtimonio, licet nondum eloquio diſtinguatur. Illicò ſpiritus infantilis, vaſculi receptaculum deſerens,iam non tenelli corporis,ætatiſque nouitiæ tempore tenetur: ſed ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis & intellectus plenitudinem, in occurſum Chriſti feſtinat, à quo militiæ ſuæ quærens ſtipendium, ad lucis & pacis æternæ præmittitur gaudia, &c. Acta eſt natiuitatis ſolemnitas ſurſum iubilantibus Angelis, deorſum ex ore infantium & lactentium laus eſt perfecta, reſonantibus vſque ad cœlos victoriæ tubis; & verſus eſt paruulorum vagitus in gaudium, & luctus in iubilum, ſequente non ſtellam, ſed agnum, exercitu Innocentium, & baiulante glorioſiſſimi triumphi ſolemne vexillum.» Attigerat infantilis & tenellulæ ætatis præconia Tertulianus,« Chriſtus (inquit) ex ore lactentium & paruulorum experiendo laudem; nec pueritiam, nec infantiam hebetes pronunciauit: quarum altera cum ſuffragio occurrens, teſtimonium ei potuit offerre; altera pro ipſo trucidata, vtique vim ſenſit.» Ita planè vino pretioſiſſimo Chriſti torcularia redundarunt,& quidem Pſalmus octauus inſcriptum præfert pro titulo: « in finem pro torcularibus.» Quia nimirum in preſſuris Martyrij pro « Chriſto qui finis eſt legis » tot innocentes, ceu racemi nouæ ac primitiuæ vindemiæ percalcari meruerunt. Vnde Auguſtinus in eumdem Pſalmum, cùm dixiſſet de Chriſto,« dictus eſt Dominus botrus vuæ, quem ligno ſuſpenſum de terra promiſſionis, qui præmiſſi erant à populo Iſraël, tamquam crucifixum attulerunt» paucis interjectis, ſubiecit: « ſolent accipi torcularia, etiam Martyria, tamquam

Tertul. de ani. cap. 19.

Pſal. 8.

Aug. in Pſal. 8.

afflictione perſecutionum calcatis eis, qui nomen Chriſti confeſſi ſunt; cùm mortalia eorum, (corpora ſcilicet) tamquam vinacia in terra remanſerant; animæ autem in requiem cœleſtis habitationis emanauerunt: » & in apothecas pretioſiſſimas, beatorum videlicet ſedes reconditæ ſunt. De iiſdem teſtibus facto non verbo: « occiduntur (inquit) pro Chriſto paruuli ; pro iuſtitia moritur Innocentia. Quàm beata ætas, quæ nec dum poteſt loqui, & iam pro Chriſto meretur occidi. Nōdum opportuna vulneri, & iam idonea paſſioni, quàm fœliciter nati, quibus in primo naſcendi limine æterna vita obuiam venit! Incurrunt quidem inter ipſa primordia acceptæ lucis periculum, & finem ſalutis: ſed de ipſo protinus fine, capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem videntur ad mortem, (velut vineæ paruulæ, & vuæ præcoces) ſed fœliciter moriuntur ad vitam, &c. Nondum ingreſſi infantiæ cunas, & iam perueniunt ad coronas. Rapiuntur quidem à complexibus matrum, ſed redduntur gremiis Angelorum». Et rurſum « magnificamus (inquit) Martyres, ſed præcipuè illos qui naſcente Chriſto, in ipſo exordio, non loquendo, ſed moriendo confeſſi, ad regna perpetua cæteros prænenerunt. Videte autem, quem iidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum ſub altario meruerunt. Dicit enim ſancta Scriptura, Apoc. 6. Vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium Ieſu quod habebant, &c. Quid reuerentius, quid honorabilius dici poteſt, quàm ſub illâ arâ requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt Sacerdos: ſicut ſcriptum eſt, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech! » Qui panem & vinum obtulit: panem ex contrito in mola crucis triti-

Aug. ſer. 4. de Innoc.

co confectum; vinum ex botro terræ lacteæ, hoc eſt Virginis ab Eſaïa promiſſæ, ſub torculari crucis expreſſum: in cuius finem, id eſt gloriam, Innocentes martyriorum torcularibus conculcati, « ſanguinem vuæ meraciſſimum, & vindemiam defæcatam » nouo Regi propinauerunt, dicenti de lactentium paruulorum ſanguine mixto lacti matrum, illud Cantici Canticorum: « bibi vinum cum lacte meo. »

Deut. 14. 32. Eſa. 25. 6.

Cant. 5. 1.

Nec præteribo beatarum matrum in eadem Chriſti cauſa non contemnendi pretij Martyrium, quod ſuis quoque laudibus exornauit Chryſologus « beati (inquit) ventres, qui portauerunt tales. Beata vbera quæ ſe talibus infuderunt; beatæ lachrymæ quæ pro talibus fuſæ flentibus, gratiam baptiſmatis contulerunt. Nam diuerſo modo, dono vno, in lachrymis ſuis matres & ſui filij ſuo ſanguine baptizantur. In Martyrio filiorum paſſæ ſunt matres, nam gladius filiorum pertranſiens membra, ad matrum corda peruenit, & neceſſe eſt, vt ſint præmij conſortes, quæ fuerunt ſociæ paſſionis. Arridebat paruulus occiſori, gladio adiocabatur infantulus, nutricis loco attendebat lactens percuſſoris horrorem, neſcia lucis ætas moritura gaudebat, &c. Matres tulerunt quidquid & angoris, exitij & doloris: & ideo non Martyrij gaudio caruerunt, Martyrij lachrymas, quæ fuderunt. » Pergite paruuli, & coronas ex liliis roſiſque contextas, agniculo Innocentum Regi proferte, & per viam innocentiæ lacteam, & purpuream ſanguine, cum beatis parentibus, ad terram melle & lacte fluentem, cæteris præeuntes martyribus, præcurrite.

Chryſol. ſer. 152.

SECVNDA PARS MORALIS.

PRIMA REFLEXIO. « Hoc loco attendat auditor, attendat vt intelligat martyrium non conſtare per meritum, ſed venire per gratiam, in paruulis quæ voluntas? quod arbitrium? Vbi captiua fuit, & ipſa natura. De Martyrio ergo debemus totum Deo, nil nobis. Vincere Diabolum, corpus tradere, contemnere viſcera, tormenta expetere, laſſare tortores, capere de iniuriis gloriam, de morte vitam, non eſt virtutis humanæ, muneris eſt diuini, ad Martyrium qui ſua virtute currit, per Chriſtum non peruenit ad coronam. » Succinit Auguſtinus noſter, diuinæ gratiæ de more tribuens, vt & fidem ſic & iuxta Apoſtolum, pro ea paſſionem: « quotieſcumque (inquit) Sanctorum Martyria celebramus, toties laudes ſaluatoris edicimus: Et quoties eorum aſſerimus paſſiones, toties Chriſti gloriam prædicamus. Non enim ſuſpicimus, quod paſſi ſunt, ſed propter quem paſſi ſunt, admiramur. Igitur non pœna in laude, ſed fides eſt in honore. » Et nos ergo quidquid boni agimus, quidquid mali patienter ferimus, totum Deo acceptum referamus. Cum Pſalte canentes: « Tu es patientia mea. »

Chryſol. ſer. 152.

Aug. ſer. 4. de Innocen.

Pſ. 70. 5

SECVNDA REFLEXIO. Videamus ne forte hodierna ſolemnitas abſque fructu debitæ ſanctis Innocentibus deuotionis prætereſluat. Horum non merita ſolùm ſed & patrocinia commendat Cyprianus « aſcendentes (inquit) per omnium virtutum gradus, ſine doctrinæ humanæ exercitio, cumulatam inuenere menſuram: ita vt in ordine Sanctorum, Protomartyres primum habeant locum; & ſecretorum conſcij diuinorum, propinquitate familiariſſima, clementiam Dei, pro noſtris exorent laboribus;

Cypr. ſer. de ſtella & magis.

quos vſque hodie funeſtus Herodes proſequitur, quorum ſanguine & morte Diabolus delectatur. Hi itaque à cunabulis in cœlum tranſlati, facti ſunt ſuperni Capitolij ſenatores & Iudices, nonnullis veniam obtinentes immeritis; aſſiſtuntque miſerationibus, & vltionibus diuinis; ſed ſæpius agni, quem

Apoc. 14. 4.

quocumque ierit, proſequuntur, manſuetudine, quàm irâ, vel furore vtuntur, ſi nuper cruore lacteo loti, primitias baptiſmi martyrio conſecrarunt; tradentes poſteris formam, vbi neceſſitatis articulus excluſerit moram, non minus ad lauacrum animę ſanguinem efficacem, quàm ſanctificatas verbis ſolemnibus aquas; maximè cum nec ſanguis hoc elemento careat; ſed aquarum motu per totum corporis alueum fluat. Spiritus verò ſanctus, & aquis & ſanguini ſuperfertur, qui ſubiectos ſibi fouet & abluit, quo baptizante idem occiſio, quod merſio operatur: quia extinctam peccato vitam, virtutemque emortuam, vtriuſque rei continet Sacramentum. » Cuius in figuram de Chriſti percuſſo latere ſanguis ſimul & aqua profluxit, in vtriuſqne baptiſmi myſterium. De quo Tertullianus « iam (inquit) & martyrium aliud erit baptiſma, habeo enim, inquit, & aliud baptiſma. Vnde & ex vulnere lateris Dominici, aqua & ſanguis, vtriuſque lauacri paratura manauit. » Idipſum inculcat: « hos (inquit) duos baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſit; quatenus qui in ſanguinem eius crederent, aquâ lauarentur: qui aquâ lauiſſent, etiam ſanguinem potarent (baptiſmus enim præire debet Euchariſtiæ ſumendæ cum omni puritate: & qui ſanguinem Chriſti bibit, ſuum quoque ei ſanguinem rependere tenetur.) Hic eſt baptiſmus, qui lauacrum & non acceptum repræſentat (vicem eius ſupplens,) & perditum reddit » quia caractere indelebili remanente, gratia

Tertul. l. de pudic. ca. 22.
Luc. 12. 50.
Io. 19. 34.
Tertul. de baptiſ. ca. 16.

baptiſmi

Digitized by Google

baptiſmi peccato mortali perdita reparatur Martyrij ſanguine & plenitudine charitatis omnes maculas eluente.

TERTIA REFLEXIO. Videamus & nos quàm cautè à vulpecularum inſidiis vineas noſtras, & Chriſtum recens natum in nobis ab Herode cuſtodire debeamus, & ab Angelo vel diuina inſpiratione moniti fugam properè capiamus « mandatur fuga, mandatur cœlitus, mandatur per Angelum, vt videatur cœlum timor ante tenuiſſe, quàm terram. » Ita planè, cœleſtes animæ, pluſquàm terreſtres timore correptæ, dant ſe fugæ, peccati occaſiones declinant, ſibi à vulpibus cauent, vineis florentibus cuſtodiendis inuigilant. Tres porrò earum ſpecies, Scriptura, Patreſque nobis aperiunt: dæmones, paſſiones, peccata, tam mortalia, quàm venialia. De primis Iob ſollicitus, de Leuiathan ſub dolo, & vafro, ac verſipelli loquens: « quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius quis intrabit? portas vultus eius quis aperiet? » Cameleontem diceres, de quo Tertullianus « Cameleon mutare totus, nec alius valet. Nam cùm illi coloris proprietas vna ſit, vt quid acceſſit, inde ſuffunditur. » Portas autem non duas vt vulpes ſed multiplices ſub terra fodit, de quo Gregorius magnus, « benè (inquit) dicitur, quis reuelabit, &c. Quia niſi per diuinam gratiam, ſimulationis eius detegi indumenta non poſſunt, &c. Quis reuelabit ſubaudis, niſi ego, qui ſeruorum meorum mentibus gratiam ſubtiliſſimæ diſcretionis inſpiro. Vt reuelatâ malitiâ faciem eius nudam videant, quam coopertam ille ſub habitu ſanctitatis occultat. » Hinc Scriptura nunc ſub auis ſpecie, nunc Draconis, nunc leonis facie indutum

Chryſol. ſer. 151.

Iob. 41. 4.

Tertul. lib. de pallio. cap. 3.

Greg. lib. 33. mor. cap. 22.

repræſentat. Sed hanc vulpem capit nobis diuina gratia, vt ſuis laudibus & vtilitati noſtræ inuitus ſeruiat: faciens cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. Tentat de luxuriâ, ſed monet Deus vt caſtitatem eius tentamentis augeamus. Incendit auaritiâ, ſed hinc proficit, quòd largiùs eleemoſynæ operam demus. Inflat ſuperbiâ & inde maiori animi humilitate nihili noſtri centro profundius immergimur.

Secundam vulpium ſpeciem induunt paſſiones, virtutum ſpecie noſtris animis illabentes: Gabaonitas puta de terra longinquâ ſe venire fingentes, quos ex puluereis veteris Adæ pedibus, vel vt Ahias vxorem Ieroboam à pedum ſonitu ſtrepituque diſcernes. De myſticis animalibus aduertit Ezechiel: « vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur. » Sed vt notat ibi Gregorius; « ſciendum nobis eſt, quòd plerumque impetus carnis, ſe ſub velamine ſpiritalis impetus palliat, & quod carnaliter facit, mentitur ſibi ipſa cogitatio, quia hoc ſpiritaliter faciat. Nam ſæpè quis iracundiæ ſtimulis victus, contra delinquentes zelo vlciſcendæ iuſtitiæ, pluſquàm neceſſe eſt, inflammatur; & iuſtitiæ limitem in vltione tranſiens, agit crudeliter, quod ſe agere iuſtè ſuſpicatur, &c. Et ſæpè alius nimiæ manſuetudini ſtudens, ſubiectorum vitia aſpicit, atque hæc per feruorem zeli corrigere recuſat, quæ in eis crudeliter non corrigendo multiplicat. Fitque, vt eius lenitas & ſibi ſit, & ſubiectis inimica, qui torporem mentis ſuæ patientiam deputat, per carnis ſpiritum, ab impetu ſpiritus elongat, &c. Sciendum verò eſt, quia grauiores culpæ ſunt, quæ ſuperductâ ſpecie virtutes imitantur; quia illæ in aperto cognitæ, animum in confuſionem deii-

Ezech. 1. 12. Greg. lib. 1. homil. 5. in Ezech.

Digitized by Google

ciunt, atque ad pœnitentiam trahunt; iſtæ verò, non ſolùm in pœnitentiam non humiliant, ſed etiam mentem operantis eleuant, dum virtutes putantur.» Sic plerumque, qui Cherub apparet, animal eſt; aquilam generoſam ſuperbia; leonem magnanimum, iracundia; bouem maturum, pigritia; hominem manſuetum, ignauia frequenter imitatur. « O vulpes foueas habetis » ſubterraneas. « Introibunt in inferiora terræ, partes vulpium erunt:» quæ ſæpè mortem ſimulant: ſed « non eſt mortua puella, ſed dormit. Capite nobis vulpes.» Pulchrè Bernardus: « ex his ſimilibuſque collectis, mihi texo rete, & capio vulpem, ne demoliatur vineam, &c. Quidquid tale animo ſuggeratur, ſiue ſit illud tua cogitatio, ſiue immiſſio per Angelum malum, doloſam agnoſce vulpeculam, id eſt, malum ſub ſpecie boni, &c. Vnde & puſillas illas eas, propter hoc reor dici, quòd cùm cætera vitia, quâdam quaſi corpulentiâ ſui manifeſta ſe præbeant, hoc genus pro ſui ſubtilitate, haud facilè agnoſci, & ideo nec caueri poſſit, niſi dumtaxat à perfectis & exercitatis, & qui habeant illuminatos oculos cordis, ad diſcretionem boni & mali, maximéque ad diſcretionem ſpirituum, qui cum Apoſtolo poſſint dicere: quia non ignoramus aſtutias Satanæ, neque cogitationes eius. Et vide ne fortè ob hoc à ſponſo iubeantur, non quidem exterminari, vel abigi, vel occidi, ſed capi: quod videlicet huiuſmodi ſpirituales, doloſaſque beſtiolas, omni vigilantiâ & cautelâ obſeruari oporteat, & examinari; & ſic capi, id eſt comprehendi in aſtutia ſuâ.» Nec fruſtra ſubjecit ſponſa, « capite nobis:» hoc eſt in vſus noſtros, prouentumque

Matth. 8. 20.
Pſ. 62. 11.
Matth. 9. 24.
Ber. ſer. 64. in Cant.
Iob. 5. 13.

Digitized by Google

conuertite: non enim præcipitur nobis vt nihil amemus, ſperemus nihil, nihil denique timeamus, de nullo gaudeamus, aut contriſtemur: ſed quod verè & ſummè amabile eſt, ſuper omnia diligamus, æterna nobis promiſſa ſperemus, extrema damnationis mala timeamus, de nullo, niſi de peccato & Dei offenſa doleamus, &c.

Pſ.79. 14. Tertia vulpium ſpecies cæteris damnoſior, eſt peccatum; de quo Pſaltes Regius, & mortali quàmmaximè, vineam prorſus exterminante, ſic loquitur: « ſingularis ferus depaſtus eſt eam.» Cui aptiſſimè conuenit emblema Philippi Maria, vltimi Ducis Mediolanenſis; in quo ſeptem obeliſci lignei, cum baculo cernuntur, & Epigraphe: « balti tutti; ſe non guaſta.» Docet in hoc ludo, euertenda omnia. Sic ſolet & Turcarum Rex nulli fratrum parcere, vt ſecurus regnet: quod & tentauit Herodes in cruenta tot Innocentum cæde. Nos, vt Chriſtum, eiuſque gratiam ſeruemus incolumem, nulli peccato mortali, quantumlibet caro parcamus, Hieronymi ſanctum monitum audientes: « nulli parcas, vt ſoli parcas animæ.» & cum ſponſa, « poſiti cuſtodes in vineis » primas cogitationes peccati ſubdolè in vineam irrepentes, vigili cuſtodia capiamus. « Ne fortè per huiuſmodi importunitatem turbaretur libertas arbitrij, & non eſſet iuſta cauſa iudicij; idcirco benignis Angelis, & amicis poteſtatibus hominum cura mandatur, vt cùm deceptores quaſi vulpes incurſare cœperint hominem, dextris eum auxiliis ſubleuent. Et ideo dicitur; capite nobis vulpes puſillas. Competenter ſanè cùm adhuc puſillæ ſunt, capi eas mandat, & comprehendi. Dum enim cogitatio mala in initiis eſt, facilè poteſt abiici à corde: nam ſi frequenter iteretur, & diu permaneat, adducit animam ſine

Tipotius in Geograph.

Hiero. Cant. 1. 5. Orig. homil. 4. in Cant.

dubio ad conſenſum, & ſi adulta fuerit, & inueterata, iam non poſſit expelli. Denique & Iudas initium mali habuit in amore pecuniæ, & hæc fuit illi vulpes puſilla. Sed & ab hac cùm videret Dominus Iudæ animam quaſi florentem vineam lædi, capere eam volens, & abiicere ex eo, commiſit ei pecuniæ loculos, vt poſſidens quod amabat, à cupiditate ceſſaret. Sed ille vtpote habens ſui arbitrij libertatem, non eſt amplexus medici ſapientiam, &c. » O quàm delicata innocentia! flos vitis tenellus, lilium leui contactu marceſcens, ſpeculum vnico obſcurandum halitu, nauis etiam guttatim implenda, mergendaque naufragio. « De paruis guttis implentur flumina, per tenues rimas exſudat aqua, & hoc facit ſentina latenter excreſcens, quod procella patenter ſæuiens. » Cui ſuccinit Bernardus « tali itaque ex causâ vulpes iſtæ, & capi iubentur, & paruulæ deſcribuntur: vel ideo paruulæ, vt naſcentia vitia in ipſo ortu, donec vtique paruula ſunt, vigilanter obſeruans, illicò comprehendas; nè creſcentia plus noceant, & difficiliùs capiantur. » Huc facit quod refert Auguſtinus, non iam de vulpeculâ, ſed & muſculâ cuius aculeo importuno & per impatientiam Chriſtiani cuiuſdam factum eſt, vt à leuibus peccatis ad ſummum hæreſeos crimen laberetur. « Aliqui (inquit) deriſi à Diabolo decepti ſunt, & à muſca capti ſunt. Solent enim aucupes ponere in muſcipula muſcas, vt eſurientes aues decipiant. Nam neſcio quis tædium patiebatur à muſcis: inuenit illum Manichæus tædio affectum, & cùm diceret ſe non pati poſſe muſcas, & odiſſe vehementer illas; ſtatim ille, quis fecit has (inquit?) & quia tædio affectus eſt, & quia oderat eas, non auſus eſt di-

Aug. Tract. 13. in Io.

Aug. homil. 42.

Ber. ſer. 64. in Cant.

Aug. Tract. 1 in Io. 1.

cere, Deus illas fecit, erat autem Catholicus. Ille ſtatim ſubiecit, ſi Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè, ait ille, ego credo quia Diabolus fecit muſcas. Et ille ſtatim, ſi muſcas Diabolus fecit, apem quis fecit, &c. Ab ape duxit ad locuſtam, à locuſta ad lacertam, à lacerta ad auem, ab aue duxit ad pecus, inde ad bouem, inde ad elephantem, poſtremò ad hominem, & perſuaſit homini, quia non à Deo factus eſt homo. Ita ille miſer, cùm tædium paſſus eſt à muſcis, muſca factus eſt quem diabolus poſſideret. Beelzebub quippè interpretatum, dicitur Princeps muſcarum, de quibus ſcriptum eſt, muſcæ morientes
Eccl. 10.1. exterminant oleum ſuauitatis. » Stemus itaque ſuper cuſtodiam noſtram, vulpium inſidias caueamus, ne vineas demoliantur paruulas. O Innocentia, ô puer recens in cordibus noſtris, in noſtra Bethleem, terra Iuda hoc eſt confeſſione exorte, te quærit Herodes, te dæmon quærit vt perdat. Tibi vulpes inſidiatur, ô vinea, vt demoliatur. Capite nobis, ô Angeli ſponſi ſodales, vulpes paruulas, innocentiam cuſtodite, vt cum Innocentibus repoſitam nobis coronam iuſtitiæ & militiæ noſtræ ſtipendia repromiſſa capiamus Amen.

Digitized by Google

IN DIE CIRCVMCISIONIS Domini.

Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra. Cant. 2. 12.

QVod fœlix, fauſtum, fortunatumque ſiet: bene, optimè, Adam nouiſſime, hodie terra priùs in Adam opere laborioſo & infrugifero maledicta, ſpinas tribuloſque germinans, tuo perfuſa ſanguine, tuis irrigata lachrymis flores odoris ſuauiſſimi, & gratiſſimi coloris parturit. Sed heu, vix dies à tuo natali octauus aduenit, cùm « tempus putationis aduenit » Lucas enim in Euangelio teſtatur: « poſtquam impleti ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, &c. » O turtur inueniſti domum tibi in ſtabulo, in quo & paſſer ſolitarius filius tuus, tectum, & nidum in præſepio. « Genæ tuæ vt turturis » lachrymis madent, & mixtæ ſanguini infantuli, præclara nobis, & pretioſa, pro Xeniis fundunt munera. O flores, ô gemmas, ô vniones, & carbunculos inæſtimabiles! Tibi verò fili quid, tibi quid mater, in tanti doni vicem gratiamque rependam? Ah, video, corda noſtra petitis. Vtinam chryſtallina puritate, profunda humilitate offeramus; atque vt gratiora fiant, ea per manus Angeli Gabrielis acceptiſſimas, tibi cum eius ſalute offerimus, dicentes Aue

Gen. 3. 18. Cant. 2. 12. Luc. 2. 21. Pſ. 83. 3. Pſ. 101. 8. Cant. 1. 9.

EXORDIVM.

Quid veſtris dignum meritis, & veſtræ par expecta-

tioni depromam? diu multumque apud me hæſitans reputaui. Multa quidem apud nos hîc rara, & alibi communia, proindeque neglecta, quibus ſola dat pretium râritas, vel imaginatio vana: vt de lapillis, & vnionibus Tertullianus atteſtatur: « qui ſolum mulierum ſtuporem ædificare nouerunt. » Aliàs faſtidium ab aſſiduitate generari cenſuit. « Hæc omnia (inquit) de raritate, & peregrinitate ſola gratiam poſſident. Denique intra terminos patrios, non tanti habentur. Semper abundantia contumelioſa in ſemetipſam eſt » & iterum: « Non natura, nec veritas, ſed vitioſa animi paſſio, concupiſcentia commendauit. » Sed diues Bernardi vena, tria nobis ſingulariter mirabilia producit: tres, inquam, omnibus oriētis margaritis incomparabiliter pretioſiores vniones: Verbi cum carne; Virginitatis cum maternitate; fidei cum humana ratione. « Tria (inquit) opera, tres mixturas, (vtitur & hac voce Auguſtinus, ſcribens Voluſiano, ſed intelligenda mixtura, ſecundùm Athanaſium, non confuſione facta ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ:) fecit omnipotens illa Maieſtas, in aſſumptione noſtræ carnis, ita mirabiliter ſingularia, & ſingulariter mirabilia, vt talia nec facta ſint, nec facienda ſint amplius ſuper terram. Coniuncta ſunt quippe ad inuicem Deus & homo; mater & Virgo: fides & cor humanum. Admirabiles iſtæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diuerſa ab inuicem potuere coniungi. Contraxit maieſtas, vt quod melius habebat, videlicet ſeipſum, limo noſtro coniungeret, & in perſona vna ſibi inuicem vnirentur Deus & limus, maieſtas & infirmitas, tanta vilitas, & ſublimitas tanta, &c. Et tamen tanta dignatione Deus deſcendit ad limum, tantaque dignitate limus aſcendit ad Deum; vt quidquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur: quidquid limus pertu-

Tertul. l. de cult. fœm. cap. 5. Tertul. l. de cultu cap. 6. Ibid. cap. 8.

Ber. in floribus ca. 110. It In- car. Chriſt.

Io. 9. 6.

lit, Deus in illo pertuliſſe dicatur, tam ineffabili, quàm incomprehenſibili Sacramento, &c. Secunda eſt, Virgo & Mater, vtique & mirabilis & ſingularis, à ſeculo non eſt auditum, quòd Virgo eſſet quæ peperit, quòd Mater eſſet, quæ Virgo permanſit. Numquid iuxta rerum ordinem, Virginitas eſt, vbi fœcunditas prædicatur? Aut fœcunditas, vbi Virginitas honoratur? Sola hæc eſt, in qua virginitas & fœcunditas obuiauerunt ſibi. Ibi ſemel factum eſt, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum: quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Tertia eſt, fides, & cor humanum, &c. Mirum enim quomodo cor humanum his duobus fidem accommodauit; quomodo credi potuit quòd Deus homo eſſet, quòd manſerit Virgo, & peperiſſet. Qoomodo hoc potuit perſuaderi humano generi, vniuerſo orbi terrarum. Et tam facilè, tam potenter perſuaſum eſt, vt mihi hoc credibile faciat credentium multitudo. Iuuenes, & Virgines, ſenes, cum iunioribus, elegerunt mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab iſta fide deficere.» Inueni & ego quartum vnionem, tribus prioribus ſingulari mirabilitate, & mirabili ſingularitate præſtantiorem; quo duo multo ampliùs diſſita hodie conuenerunt: Deus, in forma Dei, viua Patris imago, & ſimilitudo expreſſiſſima innocentiſſimæ ſanctitatis, coniuncta creditur cum ſimilitudine carnis peccati. Paulum accipite: « miſit (inquit) Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.» Hoc quaſi aſpectu Meduſæ terrifico, perterrefecit, & petrifecit, & vt ita dicam ſtuporem Auguſtini ædificauit: « Magnus dies Angelorum, paruus in die hominum; &c. Conditor Solis, conditus ſub Sole, &c. Ineffabiliter ſapiens, ſapienter infans, &c. Sydera regens, vbera lambens.» Quid ad hæc obſtupeſcis Auguſtine? Non iam paruus in

Pſ. 148. 12.

Rom. 8. 3.

Aug. ſer. 27. de tēp. à p.

Digitized by Google

die, ſed nullus in noctis peccati ſimilitudine. Nec iam vbera lambens, ſed velut in remedium originalis peccati circumciſus, ſanguinem fundens; & « Sol
Malac. 4. 2. ille promiſſus iuſtitiæ, cuius ſanitas in pennis eius; » ille Apollo, à pellendis morbis dictus, cauterio velut æger inuritur. O quanta amoris pignora; quos vniones, & flores, nobis hodie terra Virginis benedicta germinat; quantam nobis meſſem Autumni maturitate, tam floridum ver auſpicatur! Hos 1. vobis flo-
Divisio. res, ex Chriſti circumciſi virtutibus in vnum conſertos, nullo tempore marceſcentes offero; cum refle-
Sap. 6. 13. xionibus: « clara enim eſt, & quæ numquam marceſcit ſapientia. »

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Licet Scriptura, iuxta Chryſoſtomum, prato vernanti ſit ſimilis, & varia florum amœnitate diſtin-
Cant. 4. 12. cto; liber tamen Cantici Canticorum, « hortus concluſus » appellari meritiſſimè poteſt; quòd non ſit verborum eius ſenſus peruius omnibus & facilis, ſed reconditis abſtruſus, clauſuſque myſteriis. Vnde nec magiſtri legis, & Rabini veteres, omnes promiſcuè, ſed doctiores tantummodo, & ætate maturos, & ad trigeſimum ſaltem annum prouectos, ad huius libri lectionem, floreſque eius carpendos admittebant. Neque verò eius ingreſſum, abſque Patrum Eccleſiæ clauibus patere præſumo, quos mihi longè Scribarum auara inuidia, largiores & benigniores futuros eſſe confido; quibus olim Chriſtus expro-
Luc. 11. 52. brabat imprecans: « væ vobis Legiſperitis, (translat. Syr. Scribæ) quia tuliſtis clauem ſcientiæ; ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis. » De
Aug. l. 2. qq. quibus ſic Auguſtinus: « De eo quod dicit Dominus Scribis vel Doctoribus Iudæorum, tuliſtis clauem

Digitized by Google

ſcientiæ,&c. Accipiendum,quod in Scriptura de humanitate Chriſti dicitur: quam nec ipſi intelligere, nec ab aliis intelligi volebant. » Mutuam primo D. Ambroſij clauem petamus, & cum bona eius venia, quos flores hîc intellexerit videamus. « Imber (inquit) impedit flores, at nunc flores videntur in terra. Boni flores Apoſtoli,qui diuerſorum ſcriptorum, atque operum ſuorum fuderunt odorem. » Gregorius magnus alium nobis ſenſum ſua claui aperit: « tunc (inquit) apparent flores in terra, quia cum de æterna beatitudinis vita quædam ſuauitatis primordia prægustare anima cœperit, quaſi iam in floribus odorata exit. Quod poſtquam egreſſa fuerit, in fructu vberius habebit. » Varios item Venerabilis Beda in Eccleſiæ paradiſo flores legendos porrigit:« O verè (inquit) beata mater Eccleſia, quam ſic honor diuinæ dignationis illuminat, quam vincentiũ glorioſus Martyrum ſanguis exornat ! Quam inuiolatæ confeſſionis candida induit Virginitas. Floribus eius nec roſæ nec lilia deſunt. Certent nunc chariſſimi ſinguli ad vtroſque honores ampliſſimas accipere dignitatum coronas,vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas. In cœleſtibus caſtris pax & acies habent flores ſuos, quibus milites Chriſti coronantur. » Maluit Auguſtinus flores Martyrum Innocentes accipere:« Aliorum quidem, (inquit) pretioſa mors Martyrum laudem in confeſſione promeruit, horum in conſummatione complacuit. Quia incipientis, vitæ primordiis, ipſe eis occaſus initium gloriæ dedit, qui præſentis terminum impoſuit. Quos Herodis impietas lactentes, matrum vberibus abſtraxit. Qui iure dicuntur Martyrum flores,quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Eccleſiæ gemmas, quædam perſecutionis pruina decoxit. » Vix flores

Euang. q. 23.

Ambr. in oct. 6. in Pſ. 118. verſ.3.

Greg. lib.2. in Ezech. homil. 16.

Beda ſer.18. de Sanctis.

Aug. ſer.10. de Sanctis.

Digitized by Google

apparuerunt in terra, & iam tempus putationis, id eſt occiſionis aduenit. Nulla ſiquidem ætas immatura Deo: hæc prima Innocentum victima, agniculo nato debebatur, iam ab origine mundi in Abel occiſo, & decreto Dei, pro omnibus ab æterno immolato. « Vox turturis, vox in Rhama audita eſt, ploratus & vlulatus. »

Apoc. 12.8. Matth. 2.18.

Sed quid inſtar apis tot floribus circumuolitans in vnico & regali omnium flore, & Innocentum Martyrum Rege non hæreo? Turturis matris vocem audiamus, interrogemus eam: « qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quem concepiſti de Spiritu ſancto, ô pulcherrima inter mulieres? Dilectus (inquit) meus, candidus & rubicundus, electus ex millibus. » Hanc rurſum cum Ruperto compello: « ſi candidus, cur rubicundus? Hoc eſt, ſi innocens, cur occiſus? » Ego vero ſubinfero, ſi abſque macula peccati, paſſer & Pelicanus ſolitudinis, quia ſolus ſine peccato natus, cur circumciſus? Si candidior lilio puritate, cur purpureus vt roſa proprio rubricatus eſt ſanguine?

Cant. 5. 9. & 10.

Rup. Ibid.

« Dic quibus in terris, inſcripti nomina Regum,
Naſcantur flores, & eris mihi magnus Apollo. »

Virg. Eclog. 3

Reſpondeat Salomonis oraculum: in terra noſtra, in carne noſtra, de Virgine ſumpta. « Flores apparuerunt in terra noſtra. » Fabulam hyacinthi floris attigit Plinius. « Odor idem ei qui germinantibus vuis, atque inde nomen. Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens eius quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore editi, ita diſcurrentibus venis; vt Græcarum literarum figura, A I, legatur inſcripta. » Faceſſant fabulæ commenti nebulæ euaneſcant vbi « veritas de terra orta eſt. Ille ille flos vnicus de radice Ieſſe & virga eius egrediens, qui portat in veſtimento, & in femore ſuo

Plin. li 21. c. 11.

Pſ. 84. 12.

Eſa. 11. 1

ſcriptum, Rex Regum & Dominus dominantium, Apoc. 19.16.
Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, ſibi ipſi teſtimonium verum perhibet dicens: ego flos campi, & lilium conuallium. » Nec iam in horto concluſus, & Deus abſconditus, ſed in campo factus omnibus peruius, non iam « notus in Iudæa Deus » ſed effuſo nominis oleo omnibus cognitus Gentibus. Io.19.19. Cant. 2.1. Pſ.75.1.

Tres porro ſingulares in vno hoc flore circumciſo virtutes odoris ſuauiſſimi lego; ac primo quidem profundiſſimam eius humilitatem, dehinc germanam ac conſanguineam humilitati obedientiam; tandem purpuream ardentiſſimæ charitatis roſam vnico verſu Cantici velut areola gemmantem; « ego flos campi » vel, vt alij ex Hebræo legunt, « ego roſa Saron, & lilium conuallium. » In quam enim vallem ſe abiecit ſummæ celſitudo maieſtatis. Dixeras, Paule, in forma ſerui exinanitum, dum in ſimilitudinem hominum factus, habitu inuentus eſt vt homo. Et quidem « ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles » hoc eſt ſe infra maiores & minores Angelos, ad naturam vſque humanam, & infimi gradus intellectualem creaturam vſque depoſuit: quæ cùm ſit de nihilo creata, ei ſe vniens, & creaturam aſſumens, exinaniuit. Vnde Auguſtinus. « Non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. Neque enim vſurpationis erat, vt rapina diceretur, ſed naturæ inerat, vt eſſet æqualis. Semetipſum tamen exinaniuit, non formam Dei amittens, ſed formam ſerui ſuſcipiens. » Sed quid hac voce Paulus vſus eſt de homine facto Dei Filio loquens, qua nihil abiectius, quo enim vltra nihilū & exinanitionē poterat Dei celſitudo deponi? Et quem terminum poterit circumciſio aptare, & facto in ſimilitudinem carnis peccati? longè quidem inter ſe diſſident, Deus & homo, Verbum & caro; ſed Deus & circumciſio, Cant.2.1. Ibid. Philip. 2.7. Cant. 2.8. Aug. ep.120. ad Honoratū.

ſumma ſanctitas, & peccati vel eius vmbræ deformitas, quomodo componuntur? « Abbreuiatum in carne, amplius abbreuiatur ſuſcepta etiam carnis Circumciſione, minoratus paulominus ab Angelis Dei Filius humanā naturā induit: ſed iam nec ipſum reſpuens remediū humanæ corruptionis, planè multo minoratus ab eis, &c. Ad quid tibi Circumciſio neceſſaria, qui peccatum non commiſiſti, nec contraxiſti? Quod ipſe nō feceris, ætas manifeſtat: quod non contraxeris multo certius probat Patris diuinitas, integritas matris. Summus Sacerdos es, quem nec ſuper Patre, nec ſuper matre contaminandum prophetatum eſt in lege potius, quam mandatum. Eſt enim tibi Pater ab æterno, ſed Deus eſt, in quem peccatum non cadit: eſt & mater ex tempore, ſed Virgo; nec parere potuit incorruptio corruptelam.» Et ibidem paulò infra ſubiicit in rem floris aptiſſimè Bernardus. « Naſcitur ex muliere, ſed cui fœcunditatis fructus ſic accedat, vt non decidat flos virginitatis. Porro ad inſtructionem noſtram, & ſuperbiæ ingenitæ & ab Adamo in poſteros transfuſæ confuſionem: « ſuper hæc omnia (inquit) circumciditur puer, agnus ſine macula. Etſi non eguit, tamen voluit circumcidi, nec veſtigium quidem vllum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non ſic impij non ſic. Non ſic agit peruerſitas elationis humanæ. Erubeſcimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo poteſt arguere de peccato, ipſe peccati remedium & verecundum pariter & auſterum, ſine vlla neceſſitate ſuſcepit, nec repulit cultrum lapideum in quo ſolo vetus illa, (peccati ſcilicet originalis) quæ raderetur, rubigo non fuit. Nos è contra inuerecundi ad obſcœnitatem culpæ, erubeſcimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ eſt, malè proni in

Ber. ſer. 1. de Circūciſione.

Leuit. 21.11.

Bern. Ibid.

Bern. Ibid.

Digitized by Google

vulnera, peius in remedia verecundi. Qui peccatum 1. Pet.
non fecit non dedignatus eſt ſe peccatorem reputari: 2.22.
nos & eſſe volumus, & nolumus æſtimari. Itanè ſa- Matth.
no opus eſt medicina, & non potius malè habenti- 9.12.
bus? Imò verò itane eget medicamine, non æger,
ſed medicus? Quis hominum tantæ ſibi non dicam
gloriæ, ſed vel innocentiæ conſcius, æquanimiter
circumcidentis manum admitteret? Chriſtus verò Pſ. 68.
patienter quæ non rapuit exoluit, qui venerat pur- 5.
gationem facere, non ſuſcipere delictorum.» Hebr.
1.3.
Alium florem odoris eximij terra noſtra à Chriſto ſuſcepta hodie protulit, obedientiæ florem accipite, de quo Paulus ſupra ſubiecit: « humiliauit ſemetipſum, factus obediens.» Philip. 2. 8. Proh quantum obedientiæ exemplum! Quàm prona, prompta, cæca, Chriſti circumciſi obedientia! Inſultet Iulianus Apoſtata, & ex Abrahæ carne non gentilitia, ſed Iudaïca ſuſcepta « factum hominem ex muliere, factum ſub lege » Gal. 4. 4. tumidus indignetur. Sacramentum obedientiæ abſconditum ignorabat, Prophetam Regium proloquentem pro Chriſto non audiebat: « holocauſtum pro peccato non poſtulaſti, Pſ. 39. 10. tunc dixi ecce venio; in capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.» Quem in locum Auguſtinus: Aug. in Pſ. 39. « Ecce (inquit) ipſe fecit voluntatem Patris. Sed in quo capite libri ſcriptum eſt de illo? fortaſſe in capite libri huius Pſalmorum. Quid enim longè petamus, aut alios libros inquiramus? Ecce in capite libri huius Pſalmorum ſcriptum eſt; Beatus vir qui Pſ. 1. 1. non abiit, &c. ſed in lege Domini voluntas eius fuit. Hoc eſt, Deus meus volui: & legem tuam in medio cordis mei: hoc eſt, & in lege eius meditabitur die ac nocte.» Præmiſerat Pſaltes: Sacrificium Pſ. 39. 9 & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mi-

Digitized by Google

hi. » Vel vt alij legunt, « fodiſti, perforaſti mihi, aptaſti mihi. » Hoc eſt, aptum paſſioni & dolori & Circumciſioni; in quo poſſem ſecundùm legem, conſummato octauo die, pro veteribus ſacrificiis abolendis, mei ſanguinis ſacrificium offerre, in ſignum obedientiæ. Vbi Auguſtinus: « hoc (inquit) promittebatur, quibuſdam ſignis: ablata ſunt ſigna promittentia, quia exhibita eſt veritas promiſſa. In hoc corpore ſumus, (vt membra ſub capite) huius corporis participes ſumus, quod accipimus nouimus, & qui non noſtis (Catechumenis loquitur qui necdum in Communione Sacramentali nouerant & guſtauerant quoniam ſuauis eſt Dominus) noueritis: & cùm didiceritis, vtinam non ad iudicium accipiatis. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Perfectum eſt enim nobis corpus: perficiamur in corpore. Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi, &c.» Tum de Iudæis adhuc Circumciſionem obſeruantibus: « in vmbra (inquit) remanſerunt, Solem gloriæ ferre non poſſunt. Iam nos in luce ſumus, tenemus corpus Chriſti, tenemus ſanguinem Chriſti. » Hunc anticipata ſolutione fudit hodie, « ortus nobis Sol iuſtitiæ ex ſemine Abrahæ, cuius ſanitas in pennis eius. Voca nomen eius accelera, feſtina. » Adeo feſtinus & alacer; vt vix octauum expectet diem, ad ſanandum morbum veteris inobedientiæ, pennigerâ & præpeti obedientiâ. Atque vt Iuliani muſſitantis os oppilem; Indignaris Apoſtata, non de Gentili, ſed Iudæorum patre circumciſo natum; neſcis ideo ſemen eius elegiſſe, quo legi Circumciſionis ipſe legiſlator vltro ſubiiceretur, & obedientiæ ſingularis nobis præberet exemplum? Sic innuit Simeon Metaphraſtes: « circumciditur, (inquit) puer ex lege quam tulerat, vt antiquæ Circumciſionis reue-leret

Aug. Ibid.

1. Cor. 11. 29.

Malac. 4. 2.

Eſa. 8. 3.

Simeon Metap. de Circumciſ.

leret anticipationem. » Ne primum ſe omnium circumciſum iactaret Abraham, ille ipſe Dei Filius homo futurus Abrahæ filius, legem dedit, cui iam inde ſe ſubiicere voluit; vt in capite libri generationis Ieſu Chriſti Filij Dauid, filij Abraham, de eo ſcriptum eſſet, cuius ſanitas in pennis eius, vt voluntariè ſeipſum humilians & factus obediens, ſacrificaret. Quos hîc mihi ſtimulos ad parendum, præcox, & velox, obedientia pueri; quæ languido incitamenta ſubminiſtrat, qui non iam ſanguinem exigor fundere, non honoris diſpendio, vel vitæ periculo obedire; ſed in iugo leui, & onere ſuaui baiulando laboro. « Eligat Chriſtianus abiectus eſſe in domo Dei ſui, & ſubiectus eſſe magiſtro, ſub quo frangatur eius voluntas, & obedientiæ fræno concupiſcentia reprimatur; ſitque quod ait Propheta, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Nec dedignandum ſeruo, quod præceſſit in Domino. Siquidem non eſt ſeruus major Domino ſuo, &c. Sed iam tibi in ipsâ obedientiæ viâ, aliqua fortaſſis dura & aſpera occurrere poſſunt, vt accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet ſalubria ſint, minus tamen ſuauia videantur. Hæc ſi moleſtè cœperis ſuſtinere, ſi diiudicare prælatum, ſi murmurare in corde: etiam ſi exteriùs impleas quod iubetur, non eſt hæc virtus patientiæ, ſed velamentum malitiæ. »

Math. 1. 1.

Pſ. 83. 11.

Ber. ſer. 3. in circũciſione

Io. 13. 16.

Nec prætereundus nobis flos Regius & roſeus charitatis, cùm ſuprà dixerit puellulus circumciſus: « ego Roſa Saron. » Acceptiſſimum olim Auguſto fuit roſarum, ab Ægypto miſſarum mediâ hyemis tempeſtate Xenium. Quantò nobis acceptius eſſe debet ab ipſo nobis auguſtiſſimo Regum omnium Rege, roſarum proprio tinctarum ſanguine munus? Taceat Scriptura Sichimitarum Principis in dotandâ proprio præputij ſanguine Dinâ feruorem: qui ad

Cant. 2. 1. ex Hebr.

Gen. 34 11. placandos fratrum eius exacerbatorum animos « inueniam (inquit) gratiam coram vobis: & quæcumque ſtatueritis dabo. Augete dotem, (Sanct. Pagn. ex Hebr. augete mihi valde dotem. 70. multiplicate dotem valde. Chald. multiplicate nimis ſuper me dotem) & munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem. » Quibus circumciſionem ab eo exigentibus. Verſu 18. « Placuit oblatio eorum Hemor & Sichem filio eius. Nec diſtulit adoleſcens, quin ſtatim quod petebatur expleret. Amabat enim puellam valde. »

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Et quis hoc à te Chriſte exigere præſumpſiſſet, vt ſponſus ſanguinum eſſes humanæ naturæ, quam tantæ dotis pretio tibi ſponſam comparare voluiſti: vt non iam centum Philiſtinorum præputiis, ſicut Dauid Michol, ſed proprio nos tibi præputio deſponſares? (Exod. 4. 26. 2. Reg. 3. 14.) Hiſtoriâ Romanâ referente didicimus, Veſpaſiano imperante, bouem ſeu ſponte ſeu diuino inſtinctu aulam ingreſſum ad pedes Imperatoris procubuiſſe defeſſum, & conſultis oraculis eſſe reſponſum, in boue totiùs populi ſub graui tributorum onere fatiſcentis agi perſonam & exonerari depoſcentis. Sub graui legis iugo Moſaïcæ, & ſanguineo ne dicam crudeli quantumlibet iuſto circumciſionis onere plebs Iudæa ſuccumbebat, cùm Dei Filius, petra dictus, aciem petrini circumciſionis gladij in ſua ipſius carne ſic hebetauit, vt deinceps inutile factum fuerit. O quantus amor Principis populi ſui debita & onera ſubeuntis! « Sed quid mirum ſi caput pro membris accepit curationem, quam tamen in ſeipſo non habuit neceſſariam? Nonne & in membris no- (Ber. ſer. 3. de circũciſione.)

ſtris ſæpè pro vnius infirmitate, alteri adhibetur curatio? dolet caput, & in brachio fit coctura : dolent renes,& fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum eſt in capite. Denique quid mirum ſi pro nobis dignatus eſt circumcidi, pro quibus dignatus eſt mori? » Bibit prior calicem,quem nobis poſtea propinaret. « Ipſe medicus, nihil tali indigens medicamento, tamen vt exhortaretur ægrotum, bibit quod opus non erat, tanquam recuſantem alloquens, & trepidum erigens, bibit prior,&c. iam videte, fratres, ſi ampliùs ægrotare debet genus humanum , acceptâ tantâ medicinâ. » Quid creaturarum amore vago langues humana infirmitas, quid bona circumquaque diſperſa nare venatica odoraris, habens in roſa Saron, in flore ſaturitatis,in toto deſiderabili Ieſu omne bonum? « Ne alicubi erres , ipſe tibi omnia factus eſt, &c. Certè fortè auaritiâ omnia vis poſſidere;omnia mihi (inquit) tradita ſunt à Patre meo. Fortaſſe dicturus es, Chriſto ſunt tradita, non mihi. Audi Apoſtolum dicentem,&c. Audi quomodo amatus es turpis, fœdus, antequam eſſet in te quod amari dignum eſſet. Amatus es priùs , vt dignus fieres qui amareris. Etenim Chriſtus , ſicut ait Apoſtolus , pro impiis mortuus eſt, (& hodie datis arrhis ſanguinis , circumciſus,) an forte impius amari merebatur? quære quid merebatur impius ? damnari reſpondes. Chriſtus tamen pro impiis mortuus eſt. Ecce quid tibi præſtitum eſt impio : iam pio quid ſeruatur? quid præſtitum eſt impio? Chriſtus pro impiis mortuus eſt. Deſiderabas autem omnia poſſidere ; noli per auaritiam,per pietatem hoc quære, per humilitatem hoc quære. Si enim ita quæſieris , poſſidebis. Tenebis enim eum per quem facta ſunt omnia , & cum ipſo omnia poſſidebis. Non hæc quaſi ratioci-

Aug. homil. 34.

Aug. ibid. Matth. 11.

Rom. 5. 6.

Digitized by Google

nando dicimus. Audi Apoſtolum ipſum dicentem; qui filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Auare, ecce habes omnia. Omnia quæ amas, vt non impediaris à Chriſto (vaſa vacua non pauca poſcente, ad infundendum cum ſanguine, olei ſui nominis effuſi balſamum) contemne, & ipſum tene, in quo poſſis omnia poſſidere.»

Rom. 8. 32.

Secunda Reflexio. Neque verò ſoli flores in tempore putationis apparuerunt in terra noſtra, ſed & vox turturis audita eſt in terra noſtra. Non modò Baptiſtæ pœnitentiam prædicantis, ſecundùm Epiphanium, aut prædicatio caſtitatis, iuxta Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum.« Saluator (inquit) noſter paſſer dicitur, quia docuit primus humilitatem, turtur dictus eſt, quia docuit primus caſtitatem. Vnde etiam in Canticis Canticorum Propheta dicit; vox turturis audita eſt in terra noſtra. Vox turturis, doctrina intelligitur Saluatoris. Audire cœpit, puritatem caſtitatis adamauit.» Et hanc circumciſus in ſede concupiſcentiæ voce ſatis aperta clamauit. Nec rurſum dico, vt ſenſit Bernardus, « Vox turturis (inquit) quare non turturum? fortè Apoſtolus id ſoluit, vbi ait, quia ipſe Spiritus poſtulat pro ſanctis, gemitibus inenarrabilibus. Ita eſt, ipſe inducitur gemens, qui gementes facit. Et cumlibet multi ſint, quos ita gemere audias, vnius per omnium labia vox ſonat.» Quænam igitur hæc turtur ſingularis? Mariam accipite: euoluit tremulum, & ſubridentem puppulum: pannulos explicat, aptat gladium Religioſa carnifex, ſed nullus eũ à noſtro Iſaac ſuſpendit Angelus. O Pater, ait Turtur, quàm crudele ſubito miniſterium! ô Fili, vix lac meum in ſanguinem conuerſum, iam paratus es fun-

Epiph. hæreſi 59. Ambr. libro de Iſaac. cap. 4. Hier. lib. 1. in Io. Aug. homil. 33. Ber. ſer. 59. in Cant. Rom. 8. 26.

dere. Expecta viriles annos, &c. Sed tempus puta- Cant.2. tionis aduenit. O Manes, & Neſtor (Prophetiſſam 12. quæ peperit, reputate, futuri præſagam erroris:) fruſtra & veram filio carnem, & matris mihi dignitatem detrahis. En Lydius lapis veritatem probat aſſumptæ, pretioſioris auro, mundiſſimæ carnis. Habete cultellum in ſigillum; accipite ſanguinem in chyrographum. O filij Adam venite iam, hic veſter Ioſue aperit vobis terram fluentem lacte & melle, & iam ſepelit cultros, circumciſioni inhabiles. O poſtes agni tinctos ſanguine, nihil vobis ab exterminatore periculi timete. In hac Abrahæ carne ſtare facit ſanguinis veteris teſtamentum. Et iam impleta figura; filij Moyſi circumciſi ſanguis vbi pedes attigit, vltra non fluxit. Dicet Apoſtolus, per extrema corporis filij Legiſlatoris Moyſi, meum adumbratum filium, finem legis; quem ipſe circumciſioni impoſuit. O matres iam fœlices, lachrymas abſtergite, virga Moyſi aquas mutauit in ſanguinem, iam virga virtutis Dei, ſanguinem circumciſionis, in aquam baptiſmi commutat, accurrite « in- Dan.13. ueterati dierum malorum » & leproſi, in hoc infantis 52. mei ſanguinis balneo, renouamini, & mundamini. Huc languidi, cum paralytico ſanamini. Et vos qui pretium veſtrum ignoratis, ſi Creatori non creditis, interrogate Redemptorem: Quis veſtrum iam detrectet nociua peccatorum, & ſuperflua rerum mundanarum amputare?

Tertia Reflexio. Et quidem Chaldaïca nos Paraphraſis admonet, « tempus putationis pri- Cant.2. mogenitorum adueniſſe. » Nimirum vt primogeniti 12. & primò viuentis cordis præputia, hoc eſt ſuperflua deſideria circumcidamus: ſuperbiam humilitatis, auaritiam largitatis, luxuriam caſtitatis, acediam feruoris noſtri infantis accelerantis exemplo. Neſci-

Ber.ſer. 58. in Cant. tis putatione vites ad vbertatem prouocari? « Ad vineas excolendas ſponſa ducitur; quæ vt poſſint vberioribus fructibus reſpondere colonis, ante omnia neceſſe eſt ſarmenta ſterilia proiici, ſuccidi noxia, putari ſuperflua, &c. Si flores apparuerunt in terra noſtra, & ſubinde quædam ſpiritualis gratiæ vernalis temperies, tempus putationis incidit; quid reſtat, niſi vt de cætero toti incumbamus huic operi tam ſancto, tam neceſſario? &c. Si autem ſemper hoc cùm opus eſt, facis, ſemper facis.» Semper enim, quoad vidimus, in hac terra corruptibilis carnis putata repullulant, ſuccisa regerminant. Sed quò plus carni detraxerimus amputando, plus adiiciemus animæ in virtute fructificando. « Noſtræ itaque putationis tempus tunc aduenit, quando infructuoſam ac noxiam corruptionem carnis deſerimus, vt ad fructum animæ peruenire valeamus.» Atque vt omnis ſenſus doloris in hac putatione miteſcat, eſtote certiſſimi; quòd ſicut præcidenda membra, lapide Memphite cum aqua contacta torpeſcunt: ſic Christo petrâ, eiuſque gratiâ, omnis dolor abſcedet; maximè ſi aqua de fluminis impetu ciuitatem Dei lætificantis, & torrente voluptatis, cogitatione hauriatur. « Flores enim apparuiſſe in terra dicuntur; quia ſanctæ animæ, cùm à corporibus recedunt in cœlo recipiuntur. Et quia in hac vita, quamuis hyems fuerit, à bono opere non torpuerunt, mox vt receſſerunt, in terra viuentium glorioſè floruerunt.» Meſſis tamdem putandæ tempus aduenient, quo baiulis Angelis, horreo Dominico maturæ ſegetes, flagellis excuſſæ, à paleis ventilatæ, à peregrinis ſeminibus excribratæ colligantur. « Tempus ſecandi aduenit, quo matura in horreis frumenta conduntur. Et qui metit, mercedem accipit. Vox turturis audita eſt, quia inuenit ſibi nidum. Eccleſia enim do-

Margin notes: Greg. lib. 2. in Ezech. homil. 16. — 1. Cor. 10. 4. — Pſ. 45. 4. — Greg. in Cã. cap. 2. — Ambr. in Pſal. 118. octon. 6. Verſu. 3.

mus eſt caſtitatis. Ficus, quæ propter infœcunditatem iubebatur excidi, fructus iam ferre cœpit. Vinea tranſlata ex Ægypto, iam non maceriis deſtructa depoſitis, incurſatur à beſtiis, nec informis ſentibus, ſed odora iam floribus, quæ ſolebat facere ſpinas, fructu curueſcit vuarum. » Calamus ergo vites noſtras & arbores, vt piis & cœleſtibus ſupernæ patriæ deſideriis floreſcentes, & fructus dignos pœnitentiæ, bonorumque operum producentes, ab Ægypto peccati tranſlati ad gratiam; per lachrymas turturis Mariæ, & ſanguinem filij circumciſi, transferri mereamur ad gloriam. Amen.

Luc. 13. 9.
Pſ. 79. 9.

IN FESTO S. GENOVEFÆ Virginis, & Patronæ Pariſienſium.

Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi. Eccli. 17. 5.

SVppoſito Apoſtoli principio; quòd primum matrimonium in Paradiſo contractum inter Adam & Euam, fuerit « Sacramentum magnum in Chriſto & Eccleſia; » id eſt ſignum magni illius, Chriſti & Eccleſiæ, & Verbi cum carne connubij: ex eo manifeſtè ſequitur, majorem Deo curam fuiſſe ſignificati, quàm ſigni; & longè amplius ſollicitum ſecundi coniugij, quàm primi; cùm multo ſuperior ſit ſtatus gratiæ quàm naturæ. Si ergo primo homini ſimile prouidit adiutorium dicens: « non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. » Vel, vt vertit Sanctes Pagninus, « quod ſit coram eo. » 70. autem: « ſecundum ipſum: » nec

Epheſ. 5. 32.
Gen. 2. 18.

Digitized by Google

Eccli. 17.5. contentus fuit, fœminam ex coſta viri, portionem eius condere; niſi iuxta thema, « crearet ex ipſo adiutorium ſimile;» ita prorſus « ſuo filio nuptias faciens Rex» ille ſummus; ex eius latere, quaſi portionem creauit Eccleſiam, fide integram ac Virginem. Ita Paulus: « vt exhiberet (inquit) ſibi ſponſam glorioſam, non habentem maculam neque rugam.» Licet autem tota Eccleſia ſit « Virgo, vni viro Chriſto deſponſata » propter incorruptam fidei caſtitatem; fatendum tamen eſt, præcipuum in ea gradum & primatum, Virginum ſtatum obtinere; inter quas occurrit hodie nobis B. Genouefa, præ cæteris illuſtris; quam in prima tractatus huius parte, « adiutorium ſimile Chriſto » demonſtrabimus; & in ſecunda, reflexiones morales ex præmiſſis deducemus. Sed non te inſalutatâ, Virginum Reginâ, planè adiutorio ſimili, Chriſto, in qua ſimilitudinem noſtram aſſumpſit, dum te in hominis ſimilitudine Angelus ſalutauit. Aue Maria.

Math. 22. 2. Epheſ. 5. 27. 2.Cor. 11. 2. Divisio.

EXORDIVM.

Quod pondus eſt elementis, ſympathia mixtis, maximéque ſuccinis; inclinatio plantis, inſtinctus animalibus, hoc ſimilitudo præſtat in hominibus. Nec magis centrum lapidem, magnes ferrum, palma femella maſculum, dictamnus ceruum ſagittis vulneratum, flos oliuæ elephantum morbidum trahit occulta virtute ſua: quàm ſimilitudo allicit & inclinat amorem. Hinc ſcitè Doctor Angelicus vim amoris patris in filium, ex eius cum ipſo ſimilitudine ſic deducit. « Cùm (inquit) ſimilitudo ſit cauſa dilectionis; omne enim animal diligit ſimile ſibi: vbi inuenitur perfecta ſimilitudo Dei, ibi inuenitur

D. Th. lect. 4. in cap. 5. Io.

Digitized by Google

etiam perfecta dilectio Dei. Perfecta autem ſimilitudo Patris in filio eſt, ſecundum illud; qui eſt imago inuiſibilis Dei. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius: perfectè ergo filius à Patre diligitur. Et ideo quia perfectè diligit eum, ſignum eſt quòd Pater omnia oſtenderit ei, & communicauerit ei ſuam poteſtatem & naturam. Et de huius dilectione dicitur ſupra: Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius: &, Hic eſt filius meus dilectus. Et Pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit. » Hoc quippe operatur amor, vt ſecreta, & potentiam dilecto communicet. Hinc & ſponſæ ſuæ dilectiſſimæ Genouefæ, & donum Prophetiæ, & virtutem miraculorum operatricem; & præ cæteris, in ferendis iniuriis conſtantiam, & omnia virtutum ſuarum lineamenta impreſſit. In quo rurſum aduertendum eſt iuxta D. Thomam; « Ad eos quos amore amicitiæ diligimus, habemus nos ſicut ad nos ipſos; communicantes eis quodammodo noſmetipſos. Vnde in amore amicitiæ, ſimilitudo eſt cauſa amoris. Non enim ſic diligimus aliquem, niſi in quantùm ſumus vnum cum eo. Similitudo autem, eſt vnitas quædam. » Et rurſum alibi; «Cùm omnis amicitia fundetur ſuper aliquam communicationem; ſimilitudo enim eſt cauſa amoris; illa eſt recta amicitia, quæ eſt propter ſimilitudinem, ſeu communicationem in bono. Chriſtus autem in tantum dilexit nos, in quantum ſimiles ſumus ei per gratiam adoptionis, diligendo ſecundum hanc ſimilitudinem, vt ad Deum traheret. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans. »

Coloſſ. 1. 15. Hebr. 1. 3. Io. 3. 35. Matth. 3. 17. D. Th. lect. 4. in cap. 15. Io. D. Th. lect. 7. in cap. 14. Io. Ier. 31. 3

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Quamuis autem ſimilitudo & vnitas in omni ami-

citia requiratur, magis tamen inter coniuges exigi-
Matth. 19.6. tur; de quibus Paulus: « iam non ſunt duo ſed vna caro: » & in connubio ſpiritali amplius: « qui enim adhæret Deo vnus ſpiritus eſt. » Et cùm à Iuriſperi-
1. Cor. 6. 16. tis matrimonium definiatur, « viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ ſocietatem continens; » cuius quia conſenſus eſt forma, tantò ad eum liberius voluntas inclinabitur, quò fuerit ſimilitudo, & in iiſdem bonis communicatio plenior; & per conſequens fortius, ac tenacius erit coniugij vinculum. Hæc tamen in creaturis ſimilitudo ſupponitur, mutua inter ſe dilectione complexis; in Creatore autem, amor ipſe quo ſponſas ſuas diligit eſt cauſa ſimilitudinis. Vnde Hieronymus rectiſſimè & breuiſ-
Hiero. ſimè vtrumque diſtinxit: « amor aut parem facit, aut inuenit. » Facit Deus in dilectis; præſupponit homo
Aug. in Pſ. 44. in diligendis. Iure ergo exclamat Aug. « Ad qualem venit, & qualem fecit! » Quæ enim ſimilitudo carni cum Verbo, homini cum Deo, ipſi ſummo eſſe, cum nihilo, dependenti & participato, cum per ſeipſum ſubſiſtente, ſolido & æterno? Sed amando naturam humanam, & ex ea conflatam Eccleſiam, ſuum ipſum eſſe & ſubſiſtere communicauit; vt ſicut natura diuina, ſic humana, in eadem Verbi per-
Hebr. 7. 26. ſona ſubſiſteret; & quia ſponſus « innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus; » ſic &
Epheſ. 5.27. « exhibuit ſibi Eccleſiam ſponſam non habentem maculam neque rugam: » ſed inter eius membra dilectam vnicè Genouefam. Adiutorium itaque ſimile videamus.

Videre mihi videor ipſiſſimum, quod Danielem in admirationem rapuit, obiectum; in quo Gabriel fi-
Tertul. contra Prax. cap. 16. lium hominis futurum repræſentans, qui ſecundùm Tertullianum, in veteri lege per Angelos in aſſumpta carne apparens, Incarnationi ſuæ veluti prælu-

debat. « Eram iuxta fluuium magnum qui eſt Ti- Dan.
gris. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir 10. 4.
vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obri-
zo: (obradianti & mundiſſimo.) Et corpus eius
quaſi chryſolithus; & facies eius velut ſpecies ful-
guris, & oculi eius vt lampas ardens: & brachia
eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpe-
cies æris candentis: & vox ſermonum eius vt vox
multitudinis.» Quem locum ſic Lyranus de Angeli-
ca natura, eiuſque perfectione expoſuit; multo ma-
gis « Angelo teſtamenti » conuenit. Virum vidit Lyran.
Daniel de quo Ierem. dixit: « fœmina circum- ibid.
dabit virum.» De quo Ioannes etiam ab vtero di- Ierem.
cere potuit; « vidimus gloriam eius, gloriam quaſi 31. 22.
vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.» Ple- Io.1.14.
num item vſu perfecto rationis. Vir vnus appa- Prou.
ruit Danieli; propter vnitatem perſonæ vnigeni- 4.3.
ti à Patre, eiuſdemque « vnigeniti & tenelli Pſ. 101.
coram matre; ſua » qui à Pſalte « pelicanus ſoli- 6.
tudinis, paſſer ſolitarius in tecto » Phœnix denique
appellatur; ad quem vſque « vnum, omnes declina- Pſ.13.1.
uerunt » à via veritatis, & orbita legis. « Non eſt & 3.
qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum; » in quem Aug.
locum Auguſt. « Vſque ad vnum (inquit) vel cum ibid.
ipſo vno poteſt intelligi, vt nullus hominum intelli-
gatur: vel præter vnum, vt excipiatur Dominus
Chriſtus, &c. Iudæi tales facti ſunt, quales & Gen-
tes, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt,
non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.»
Veſtitus eſt lineis: quia « habitu inuentus eſt vt ho- Philip.
mo.» Humanitatem quippe induit quaſi veſtem 2. 7.
lineam, inſtar lini, aquis, Soli, trituræ, variiſque do-
loribus & iniuriis expoſitam. « Accincti renes, auro Gal. 4.
obrizo: » quia charitate prorſus aurea, de lumbis 4.
Abrahæ nata matre, « factus ex muliere, nuſquam Hebr.
2. 16.

Digitized by Google

Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ » vnione
hypoſtatica, coniugio inſeparabili factus Deus ho-
Eccl. 12. 6. mo, & Verbum caro. « Rupto funiculo argenteo »
primi amoris in creatione contracti, « recurrit vita
Dan. 10. 4. aurea » diuinæ in incarnatione charitatis. « Corpus
eius quaſi chryſolithus » id eſt lapis aureus, pulchrè
1. Cor 10. 4. Chriſtum adumbrat, « lapidem angularem » de quo
& Paulus, « petra autem erat Chriſtus. » Cuius ſpe-
Cant. 5. 11. ciem ſponſa deſcribens: « caput eius, ait, aurum op-
timum; » vel vt legit Sanct. Pagninus, « vt aurum
Matth. 17. 2. obrizum. » 70. Cephas. Facies eius vt fulguris. Imò
& in Transfiguratione, « reſplenduit facies eius ſicut
Matth. 24. 27. Sol. » Et in iudicio extremo: « ſicut fulgur exit ab
Oriente, & paret vſque in Occidentem, ita erit ad-
Soph. 1. 12. uentus filij hominis. » Oculi eius quaſi lampas ar-
dens, quia « ſcrutabor, (inquit) Ieruſalem in lucer-
1. Cor. 4. 5. nis. » Cui ſubſcribit Paulus: « illuminabit abſcondi-
ta tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. »
Pſ. 18. 7. Brachia eius & pedes ænei & candentes: tum quia:
« exultabit vt gigas ad currendam viam: » tum quia,
Pſ. 23. 8. « Dominus fortis & potens, Dominus potens in
prælio. » Vox eius, vt vox multitudinis: quia ſuper
1. Reg. 2. 3. omnes magiſtros eſt, « Deus ſcientiarum Dominus,
ad Tit. 3. 4. qui docet hominem ſcientiam; apparuit omnibus
hominibus erudiens nos. » Sola differentia eſt; quòd
tunc Daniel vidit illum ſolus: ſed iam « viderunt
Pſ. 97. 5. omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. » Concidit
præ timore Daniel. Chryſolithus autem noſter, à
proprietate naturali dictæ gemmæ non degener, ti-
Matth. 14. 27 morem pellit. Vnde ſæpius inculcauit « ego ſum, no-
lite timere: ſurgite, & nolite timere. » Et longè ante
Matth. 17. 7. per Prophetam: « non timebis à timore, &c. Non
Pſ. 90. 5 timebo mala quoniam tu mecum es. » Ecce Adam
Gen. 2. 20. nouum quem ænigmaticè deſcripſit Daniel: « Adæ
autem non inueniebatur adiutor ſimilis eius. » Vi-

Digitized by Google

dere vultis, ex eius coſta productam Euam myſticam
Genouefam, adiutorium ſimile ipſi. « Hæc vocabi- Gen. 2.
tur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. » Sed virum 23.
quid vetat dicere, cùm nil præter ſexum habuerit
non virile, & omni virtute fuerit exornata? « Mu- Prou.
lierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis 31.10.
finibus pretium eius: » Sed non procul hinc, imò
proximè, ex Nanterrenſi pago virago noſtra prodiit
& Virgo. Si Gabriel id eſt fortitudo Dei apparuit
Danieli, Angelo fortior eſt Genouefæ noſtræ virgini-
tas. « Eſſe Angelum fœlicitatis eſt: Virginē eſſe, vir- Chry-
tutis: virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet ſol. ſer.
Angelus ex natura. » Vna vni fuit viro Chriſto deſ- 143.
ponſata, paruulo, paruula & triennis: « vna colūba »
vnde Chryſol. « Deus, inquit, & integritas eſt cœleſte Chry-
conſortium; virginitas iuncta Chriſto, eſt copula per- ſol. ſer.
fecta virtutis. » Veſtita fuit lineis; quia carne variis 146.
contrita laboribus, « Xerophagiis, crudis atque ari- Tertul.
dis eſcis » ciliciis, flagellis, &c. Virilem animum in- de Ieiu.
duit. Accincta fuit auro obrizo, vel quòd iuxta Chry- cap. 9.
ſologum, « cincta caſtitatis baltheo, quod eſt inſigne Chry-
Chriſtianæ militiæ, fluxam carnis detruncauerit ſol. ſer.
ignauiam, & Regis noſtri expectatione, peruigil in- 22.
ſomnem ſomnum ſæculi neſciuerit: » vel in aureæ
dilectionis ſymbolum; quia iuxta Paulum, « chari- Coloſſ.
tas eſt vinculum perfectionis. » Vel tandem quòd 3.14.
vt mulier fortis, « accinxit fortitudine lumbos ſuos. » Prou.
Fulgurante facie coruſcabat, in quam velut ex Moy- 31.17.
ſis & Chriſti mente, interius illuſtrata, fulgor exte-
rius emicabat: oculi eius lampadibus ſimiles. Nec
fuit ſatis vni & electæ inter prudentes Virgines, lam-
pades aptatas obuiam ſponſo geſtare manu, niſi &
puræ intentionis oculo, vel prophetico lumine, ob-
ſcura quæque & occulta penetraret. Duplicem lam- Chry-
padum rationem profert Chryſol. « Semper (inquit) ſol. ſer. 22.

nuptiis amicæ ſunt faces: luminum teſtimonio celebratur caſtitas nuptiarum. Sicut enim fugit lucem, illicita qui præſumit; ſic multiplici coruſcat in lumine licita qui requirit.» Rurſum idem Doctor in
Et ibid. lampade ſignificari notat exemplum: «non portanti (inquit) tantum lucerna lucet, ſed multis: & opus bonum dum facto in vno lucet, multos illuſtrat exemplo.» Quid plura? brachia & pedes eius ſimiles æri candenti: quia de ea præſcripſerat Salomon:
Prou. 31.19. «manum ſuam miſit ad fortia, & roborauit brachium ſuum:» & cum Pſalte dicebat: «poſuiſti vt
Pſ. 17. 35. arcum æreum brachia mea. Perfecit pedes meos tanquam ceruorum.» Æripedis & alati cerui Hercu-
Pſ. 17. 34. lis victor, per fortia virtutum opera, ſolidumque eius in via Dei, virtutiſque progreſſum. Vox eius vt multitudinis, quia magiſtra facta Virginum plus decebat exemplo, quàm Doctores omnes Sorbonici, & Prædicatores eloquio corpus eius tandem vt chry-
Matth. 6. 22. ſolythus, quia ſecretũ Euangelij intelligens, «ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit» ſumma ſua ſimplicitate virginali, & intentione cordis in Deum purè directa, totum corpus actionum ſuarum aureum & lucidum effecit.

Dan. 10. 6. Recolite quod ſupra ex Daniele retuli, «corpus eius, quaſi chryſolitum» & ſummi Regis ſponſam, vt moris erat coronare ſponſas, de ea cantatum,
Pſ. 20. 4. «poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo:» nempe chryſolito, ſponſi coronæ ſimillimo. Nec diſpari currit triumphantem cerno, ab eo quem
Ezech. 1. 15. deſcripſit Ezechiel; «aſpectus rotarum & opus earum, quaſi viſio maris: & vna ſimilitudo ipſarum quatuor: & aſpectus earum & opera, quaſi ſit rota in medio rotæ, &c. Et totum corpus oculis plenum
Anſel. in circuitu ipſarum quatuor.» Alij pro mari legunt,
Boëtius «Tharſis, vel Chryſolitis.» Et quidem ſi Gemmariis

Digitized by Google

credimus, Chryſolitus eſt naturæ ſolaris, cuius ſpe- lib. 2. de
ciem refert aureo colore; Genouefa Soli ſuo aurea Gémis
charitate reſpondet vni Soli vnicè addicta. Et ſicut cap. 65. Iſid.
hæc Gemma ignis rapaciſſima eſt, iuxta quem poſita
continuo igneſcit, eumque ſtatim in ſe rapit. Sic illa
triennis crucem auream à S. Germano accepit: vt-
que primùm ad Dei qui « ignis conſumens eſt » co- Deut.
gnitionem à B. Germano monita ad ſe rapuit, vt 4. 24.
« aquæ multæ non potuerint eam extinguere » nul-
læ tribulationes ſuffocare. Et licet quatuor rotis tota Cant.
eius vita volueretur, « Spiritus vitæ erat in rotis » 8. 7.
amor ſcilicet quo motus omnes & impetus volue- Ezech.
bantur, vt præuenerit Auguſtinum dicturum poſtea: 1. 21.
« pondus meum amor meus, eo feror quocumque Aug.
feror. » Et velut inter cœleſtes globos & rotas, pri- 13. confeſſ.
mum mobile inferiores ſub ſe continet, ſecumque cap. 9.
abripit: ſic amor eius, & Prophetiæ lumen, & mira-
cula, & rotas tribulationum, & ſpontanea pœniten-
tiæ tormenta ad Dei gloriam proximique ſalutem,
ab ipſo oriente vitæ, ad extremum vſque occaſum
raptauit & reuoluit. Vt eſſet in ea « à Solis ortu vſ- Pſ. 112.
que ad occaſum laudabile nomen Domini. » Singu- 3.
las nunc rotas decurramus in quibus ſimili cum
ſponſo curſu proceſſit. Prima fuit ab ipſo ætatis te-
nerrimæ flexu auſteritas. « Statura erat rotis & alti- Ezech.
tudo, & horribilis aſpectus. » Quid enim horren- 1. 18.
dum magis quàm videre tenerrimum « lilium inter Cant.
ſpinas » ab anno 15. ad 60. bis in Hebdomade pane 8. 7.
hordeaceo & aqua contentam, cui die Iouis & Do-
minica, ſola addebat legumina; donec Epiſcoporum
iuſſu, piſcibus & lacte veſceretur. Sed adduci num-
quam potuit, vt vino vteretur. O duram rotam con-
tinuis ieiunijs, ciliciis, flagellis, cæteriſque carnis de- Tertul.
licatæ vexationibus tota vita torqueri. « Exceptio lib. de Ieiun.
eduliorum quorumdam, portionale ieiunium eſt: » cap. 9.

Digitized by Google

inquit Tertullianus: quot verò ſe mulctauit eduliis Genoueſa? quàm diſpar Euæ adiutorio ſimili Adæ, omnibus paradiſi fructibus non contenta, niſi & vnico vetito veſceretur. Sed Genoueſa adiutorium Christo ſimile, de quo ſic Tertullianus: « Dominus (inquit) poſt aquam (id eſt Baptiſmum ſuum) ſegregatus in deſerto, quadraginta dierum ieiunia emenſus, oſtendit non pane viuere hominem Dei, ſed Dei verbo, tentationeſque plenitudini & immoderantiæ ventris adpoſitas abſtinentia elidi. » Et rurſum: « ipſe mox Dominus Baptiſma ſuum, & in ſuo omnium, ieiuniis dedicauit, habens efficere panes ex lapidibus, etiam Iordanem vino fortaſſe manare, ſi ita vorator, & potator fuiſſet. Immò nouum hominem, in veteris ſugillationem, virtute faſtidiendi cibi initiabat, vt eum diabolo rurſus per eſcam tentare quærenti, fortiorem fame tota oſtentaret. » De abſtinentia autem vini, quid idem lumen Africæ, tantum extulit Samüelem, alioſque abſthemios? « Habet (inquit) & abſtinentia vini ſuos titulos, quæ & Samüelem Deo vouerat, & Aaronem conſecrarat. Nam de Samüele mater: & vinum, inquit, & ebriamen non bibet; talis enim & ipſa (ſobria ſcilicet) Deum orabat. Et Dominus ad Aaron vinum & ſiceram non bibetis. Tu & filij tui poſt te, ſi quando ingrediemini tabernaculum, vel aſcendetis ad altare & non moriemini. Adeo morientur, qui non ſobrij in Eccleſia miniſtrauerint. Sic & Iſraeli proximo exprobrat: & potum dabatis ſanctificatis meis vinum. Et hæc autem ſtrictura potus Xerophagiæ portio eſt: quanquam vbi abſtinentia vini, aut à Deo exigitur, aut ab homine vouetur, illic intelligatur etiam pabuli preſſura formã præſtruens potui. Qualis enim eſus, talis & potus. Veriſimile non eſt, vt quis dimidiam gulam Deo immo-

Lib. de Bapt. cap. 20.

Lib. de ieiun. cap. 8.

De ieiun. cap. 9.

1. Reg. 15. 20.

Leuit. 10. 9.

Amos. 2. 12.

Digitized by Google

immolet, aquis ſobrius, & cibis ebrius.»

Licet autem perfectum abſtinentiæ holocauſtum iugiter offerret Deo Genouefa, quia adiutorium ſimile ſponſo eſſe debebat cui velut helluoni inſultabant ipſo teſtificante Saluatore « venit filius hominis manducans & bibens: & dicunt; ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Ita planè Genouefæ Chriſto ſimili, tanquam mulieri delicatulæ, & peccatrici guloſæ, calumniabantur; donec per literas S. Germani Altiſſiodorenſis, ab eius Archidiacono allatas, purgata, & ab ipſomet, poſt conuictam Pelagianam hæreſim cum D. Lupo remeante ab Anglia viſitata, nihil in eius tuguriolo præter flagella, cilicia, panem hordeaceum & aquam, ipſis obtrectatoribus inuentum, « obſtruxit os loquentium iniqua. Sed & hac ſecunda rota, Chryſoliti ex lapide formata, cum ſponſo triumphare debebat. Narrant Gemmarij « chryſolithum celare lucem, quem produnt tenebræ: » non aliter calumniæ tenebræ gloriam Genouefæ illuſtriorem prodiderunt; vt cum Pſalte cantaret; « & nox illuminatio mea in delitiis meis.» In quem locum Aug. « Nox eſt (inquit) quamdiu iſta vita agitur. Quomodo eſt nox illuminata? quia Chriſtus deſcendit in noctem, accepit Chriſtus carnem de iſto ſæculo, & illuminauit nobis noctem, &c. Facta eſt mihi nox in delitiis. Delitiæ noſtræ Chriſtus. Videte quemadmodum de illo gaudeamus, &c. Et nox ſicut dies illuminabitur. Nox tanquam dies. Dies nobis proſperitas ſæculi, nox nobis aduerſitas ſæculi, &c. Incipit homo fidelis indifferenter vti mundo iſto, nec extolli quando res proſperæ accedunt, nec frangi quando res aduerſæ ſunt, ſed vbique Dominum benedicere. » Sic æqualiter librata rota, inter proſpera & aduerſa, « à dextris

Matth. 11. 19.

Pſ. 62. 11.

Solinus de var. hiſt. cap. 33.

Pſ. 138. 10.

Aug. ibid.

2. Cor. 6.7.

Digitized by Google

& ſiniſtris,per ignominiam & bonam famam » Genouefa triumphabat. Ac ne quid ſimilitudini & conformitati deeſſet adiutorio; quid de Chriſto
Luc.23. 2. iudicatum & publicatum eſt? « ſurgens multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accuſare dicentes; hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram. » De Genouefa autem quid commentatum eſt? Aduentante Attila in Galliam,metuentibus Pariſinis, paratiſque vrbe cedere, metum omnem excutere volenti Genouefæ, & in Domino confidere ſuadenti inſurgentes, eam quaſi ciuitatis traditricem apprehenderunt, & prope iam morti addictam tanquam Magam & incantatricem,præfatus Archidiaconus publico in cœtu populi prolatis Eulogiis, id eſt munuſculis benedictis, quæ S. Germanus Altiſſiod. ſuo ei teſtamento reliquerat eius ſe precibus & meritis in morte iuuari poſtulans, liberauit. Et iuxta ipſius ſanctæ Virginis oraculum, ſubito Attila cum ſuo Hunnorum exercitu terrore correptus, ſoluta obſidione, relicta Lutetia, in Italiam, vrbes obuias in quas fugitiui migrauerant Pariſini, deuaſtando tanſmeauit.

Et hæc tertia rota Propheticæ gratiæ, qua adiutorium ſimile cum ſponſo procedit. De Chriſto quippe in Euangelio legitur: « propheta magnus ſurrexit in nobis. » Et Ezechielis rota plena oculis
Ezech. 1. 18. eſſe refertur. « Totum corpus oculis plenum,in circuitu ipſarum quatuor. » Vel vt habet lectio 70. Interpretum; « & vidi eas & dorſa earum plena oculis in circuitu ipſis quatuor.» Stupenda prophetiæ claritas, vt retro poſita & remota, quaſi ante faciem poſita videat;& mira Chryſoliti proprietas, vt & noctu luceat, & confortet intellectum. Poſt longam ægritudinem & paralyſim, triduo exanimis

& mortua apparuit; & ſponſo ſimilis, « inter mortuos libero » ſpiritu ad inferos penetrauit in inferiores partes terræ ; in Caluariæ montem aſcendit, vbi Chriſtum vidit crucifixum : deinde conſcendit in cœlum, Paulo vſque ad tertium rapto non impar ; « quem paradiſi compotem fecit ante martyrium. » Inde lumine Prophetiæ donata, ſecreta etiam cordium penetrabat. D. Thomas de hoc dono ſic loquitur: « neceſſarium (inquit) fuit donum Prophetiæ, per quod futura, & ea quæ communiter homines latent, Deo reuelante poſſent homines cognoſcere, & aliis indicare: vt ſic dum in his inuenirentur vera dicere, in his quæ ſunt fidei, eis crederetur, &c. Non autem per hoc Prophetiæ donum ſufficiens teſtimonium fidei adhiberetur, niſi eſſet de his quæ à ſolo Deo cognoſci poſſunt, &c. Huiuſmodi autem propriè ſunt in rebus inferioribus, occulta cordium, quæ ſolus Deus cognoſcere poteſt vt ſupra oſtenſum eſt: & futura contingentia, quæ etiam ſoli diuinæ cognitioni ſubſunt, quia ea in ſeipſis videt, cum ſint ei præſentia, ratione ſuæ æternitatis. » Et hoc ſibi proprium Chriſtus adiutorio ſuo ſimili donum largitus eſt, vt & futura contingentia, & occulta cordium reuelaret. Cuidam enim puellæ occultè vacanti luxuriæ, & roganti, vt ſibi ſecretum animæ ſuæ aperiret: tu verò, inquit, tali die, hora, loco, cum tali noſti quid egeris. En vt Chriſto conformis, « reuelat abſcondita tenebrarum & manifeſtat conſilia cordium. » Ita Chriſtus in abſcondito cordis, « ſcrutans corda & renes Deus » quid murmuris agitarent, Phariſæis aperuit: « vt quid, ait, cogitatis mala in cordibus veſtris? »

Pſ. 87. 6

Tertul. Scorp. cap. 12.

lib. 3. cont. Gentiles ca. 154.

1. Cor. 4. 5.

Pſ. 7. 10

Matth. 9. 4.

Quarta rota, qua currus gloriæ Genouefæ celerrimè decurrit, ſunt miracula, quibus abſolutum

Digitized by Google

cum ſponſo, in cœlos, elementa, morbos, mortem, dæmones imperium obtinebat. Adeò vt cum ſpon-
Matth. 28. 18. ſo dicere poſſet: « data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. » Chriſtus ad aquas Siloë cæcum
Io. 9. 7. natum miſit, cùm luto liniſſet oculos eius: & ipſa matrem ſuam excæcatam, quòd die feſto ſe ab audiendo ſacro, etiam incuſſo verbere impediſſet: vt & Treuiris hominem cæcitate percuſſum, quòd die Dominica laboraſſet, oculauit. Chriſtus manum aridam hominis expandit: illa Meldis idem miraculum edidit. Chriſtus ianuis clauſis ad Diſcipulos ingreſſus eſt. Illa orationis ſuæ claui, Virginem ab amaſij furore libidinoſo, Meldis aperto templi oſtio, defendit: ſicut & iuſſu Childerici Regis, clauſas ianuas, ne pro damnatis ad mortem intercede-
Apoc. 3. 7. ret, patefecit. Quid ita? « qui habet clauem Dauid, aperit & nemo claudit » eam ſuæ ſponſæ tradit. Chriſtus quatuor & quinque millia hominum paſcit in deſerto: hæc « maiora horum facit » dum pluſquam centena millia Pariſinorum, in fame, aduectis Tricaſſino vndecim nauibus frumento oneratis pauit. De ſponſo dicitur in Canticis, ſecundùm
Cant. 5. 11. aliquam verſionem: « comæ eius abietes: » id eſt naues ex abietibus compactæ; & de Genouefa vt
Prou. 31. 14. de forti muliere ſcriptum eſt « facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum. » Chriſtus panes multiplicat in ſolitudine; adiutorium ſimile, non tantum Eliæ, ſed Regi Prophetarum, vinum pro ædificatoribus templi, in dolio non deficiente, ad finem vſque ſtructuræ conſeruat. De Chriſto fluctibus imperante, cum ſtupore dixerunt
Matth. 8. 27. Apoſtoli: « qualis eſt hic quia venti & mare obediunt ei? » Et illa tempeſtatem ſuper aquam excitatam à dæmone ad mergendas naues compoſuit. Chriſtus ficulneam arefecit: illa duas arbores,
Digitized by Google

quibus illiſæ naues mergebantur, ſuis precibus eradicauit,& ex eodem loco duos magnos ſerpentes excuſſit. Chriſtus dæmones ex poſſeſſis abegit, interque eos domicilium habentes in monumentis: & illa duodecim, ad ſepulchrum D. Dionyſij expulit. Chriſtus Paralyticos ſoluit: Hæc puellam à nouem annis paralyticam ſanauit. Quid plura? ſi « Domini Domini exitus mortis: » hæc puerum Pſ. 67.
in puteo merſum & mortuum, necdum baptizatum, 21.
ſuper eum expanſa, cum Eliſæo, ſuſcitauit. « Quis loquetur potentias Domini? » & adiutorij Pſ. 105.
ſimilis eius? Chryſolithum diximus ad ſe ignem ra- 2.
pere: & illa cui omnia ſubiecta ſunt, ſub Ludouico Craſſo, Innocentio 2. Pontifice & Stephano Epiſcopo Pariſino,ſola ſui corporis in curru triumphali vecti ad templum B. Mariæ, præſentia ignem ſacrum à Deo vltore luxuriæ miſſum, qui « ſagittas Pſ. 7.
ſuas ardentibus effecit; » ab omnibus ardentibus, 14.
tribus exceptis abſtulit. Concludamus ergo de Genouefæ manibus, ſponſi ſimillimis: « manus eius Cant.5.
tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis » vel vt alij le- 14.
gunt, « plenæ Tharſis, vel mari » miraculorum; & audacter cum Pſalte canat: « Introibo in potentias Pſ.70.
Domini. » Perge,ô Virgo,& Elia maior,curru igneo 16.
in cœlum rapere,& in ſponſi thalamo tota æternitate lætare.

SECVNDA PARS MORALIS.

Act.10.
Prima Reflexio. « In veritate comperi 34.
quod non eſt acceptio perſonarum apud Deum » Rom.2.
qui ſecundùm Virginis Canticum, « deponit poten- 11.
tes de ſede, & exaltat humiles » & iuxta Annam; Luc.1.
« ſuſcitat de puluere inopem, vt ſedeat cum prin- 52.
cipibus, & ſolium gloriæ teneat. » Ita contempla- 1. Reg.
2. 8.

Digitized by Google

tur Auguſtinus nouum Adam adiutorium ſibi ſimi-
Aug. le facientem: «paruus (inquit) factus, paruos quæ-
ſer. 20. de tēp. rebat, hoc eſt humiles colligebat.» Et ipſe «flos
Cant. campi & lilium conuallium» in conualle Nanter-
2. 1. renſi, paruus paſtor, paruulam Genouefam ouium
cuſtodem in ſponſam elegit, & humili loco natam,
in eminentiſſimo Metropolis mundi ſolio colloca-
Philip. uit. «Humiliauit ſemetipſum Dominus Ieſus, pro-
2. 10. pter quod Deus exaltauit illum:» de quo per Pſal-
Pſ. 71. tem, præceptum eſt Regibus: «& adorabunt eum
11. omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruiunt ei:» &
Principes omnes & Reges Galliæ coram Genoue-
fa genuflectunt. Miretur Chryſoſtomus clauicula-
rios & ianitores piſcatorum Imperatores, & Con-
ſtantinum poſitâ purpurâ & coronâ duodecim co-
phinorum erutæ fundamento terræ baiulum, ad
extruendum piſcatori templum: ego verò obſtu-
peſco ampliùs Apoſtolorum Principes & loco &
titulo ceſſiſſe Paſtorum Eccleſiæ primipilos, ouicu-
larum ductrici Genouefæ. Vt ædes ólim ſacra Pe-
tro & Paulo, nunc ſit dedicata huic Chriſti adiuto-
rio. Agite Principiſſæ, & Reginæ, quidquid gene-
re, formâ, diuitiarum abundantiâ, ſceptri gloriâ
præualetis; omnia in cineres obliuionis reſoluta
cernimus; & à duodecim ſæculis viget, & ad con-
ſummationem vſque ſæculi vigebit ac perdurabit
Genouefæ fama & gloria.

Secvnda Reflexio. Ex adiutorio ſimili doce-
1. Cor. mur Apoſtolo præmonente, «æmulari chariſmata
12. 31. meliora.» Nihil inuideo Genouefæ de Prophetico
ſpiritu, de miraculorum dono, de gratia curatio-
Io. 14. num; «maiora horum faciam» ſi orationis inſtan-
12. tiâ, à Deo poſtulo per merita Genouefæ; ne vinum
feruoris in me deficiat, donec virtutis & perfectio-
nis templum abſoluam, ſi pro modulo pauperes

Digitized by Google

paſcam, ſi voluptatis, ſi iræ, ſi libidinis ignem extinguam; ſi clauſas cordis mei portas« ſtanti ad oſtium & pulſanti » ſponſo aperiam, ſi « ſapiam, intelligam & nouiſſima prouideam. » Vtinam vel chryſolitho ſimilis, ſtatim ignem cœleſtem rapiam, & diuini amoris flammas, cum Genouefa ex quibuſlibet obiectis concipiam. Hæc ſiquidem in lupo diaboli rabiem, in cane vigilantiam, in ouibus manſuetudinem, in prati floribus virtutum varietatem, in fonte munditiem, in igne gehennam, in creaturis omnibus, Creatoris excellentiam aduertebat. Sed nos ex aduerſo ad obiecta quælibet diuerſis animi paſſionibus, agitamur, & amore proprio, vel impuro ſtatim inardeſcimus; ad minimum verbum aſperum vel iocoſum, igneſcit facies, oculi inardeſcunt, flammas iracundiæ lingua vibrat, &c. Ad laudes proximi zelus accenditur. Viſa creaturæ formoſæ ſpecie, ignis libidinis; ad prędia & poſſeſſiones, dignitates, ambitio & auaritia incaleſcit, & fornax appetitus immoderati efferueſcit. Tandem ad flatum aquilonis, « vnde omne malum panditur ſuper omnes habitatores terræ, ollam ſuccenſam ego video. »

Apoc. 3.20. Deut. 32. Ier.1.14 Ier.1.13

Tertia Reflexio. Quàm diſpares ſumus Genouefæ adiutorio ſimili Chriſto. Speculum vitæ eius ponamus ob oculos, & vel ex eius inſpectu rubore ſuffundamur. « Ecce vir vnus » virago ſaltem de viro ſumpta, fœmineo in corpore virilem animum gerens, omni virtute prędita: nos molles & effœminati, nihil arduum pro Dei gloria, & noſtra, vel proximi ſalute aggredimur. Vna dicitur, quia « non diuiſa, nec cogitans quæ ſunt mundi, ſed quomodo ſit ſancta corpore & ſpiritu, & quomodo Deo placeat. » Nos « multiplicati ſuper numerum. » Illa veſtita lineis, dealbata, & multis patien-

Gen. 2. 23. 1. Cor. 7.34. Pſ.39.6.

ter exercita tribulationibus, & inſtar lini contrita: nos, quid pati volumus? Illa auro obrizo præcincta, puriſſimæ in Deum & proximum charitatis, « quæ eſt vinculum perfectionis. » Nos verò, an « ſolliciti ſumus ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis? » Eius facies, vt ſpecies fulguris, ex intima luce coruſcans; at in mulieribus comptis & fucatis, fulgur ex earum aſpectu procedens, illæſa etiam carne, intima oſſa redigit in cineres. Oculi eius vt lampas ardens, Prophetiæ lumine cordis abſcondita penetrabat; plerique verò per ſuſpiciones & iudicia temeraria « illuminant abſcondita tenebrarum » & rimantur intima conſilia cordium. Brachia eius & pedes ex ære ſuccenſo; viuidâ operatione, & greſſu firmo virtutis; nos languidi, & pigri, niſi nos eius exempla corroborent. Vox eius multitudinis, verbo & exemplo plurimos inſtruens; nos multiloquio, vano, maledico, impio frequenter abundamus. Illa quatuor rotis curru triumphali rapitur in cœlum; nos ſuperbiæ, luxuriæ, auaritiæ, gulæ, rotis in præceps rapimur in infernum.

Coloſſ. 3. 14. Epheſ. 4. 3. 1. Cor. 4. 5.

Qvarta Reflexio. Vt ad abſtinentiæ eius imitationem inuitemur, « ieiunium (inquit Chryſologus) Eliam leuauit ad cœlum, & purificato corpori ignei currus addixit obſequium: vt oſtenderet gehenna quæ exurit reos, innocuis quàm deſeruit » & rurſum: « vacuandus eſt (inquit) venter moderatione ieiunij, vt exoneratus animus poſſit ad alta pertendere, conſcendere ad virtutes, poſſit ad ipſum pietatis authorem totus aliger peruolare. Hoc Elias probat, qui Dominici continuatione ieiunij, defœcatus à carnali pondere, mortis victor euolauit ad cœlum. » Multò magis autem ieiunij virtutem extollit, dum Chriſti ieiunium meditatur. « Audiſtis (inquit) quòd de ieiunijs ipſe ſentiat &

Chry-ſol. ſer. 166. Chry-ſol. ſer. 2. Chry-ſol. ſer. 13.

Digitized by Google

iudicet inimicus. Si Filius Dei es; videtis, quia iam non hominem, ſed filium Dei credit, quem liberum à ventris conſpexerat ſeruitute. Senſit, ſenſit diabolus, ieiunium cunctis virtutibus anteferri, &c. Quare non dixit, ſi Filius Dei es, dic vt homines, aut Angeli fiant; ſed, dic vt lapides iſti panes fiant? Signum panis petit, qui ſignum ieiunij pertimeſcit. Signum panis petit, vt ieiunij tremēdum ſibi refugiat ſignū.» Et quid mirum ſi Genoueſa adiutorium ſimile Chriſto, vel ſolâ præſentiâ territos dæmones effugabat? De quibus Chriſtus; quòd præſente ſponſo non ieiunarent Apoſtoli, dixit: « hoc genus dæmoniorum non eiicitur niſi in oratione & ieiunio.» Matth. 17.20.

QVINTA REFLEXIO. Conſtantiam eius imitemur in aduerſis, & chryſolithi proprietatem aſſumamus, « quem celat lux, produnt tenebræ.» Solin. var. hiſt. cap. 33. Vt proſperitas nos in interiora recondat, nox tribulationis oſtendat. Et ſicut idem lapis per diem aureo colore fulget, nocte verò coruſcat igneo: ſic in die Ibid. proſpero, charitas quidem reſplendeat in nobis; ſed in nocte quammaximè tribulationis, medias inter calumniæ tenebras, ignita ferueſcat. Quàm viuida in corde Genoueſæ charitas ardebat, quæ licet lilio purior Virginitate floreret, ieiunio viueret, « corpus ſuum hoſtiam viuentem exhiberet Deo» Rom. 12. 1. maceratione carnis aſſiduâ, & quod cuiuis alteri intolerabile videretur, in Pariſinos liberalis & prodiga, & obſeſſorum liberatrix, & fame languentium nutrix; ſortilega, meretrix, ciuium traditrix habita, non modò feruorem non extinxit, ſed magis accendit. De ea nempe Sapiens prædixerat, non tantùm de candelâ à diabolo exſufflatâ, & ab Angelo illuminatâ, ſed longè digniùs de charitatis eius lampade inextinguibili: « non extinguetur in nocte lucerna Prou. 31.18. eius, aquæ multæ non poterunt extinguere charita-

tem, nec flumina obruent eam. » Quid ita? niſi
Cant. 8.7. quia « lampades eius lampades ignis atque flammarum. » Cui breuiter ſubſcribit Auguſtinus in illud
Aug. in Pſ. 87. Pſalmi; vt quid repuliſti orationem meam? « Ad hoc (inquit) oratio ſanctorum dilatione tanti beneficij, & tribulationum aduerſitate quaſi repellitur, vt tanquam ignis flatu repercuſſus inflammetur ardentius. » Noſtros autem igniculos, vel guttula tribulationis, vel flatus minimæ vexationis extinguit. Diſcamus tandem exemplo Genouefæ,
Aug. in Pſ. 138. nos in hac vita quaſi in nocte verſari: « quæ eſt lux noctis huius? proſperitas & fœlicitas ſæculi huius; gaudium temporale, honor temporalis, quaſi lux eſt noctis huius. Aduerſitas autem & amaritudo tribulationum vel ignobilitas, tanquam tenebræ ſunt noctis huius. In hac nocte, in hac mortalitate vitæ humanæ, habent homines lucem, habent homines tenebras: lucem, proſperitatem; tenebras, aduerſitatem. « Subiicit iuxta Pſaltem
Aug. Ibid. Pſ. 33. vtriſque Deum eſſe benedicendum: « benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Si ergo ſemper, & quando lucet nox iſta, & quando obſcura eſt nox iſta: quando arridet proſperitas, quando triſtis eſt aduerſitas, ſemper ſit laus eius in ore tuo, & fiet tibi quod modo dictum eſt, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Non me conculcant tenebræ eius, quia non me extollit lumen eius, &c. Non ſum triſtis in nocte hac, quia ſicut tenebræ eius,
1. Cor. 7. ita & lumen eius. Vtrumque tranſit; vt qui gaudent, tanquam non gaudentes ſint, & qui flent tanquam non flentes, quia ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. » Quod ſi te premit nox,
Matth. 25. 8. ad Genouefam recurre Lutetia; dic prudenti Virgini, « da nobis de oleo tuo, quia lampades

noſtræ extinguuntur. » In chryſolitho rationalis Pontificis inſculptum erat nomen Zabulon, hoc eſt habitaculum pulchritudinis, vel habitaculum eorum. « Altiſſimum poſuiſti refugium tuum, non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, &c. » O habitaculum pulchritudinis & gratiæ, te per dona à ſponſo recepta, ſed maximè, per ardentem in regnum Galliæ & Regem charitatem, ſupplices deprecamur; te, inquam, cuius ſe etiam adhuc viuentis precibus magnus ille Simeon Stelites per Pariſinos mercatores commendauit; cuius ſuffragiis ſe in morte iuuari S. Germanus optauit; vt in hac nocte vitæ miſeræ, tuæ charitatis lampade, inter aduerſa & proſpera ſic dirigas, donec « veniamus ad illum diem quem non coarctat heſternus, & craſtinus; ſed eſt dies perpetuus; ſine ortu, quia ſine occaſu. » Amen.

Exod. 39.14. Pſ. 90. 9.10.

Aug. in Pſ. 138.

IN EPIPHANIA Domini.

Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Matth. 2.

PAulus vix poterat clariùs aperire nobis abſconditum à ſæculis incarnationis Verbi myſterium, quàm cùm Timotheo ſcriberet: « manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, (Syr. quod Deus manifeſtatus ſit in carne,) iuſtificatum eſt in ſpiritu, appa-

1. Tim. 3. 16.

ruit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.» Quem in
D.Th. lect.3. Ibid. locum Doctor Angelicus:« Sacramentum (inquit) idem eſt quod ſacrum ſecretum: nihil autem tam ſecretum, quàm id quod in corde gerimus: multò ergo magis quod in corde Dei & ſecretum eſt &
1. Cor. 2.11. ſacrum. Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi Spiritus Dei,&c. Secretum meum mihi, ſecretum meum
Eſa.24.16. mihi. Tu es Deus abſconditus. Et hoc eſt Verbum
Eſa.45.15. Dei in ſinu Patris, de quo Pſaltes; Eructauit cor meum Verbum bonum. Hoc ſiquidem Sacramen-
Pſ. 44.1. tum, eſt Sacramentum pietatis. Secretum autem
Pſ.93.11. hominis, aliquando vanum eſt. Dominus enim ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. In quantùm ergo eſt reſtauratiuum mundi, eſt pietatis. Item magnum, quia eſt verus Deus, cuius magnitu-
Pſ.144.3. dinis non eſt finis. Hoc ergo ſecretum quod latet in corde Patris, factum eſt homo, &c. Sicut Verbum quod latet in corde, manifeſtatur verbo ſenſibili: ita Verbum Dei in corde Dei latebat, ſed in
Io. 1.14. carne manifeſtatum, Verbum caro factũ eſt. quantùm ad animam dicit, iuſtificatum in ſpiritu. Hoc dupliciter exponitur: primò ne credatur quod caro prius ſit concepta, dicit in Spiritu: id eſt per Spiri-
Matth. 1.20. tum ſanctum conceptus eſt. Quod enim ex ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Quod enim ex te na-
Luc.1.35. ſcetur ſanctum vocabitur Filius Dei. Et hoc quia Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c. (vel quia Spiritus ſanctus ſpecie columbæ teſtimonium illi præbuit:) vel in Spiritu ſancto humano, de quo ſcribitur: emiſit ſpiritum. Et dicit iuſtificatum, quia
Io.19.30. iuſtus eſt abſque omni macula. Deinde dicit manifeſtationem primò factam Angelis, quia licet à principio apparuerit Angelis, quoniam ex conuerſione ad ipſum Deificauit ipſos; ſed quando eſt in-

Digitized by Google

carnatum, multa myſteria innotuerunt Angelis, quæ non cognouerunt antea. » Subiicit Paulus, prædicatum Gentibus: quia « ſtella illis velut lingua cœlorum. » Quorum prædicatione illuſtratus credidit mundus; cuius tandem myſterij conſummatio, fuit glorioſi eius corporis in cœlum aſſumptio. Sed quæ tibi, ô Virgo, gloria, cum hodie « vidiſti Salomonem in diademate quo eum coronaſti in die deſponſationis ſuæ: » cum noſtra natura, à Regibus adorari. Dum thronus agni, vidiſti Reges Magos, vigintiquatuor ſeniores præuenientes, & mittentes coronas ante te. Tres fortes Dauid, non in Odolla ſpelunca, ſed Bethleemitica, caſtra non Philiſtæa, ſed Herodiana perrumpere, non aquam de ciſterna, ſed gratiam hauſturos. Tu fons vitæ, tu ciſterna, non de terra, ſed de cœli pluuia & rore plena. Tibi cum Magis addictioris clientelæ munera, Angelicâ formulâ deuouemus, dicentes: Aue.

Aug. ſer. 29. de tēp.

Cant. 3. 11.

Apoc. 4. 10.

2. Reg. 23. 16.

EXORDIVM.

Satis erat diuinæ Majeſtati, magni illius Hebræorum Sadai, hoc eſt, ſibiipſi ſufficientis, nec aliunde propriam gloriam mendicantis, in vaſto, & ſuperbo, eſſentiæ ſuæ immenſæ palatio verſari: ſat perſonis inuicem in eadem identitate naturæ commorari, nullâ earum extra quamlibet ipſarum diuerſante. Sed non erat ſatis ſummæ potentiæ, ſapientiæ, bonitati, niſi appenderet fundamenta terræ, muros elementorum extrueret, cærulea & aurata cœli tecta & laquearia magnæ mundi fabricæ imponeret, & ſe in omnes huius orbis quaſi aulæ manſiones effundens, creaturas omnes velut hoſpites ſuas, auguſtâ diuinitatis ſuæ præſentiâ honoraret. Sed cùm homines à latria ſibi debita, ad Idololatriam abdu-

Digitized by Google

ctos cerneret, templum ſibi per Salomonem extruxit, vt per diuerſas victimas populus occupatus auocaretur à ſuperſtitione gentium. Verùm cùm legis vmbraticæ ſacrificia figuratiua, iuxta Prophetas prænuntiato tempore deberent impleri, templum longè nobilius ſibique gratius in Eccleſia ſua fabricauit, « Iſti ſunt duo parietes qui ex diuerſo venerunt, & in lapidem qui factus eſt in caput anguli, in vnitatem fidei conuenerunt, vnus paries venit ex Iudæis, alter ex Gentibus. Longè à ſe diuerſi erant, quando diuerſa credebant. Poſitus eſt in medio lapis angularis, qui ad ſe vtrumque parietem duceret, & vtrumque vno nomine nuncuparet: eſſentque vnum communione vocabuli, qui fierent in vna gratia Sacramenti. Per Chriſtum enim qui eſt pax noſtra, faciens vtraque vnum, Iudæi & Gentiles facti ſunt vnum, quibus fidei vnitas vnum indidit nominis Chriſtiani vocabulum. » Et quia quò altius tectum, tantò humilius fodit fundamentum: in Bethleem « lapis de monte præciſus ſine manibus » angularis, profundè poſitus eſt, « & de Sion à Deo miſſus » qui dura, grauia, ferrea, vel ænea corda magneti ſimilis, vel Ligurio; hinc Iudæos in paſtoribus, inde Gentiles in Magis, in muros æneos, ruinas Ieruſalem inſtauraturus ſibi coniungeret, & ſuo ſanguine cæmentaret; non ſolum in boue, & aſino, ſed in Struthione & Dracone adumbratos, vt « in templo eius omnes dicerent gloriam » ex vtroque populo ædificat. Sic quippe Eſaïas pro Chriſto proloquẽs, vocationem Iudæorum, & Magorum inſinuabat: « ecce ego facio noua, & nunc orientur; vtique cognoſcetis ea: ponam in deſerto viam & in inuio flumina. Glorificabit me beſtia agri, Dracones & ſtruthiones. » Struthio Iudæus, variis & polymitis

S.Fulg. ſer. in Epiph.

Epheſ. 2.14.

Dan.2. 34.

Eſa.28. 16.

Pſ 109. 6.

Pſ.28.8.

Eſa.43. 19.

pennatum ceremoniis adornatus, volatu vix à terra ſuſpenſus; pondere ventris, terrenis promiſſis addictus, cui & Propheta crudelitatem Struthioni ſimilem exprobrat, dicens: « filia populi mei crudelis, quaſi Struthio in deſerto. » Vnde Gregorius; « quid (inquit) Struthionis nomine, niſi Synagoga ſignatur? quæ alas legis habuit, ſed corde in infimis repens, numquam ſe à terra ſubleuauit, &c. Quando derelinquit in terra oua ſua, tu forſitan in puluere calefacies ea? &c. Quid ergo per Struthionis oua, niſi de Synagogæ carne editi Apoſtoli deſignantur? qui dum ſe in mundo deſpectos atque humiles exhibent, ſperare gloriam in ſupernis docent. Abiecti namque, & quaſi nullius momenti apud elatos habiti, in terra velut oua iacuerunt, &c. Quæ oua Struthio in terra dereliquit, quia eos quos carne genuerat Synagoga Apoſtolos audire contemnens, vocandæ Gentilitati deſeruit. Mira autem potentia Dominus hæc eadem in puluere oua calefacit: quia viuos Apoſtolorum fœtus, in illa abiecta dudum Gentilitate ſuſcitauit, &c. Multos eius filios quamuis in rerrenis deſideriis mortuos ac frigidos reperit, calore tamen ſui amoris animauit, &c. » Draco porro Gentilem exprimit, ſitientem ſanguinis, humanæ ſapientiæ ſerpentibus paſtum, de longe volantem; maximè quòd ſicut ſtellarum influentiæ Dracontiam gemmam, pretioſam, in Draconis capite producunt: ſic hodierna ſtella, & Spiritus ſancti gratia, pretioſum fidei lapidem in Magorum animis. O prodigia virgæ Moyſi renouata! « virgam virtutis ſuæ emiſit Dominus ex Sion » in ſtabulum Bethleem. Vix terram tetigit, & velut ſerpens, & vermis, fimo irrepſit; ſed vt virga Moyſi, ſic Patris æterni ſapientia, omnem Magorum ſapientiam deuorauit; conuerſis in lucem tene-

Thren. 4. 3.

Greg. lib. 31. Moral. cap 10. in 39. Iob.

Exod. 7. 12. & ſeq.

Pſ. 109. 3.

bris, in humilitatem faſtu, & Deorum cultu, in veri Dei adorationem. Audite « corde credentes ad iuſtitiam, & ore confitentes ad ſalutem: » vidimus ſtellam eius in oriente, &c. Sic beſtia agri glorificauit eum, &c. « Agnouit bos iugo legis excuſſo: agnouit & aſinus, paganus, ſtultitiæ feritate depoſitâ, &c. Vterque ad vnum præſepium Domini ſui epulaturus acceſſit: epulaturus non fœnum mortis, ſed cibum ſalutis. Edite, edite pia animalia, æternæ vitæ cibaria, &c. Non diuidentes in fruſta, ſed integrum ſolidumque ſumentes: » dum nos primò de excellentia huius feſti dicemus; ſecundò pro reflexione morali, quomodo Magorum imitatione colendum ſit, docebimus.

Rom. 10. 10.

Chryſol. ſer. 259.

DIVISIO.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Si iuſta menſura magnitudinis & dignitatis diei petenda eſt ab excellentia operis & myſterij diuini, quod Deo placuit in eo operari; nulla dies celebrior æſtimari debet hodiernâ. In diebus creationis vniuerſi, primatum obtinet dies primus & ſextus; primus quidem, quòd in eo puriſſima & nobiliſſima creatura, ſine qua nulla pulchritudo lucet, & floret, lux condita: poſtremus verò ſiue ſextus, quòd creatura rationis luce donata, ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſit facta: de qua Pſaltes: « ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. » Et Ioannes: « vita erat lux hominum. » Sed ſexta anni dies, vtriuſque gloriam in ſe colligit, qua lux ſtellæ nouæ illuxit Magis, & Deus factus ad imaginem hominis, & dominij perditi reſtaurator etſi ſeruitutis aſſertor, tribus Orientis Regibus apparuit. Ad hæc accedit quòd cùm alij dies, aut Dei aut hominis myſteria reuelarint, hic vnus omnium

Pſ. 4. 7.
Io. 1. 4.

Chriſti

Chriſti naturarum, & dignitatum priuilegia manifeſtat. « Deus ipſe apparuit trino modo, qui homo in partu paruit ſingularis,&c. Sicque Chriſtus vno eodemque die, Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce, Deus trino teſtimonio noſceretur, fieretque, de trina oſtenſione Chriſti Epiphaniæ vna & ſacrata ſolemnitas. » Prima quidem eſt baptiſmi Chriſti,in quo Dei Filius irreprobabili Patris & Spiritus ſancti, & Ioannis teſtimonio eſt agnitus; qui, « Dei teſtis & totius medius Trinitatis » à Chryſologo eſt vocatus, quòd inter Patrem de nube loquentem, & Spiritum ſpecie columbæ Chriſti capiti incubantem, « in teſtimonium venerit,vt teſtimonium perhiberet de lumine.» Chryſol. ſer. 157.

Secunda ſolemnitas, eſt nuptiarũ Cana Galileæ; in quibus Chriſtus, ſe Deum omnipotentem eſſe probauit, immutatione creaturæ. De qua Tertullianus: « numquam ſine aqua Chriſtus, ſiquidem & ipſe aqua tinguitur. Prima rudimenta poteſtatis ſuæ, vocatus ad nuptias aquâ auſpicatur : » donec plenam & perfectam poteſtatem exerat, in tranſubſtantiatione vini in ſangunem, pridie quàm pateretur, nuptias cum Eccleſia conſummaturus in cruce. Sed tertia quam hodie ſingulariter celebramus, Magorum adoratione ſolemnis eſt. « Tres apparitiones Domini legimus, vna quidem die,ſed non vno tempore factas. Et quidem mirabilis ſecunda, mirabilis tertia, ſed prima apparitio mirabilius admiranda. Mirabilis aquarum mutatio, mirabilis Ioannis, & columbæ, & paternæ vocis atteſtatio,ſed illud mirabile magis, quòd agnitus eſt à Magis. » Nulla in aquis, nulla in Ioanne, nulla in columba,nulla in Patre repugnantia: ſed quòd tres Magi ſuperſtitioni Gentilium addicti, ſtellæ viſu, tribus muneribus trinam Chriſti teſtantur dignita-

Tertul. lib. de Bapt. cap. 9.

Ber. ſer. 2. in Epiph.

Digitized by Google

bris, in humilitatem faſtu, & Deorum cultu, in veri Dei adorationem. Audite « corde credentes
Rom. 10. 10. ad iuſtitiam, & ore confitentes ad ſalutem : » vidimus ſtellam eius in oriente, &c. Sic beſtia agri glo-
Chryſol. ſer. 259. rificauit eum,&c. « Agnouit bos iugo legis excuſſo: agnouit & aſinus,paganus,ſtultitiæ feritate depoſitâ,&c. Vterque ad vnum præſepium Domini ſui epulaturus acceſſit : epulaturus non fœnum mortis,ſed cibum ſalutis. Edite,edite pia animalia,æternæ vitæ cibaria, &c. Non diuidentes in fruſta, ſed
DIVISIO. integrum ſolidumque ſumentes: » dum nos primò de excellentia huius feſti dicemus; ſecundò pro reflexione morali, quomodo Magorum imitatione colendum ſit, docebimus.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Si iuſta menſura magnitudinis & dignitatis diei petenda eſt ab excellentia operis & myſterij diuini, quod Deo placuit in eo operari; nulla dies celebrior æſtimari debet hodiernâ. In diebus creationis vniuerſi, primatum obtinet dies primus & ſextus; primus quidem, quòd in eo puriſſima & nobiliſſima creatura,ſine qua nulla pulchritudo lucet, & floret, lux condita: poſtremus verò ſiue ſextus, quòd creatura rationis luce donata, ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſit facta: de qua Pſaltes: « ſi-
Pſ. 4. 7. gnatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. »
Io. 1. 4. Et Ioannes: « vita erat lux hominum. » Sed ſexta anni dies, vtriuſque gloriam in ſe colligit, qua lux ſtellæ nouæ illuxit Magis, & Deus factus ad imaginem hominis, & dominij perditi reſtaurator etſi ſeruitutis aſſertor, tribus Orientis Regibus apparuit. Ad hæc accedit quòd cùm alij dies, aut Dei aut hominis myſteria reuelarint, hic vnus omnium Chriſti

Chriſti naturarum, & dignitatum priuilegia manifeſtat. « Deus ipſe apparuit trino modo, qui homo in partu paruit ſingularis,&c. Sicque Chriſtus vno eodemque die, Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce, Deus trino teſtimonio noſceretur, fieretque, de trina oſtenſione Chriſti Epiphaniæ vna & ſacrata ſolemnitas. » Prima quidem eſt baptiſmi Chriſti,in quo Dei Filius irreprobabili Patris & Spiritus ſancti, & Ioannis teſtimonio eſt agnitus; qui, « Dei teſtis & totius medius Trinitatis » à Chryſologo eſt vocatus, quòd inter Patrem de nube loquentem, & Spiritum ſpecie columbæ Chriſti capiti incubantem, « in teſtimonium venerit,vt teſtimonium perhiberet de lumine.» Chry- ſol. ſer. 157.

Secunda ſolemnitas, eſt nuptiarũ Cana Galileæ; in quibus Chriſtus, ſe Deum omnipotentem eſſe probauit, immutatione creaturæ. De qua Tertullianus: « numquam ſine aqua Chriſtus, ſiquidem & ipſe aqua tinguitur. Prima rudimenta poteſtatis ſuæ, vocatus ad nuptias aquâ auſpicatur : » donec plenam & perfectam poteſtatem exerat, in tranſubſtantiatione vini in ſanguinem, pridie quàm pateretur, nuptias cum Eccleſia conſummaturus in cruce. Sed tertia quam hodie ſingulariter celebramus, Magorum adoratione ſolemnis eſt. « Tres apparitiones Domini legimus, vna quidem die,ſed non vno tempore factas. Et quidem mirabilis ſecunda, mirabilis tertia, ſed prima apparitio mirabilius admiranda. Mirabilis aquarum mutatio, mirabilis Ioannis, & columbæ, & paternæ vocis atteſtatio,ſed illud mirabile magis, quòd agnitus eſt à Magis. » Nulla in aquis, nulla in Ioanne, nulla in columba,nulla in Patre repugnantia: ſed quòd tres Magi ſuperſtitioni Gentilium addicti, ſtellæ viſu, tribus muneribus trinam Chriſti teſtantur dignita- Tertul. lib. de Bapt. cap. 9. Ber. ſer. 2. in Epiph.

Digitized by Google

Bern. Ibid. adſtruunt poteſtatem. « Nam quòd Deum agnoſcant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio. Nec ſolum Deum, ſed & regem agnoſcunt, quod deſignatur in auro. Et in his non latet eos magnum pietatis Sacramentum, vnde & myrha indicat moriturum. Adorant Magi, & offerunt munera adhuc ſugenti matris vbera.»

Iam verò ſi ſanctitas feſti ſumenda eſt ab operibus diuinis in eo productis; & operum dignitas à fine petenda eſt; & nullum altiorem finem Deus ipſe ſibi ob oculos poſſit ponere, quàm gloriam ſuam: cùm gloria ſit clara cum laude notitia; & tanto ſit clarior, quo pluribus, & nobilioribus, & medio digniore, & conuenientiore innoteſcit: nullus certè dies, cum huius feſtiuitatis dignitate contendit. Quæro enim, quibus, & quantulis innotuit, cùm per paſtores primùm factus eſt « notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius? » Cùm hodie « factum ſit magnum nomen eius in Gentibus; vbi intrauit plenitudo Gentium; viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.» Vbi Auguſtinus aduertit, Pſaltem, præmittendo de miſericordia exhibita Iſraëli, non excluſiſſe Gentilem, ſed magis ampliaſſe: « memor fuit miſericordiæ ſuæ Iacob, & veritatis ſuæ domui Iſraël. Quis eſt (inquit) iſte Iſraël? Ne forte vnam gentem cogites Iudæorum, audi quod ſequitur: viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Non dictum eſt, omnis terra; ſed omnes fines terræ: quomodo dicitur, à termino vſque ad terminum. Nemo concidat, nemo diſſipet: fortis eſt vnitas Chriſti (vna Eccleſia ex Iudæis & Gentibus toto orbe diffuſa:) totum emit, qui tantum pretium dedit: viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.» Hinc gratulatur Eſaïas Iſraëli in immenſum adaucto numeroſiſſima Gentilitatis

Pſ. 75. 1. Malac. 1.11. Rom. 11.25. Pſ. 97. 5. Aug. Ibid.

plebe.« Leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, &c. Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi: inundatio camelorum operiet te, &c. » Immundum animal & gibboſum, oneri peccatorum à diabolo ſubactum, Gentili populo figuræ præludebat. Eſa.60. 4.

Neque verò ſola multitudine, ſed & dignitate, Magorum vacatio, & in his tanquam primitiis, populi Gentilis adoptio, præcelluit; & gloriam Dei vocantis extulit. Iudæi vallibus in vilitate conſimiles, Gentiles montibus ſublimitate pares, quos optabat fluere à facie Domini ſanctus Prophetes: « vtinam à facie tua montes defluerent. » Cuius votis Deum annuiſſe Pſaltes Regius applaudebat! « montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. » Et ſponſa pro Eccleſia in Canticis, pro gentilitate, Chriſti anima & corculo, loquens: « anima, inquit, mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt. » Siue vt per Prophetas locutus fuerat, ita factum eſt: ſiue ſtatim ac per nouam ſtellam quaſi linguam « nouiſſimè locutus eſt in Filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, dedit ei gentes hæreditatem ſuam, » Nec hodie, ſicut in die natali Domini, paſtores, humilis ſortis homines, creduli, & ſimplices: ſed Magi, Reges, Aſtrologi, ſapientes. « Hæc mutatio dexteræ Excelſi. » Qui prius Idola, & mortuorum cadauera, myrrha delibuta, thure colebant, eiſque aureas ſtatuas erigebant: qui tot Diis quot aſtris ſeruiebant; noua ſtella duce, vnico Dei Filio adgeniculati, aurum, thus, myrrham, tota mentis deuotione ſubſternunt. Accipite Chryſologum eos Abrahæ filios aſſerentem. « Vnde, inquit, tanta munerum ſcientia myſtico- Eſa.64. 1. Pſ.96. 5. Cant. 5.6. Chryſol. ſer. 157.

rum? Vnde donorum Sacramenta tanta? non Chaldæa arte ſed de priſca ſanctorum traditione maiorum. Erant iſti de genere Noë, de filijs Abrahæ, qui Chriſtum naſci, per Deum didicerant, non per artem: eumque hominem, Deum, Regem, moriturum, alto cognouerant Sacramento. Hinc eſt quod apta patrum fidei munera portauerunt: vt aurum Regi, incenſum Deo, morituro myrrham ſcienter offerrent; talique munere & pietati ſatisfacerent & honori.» Quod vt plenius intelligas, ſciendum eſt ex Epiph. iuxta traditionem Hebræorum, necnon ſecundùm textum ipſum Geneſeos Abraham ex Cethura & Agar ſuſceptos filios dimiſiſſe in plagam Orientalem cum muneribus: Auro ſcilicet, myrrha & thure, quæ fuerunt ſpolia Regum, quos Abraham vicerat. Quorum filiorum Abrahæ ſucceſſores hodierni Magi, ſeruata in theſauro hæc munera nato Domino obtulerunt, vti Regina Saba de Cethuræ filiis prius in figuram fecerat Salomoni. Et ſic apta patrum fidei munera portauerunt. «Quia neminem in conſpectu Dei apparere vacuum antiqua lex edocet, præuaricatoribus legis abeuntibus vacuis, primitiæ Gentium Sacramentalia munera proferunt de theſauris, & Domino aurum, & odoramenta præſentant; profitentes ex ratione munerum, de eo quem adorabant, quid crederent, quid ſentirent. In auro Regem, in thure Sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis paſſibilem profitentur. Oblatio iſta incarnati Verbi & exponit myſteria, & breui ſubtilique indicio, vtriuſque naturæ humanæ diuinæque exprimit vnitatem, quod & proprium eſt vnicuique ſingulatim diſtinguens. Nam Deo Patri cuius regnum & imperium ſuis mundum replet ſplendoribus, in odorem ſuauitatis ſummus Sacerdos & Pontifex Chri-

Baro. An. 1. Chriſt. Gen. 25. 6.

Gen. 14. 14.

Cypr. de ſtella & Magis. Exod. 23.

Digitized by Google

ſtus ſe obtulit: cuius caro paſſionis cremata carbonibus, incenſionis ſuæ fragrantiam tranſmiſit ad cœlos; & vſque hodie odor ille ſuauiſſimus in terreſtri cœleſtique Eccleſia indeficiens perſeuerat. Quod autem paſſibilitas, quam obediens Deo voluntariè ſuſcepit, incorruptione firmata ſit; virtus myrrhæ obuians corruptelæ, ſuo probat effectu; & viſibilium ratione munerum, immortalitatis ſolidæ conſtat euidens argumentum.» Ex quibus conſtat, ex clara cum laude notitia, omnia in Epiphania, Chriſti manifeſtata inſignia.

Tandem ſi medium huius manifeſtationis attentè penſemus, magnificentiā diuinæ gloriæ, magno cumulo excreſcere cognoſcemus. Et quidem diuinam ſapientiam medio Philoſophico, per notiora & clariora fieri ſolito, Magos & ſapientes adducere condecebat; ſiue quòd de poſteris Abrahæ, per ſtellas indicatis oriundos, ſtella duce Aſtrologos conuerti deceret; ſiue quod ſtellæ prius ipſis factæ erroris, materia, iam recti fiant itineris duces. Ita Chryſologus: « Vidimus ſtellam eius. Et quid, inquit, non eius? Stella eius eſt, non ille ſtellæ. Stellam eius, quę accepit eſſe, ſed non dedit. Stellam, cuius ortum tenebat author, non quę ortum tenebat authoris. Stellam eius, venientem non à geneſi, ſed à genitore: mandato, non facto: non à computatore, ſed ab authore: non quę daret ortum, ſed quę ſuſtineret occaſum. Stellam non legiferam, ſed ſigniferam, &c. Non dominantis dominam, ſed ancillulam ſeruorum. Sed dicit aliquis, quare Magi? quare per ſtellam? &c. Vt per Chriſtum ipſa materia erroris, ſic fieret ſalutis occaſio; quemadmodum per Chriſtum, mortis cauſa, cauſa facta eſt vitæ. Hoſtem proprio mucrone turbare, ſingulare eſt inſigne virtutis.» Et rurſum: « hodie Magus quem fulgen-

D. Th. 3. p. q. 36. a. 5.

Chryſol. ſer. 157.

Chryſol. ſer. 160.

Digitized by Google

tem quęrebat in ſtellis, in cunis reperit vagientem. Hodie Magus clarum miratur in pannis, quem diu in aſtris patiebatur obſcurum. Hodie Magus, quid vbi videat, profundo ſtupore peruoluit: in terra cœlum, in cœlo terram; in Deo hominem, in homine Deum;& vniuerſo ſæculo non capacem, concludi corpore perpuſillo,&c. Et quia ſe in cœlo diu cum aſtris errantibus videt erraſſe, gaudet in terra ſe ad Deum ducatu vnici ſyderis perueniſſe.» Proh quale ſydus,quo tantæ Magorum tenebræ in lucem fidei perducantur!

D. Th. ſupra. Longè diuerſa hæc ſtella à cæteris, motu differebat: veniebat enim à Septentrione, ad Orientem, iuxta ſitum Perſidis ad Iudæam; media etiam die parebat, quod nec Luna pręſtat. Interdum etiam, intercepta luce, diſparebat. Columnæ item nubis æmulę, cum ſtantibus ſtabat. Quàm illuſtris erat, quę teſte Ignatio, & prudentio, Solis ipſius lumen excedebat. Credidit & Nyſſenus Angelum fuiſſe transfiguratum in ſtellam: eundemque ſenſit D. Thomas, qui prius paſtoribus facie coruſcanti apparebat. Chryſoſtomus autem,narrat in monte dicto Victoriali, Magis aſtra ſpeculantibus, nouam ſtellam illuxiſſe, cuius in medio, puer formoſiſſimus crucem ferens dux itineris factus eſt. Sunt & qui apud D Thomam autument, ipſum Spiritum ſanctum, cuius & Origenes vmbram dixit eſſe columnam nubis, in ſtellę figuram conformatum; vt Magos exterius illuminans,ſimul & mentes eorum illuſtraret interius,& corda victrice ſua gratia accendens emolliret. O multiformem gratiam & ſapientiam Dei! non fuit ſatis incubaſſe aquis Spiritum; piſces,aues, aſtra ex his produxiſſe,niſi & ipſe cum aqua ſuę gratię omnibus conformata, ſe in columbam & ſtellam lucis & amoris Symbola com-

Apud Chryſoſt. homil. 2. in Matth. 2.

Gen. 1. 2.

Digitized by Google

poneret. O feſtum ſolemne, ô celebrem diem, quo tota ſe diuina Trinitas, Chriſti diuinitas & humanitas cum omnibus ſuis dignitatibus aperuit. O ſolemnitatem verè noſtram, qua Magi Patres noſtri, primitiæ Gentium vocati ſunt ad fidem, & cum eis de erroris tenebris, ad lucem veritatis acceſſimus. « Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. » Matth. 2.2.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Attendamus, fratres, quo ſanctius, & ſacratius feſtum, tanto grauius in eius prophanatione ſacrilegium. Quo maior hodie gentili populo gratia collata eſt, tanto in Deum ingratitudo ſceleratior. Et quæ indignitas, ipſo die quo ſuas Chriſtus declarauit apertius dignitates, nos indigniſſimè gloriam eius obſcurare? In die lucis tenebrarum operibus indulgere? quo Deus homo cognoſcitur, vix poſſe à gentili dignoſci Chriſtianum? quo trino modo Deus apparere voluit, vix reſiduum aliquid hominis apparere, obrutâ & ſepultâ vino & epulis ratione? Quo Deus adoratur à Magis, ventrem pro Deo haberi à malis. Proh, quod aurum in agapes pauperum, quæ myrrha mortificationis ſenſuum, quale thus orationum? « Hinc tu eo irreligioſior, quanto ethnicus paratior. Ille denique Idolo gulam ſuam mactat, tu Deo non vis. Deus enim tibi venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos coquus, & ſanctus Spiritus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus prophetia. Vetus es, (veterem hominem ſapis & Eſaü guloſum) vera ſi velimus dicere, tu qui tantum gulæ indulges, & merito te priorem iactitas; ſemper agnoſco ſapere Eſaü venatorem ferarum, Tertul. de Ieiu. cap. 16. Philip. 3. 18.

ita paſſim indagandis turdis ſtudes, ita de campo laxiſſimę diſciplinæ tuæ venis, ita ſpiritu deficis. Si tibi lenticulam defruto inrufatam obtulero, ſtatim totos primatus tuos vendes. Apud te Agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis iacet.» Nobiliores certè DEOS in aſtris colebant Magi Patres noſtri, quàm hodierni ventricolæ.

SECVNDA REFLEXIO. Nec dicas, ô ſi mihi rubus vt Moyſi, columna vt Hebræis, Angelus vt Paſtoribus, ſtella vt Magis, columba vt Ioanni, lingua ignea, vt Apoſtolis appareret; quàm velox in ſtabulum pergerem, adoraturus paruulum; quàm lætus munera, & humilis offerrem! Si aliquod ſignum ſenſibile haberem, ſenſibilis & ipſe fierem pietati. O incredule, neſcis « beatos qui
Io. 20. 29. non viderunt & crediderunt. » Habes ſtellam multò digniorem, non iam ex aqua vel aëre, ſed diuino elemento aquæ & ſanguinis Chriſti lateris expreſſam, fidem, inſpirationem, gratiam excitantem, non corpoream & externam, ſed internam & ſpiritalem: nec ad munera materialia, ſed delicata mouentem. Beatus qui non vidit ſtellam, & qui in egeno intellexit Chriſtum pauperem: qui ad eius ſtabulum, hoc eſt vile tugurium, vel carcerem portat aurum: qui manibus & digitis offert diſcretam & probatiſſimam mortificationis myrrham: qui thus orationis incendit: qui ſtellam contra naturę motum, rupturus cœlum violentiâ, impetum, inquam, Spiritus cum myſticis animalibus ſequitur, beneſaciens inimico, iram, ſuperbiam, cæteroſque
Rom. 8. 13. naturæ corruptæ motus edomando, & « ſpiritu facta carnis mortificando. »

TERTIA REFLEXIO. Quòd ſi ſtellam tibi poſcis in ducem & præuiam; ſume tibi cum Symbolo S. Caroli Borromæi emblema, in quo via la-

ctea, ſtellulis conſtrata innumeris, præfert Epigraphem: « monſtrat iter. » Tu verò « numera ſtellas ſi potes: » Angelum, Dei verbum, librum pium, exemplum bonum, inſpirationem, Sacramenta, proſpera, & aduerſa, &c. Ita vt ſis inexcuſabilis. Nec contemnas: ſicut ſtella equitum, à Ioanne I. inſtituta, ſed poſtea à Carolo Delphino ſublata fuit, quòd fuiſſet contemptibilis, quia facta communis; cuius olim ordo in honorem Epiphaniæ conſecratus habebatur inſignis. Sed ſicut Athenienſes Aram ſtruxerunt Lucifero, quod Traſibulo prȩluxiſſet in tenebris, cui erat inſcriptũ, τῷ φωσφόρῳ. Sic nos DEO Opt. Max. totius lucis & inſpirationis authori, arã in corde gratiarum actionis inſtruamus. Eam vt par eſt, honorabimus, ſi non, coactè, non tardè, ſed ſubitò cum Magis ſequamur, & ei Symbolum Danielis Barbarini Patriarchæ Aquileenſis inſcribamus, lignis in ara, à ſtella deſuper radiante ſuccenſis, « volentes. » Non quòd ſit « volentis aut currentis, ſed miſerentis Dei, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate: » ſed quòd « velle quidem nobis adiacet: » ſed velle ex nobis tanquam ex nobis bonum niſi « præparetur voluntas à Domino » non poſſumus. Vnde Auguſtinus, de lege, exhortatione, & ſtellis huiuſmodi ſiue gratiis exterioribus, & interioribus ſufficientibus loquens: « quod, inquit, viſorum (bonarum cogitationum) ſuaſionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem (ſentientem legem membrorum repugnantem legi Dei) infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem: ſed conſentire vel diſſentire propriæ volun-

Typotius in Hierograp. Card.
Gen. 15. 5.
Nicolaus Gille An. 1351
Clem. Alex. I. ſtrom.
Rom. 9. 16.
Rom. 7. 18.
Prou. 8. vlt. verſu ex 70.
Aug. de ſpiritu & litera cap. 34.

Digitized by Google

tatis eſt. His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat: neque enim credere poteſt quolibet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat: profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos, &c. Accipere quippe & habere anima non poteſt dona, de quibus audit, quid habes quod non accepiſti, niſi conſentiendo: ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt: accipere autem & habere, vtique accipientis, & habentis eſt. Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, vt perſuadeatur, (ſicut in monte Victoriali victrix gratia Magis noſtris perſuaſit) illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat: ô altitudo diuitiarum: & numquid iniquitas apud Deum? cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptiores.»

Rom. 11.33. Rom. 9.14. Aug. ſer. 34. de tẽp.

QVARTA REFLEXIO. «Iam erubeſcat ſtultitia ſacrilega, & quædam, vt ſic dicam indocta doctrina, quæ ideo putat ſub ſtellarum decreto eſſe natum, quia ſcriptum eſt in Euangelio, quando natus eſt, ſtellam eius Magos in Oriente vidiſſe, &c. Nunc autem tantum abhorret à vero, ſub ſtellato fato natum eſſe Christum, vt nullos homines ita naſci credat, quiſquis rectè credit in Chriſtum, &c. Ipſe natus ex matre, de cœlo terræ nouum ſibi oſtendit, qui natus ex Patre cœlum terramque formauit. Eo naſcente lux noua eſt in ſtella reuelata, quo moriente lux antiqua eſt in Sole velata.» Fruſtra de ſtellis corporum ſeruis, animarum felicitatẽ auguramur; de ſtella diuinæ gratiæ, & prædeſtinationis, noſtrã fœlicitatem auſpicemur. Stellam gratiæ inſpirantis & vocantis cum Magis ſequamur: «vt non qua venimus, redeamus, nec prioris noſtræ

Aug. ſer. 32. de tẽp.

conuerſationis veſtigia repetamus » ſed per viam lacteam innocentis vitæ, ad cœleſtem patriam reuertamur. Amen.

IN FESTO SANCTISSIMI Nominis IESV.

Donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Philip. 2. 10.

SI victoria reportata de Philiſtæorum incircumciſo principe, in funda & lapide, & celebre Dauidis nomen fecit in omni Iudæa; « celebre factum eſt nomen eius nimis. » Quanto magis Filius Dei circumciſus petrino gladio, triumphator eius, « cui non eſt poteſtas, quæ comparetur ſuper terram » nomen ſuum toto orbe celebrabit? Hinc Dauid ipſe Ieſum ſibi ſuperiorem agnoſcens, nomen ipſius ſuper ſuum honorabile, prædicauit: « Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. » Sed cũ nominis huius admiratione ſuſpenſus exclamet; & admiratio ex rei nouæ, & incognitæ ignorantia procedat; ô Virgo, tu quæ poſt patrem vim nominis agnoſcis, eius nos excellentiam doce; de qua Ioannes ſcripſit: « vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. » Tu victrix ſerpentis, « cuius caput in aquis gratiæ contriuiſti. » Tu manna abſconditum Verbi incarnati, in vrna aurea virginei pectoris ſuſcepiſti. Tu calculum candidum,

1. Reg. 18. 30.
Iob. 41. 24.
Pſalm. 8. 1.
Apoc. 2. 17.
Gen. 3. 15.
Pſ. 73. 14.

Bonau. in ſpeculo B. Mariæ. Lect. 3. adamantinam petram, nouo nomine inciſam concepiſti, & peperiſti. Sed poſt nomen eius, omnipotens nomen tuum Bonauentura cenſuit: Maria interpretatur DOMINA. Hoc quoque optimè competit tantæ Imperatrici, quæ reuera Domina eſt cœleſtium, tereſtrium, & infernorum. » Vt ſicut « in no-
Philip. 2. 10. mine Ieſu omne genu flectitur » ſic & in Mariæ nomine, cum Angelo curuetur; qui & nomen Filij tui de cœlo attulit & quomodo te ſalutarem docuit: Aue dicente.

EXORDIVM.

Si honor primum inter bona temporalia locum obtinet, ſummum honoris apicem tenet commendatio nominis. Quod quidem omnis antiquitas, tam ſacra, quàm prophana tanti fecit, vt nomen templo memoriæ conſecrare ſollicita ſemper fuerit. Hinc ſuperbi illi artifices Babel, nomina ſua lateribus ſingulis inſcripſerunt; quod & in textu Scripturæ fun-
Gen. 11. 4. damentum habet. « Dixerunt, venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras. » Sic Phryne infamis fœmina, Thebarum muros ab Alexandro dirutos reſtaurare inſtituerat, ſi paſſi fuiſſent ciues nomen eius in eis cœlari. Sic iuxta Pſaltem Imperatores &
Pſ. 48. 12. Reges « vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. » Sic Alexandria, Conſtantinopolis, Cæſarea, &c. ab Alexandro, Cæſare, Conſtantino, ſua nomina ſortitæ ſunt. Et huc vſque proceſſit amor famæ & zelus nominis immortalis, vt poſt mortem in ſepulcris viuere, & in monumentis ſua homines marmori, æri, cæteriſque perennioribus rebus nomina inſculpere ſategerint. Sed Deus per Prophetam homi-

Digitized by Google

num ridens vanitatem, « periit, inquit, memoria Pſ.9.8.
eorum cum ſonitu. » Et rurſum: « recedentes à te Ier. 17.
in terra ſcribentur. » Et iterum, « tanquam puluis 13.
quem proiicit ventus à facie terræ. » Tibi hoc Chri- Pſ.1.4.
ſte debebatur, qui in fundamento humilitatis, turrim Eccleſiæ conſtruxiſti: qui cæmento ſanguinis proprij, « muros Ieruſalem ædificaſti » Apoſtatarum Angelorum, « ruinas impleuiſti » qui Chriſtopolim toto orbe diffuſam, pretioſiſſimo tui nominis balſamo perfudiſti. Quod Pſaltes præuidens, cum exclamatione cecinit. « Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. » Et quoniam, vt ait Paulus: « humiliauit ſemetipſum, &c. Propterea Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. » In quem locum Aug. « Humilitas, inquit, claritatis eſt meritum; claritas, humilitatis eſt præmium, ſed hoc factum eſt in forma ſerui. In forma verò Dei ſemper fuit, ſemper erit. Claritas enim non fuit, quaſi iam non ſit: nec erit; quaſi nondum ſit; ſed ſine initio, ſine fine, ſemper eſt claritas. » O inſenſati Iudæi, fruſtra molimini nomen eius ex hominum memoria eradere, dicentes, « mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius; » Deus enim cuius « omne conſilium ſtabit, & omnis voluntas fiet » promiſſum impleuit: « nomen eius requiretur à generatione in generationem, & nomine æterno hæreditabit illum Dominus Deus noſter. Exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. » Primò dicamus, & exponamus quàm verè dixerit Paulus, & profundè, nomen Filij Dei ſuper omne nomen. Secundò pro Reflexionibus moralibus, quàm honorabile ſit nomen eius, & noſtrum.

Pſ. 50. 20. Pſ.109. 6. Pſ. 8.1. Philip. 2.10. Aug. tract. 104. in Io. Ier.11. 19. Eccli. 39.13. Eccli. 15.6. Philip. 2.10. DIVISIO.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Cant.2.4. Sponſa Cantici Canticorum, quæ ordinatam in ſe nouerat charitatẽ, rectiſſimo ordine, poſt oſculum ſibi de ſponſo petitum, vnionem Verbi cum carne Cant.1.1. ſuſpirans; « oſculetur me oſculo oris ſui: » ſubiunxit; Verſ.2. « oleum effuſum nomen tuum. » Vt non multo poſt temporalem Filij Dei natalem, ſanctiſſimi nominis Ieſu impoſitionem indicaret. Oleum quidem nominis Filij Dei ſemper erat, ſed Soli Patri in eius ſinu vnigenitus redolebat. Effuſum in creatione Io. 1.2. oleum, quando « per ipſum omnia facta ſunt » Pſ. 44.1. quando « cor Patris eructauit Verbum bonum. » Vt participatâ bonitate, ipſi Creatori « viderentur Gen. 1.31. cuncta quæ fecerat, & erant valde bona » & cæteris deinde gentibus « in incredulitate concluſis » & Idololatriæ tenebris obuolutis, eſſet iuxta Didymum, Pſ.75.1. notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius. » Sed in Incarnatione, ſecundùm Ruperti mentem, oleum nominis Ieſu effuſum eſt ad gentes. Atque vt hic liquor ſupernatat omnibus: ita ex Paulo nomen Ieſu, omnibus ſupereminet nominibus. « Donauit enim illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. » Quærit hîc D. Thomas, quod ſit D.Th. lect.3. in cap. 2. ad Philip. hoc nomen. « Nomen, inquit, imponitur ad ſignificandam rem aliquam: & tanto nomen eſt altius, quanto res ſignificata per illud, eſt altior: & ideo nomen diuinitatis eſt altius. » In cuius rei probationem adducit locum Pſaltis: « Domine Dominus noſter, &c. Ergo, inquit, hoc nomen vt Deus diceretur & eſſet, dedit illi, ſcilicet Chriſto Pater tanquam vero Deo, &c. dicendum ergo eſt, quòd in Chriſto eſt duplex natura, & vnum ſuppoſitum. Hæc enim perſona Deus eſt & homo. Et ideo poteſt hoc du-

pliciter exponi. Vno modo; vt donauerit ei hoc nomen Pater, in quantum eſt Filius Dei; & hoc ab æterno per Generationem æternam: quæ donatio nihil aliud eſt, quàm æterna eius generatio, &c. Alio modo de Chriſto homine: & ſic Pater dedit illi homini nomen, vt Deus eſſet; non per naturam, quia alia eſt natura Dei, & alia hominis: ſed vt eſſet Deus per gratiam: non adoptionis, ſed vnionis: vt ſimul eſſet Deus & homo. Prædeſtinatns eſt Filius Dei in virtute. Ille ſcilicet qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. Et hæc eſt expoſitio Auguſtini ſecundùm intentionem Apoſtoli. Prima autem eſt Ambroſij.» Deinde quærit, quomodo intelligi poſſit hic locus, de nomine Dei; cùm dixerit Paulus, mercedem humilitatis eſſe exaltationem & claritatem nominis.« Propter quod, inquit, Deus exaltauit illum: præmium autem non præcedit meritum. Non ergo æterna generatio & incarnatio eſt præmium Paſſionis Chriſti; quia præcedunt. Sed dicendum eſt quòd in ſacra Scriptura dicitur aliquid fieri, quando innoteſcit. Donauit ergo, id eſt fecit manifeſtum mundo, quod hoc nomen haberet. Hoc enim manifeſtatum eſt in reſurrectione: quia ante non erat ſic nota diuinitas Chriſti, &c.» D. Thomam præuerterat Auguſtinus, dum exponeret hunc Pſaltis verſiculum; « confiteantur nomini tuo magno. Ipſi, inquit, omnes populi ſuper quos magnus es in Sion, iam confiteantur nomini tuo magno. Paruum fuit nomen tuum, quando iraſcebantur, (reſpicit quod ſupra dixerat Pſaltes, Dominus regnauit iraſcantur populi, qui ſcilicet Idola colebant quæ fecerant, quia annuntiabatur ille à quo facti erant) factum eſt magnum, iam confiteantur. Quomodo dicimus paruum fuiſſe nomen Chriſti? antequam præclarè diffamaretur Chriſtus: quia

Rom. 1. 4.

Aug. in Pſ. 98.

nomen ipſius, fama ipſius dicitur. Paruum nomen
erat, iam modo nomen magnum factum eſt. Quæ
Pſ.44. gens eſt,quæ non audiuit nomen Chriſti? » Chri-
8. ſtus vnctus, & « vnxit eum Deus oleo lætitiæ præ
Heb.1. conſortibus ſuis. Cui enim Angelorum dixit (con-
5. ſortium vtique gloriæ ſuæ) Filius meus es tu ; ego
hodie genui te? » Sed non iam paruum nomen, ſed
Cant.1. « oleum effuſum nomen tuum. Confiteantur no-
2. mini tuo magno. Quare confiteantur? inquit, Au-
guſtinus; quoniam terribile & ſanctum eſt.» Quia,
Aug. in vt alibi Pſaltes; « poteſtas Dei eſt,mittere in gehen-
Pſ.98. nam: & tibi Domine miſericordia. » Sanctum eſt
Pſ. 61. iuſtis & ſanctis; terribile reprobis.
13.

Sed quoniam Paulus non hîc ad literam agit de
nomine Filij Dei, in quantum Deus eſt tantum ; ſed
de nomine Ieſu, in quantum ſimile homo & Deus
eſt, ideo nomen Ieſu, ſuper omne nomen eſt ; quia
& Dei & hominis, per quem ſalus homini à Deo fa-
cta eſt, proprietates continet: ideo nobis ſingula-
riter de Nomine Ieſu tractandum eſt, de quo Pſal-
Pſ. 137. tes præcurrens Paulum; « magnificaſti , inquit, ſu-
3. per omne nomen ſanctum tuum.» Inde D. Tho-
D. Th. mas; « dicit ergo, dedit illi nomen quod eſt ſuper
ſupra. omne nomen : etiam ſecundùm quòd homo. Ideo
lect.3. ſubdit, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur. Et
in Phil. Eſaïas, mihi curuabitur omne genu.» Quamuis
2. autem alij fuerint in veteri teſtamento inſigniti hoc
Eſa. 45. nomine; ſicut Author libri Eccleſiaſtici , Ieſus Sy-
24. rachi ; de quo ibidem ſcriptum eſt. « Doctrinam
Eſa.50. ſapientiæ & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Ieſus
29. Filius Syrach Hieroſolymita,qui renouauit ſapien-
tiam de corde ſuo. » Ieſus item Ioſedech Sacer-
dos; « indutus primo ſordidis veſtibus , deinde ci-
Zach. dari munda & veſtibus ornatis » ſub quo,& Zoro-
3.5. babel, renouatum eſt templum : & alius his prior
Ieſus

Digitized by Google

Ieſus Naue, qui populum in terram promiſſam induxit: quid figuræ ad rem, vmbræ ad lucem; ſapientiæ, Sacerdotio, & templo materiali, ad ſpiritalem, quid denique ſaluti temporali ad æternam? « O nomen Ieſu ſuper omne nomen. Nomen quod os Domini locutum eſt. Nomen quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur. » Pulchrè in hæc verba Bernardus; « attende Verbi profunditatem. Poſtquam natus eſt Ieſus; Ieſus vocatur ab hominibus, qui vocatus eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur. Idem quippe & Angeli Saluator, & hominis: ſed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. » Quid ita? quia « Agnus occiſus ab origine mundi » obiectum fuit fidei Angelorum; quem Pater introduxit Angelis adorandum; propter cuius præuiſa merita, data eſt Angelis perſeuerandi gratia. Ipſe quippe iam tum erat prædeſtinatus Filius Dei, & caput Angelorum & hominum, « de cuius plenitudine acceperunt vniuerſi » non tantum homines, ſed & Angeli, quamquam merâ & gratuitâ gratiâ Dei implente ſummam lampadem aurei candelabri; ex qua in ſubiectas hinc inde tres Hierarchias, cœleſtes, & Eccleſiaſticas, oleum nominis Ieſu effuſum, « diuideretur ſingulis ſecundùm propriam virtutem. »

Eſa. 40. 5.

Ber. ſer. 15. in Cant.

Apoc. 13. 8.

Io. 1. 16.

Zach. 4. 2.

1. Cor. 12. 11.

Matth. 25. 15.

Chriſtus porro « primogenitus omnis creaturæ » dicitur; ac per hoc etiam Angelicæ. Ob eius enim præuiſa merita gratiam & gloriam adeptos Angelos Cyrillus Alex. cenſuit. Gregorius magnus in verba « non eſt alius extra te: ſubauditur, inquit, ſanctus. Quia nullus hominum, neque Angelorum ſanctus eſt, niſi per Chriſtum. » Et Doctor Angelicus: « de plenitudine eius omnes accepimus; omnes Apoſtoli, Patriarchæ, Prophetæ, & iuſti, qui fuerunt, ſunt, & erunt, & etiam omnes Angeli, &c.

Coloſſ. 1. 18.

Cyrill. Alex. lib. 5. in Eſa.

Greg. lib. 1. in 1. Reg. cap. 2. & hom. 14. in

Digitized by Google

Quia plenitudo gratiæ quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis. » Et alibi docet Chriſtum influere gratiam in omnia membra Eccleſiæ; quam infra dicit conflatam ex hominibus & Angelis. Et certè Paulus: « complacuit per eum reconciliare omnia, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. » Et rurſum: « inſtaurare omnia in Chriſto quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt. » Græcè ἀνακεφαλαιώσασθαι recapitulare, vt etiam legit Tertullianus: quaſi omnia cœli & terræ, Angelorum & omnium merita, ad Chriſtum, ceu caput & ſummam omnis gratiæ reducta ſint. Idem Paulus: « ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. » Iuxta Hiero. Et Aug. ex Angelis & hominibus conſtantem. Cùm itaque caput omnium perfectiſſimum, perfectiſſimo modo debeat influere, Chriſtus per gratiam & gloriam influxit in homines & Angelos. Et licet Auguſtinus, vbi de gratia vnionis Chriſti, merè gratuitâ loquitur, dicat Angelos bonos per liberum arbitrium ſtetiſſe; non tamen hoc illis ſine gratiæ ſufficientis adiutorio neceſſario tribuit: « ſi hoc, inquit, adiutorium vel Angelo vel homini, quamprimùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, vt ſine diuino adiutorio poſſet manere (perſeuerare) ſi vellet; non vtique ſuâ culpâ cecidiſſent; adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent; » per conſequens cùm nulla vnquam data ſit gratia niſi per, & propter Chriſtum; Angeli per eum ſaluati ſunt; non tantùm obiectiuè, quòd Chriſtus illis propoſitus ſit adorandus: ſed quia fides & gratia illis data fuit, quâ adiutum liberum eorum arbitrium, ſponte ſe Chriſto vt capiti ſubmiſerunt: effectiuè Chriſtus Saluator eorum eſt. Secundò ruinarum

Ezech. in Io. 1. S. Th. Ber. ſer. 17. & 22. in Cant. D. Th. in Io. 1. & 3. p. q. 8. a. 1. & 4. & Albert. Mag. in 1. ſent. diſt. 13. art. 1. Coloſſ. 1. 20. Epheſ. 1. 10. Epheſ. 1. 22. Aug. Enchir. cap. 56. & in Pſ. 36. Hilar. in Pſal. 139. Aug. lib. de correp. & gratia. cap. 11.

Digitized by Google

illorum reparator; tertiò & Redemptor nobiliſſimo modo; quòd gratia eius eos à peccati ſeruitute præſeruauerit. Iuxta Dionyſium: « idcirco, inquit, etiam redemptionem illam Theologi nominant, ex eo quod non ſinit, quæ verè ſunt, ad id cadere, vt non ſint. » ſcilicet, per peccatum: ſic Dauid de gladio Goliath ſe redemptum affirmat. « Qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno, eripe me. » Diony. Areop. de diuinis nomi. cap. 8. Pſ. 143. 10.

Atque vt reuertar ad Ieſum Naue, prius dictum Ioſue, & vocatum Angelum; præclariſſimam ſcitote Ieſu-Chriſti Domini noſtri fuiſſe figuram. Et primò quidem Tertullianum accipite, « ſecundus, inquit, Moyſes, (id eſt ſuffectus à Deo in locum Moyſi) populi ſecundi, qui imaginem noſtram (populum Iſraël in terram promiſſam introducti, qui nos exprimebat) in promiſſionem Dei induxit; in quo primò nomen Domini dedicatum eſt. » Sed apertius alibi: « dum, inquit, Moyſi ſucceſſor deſtinaretur Auſes (ita Septuaginta, quem nos Ioſue dicimus) filius Naue, transfertur certè de priſtino nomine, & incipit vocari Ieſus, &c. Nam quia Ieſus-Chriſtus ſecundum populum, quod ſumus nos, nationes in ſæculi deſerto commorantes antea, introducturus eſſet in terram repromiſſionis melle & lacte manantem, id eſt in vitæ æternæ poſſeſſionem, quâ nihil dulcius: idque non per Moyſem, id eſt, non per legis diſciplinam, ſed per Ieſum, id eſt per nouæ legis gratiam, prouenire habebat circumciſis nobis petrina acie, id eſt, Chriſti præceptis, petra enim Chriſtus: multis modis & figuris prædicatus eſt; ideo is vir, qui in huius Sacramenti imaginem parabatur, etiam nominis Dominici inauguratus eſt figura, vt Ieſus nominaretur. » Cui ſubſcribit Auguſtinus: « Nobiſcum, inquit, eſt Ieſus poſt

Tertul. de Monog. cap. 6.

Tertul. li. cont. Iud. cap. 9. Num. 13. 17.

1. Cor. 10. 4.

Aug.

lib. de quinq; hæreſ. cap. 2. Moyſem populi DUX Iſraëlitici, fortiſſimus prælia- tor, cuius etiam nomen indicat Saluatorem. Ipſe potentiâ ſuâ & diuinâ fiduciâ, diem, ſui curſus metas ne peragerer, ſtatuit: & nocti, ne accederet, imperauit. Ipſe gentium Reges, non ſingillatim ſed gregatim ſuperauit, captiuauit, humiliauit & occidit, &c.» Et de eodem Ioſue ſic alibi. «Videat, inquit, Ieſum introducentem populum in terram promiſſam. Neque enim hoc temerè ab initio vocabatur: ſed ex ipſa diſpenſatione, nomine mutato, Ieſus appellatus eſt.» Et iterum: «dicat mihi, quem Prophetam promiſerit DEUS, cùm ait Moyſi; Suſcitabo illis PROPHETAM de fratribus eorum ſicut te, vel ſimilem tibi? multi enim Prophetæ poſtea fuerunt; ſed vtique vnum quemdam intelligi voluit. Hîc ei credo facilè occurreret ſucceſſor ille Moyſi, qui populum ex Ægypto liberatum in terram promiſſionis induxit, &c. Cur eidem ipſi ſuo futuro ſucceſſori, in cuius comparatione improbatus eſt, vt non ipſe introduceret populum, in terram promiſſionis; ne videlicet lex per Moyſem, non ad ſaluandum, ſed ad conuincendum peccatorem data, in regnum cœlorum introducere putaretur, ſed Quæ gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta. Quæram ergo à Iudæo, cur eidem ipſi futuro ſuo ſucceſſori Moyſes nomen mutauerit, vocabatur enim Ioſue, & appellauit eum Ieſum? cur denique tunc appellauerit, quando ex conualle Pharan præmiſit ad eandem terram, quo erat populus ipſo duce venturus? dixit enim verus ipſe Ieſus; & ſi iero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & aſſumam vos ad me? Quæram etiam vtrum non huic figuræ atteſtetur Propheta dicens, DEUS ab Africo veniens, & ſanctus de monte Pharan? tanquam diceret; eius nominis veniet Deus ſan-

Lib. 12. cont. Fauſt. cap. 31.

Lib. 16. cont. Fauſt. cap. 19.

Deut. 18. 15.

Io. 14. 3.

Habac. 3. 3.

Digitized by Google

ctus, cuius nominis erat ille, qui venit ab Africo de Pharan, id eſt Ieſus. » Idem porro Ioſue, vt Chriſtum Angelum Teſtamenti adumbraret, vocatus eſt Angelus, vt notauit Tertullianus. « Hoc, inquit, nomen ipſe Chriſtus ſuum iam tunc eſſe teſtatus eſt, cùm ad Moyſem loquebatur. Quis enim loquebatur, niſi ſpiritus Creatoris, qui eſt Chriſtus? Cum ergo mundato diceret populo; Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui te cuſtodiat in via, & introducat in terram quam paraui tibi: intende illi, & exaudi eum; ne inobaudieris eum: non enim cælauit te, quoniam nomen meum ſuper illum eſt. Angelum quidem eum dixit, ob magnitudinem virtutum, quas erat editurus; & ob officium prophetæ, nuntiantis ſcilicet diuinam voluntatem: Ieſum autem ob nominis ſui futuri Sacramentum. Identidem nomen ſuum confirmauit, quod ipſe ei indiderat; quia non Angelum nec Auſen, ſed Ieſum eum iuſſerat exinde vocitari. » Non aliter Auguſtinus præcitato loco; « Huc, inquit, accedit, quod ipſum Dei Verbum intelligitur loqui, vbi promittit eumdem ipſum Moyſi ſucceſſorem, per quem populus in terram promiſſionis mitteretur, nomine Angeli eum appellans: ſicut etiam homines aliquid nuntiantes in Scriptura diuina ſolent appellari. Et ita dixit: Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Nomen enim meum eſt in eo. Quid eſt hoc? perſcrutetur Scripturas illas non iam Manichæus, ſed ipſe etiam Iudæus, & videat vtrum de aliquo Angelo Deus dixerit, nomen meum eſt in illo: niſi de hoc quidem introductorem in promiſſionis terram pollicetur: deinde quærat in hominibus, quis Moyſi ſucceſſor introduxerit populum, & inueniet Ieſum, non hoc ab initio vitæ ſuæ, ſed nomine mutato appellatum. Qui ergo dixit, nomen meum

Tertul. 3. cont. Marc. cap. 16.

Exod. 23. 20. & 32. 34.

Aug. lib. 16. cont. Fauſt. cap. 19. & 20.

eſt in illo Ieſu, ipſe eſt verus Ieſus, rector & ductor populi in hæreditatem vitæ æternæ, ſecundùm Teſtamentum nouum, cuius figura erat teſtamentum vetus. Ita quantùm attinet ad propheticum apparatum, nec geri, nec dici aliquid poſſet inſignius; quandoquidem res perducta eſt vſque ad nominis expreſſionem. »

Sed fatendum eſt cum Paulo, donatum Filio Dei nomen quod eſt ſuper omne nomen. Vt non modo ſuper Ioſue, cæteroſque Ieſu nomine appellatos, ſed ſuper omne bonum quod vocari poteſt, eſſe nomen Domini Ieſu. Moyſi quippe, Ioſue prædeceſ-
Exod. 33. 18. ſori, roganti; « oſtende mihi gloriam tuam. Reſpondit: Ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te. » Vel vt habent 70. Vocabor nomine meo, Dominus ante te. » Vbi gloſ-
Orig. homil. 3. de 7. mul. in cap. 11. Eſa. 4. 1 ſa legit, « vocabor nomine Ieſu. » Quòd in nomine Ieſu, velut theſauro, omne bonum congeſtum fuerit. Quò reſpexit Origenes exponens illud Eſaiæ, « & apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum. » Quis autem ſit vir ille, immediatè docuit, Dominum eſſe Ieſum: ſic enim ſubiunxit;
Verſ. 2. « in die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſaluati fuerint de Iſraël. Quomodo autem ſaluati, niſi in nomine Saluatoris? De quo Propheta
Habac. 3. 18. « ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo » 70. legunt, « gaudebo ſuper Deo Saluatore meo. » De quo & exultans caneret Pſal-
Aug. lib. 18. de ciui. cap. 32. tes; « lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. » Maluit Auguſtinus & ſupra legere, « exultabo in Deo Ieſu meo, melius, inquit,

mihi videntur quidam codices habere, gaudebo in Deo Ieſu meo; quàm hi, qui volentes id Latinè ponere, nomen ipſum non poſuerunt, quod eſt nobis amicius & dulcius nominare. » Ad germen ſalutis redeo cũ Origene explicante illud Eſaïæ, « & egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet; & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis. Et replebit eum ſpiritus timoris Domini. » Quem locum cum ſuperiore complectens; « ſeptem, inquit, mulieres vna ſunt, ſpiritus enim Dei ſunt. Et iſta vna ſeptem ſunt. Spiritus enim Dei eſt ſpiritus ſapientiæ & intellectus, &c. Iſta ſapientia patitur opprobrium à multis inſurgentibus in ſe. Iſte verus intellectus ſuſtinet opprobrium à multis intellectibus falſis. Iſtud magnum conſilium opprobratur à multis conſiliis non bonis, &c. Vide ſapientiam ſæculi huius, vide ſapientiam principum mundi huius, quomodo exprobrant ſapientiam Chriſti mei, &c. Et ob hoc quæritur homo, qui cum iſtis ſeptem ſpiritalibus, velut mulieribus ſit, vt auferat earum opprobrium. Propriè vnus eſt homo qui auferat earum opprobrium. Quis eſt iſte homo? Ieſus qui exiuit iuxta carnem de radice Ieſſe, factus ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, prædeſtinatus Filius Dei in virtute, iuxta ſpiritum iuſtificationis, &c. ſpiritus enim ſapientiæ non requieuit in Moyſe, non requieuit in Ieſu Naue, ſpiritus ſapientiæ non requieuit in ſingulis Prophetarum, in Eſaïa, in Ieremia, &c. Venit quidem ſed non requieuit. Tribulatur ad quemcumque venerit hominem. Peccat enim omnis homo, nec eſt iuſtus ſuper terram qui faciat bonum & non peccet. Vnum vidit Ioannes ſolum in quo permanſit: & ſignum hoc erat, ſuper

Eſa. 11. 1. Orig. ſupra. Rom. 1. 3. Pſ. 13.

Io.1.33. quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem in eo, iſte eſt Filius Dei, &c. Mulieres igitur quærentes quem aſſumant, apprehendent ſeptem vnum hominem. Tunc apprehendent, & verè tenebunt ſeptem mulieres hominem vnum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, &c. Multi ambulant homines, & nullum apprehendunt mulieres, nullus eis placet homo, vt dicant ei panem noſtrum manducabimus, & veſtimentis noſtris operiemur.
Eccl. 15.3. Eſt quidam cibus ſapientiæ, eſt quidam cibus ſimiliter intellectus, & reliquorum ſpirituum. Quis eſt
Io.6.51. iſte cibus? Meus eſt cibus ſermo Dei, qui ait Ego ſum panis viuens qui de cœlo deſcendi, &c. Nec putandum eſt aliquo indigere ſapientiam & intellectum cæteroſque ſpiritus, quia alium (vel quaſi alium) cibum habeant; (alio cibo indigeant. Vnde quaſi ex ſe ſufficientes dicunt, panem noſtrum manducabimus, &c.) Cùm totius diſpenſationis, (diſtributionis donorum vt riuulorum fons,) ſit natura Dei. Verumtamen nomen tuum inuocetur ſuper nos, &c. Quod eſt nomen ſapientiæ? Ieſus: quid eſt, inuocetur nomen tuum ſuper nos? Ego ſum ſapientia, volo tuo nomine vocari, vt ego ſapientia dicar
Eſa. 11. 2. Ieſus. Vt intellectus, & conſilium magnum & fortitudo & ſcientia, & pietas, & timor Dei nominetur Ieſus: vt omnia in omnibus nomen tuum fiat: nomen tuum inuocetur ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum. Reuera abſtulit opprobrium Ieſus. » Et
Rom. 1. 18. quonam modo abſtulit? « veritatem Dei in iniuſtitia detinebant » homines, & opprobrium veris Spiritus ſancti donis irrogabant; dum ſtultitia, ſapientiam, ſtupor & hebetudo intelligentiam, conſilium & prudentia carnis, &c. intellectum diuinum mentiebantur. Sed vbi primùm egreſſa eſt
Eſa. 11. 1. virga de radice Ieſſe, irruerunt ſtatim ſuper eam &
Digitized by Google

florem eius, hoc eſt animam ſanctiſſimam, ſeptem dona, & inuocato ſuper ea nomine Ieſu, ablatum eſt opprobrium, & glorioſo eius nomine decorata triumpharunt. Huc facit appoſitè Bernardus, nomen Ieſu ſuper omne nomen, ſuper omne bonum extollens. « Aridus eſt, inquit, omnis animæ cibus, Ber ſer. 15. in Cant.
ſi non oleo iſto infunditur. Inſipidus eſt ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi niſi legero ibi Ieſum. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi niſi ſonuerit ibi Ieſus. Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. » Viden vt ſit ſuper omne & quodlibet quod vocari poſſit ſiue animæ ſiue corporis bonum? vt verè dixerit Paulus, « donauit illi Philip. 2. 10.
nomen quod eſt ſuper omne nomen. »

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Sed & ſi reflectas oculos mentis, & aduertas; ſuper omne malum eſt, ſiue culpæ, ſiue pœnæ ſalutare nomen. Sic enim adnotauit gloſſa ordinaria in morali, iuxta Gregorium. « Per ſeptem mulieres, vniuerſitas meretricum Gloſſa ord. in Eſa 4. 1
ad Chriſtum reuertentium deſignatur. Ideò dicitur, quòd apprehendent virum vnum, id eſt Chriſtum, de quo dicitur: deſpondi vos vni viro, 2. Cor. 11. 2.
Virginem caſtam exhibere Chriſto. Licet enim Virginitas, quantùm ad id quod eſt corporis, recuperari non poſſit; tamen quantùm ad id quod eſt ex parte mentis, poteſt reparari. » Et quidem, cùm omnis anima peccatrix, « dilatans cubile cordis » Eſa. 57. 8.
alium præter Deum virum admittens, rea ſit adulterij; « fornicata cum amatoribus multis » per ſe- Ier. 3. 1.
ptem peccata mortalia; inuocato Ieſu nomine, apprehenſo hoc vno viro, ab omni opprobrio liberatur. Quæ enim ſuperbia humilitate Ieſu, quæ luxu-

Bern. ſer. 15. in Cãt. ria, auaritia, &c. caſtitate, liberalitate, &c. Domini Ieſu nõ ſanetur? Accipite Bernardũ. Labitur, inquit, quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis, deſperando; nonne ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? cui aliquando ſtetit, ante faciem ſalutaris nominis, duritia cordis, ignauię torpor, rancor animi, languor acediæ? &c. Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cùm nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate, ac ſanctitate conſpicuum; eumdemque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanat, & roborat adiutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonat, cùm inſonuerit Ieſus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium à potente: illa tanquam pigmentarias ſpecies; hoc, tanquam vnde acuam eas: & facio confectionem, cui ſimilem Medicorum nemo facere poſſit. Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli huius, quod eſt Ieſus: ſalutiferum certè, quodque nulli vnquam peſti tuæ inueniatur inefficax. Semper tibi in ſinu, ſit ſemper in manu, quò tui omnes in Ieſum & ſenſus dirigantur, & actus.»

Secvnda Reflexio. Habes & in hoc nomine, quo omnia animæ & corporis mala, quomodocumque vocentur, inuocato Ieſu nomine propellantur. « In nomine, (inquit) meo, dæmonia eiicient, &c. ſerpentes tollent, etſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.» Memini relatum à Rabinis, de Dauid in lapide & funda præualente Philiſtæo; quòd cum quinque limpidiſſimos lapides

Marc. 16. 17.

Philo. Iud. lib.

de torrente elegiſſet, eoſque in peram paſtoralem miſiſſet; in primo inuentum ſcriptum nomen Abrahæ; in ſecundo Iſaac, in tertio Iacob; in quarto Moyſi; in quinto nomen fortiſſimi. Vnde inſurgens in Goliath exclamauit, « Ego venio ad te in nomine Domini. » Quilibet gygas, quælibet aduerſitas, quodcumque periculum ingruat, dicat audacter Chriſtianus; « venio ad te in nomine DOMINI. » S. Ephrem hoc munitum nomine ſanctum Abraham Eremitam, dæmonem fugaſſe narrat. Tentanti enim de ſuperbia; « pro munitiſſimo, inquit, atque tutiſſimo muro, eſt mihi nomen Domini mei Ieſu Chriſti; quem dilexi, ac diligo: in quo te nomine increpo immundiſſime canis. » Et rurſum, ſtoream in qua orabat incendenti: « ignem intrepidus conculcans aiebat: ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, &c. Omnemque potentiam inimici, in nomine Domini noſtri Ieſu mihi auxiliantis ſuperabo. »

de ant. Bibli. — 1. Reg. 17.45. — S. Ephr. in vita S. Abra. — Pſ. 90. 13.

TERTIA REFLEXIO. Recole mirabilia virgæ Moyſi, & ſcito te in « virga virtutis DEI, virga Ieſſe florida, principatu ſuper humero facto, ligno crucis ex quo regnauit Dominus » te prodigia facturum in nomine Domini Ieſu. Porro animaduertit doctiſſimus Abulenſis, virgam Moyſi, etiam virgam DEI vocatam: « vocatur (inquit) virga DEI, quia mandante Deo in Ægyptum deferebatur; vel quia Deus in illa miracula facturus erat, &c. Alij dicunt quòd vocatur Dei, quia nomen Dei in ea ſcriptum erat. Voluit enim quod iſta virga eſſet quadrangulata, & in quolibet laterum habebat vnam de quatuor literis nominis DOMINI Tetragrammaton. DICUNT etiam hanc virgam natam fuiſſe in viridario Ietro, in Madian; cúmque ſæpiùs multi eam euellere tentauiſſent, immobilis perma-

Pſ. 109. 2. — Eſa. 11. 1 — Eſa. 9. 6 — Pſ. 95. 10. — Toſtat. to. 2. q. 10. in Exo. 4.

nebat, donec eam Moyſes euulſit, tanquam cui diuino munere virga illa erat profutura, & hanc ſecum gerebat in paſcuis, in hac gregem minabat, quo volebat. » O ſi rectores Eccleſiæ, ſi Prælati, ſi patresfamilias, hanc Chriſti virgam, & florem, præ oculis haberent, & in manu, ad regendos ſubditos verbo, & exemplo ſimili, quot prodigiis, mundi terrerent Ægyptum? quas voluptatum aquas in ſanguinem pœnitentiæ non mutarent? Et mare diuiderent, & mel de petra elicerent? Et vnde quæſo putas Paulum ter naufragum de profundo emerſiſſe, tot miracula edidiſſe, niſi effuſo nominis Ieſu oleo? quo quidem primò, velut fulmine eliſus in terram, ſed deinde erectus, electuſque in vas, oleo iſto implendum, quod de plenitudine cordis in 14. Epiſtolis, 231. vicibus eructauit. Quid mirum? implenda erat vox Prophetica Chriſti; « vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & principibus, & filiis Iſraël. » Et vnde tam diuturno obſitas otio, ipſa etiam rubigine ſignatas paradiſi ianuas, tam citò latronis oratio reſignauit? Nimirum ille, « qui habet clauem Dauid » id eſt crucem, « principatum ſuper humerum eius » titulo ſuperimpoſito, « IESVS NAZARENVS, &c. « effuſo ſui nominis oleo, ſeram ſtatim aperuit, vt diceret latroni crucifixo, « hodie mecum eris in Paradiſo. »

Exod. 4.9. Act. 9. 15. Apoc. 3.7. Eſa. 9.6 Matth. 27.37.

QVARTA REFLEXIO. « Secundùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ. » Vnde quia nomen Ieſu, ſuper omne nomen eſt, ſic honor ei debitus omnem honorem debet excedere. In cuius rei figuram, ſicut aduertit Arnoldus Carnotenſis, nomen Dei ineffabile, in lamina aurea ſuper caput Pontificis, etiam ſuper thiaram erat; ſiue quòd, vt in capite vigent omnes ſenſus, & ani-

Pſ. 47. 11. Exod. 28.36. Arnol. Carno. tract.

Digitized by Google

inæ potentiæ, ſic cum omni attentione, & reueren- vlt. de
tia pronunciandum & laudandum nomen Domini; 7. verbis in
ſiue quòd, quidquid magnum & glorioſum eſt in cruce.
regno & Sacerdotio, Dei nomine inferius eſt, &
huic ſanctiſſimo nomini referendum. Siue quòd, vt
ſuperpoſitum erat, « & veſti poderis, in qua erat to- Sap. 18.
tus orbis terrarum » vt in limbo eius, malo grana- 24.
tis mixtis tintinnabulis aureis; ſic à capite ad pedes,
ab initio ad finem, « à Solis ortu vſque ad occaſum Pſ. 112.
ſuper omne nomen, ſit nomen Domini benedi- 3.
ctum; » vt qui benè incipit, & qui vſque ad finem
perſeuerat, ſaluum ſe fieri prædicet in nomine Sal-
uatoris.

QVINTA REFLEXIO. Quod nimis fre-
quenter canimus, & numquam ſatis attendimus,
eſt illud Hier. « Tu autem in nobis eſt Domine, & Hier.
nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos. » De quo 14. 9.
& Pſaltes, « honorabile nomen eorum coram illo. » Pſ. 71.
Nomen eſt Chriſtiani, ab vncto, & oleo nominis 14.
effuſo; ſine quo nullus honor nominis, etiam Regij,
aut Pontificalis, à regali Sacerdotio longè ſemotus.
Si enim ex D. Thoma, Salomon « vnigenitus coram D. Th.
matre ſua » dicitur, licet priorem haberet fratrem ex prou.
ex Berſabee natum; quòd ille ante circumciſionem, 4. 3.
in qua nomen imponi ſolebat, obiiſſet; « delebatur Gen.
enim anima eius de populo ſuo: » quantò magis, 17. 14.
qui ſine baptiſmo, & nomine Chriſtiano moriun-
tur? filij ſint Principum, nati Regum: « nec me- Pſ. 15. 5.
mor ero nominum eorum per labia mea. » Proin-
de gratulor Sanctio Diacono, qui in interrogatione
& tormentis, de genere, patria, profeſſione, nomi-
ne rogatus; in hanc vnicam vocem magnificè exul-
tans erumpebat, « Chriſtianus ſum. » Sed heu, Apoc.
Chriſtiane, aut nomen, aut mores muta, 3. 1.
« nomen habes quod viuas, & mortuus es.

vbi Chriſti humilitas? caſtitas? charitas? &c.

Sexta Reflexio. Ad vos conuertor, Virgines, & veſtri nominis, præ cunctis, gloriam; & nomen ſuper omne nomen ſuſpicio & veneror. Audio quippe Eſaïam dicentem. « Hæc dicit Dominus Eunuchis: qui cuſtodierint Sabbata mea, (otio ſancta in lecto ſolitudinis, procul ab agro & molendino ſæcularis inquietudinis,) & elegerint quæ ego volui, (quia virginitas conſilij eſt, non præcepti, & voluntas eſt Dei, non tantùm bona & beneplacens, ſed & perfecta,) & tenuerint fœdus meum: (quo Virgo Chriſtus, Virginem matrem, Virgini Ioanni commendauit;) dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis quod peribit. » Quod nomen valde exaggerat Auguſtinus. « Quid, inquit, quæris amplius? Quid dicis amplius? æternum hoc nomen; quidquid illud eſt, ſpadonibus Dei, quod vtique gloriam quandam propriam, excellentemque ſignificat, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo conſtitutis. Nam ideo fortaſſis & nomen dictum eſt, quòd eos quibus datur, diſtinguit à cæteris. » Et paucis interiectis: « pergite itaq; ſancti Dei, pueri & puellæ, mares ac fœminæ, cœlibes & nuptæ: pergite perſeueranter in finem, laudate Dominum dulciùs, quē cogitatis vberiùs: ſperate fœliciùs, cui ſeruitis inſtantiùs: amate ardentiùs, cui placetis attentiùs. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum donec reuertatur à nuptiis. Vos affertis ad nuptias agni canticum nouū quod cantabitis cytharis veſtris. Non vtique tale quale cantat vniuerſa terra, &c. ſed tale quale nemo poterit dicere niſi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypſi quidam præ cæteris dilectus agno, qui

Eſa. 56. 5. — Matth. 24. 41. — Rom. 12. 2. — Lib. de ſancta Virginitate cap. 25. — Ibid. cap. 27. — Luc. 12. 35. — Pſ. 95. 1. — Apoc. 14. 3.

diſcumbere ſuper pectus eius ſolitus erat, &c. Et quia ſequimini Agnum quocumque ierit, ſcripſit ille de vobis: Quò ire putamus hunc Agnum, quò nemo eum ſequi vel audeat, vel valeat niſi vos? Quò putamus eum ire? in quos ſaltus & prata? vbi credo ſunt grandia gaudia; non gaudia ſæculi huius vana, inſaniæ mendaces: nec gaudia qualia in ipſo regno Dei cæteris non virginibus erunt; ſed à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta. Gaudium Virginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia propria Virginum Chriſti, non ſunt eadem non Virginum. Quamuis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, ſed nullis talia. Ite in hæc, ſequimini Agnum, quia & Agni caro vtique Virgo. Hoc enim in ſe retinuit auctus (aſſumpta de nouo humanitate) quod matri non abſtulit conceptus & natus. Meritò eum ſequimini virginitate cordis & carnis, quocumque ierit. Quid eſt enim ſequi, niſi imitari? &c.» Portate magnificum nomen Ieſu ſcriptum in frontibus veſtris. « Et vidi & Ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.» Frons baptizatis cruce ſignatur, & nomen Chriſtianis imponitur: vobis autem, « nomen melius à filiis & filiabus. In baptiſmo character indelebilis imprimitur; & Virginitatis inuiolabile eſt propoſitum. Vt aulæ, vt palatio Regis nomen regium inciditur; ſed quanto dignius, oblitæ populi & paternæ domus, nomen Patris æterni, & Filij eius Agni, diuinum vtique portatis in frontibus veſtris. O Chriſte oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Quæ nimis exaltatæ ſunt, & donatæ nomine ſuper omne nomen. Confitemini nihilominus no-

Apoc. 14. 1.

Cant. 1. 2.

Pſ.134. 3. mini eius Chriſtiani, « pſallite nomini eius, quoniam ſuaue eſt. Humanus ſermo » inquit, poſt Paulum Auguſtinus, « & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in mundum. Quare venit in mundum? peccatores ſaluos facere. Alia cauſa non fuit quare veniret in mundum: non enim de cœlo ad terram merita noſtra bona, ſed peccata duxerunt. Hæc eſt cauſa cur veniret, peccatores ſaluos facere, & vocabis, inquit, nomen eius Ieſum. Quare vocabis nomen eius Ieſum? Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. » Et alibi: « clamat, inquit, ſexageſimus ſeptimus Pſalmus, Deus noſter, Deus ſaluos faciendi, & DOMINI DOMINI exitus mortis. Quid apertius diceretur? Deus enim ſaluos faciendi, DOMINUS eſt Ieſus quod interpretatur Saluator, ſiue ſalutaris. Nam ratio nominis huius hæc reddita eſt, quando priuſquam ex Virgine naſceretur, dictum eſt, paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet, &c. In quorum peccatorum remiſſionem, quoniam ſanguis eius effuſus eſt, non vtique oportuit eum de hac vita alios exitus habere, quàm mortis. Ideo cùm dictum eſſet, DEUS noſter DEUS ſaluos faciendi: continuò ſubiunctum eſt, & Domini exitus mortis: vt oſtenderetur, moriendo ſaluos eſſe facturos. Sed mirando dictum eſt, & Domini: tanquam diceretur, talis eſt vita mortalium, vt nec ipſe Dominus aliter ab ipſa exiret, niſi per mortem. »

Aug. ſer. 8. de verb. Apoſt. — *1. Tim. 3. 1.* — *Luc. 1. 31.* — *Matth. 1. 21.* — *Aug. lib. 17. de Ciu. cap. 18.* — *Pſ. 67. 21.* — *Luc. 1. 31.* — *Pſ. 67. 21.*

« O Domine ſaluum me fac, ô Domine benè proſperare, proſperum iter faciet Deus ſalutarium noſtrorum. Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua, (ſaluum me fac in miſericordia tua) iudica me. » In quem locum Auguſtinus; « Saluet, inquit, nos in nomine

Pſ. 117. 25. — *Pſ. 67. 20.* — *Pſ. 53. 1* — *Aug. in Pſ. 53.*

Digitized by Google

mine ſuo, & iudicet nos in virtute ſua, &c. Cum in nomine præcedente ſaluauerit te, ſalubriter in virtute conſequente iudicabit. Securus eſto, iudicium illud non erit tibi punitio, ſed decretio: nam & in quodam Pſalmo ita dicitur: Iudica me Deus & diſcerne cauſam meam de gente non Pſ. 42. 1
ſancta. Quid eſt iudica me? diſcerne me à Ziphæis inter quos lateo, (id eſt à floridis inter quos latebat Dauid vt habet Pſalmi titulus,) pertuli eorum florem, iam veniat & flos meus. » Et quis ille, niſi IESVS NAZARENVS, flos aſcendens de radice Ieſſe. O Virga virtutis Dei, cui nomen inſcriptum ſuper omne nomen! O nomen in quo omne bonum, in quo omnis mali remedium! O nomen ſuper omne honorabile, in te« omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium Philip.
& infernorum, & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Ieſus, in gloria eſt Dei Patris » 2. 10.
quò nos perducat via & veritas Ieſus. Amen.

IN CONVERSIONE DIVI Pauli.

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. 1. Tim. 1. 15.

CVrioſi naturæ venatores referunt, quædam è cœlo ruere fulmina, ſalubriter adeo ſerpentes ferientia, vt ſaluâ vitâ & ſubſtantiâ, nihil in ipſis,

Act. 9. 15. niſi mortale virus extinguant. Quid Paulus « ſpirans adhuc minarum, & cædis, in Diſcipulos Domini » quàm ſerpens, aut draco venenoſus? quid illi vox Chriſti fulgurantis, de cœlo tonans, & « Saule, Saule, quid me perſequeris » ingeminans, præter venenum mortiferæ perſecutionis abſtulit, dum ei gratiam vocationis Apoſtolicæ contulit? Ita ſuggerit Auguſtinus: « Cùm (inquit) iter ageret ſpirans & anhelans ad cædes, de cœlo percuſſus eſt, & vocem Domini audiuit, ad ſalutem fulminatus. » Mirum dictu quod narrant aliqui, die Conuerſionis S. Pauli natos, ſerpentum morſibus ſuâ ſaliuâ mederi. Faxit Deus optimus, per Pauli merita, vt hodie in Chriſto renaſcar, & linguâ medicâ diuinæ ſapientiæ ſaliuâ rigatâ, ſerpentis antiqui morſibus, præſens remedium auditoribus, & lectoribus proferam. Tuis id Virgo precibus exorabo, quæ « caput ſerpentis contriuiſti » & iuxta traditionem veterum, vt pro Stephano lapidato, ſic pro Saulo lapidantium veſtes ſeruante, Dei miſericordiam impetraſti. Paulum quidem « vas electionis » à Filio tuo dictum, & factum agnoſcimus; ſed te præ omnibus « vas admirabile opus Excelſi » confitemur. Paulus « nomen Ieſu portauit coram Gentibus & filiis Iſraël: » tu Ieſum ipſum vtero portaſti, quem Angelo nuntiante concepiſti, cùm tibi dixit: Aue.

Aug. ſer. 9. de verb. Apoſt. in 1. Tim. 1

Alanus Coppus lib. 3. cap. 28.

Gen. 3. 15.

Act. 9. 15.

Eccli. 43. 2.

Act. 9. 15.

EXORDIVM.

« Fidelis quidem in omnibus verbis ſuis Dominus, & fidelia omnia mandata eius » digna planè quæ fidem exigant ab omnibus ſeruis eius, « & captiuum redigant omnem intellectum in obſequium ipſius. » Sed ſi partibilis eſſet indiuiſibilis & ſolida ſubſtantia veritatis, quæ poſſet ſuſcipere minùs aut magis, præ cæteris acceptus eſſet & fidelis hic ſer-

Pſ. 144. 14.

Pſ. 110. 8.

2. Cor. 10. 5.

mo, quem aptare propoſui Paulo conuerſo.« Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, (ait Primaſius & iiſdem verbis Sedulius,) quem omnes credunt, & quem omnium conſcientiæ verum agnoſcunt. » Sed maiore emphaſi iuxta Græcum Remigius: « Humanus ſermo, id eſt iucundus, gratus & acceptus. Quid enim iucundius, quid gratius, quam audire, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere?» In quem locum ſic interrogat Auguſtinus : « quare (inquit) humanus & non diuinus ? proculdubio niſi iſte humanus ſermo etiam diuinus eſſet, dignus omni acceptione non eſſet. Sed ſic eſt ſermo iſte humanus & diuinus, quomodo & ipſe Chriſtus homo & Deus. Si ergo rectè intelligimus ſermonem iſtum, non ſolùm humanum eſſe, verùm etiam diuinum, quare Apoſtolus humanum maluit dicere quàm diuinum ? proculdubio enim qui non mentiretur ſi diceret diuinum, non ſine causâ maluit dicere humanum. Hoc ergo elegit, per quod Chriſtus in mundum venit. Venit enim per quod homo erat: nam per quod Deus erat, ſemper hîc erat. Vbi enim non eſt Deus, qui dixit; cœlum & terram ego impleo ? Chriſtus eſt verè virtus & ſapientia Dei, de quâ dicitur, attingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Ergo in hoc mundo erat, mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognouit ; & hîc erat, & huc venit. Hîc erat per diuinam maieſtatem : venit per humanam infirmitatem. Quia ergo venit per infirmitatem humanã, ideo prædicans aduentũ eius dixit, humanus ſermo eſt. Non liberaretur humanũ genus, niſi ſermo Dei dignaretur eſſe humanus. Nam & homo ille dicitur humanus, qui ſe exhibet hominem, & maximè qui hoſpitio ſuſcipit hominẽ. Si ergo humanus dicitur qui in domo ſuâ ſuſcipit

Primaſius & Sedulius in 1.Tim.1

Remigius. Ibid.

Aug. ſer.8.de verb. Apoſt.

Ier. 23. 24.

Sap.8.1.

Io.1.10.

Digitized by Google

hominem; quàm humanus eſt qui in ſeipſo ſuſcipit hominem? ergo humanus ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in mundum
Luc. 19. 10. peccatores ſaluos facere. Attende Euangelium; venit, inquit, filius hominis quærere & ſaluare quod perierat. Si homo non periſſet, filius hominis non veniſſet. Ergo perierat homo, venit Deus homo, & inuentus eſt homo. Perierat homo per liberam voluntatem, venit Deus homo per gratiam liberatricem. Quæris quid valeat ad malum liberum arbitrium, recole hominem peccatorem. Quæris quid valeat ad auxilium Deus homo, attende in eo gratiam liberantem. Nuſquam potuit ſic oſtendi, quantùm valeat voluntas hominis vſurpata per ſuperbiam, ad volendum ſine adiutorio Dei malum, non potuit plus & manifeſtiùs exprimi, quàm in homine primo. Ecce perit primus homo, & vbi eſſet, niſi veniſſet Deus ſecundus homo.»

Non hîc diſputo, vtrum Chriſtus, excluſâ ratione peccati & ſalutis humanæ, veniſſet in mundum, meræ bonitatis, & liberalitatis ſuæ teſtificandæ gratiâ; ſed maxima pars Doctorum Eccleſiæ, vnicam Verbi incarnandi cauſam, peccati abolendi fuiſſe contendunt. Sic pro omnibus Auguſtinus:
Aug. ſer. 9. de verb. Apoſt. «Nulla (inquit) cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ. Si venit de cœlo magnus Medicus, magnus per totum orbem terræ iacebat ægrotus.» Et tu Paule, inter ægrotos, & phreneticos primus, in corpus etiam pientiſſimi Medici ſæuiebas, in ſponſam eius Eccleſiam, pro Synagogâ zelo æſtuans inſurgebas, «paternarum traditionum abundantiùs æmulator exiſtens.» Sed cæco impetu in necem proruens Diſcipulorum Domini, tot incautus vulneribus ſaucius,
Gal. 1. 14.

Digitized by Google

quot iacula & lapides irrito conatu vibrabas in altum. Sic nimirum in te Prophetiam Dauidicam implebas; « ſagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum: » & illud Salomonis: « qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. » Sed de cœlo pro te venit iterum medicus, vt te contereret, & « contritum corde ſanaret. Vox Domini confregit cedrum Libani, vt de eo faceret ſibi ferculum Rex Salomon de lignis Libani. » Proſtrauit, vt erigeret; vulnerauit, vt ſanaret: excæcauit, vt ocularet. Quis iam de ſuâ ſalute deſperet, cùm videat vnâ potentiſſimi medici voce, tam lethali morbo percuſſum, tantæ ſanitati deſtinatum? Quis iam de venia peccati, & vitæ correctione d.ffidat, cùm primum omnium peccatorum, de perſecutore in Apoſtolum repente conuerſum aſpiciat? Primò conuerſionem eius cum admiratione contemplemur. Secundò Reflexiones morales ſpei veniæ, & imitationis Pauli in verâ conuerſione colligamus.

Pſ. 63. 8. Prou. 26. 27. Pſ. 146. 3. Pſ. 28. 7 Cant. 3. 8.

Diviſio.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Cùm miraculum, teſte Doctore Angelico, vires agentis naturalis, & terminos eius excedat; peccatoris autem iuſtificatio, nec actiuam Dei, nec paſſiuam potentiam rationalis creaturæ tranſcendat: planè conſtat, conuerſionem cuiuſcumque impij, non debere inter miracula deputari. « Poſſe ſiquidem habere fidem & charitatem, (quibus hominis iuſtificatio inchoatur ac perficitur,) naturæ eſt hominum; habere autem de facto, gratiæ eſt fidelium» ait Auguſtinus. Sed licet abſolutè loquendo, communis & ordinaria peccatoris ad gratiam vocatio, nihil in ſe prodigij habeat; in quantùm tamen à ſolo Deo de tenebris ad lucem educi poteſt, & in-

D. Th. 1. 2. q. 113. a. 10

Aug. de præd. ſanct. cap. 5.

Digitized by Google

terdum præter communem aliorum ordinem, inde ſic hominem emergere contingit, vt ſubitò perfectionem iuſtitiæ, conſummatamque charitatem aſſequatur. Hanc conuerſus Paulus Dei miſericordiâ eſt conſecutus, pro quo cecinit Pſaltes: « tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. » Quod vt perſpicaciùs intelligatis, tria in operibus miraculoſis aduertite. Primum ex parte potentiæ agentis, in quantùm ſola virtus diuina talem effectum poteſt producere: & ideo ſimpliciter loquendo, mirus eſt, quia cauſam ſortitur occultam. Quo ſenſu, & mundi creatio, & impij iuſtificatio, & quoduis opus quod à ſolo Deo fieri poteſt, mirabile reputatur. Secundò in quibuſdam ſtupendis effectibus, forma inducitur ſupra naturalem talis materiæ potentiam; vt fit in ſuſcitatione mortui, in quâ vitæ reſtitutio naturalem corporis emortui potentiam apertè transgreditur. Et ſic iuſtificatio peccatoris nihil in ſe miraculi continet: quia eo ipſo quòd anima rationalis ad imaginem Dei facta eſt, naturaliter eſt capax gratiæ. Vnde Auguſtinus, « illa (inquit) natura in quâ nobis data eſt poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit ab homine hominem (quia naturalis eſt omnibus hæc poſſibilitas:) ipſa verò fides, diſcernit ab infideli fidelem, &c. Non quia credere, vel non credere, non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino. » Neq; enim omnis contra naturam, & corruptam maximè, motus, pro miraculo habendus eſt: aliàs dum aqua frigida incaleſcit, & lapis ſurſum mittitur, miraculum diceretur: ſed cùm iſtud fit præter ordinem propriæ cauſæ. Deus autem propria cauſa eſt reſpectu gratiæ. Tertiò quiddam in dictis operibus admirandis, præter ſolitum ordinem inuenitur. Vt cùm graui morbo con-

Pſ. 70.7

Aug. de præd. cap. 5.

Prou. 8.35. iuxta 70.

Digitized by Google

fectus, ſubitò præter ſuetum curationis modum, quæ fit, aut arte medicâ operante, vel naturâ vires exerente, perfectam ſanitatem conſequitur. Sic interdum miranda conſtat peccatoris ad gratiam conuerſio, cùm non iam, vt aſſolet, « iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens creſcit & procedit vſque ad perfectam diem: » & charitas inchoata meretur augeri, vt aucta donante Deo, & amplius eam in corde diffundente Spiritu ſancto, perfici mereatur. Sed tam potenti, vehementi, efficaci gratiæ motu, ſic animam Deus impellit, vt ſtatim ſummum perfectionis cumulum attingat. Vt accidit Paulo, repentinâ de cœlo luce circumfuſo, voce Chriſti tonante attonito, ſtupendâ ad terram proſtratione colliſo. Vnde & conuerſio eius hodie ab Eccleſiâ, quaſi miraculoſa celebratur.

Prou. 4. 18.

Tria rurſum in hac portentoſâ Pauli conuerſione penſanda ſunt, quæ mirum in modum ſtuporem de eâ conceptum exaggerant: vnde ſcilicet, quò, & quomodo ſit conuerſus: quantâ ex abyſſo peccati, ad quantum gratiæ verticem, quo tandem medio ſit vocatus. Ex primo & maximo omnium peccatore « iuſtiſſimum, in principio accuſatorem ſui » propriâ in causâ perorantem, & pro deſperato vulnere curato, gloriam medico tribuentem audiamus. « Gratias ago ei qui me confortauit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, quia fidelem me, exiſtimauit, ponens in miniſterio: qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: » & rurſum: « Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. » Quid dicis Paule? vide ne fortè gratias agens vero medico, veritati contradicas; dum te peccatorum omnium primum aſſeueras. Ita arguit Auguſtinus: « quomodo, (inquit) erat primus? ante illum non erant pecca-

Prou. 18. 17. ex 70.

1. Tim. 1.12.

Ibid. Verſ. 15

Aug. ſer. 9. de

verbis Apoſt. tores tot Iudæi? ante illum non fuerunt peccatores in genere humano? Ante illum in omnibus hominibus non peccato tenebatur Adam? Non ante illum fuit qui primus peccauit, & nos omnes in mortem præcipitauit? quid eſt, quorum primus ego ſum? ad quos venit, primus ego ſum. Sed nec hoc verum eſt. Primus electus eſt Petrus, primus Andræas, primi alij Apoſtoli, tu Apoſtolus es nouiſſimus; quomodo dicis, quorum primus ego ſum? Ego Apoſtolus nouiſſimus, primus peccator. Et hoc quomodo primus peccator? Ante te peccauit Petrus, quando ipſum Dominum ter negauit. Nolo dicere, quia & ipſe niſi peccator inuentus eſſet, de ſiniſtrâ ad dexteram non tranſiſſet. Quid eſt ergo, quorum primus ego ſum? quia omnibus peior ſum. Ergo peiorem voluit intelligi primum. Quomodo in artificibus, quicumque vult ædificare, quid dicit? Quis eſt hîc primus ſtructor? Quis eſt primus faber? aut ſi curari vult, quis eſt hîc primus medicus? Non vtique interrogat, quis prior ſit ætate, aut quis prior ſit profeſſione, ſed quis prior ſit arte. Quomodo illi in arte primi, ſic iſte in iniquitate primus.» Primum itaque ſe dixit, non peccatorum ordine, ſed peccati magnitudine. «Quare Paulus in iniquitate primus? recolite Saulum, & inuenietis: attenditis Paulum, & obliti eſtis Saulum. Attenditis ad paſtorem, & obliti eſtis lupum. Nonne ille eſt, cui ad lapidandum Stephanum manus vna non ſufficiebat, & aliorum veſtimenta ſeruabat? Nonne ipſe eſt qui Eccleſiam vbique perſequebatur? Nonne ipſe eſt qui literas acceperat à principibus Sacerdotum, quia parum illi erat perſequi Chriſtianos qui erant in Ieruſalem, ſed volebat ad alia loca venire, vbi eos inueniret & ligaret, & puniendos adduceret? Nonne cùm iter agens ſpirat, &

Matth. 26.34.

Aug. Ibid. ſupra. Act. 7. 57.

Act. 9. 2.

Digitized by Google

anhelat ad cædes, de cœlo percuſſus eſt, & vocem Domini audiuit, ad ſalutem fulminatus? Dum ambulat proſternitur; vt videat, excæcatur. Ipſe eſt ergo qui primus erat perſecutor, illo peior non fuit, &c. Saulus vnde vocaretur? Credo quia recolitis, & propter eos qui non recolunt, commemoro. Saül erat ille perſecutor Dauid. In Dauid Chriſtus erat, in Dauid Chriſtus præfigurabatur; in Saüle, Saulus præfigurabatur. Tanquam à Dauid Saüli dictum eſt de cœlo, Saule, Saule, quid me perſequeris? » Tum verò de Anania ſic proſequitur, tanquam oue timente lupum. « Ananias (inquit) ouis interpretatur. Loquebatur oui paſtor, & timebat ouis lupum. Tanta huius lupi fama præceſſerat, vt non ſe putaret tutam ouis, nec inter manus paſtoris. Et Dominus ad illum quaſi ad ouem trementem. Ille enim cùm audiſſet hoc, dixit, Domine audiui de iſto homine, quanta mala fecit ſanctis tuis in Ieruſalem, & quomodo dicitur Epiſtolas accepiſſe à principibus Sacerdotum, vt quoſcumque tenuerit ligatos ducat. Quò me mittis? ouem ad lupum? Sed ille non audiuit hanc excuſationem. Iam enim dixerat paucis ouiculis ſuis; ecce mitto vos ſicut oues in medio luporum. Si miſſæ ſunt oues in medio luporum, quare trepidas ire Anania ad eum qui iam non eſt lupus? Lupum timebas, ſed reſpondet tibi Dominus Deus tuus, de lupo ouem feci, facio de oue paſtorem. » Ecce vnde Saulus aſſumptus es. Ad qualem venit Chriſtus, niſi ad primum Eccleſiæ perſecutorem, & peiorem proinde omnium peccatorem? Iam qualem fecerit, quò prouexerit ſuâ gratiâ, & miſericordiâ videamus.

1. Reg. 18. 9.

Act. 9. 4.

Matth. 10. 16.

De lupo ouem fecit, vt faceret & de oue Paſtorem. Reuocate vobis in mentem propheticum illud Iacob Patriarchæ de Beniamin, de Paulo dico,

Digitized by Google

Gen. 49.27. minimâ ex tribu Beniamin oriundo præcinentis oraculum. « Beniamin lupus rapax, manè rapiet prædam, & veſpere diuidet ſpolia. » Quem in locum Petrus Bleſenſis. « Saulus (inquit) ideo per Beniamin ſpecialiter deſignatur, quia ſicut Beniamin inter filios Iacob fuit natiuitate vltimus; ita Paulus inter Chriſti Diſcipulos, conuerſione & vocatione, fuit nouiſſimus. Cúmque alij ſuper doctrinâ Chriſti, per incrementum virtutum, vſque ad virilem ſtatum animi profeciſſent, iſte adhuc in fide nouus, & quaſi adoleſcentulus erat. Vnde & ſe abortiuum inter cæteros vocat: ſiue quod perfecto iam Senatus Apoſtolici numero, ſupernumerarius fuerit adlegatus: ſiue quod Benoni Eccleſiæ doloris filius, poſtea Synagogæ, & veteris legis ceremoniis finem, vt mortem Racheli Beniamin, intulerit. Raptus autem vſque ad tertium cœlum, in mentis exceſſu, iuxta Prophetam, ineffabilia Dei contemplatus arcana, moram vocationis, & temporis diſpendia, magnitudine reuelationum, & multiplicato prædicationis fructu redimens compenſauit. Lupus verò rapax, manè comedens prædam, veſpere diuiſit ſpolia; dum in ætate primæuâ; quaſi circa mane vitæ ſuæ, gregem Dominicum perſecutus, in veſperâ ſuæ conuerſionis ad Dominum, ſpolia detracta diabolo diuiſit, atque diuerſa officia in Eccleſiâ Dei diſtribuens, ſponſam Chriſti varietatibus decorauit. » Quo vocatus eſt hic Beniamin, præ fratribus ſuo Ioſeph Chriſto dilectus? quot priuilegiis præcelluit omnibus? Nonne & « ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu? » Non ſolùm quòd, vt ait Tertullianus, « eum paradiſi compotem fecerit ante Martyrium: » non modò quòd « plus omnibus in Euangelio laborauerit: » ſed quòd in ipſo vocationis articulo, « ibi Beniamin, vbi principes Iuda

Pet. Bleſ. tract. de conuerſ. Pauli.

1. Cor. 15. 8.

Gen. 35.18.

Pſ. 67. 28.

Pſ. 44. 14.

Tertul. Scorp. 12.

1. Cor. 15. 10.

duces eorum: » vbi cæteri Apoſtoli: repente de lupo gregem Domini diſpergente, paſtor effectus, « vas electionis » à Chriſto nominatus. Quamobrem hunc de ipſo verſiculum exponit Auguſtinus: « ibi Beniamin adoleſcentior in ecſtaſi. Ibi Paulus nouiſſimus Apoſtolorum, qui dicit: nam & ego Iſraëlita ſum, ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin. Sed planè in ecſtaſi, expaueſcentibus omnibus tam magnum in eius vocatione miraculum, &c. Cùm Apoſtolos ſignificet principes, ibi eſt & Beniamin adoleſcentior in ecſtaſi: quibus verbis Paulum ſignificari, nemo ambigit. » Aug. in Pſ. 67. 28.

Quanto prodigio, quàm mirâ conuerſione, qui « mane prædam rapiebat, eſcas veſpere diuiſit? » vel vt legunt 70. « Ad veſperam dat eſcam. » Sic nempe, « miſit chryſtallum ſuam ſicut buccellas. » Quid enim per chryſtallum intelligis? Reſpondeat Auguſtinus: « nix eſt glacie durata per multos annos, ita vt ſole, vel igne facilè diſſolui non poſſit. Quid eſt ergo, mittit chryſtallum ſuam ſicut fruſta panis? quomodo nix illa durata, ipſius eſt? Quia prædeſtinatorum eſt. Quomodo nebula ipſius? quia ipſi vocantur ad pœnitentiam, qui prædeſtinati ſunt ad ſalutem. (Nebulam enim ſicut cinerem ſpargit.) Sic eſt quodammodo chryſtallum ipſius. Quid eſt chryſtallum? multùm obduruit, multùm congelauit. Non iam ſicut nix facilè ſolui poteſt, &c. quid hoc ſibi vult? fuerunt nimis duri, non iam niui, ſed chryſtallo comparandi, & ipſi prædeſtinati ſunt & vocati. Et quidam eorum ita, vt paſcerent alios, & eſſent vtiles & aliis, &c. Facti ſunt fruſta panis. Quis ille vnus panis? multi, inquit Apoſtolus, vnum corpus ſumus in Chriſto. Vnus panis, vnum corpus multi ſumus, ipſe dicit. Ergo ſi vnus panis totum corpus Chriſti, membra Chriſti fruſta

Gen. 49. 27. Pſ. 147. Aug. Ibid. 1. Cor. 10. 17.

Digitized by Google

panis ſunt: de quibuſdam duris facit membra ſua, & vtilia ad alios paſcendos. Quid imus per multos? notiſſimum illum Paulum Apoſtolum intueamur, nihil nobis iſto viro notius, nihil ſuauius, nihil in Scripturis familiarius eſt. Et ſi fuerint qui ex tantâ duritiâ conuertantur, in quantâ ipſe fuit, panis fient, &c. Ecce chryſtallus erat Apoſtolus Paulus, durus, obnitens veritati, clamans aduersùs Euangelium, tanquam indurans aduerſus Solem. Iſte quàm durus fuit, creſcens in lege, eruditus ad pedes Gamalielis legis doctoris. Non audiebat Moyſem & Prophetas Chriſtum prædicantes; magna duritia. Certè Gentes non audierant Prophetas, non audierant Moyſem, frigidi erant, ſed chryſtallum non erant. Ille qui credebat in verbis prædicantibus Chriſtum, & Chriſto venienti non credebat, nimis obdurauerat. Quia ergo chryſtallum erat, nitidus videbatur & candidus, ſed durus, & nimiùm gelidus. Quomodo nitidus & candidus? Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus. Vide nitorem chryſtalli. Audi duritiam chryſtalli: ſecundùm Stephani Martyris, ibi erat ille durus, & fortè cæteris durior. Omnium lapidantium veſtimenta ſeruabat, vt omnium manibus lapidaret. » Ergo videmus niuem, frigidam in verâ charitate, lucentem apparenti zelo tuendæ Synagogæ. Nebulam cernimus ignorantiæ & incredulitatis, mentem Sauli obſcurantem, in luce poſtea ſpiritus Angelicos æquaturam. Chryſtallum inſpicio longo primum annorum tractu perduratam. Quid Chriſte differs? quid Sol iuſtitiæ non appares? Quando « flabit ſpiritus tuus, & liquefacis ea, vt fluant aquæ » & tantæ glaciei duritiem non diſſoluis? Ecce, « venit illud chryſtallum, Saulus poſt cædem & lapidationem Stephani, duritiâ quadam ſtupidus in Chriſtum, petiit literas

Philip. 3.5. Act.23. 6.

Aug. Ibid.

Digitized by Google

à Sacerdotibus, vt vndique exhibeat Chriſtianos, anhelans cædes. Durus eſt iſte & gelidus contra ignem Dei. Sed quamquam eſſet durus, quamquam gelidus, ecce ille qui emittet verbum ſuum, & tabefaciet ea, clamauit de cœlo feruidus, Saule, Saule, quid me perſequeris? vnâ illâ voce, tanta illa duritia chryſtalli reſoluta eſt. » In quid ſoluta? in fruſta panis, & aquam, vt « qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam » de chryſtallo conuerſa ſatientur. Hinc proſequitur Auguſtinus: « Ecce (inquit) chryſtallum & niues reſoluntur, eunt in aquas, qui ſitiunt, veniant & bibant. Saulus durus vt chryſtallum, Stephanũ eſt perſecutus ad mortem: Paulus iam in aquâ viuâ vocat Gentes ad fontem, &c. Flat Auſter, ſoluitur rigor captiuitatis, & currit in Deum feruor charitatis. » En quomodo Chriſtus, « captiuã duxit captiuitatẽ » cùm Saulum captiuat, qui captiuos & vinctos fideles perducere volebat in Ieruſalem. O « mutatio dexteræ Excelſi! » Chryſtallus indurata, non modò in aquas ſoluitur, & fruſta panis, vt ſit membrum qualecumque in corpore Chriſti, ſed inter vbera Eccleſiæ ſuauiſſimo lacte turgida cenſeatur. Ipſum audite: « tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis, non ſolùm Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. » Et iterum: « tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis. » Quid hocce rerum eſt? Implendane fuit Prophetia Moyſi? « Inundationem maris quaſi lac ſugent » de Paulo ſcilicet conuerſo, Chriſti paruuli. Mare certè amariſſimum Saulus. Salum periculis plenum, Syrtibus, ſcopulis, naufragiis, tempeſtatibus in fideles ſæuiens & exundans. Vnde & Saulus voce Græca σάλος, quaſi fluctus, & concitatio

Aug. Ibid. Io. 7. 37. Act. 9. 1. Pſ. 125. 1. Theſ. 2. 7. 1. Cor. 3. 1. Deut. 33. 19.

Prou. 8. 29. maris appellatur: ſed qui « poſuit mari terminum ſuum » leui voce, quaſi tenui puluere vel arenâ, di-
Iob. 38. 11. xit ei: « huc vſque venies, & non tranſibis, & illic confringes tumentes fluctus tuos. » Quos de ſalſiſſimis perſecutionis vndis, in lactis dulciſſimi pelagus immutabo.

Quod ſi Etymon nominis Sauli, iuxta Hebræum, cum aliis accipimus, quaſi Scheol, id eſt, infernus, vt pote hians, & anhelans ad cædes deputabitur. Sic Aratus de Saulo perſecutore locutus: « infernũ, quod Hebræus ait. » Nec mirum: ſi enim, « conuer-
Pſ. 9. 18. Aug. in Pſal. 6. tuntur peccatores in infernum, omnes Gentes quæ obliuiſcuntur Deum: » infernum autem Auguſtinus cæcitatem accipit: « vt (inquit) infernum dixerit cæcitatem animi, quæ peccatorem, id eſt morientem excipit & euoluit: » Quomodo non infernus Saulus, qui non tantùm oblitus eſt, ſed & perſecutus eſt Deum, & malæ ſuæ conſcientiæ ſibi conſcius, primum ſe omnium peccatorem eſt confeſſus?
Pſ. 6. 6. Sed audite quid erutus de inferno dicat, « qui in morte non erat memor Dei, & in inferno non confitebatur ei: qui dixit de tenebris lumen ſplendeſce-
2. Cor. 4. 6. re, ipſe illuxit in cordibus noſtris: » ſic conuerſum in infernum propriâ cæcitate, conuertit in cœlum, Dei gratiâ & miſericordiâ quam ipſe profeſſus eſt
Rom. 5. 20. dicens: « vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. » Vnde? quò? vtrumque terminum pul-
Pet. bleſ. tract. de conuerſ. Pauli. chrè deſcripſit Petrus Bleſenſis. « Nec ſolùm (inquit) à Chriſto in Diſcipulum adoptatur, ſed qui ruinam Eccleſiæ effrenata crudelitate ſpiritus anhelabat, firmiſſima Eccleſiæ columna ſtabilitur. De inimico domeſticus, de perſecutore filius: de tortore doctor, de impugnatore defenſor; de infideliſſimo, ſanctiſſimus fidei prædicator. Qui cùm eſſet vas blaſphemiæ, contumeliæ, & iræ, factus eſt vas

honoris,vas electionis, & gratiæ.» Vno verbo plus dicam; de inferno ipſo peiore, non iam reprobos iuſtè, igne eius Dei ſententiam æquiſſimam æmulante ad eius aduerſarios conſumendos; ſed zelo improbo electos Dei iniuſtiſſimè vexante; factus eſt paradiſus delitiarum gratiæ & gloriæ. Pudet enim Chryſoſtomum, tam ſublimiter euectum Paulum, cum cœlis & orbibus inferioribus comparare. « Licet enim cœlum à tanto tempore circulo multiplici reuoluatur, quid promouit? Paulus autem breuiſſimo tempore orbem vniuerſum lato ſuæ charitatis ſinu complexus, in cœleſtem conuerſationem adduxit. Paulus cœlos omnes tranſcendit, cum Chriſto conuerſatus, aſtra cùm fierent mirati ſunt Angeli; hunc Deus miratur, dicens: vas electionis eſt mihi iſte. In Paulo, velut cœlo, & firmamento virtutis eius, aſtra omnia claritatis diuerſitate radiantia collucent.» Aliàs admiratione ſuſpenſus hoc firmamentum omnium ſtellarum varietate diſtinctum ſic affatur: « Enimverò (inquit) cui te iuſtorum, veteris, aut noui teſtamenti audeam comparare? omnium quippe virtutum, quaſi in arcâ, ſed cum multo cumulo condidiſti. Denique etſi totum aliquis contra te ſigillatim iuſtorum appendat chorum, inueniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depreſſam. Paulus verè ſecundus Abel, non ſemel, ſed quotidie immolatus. Alter Noë, ſed abſque arcâ vndas enauigans. Alter Abraham, non à patriâ, vel à gente, ſed ab ipsâ vitâ prorſus abſciſſus. Alter Iſaac ſponte in hoſtiam colligatus. Alter Iacob pro totius mundi grege vigilans. Alter Ioſeph fame tabeſcenti mundo panem veritatis tribuens. Alter Moyſes, qui Gentes omnes à tyrannide diaboli reduxit ad Chriſtum. Alter Aaron totius mundi Sacerdos vnctus. Alter Dauid

Hebr. 10.27.

Chryſoſt. in ep. ad Rom.

Chryſoſt. homil. 8. de Laud. Pauli.

prouocans Goliath. Alter Elias clariùs raptus in cœlos. Alter Eliſæus ab interioris lepræ maculis purgans. Alter Ioannes pro Chriſto truncatus. Alter Petrus de cœlo ad Euangelium vocatus. Alter Gabriel qui Chriſti ortum cunctis gentibus nuntiauit. Alter Michaël dux Chriſtianorum. Denique ſi Angelorum omnium, & iuſtorum choros circumuolem, non iuuenio cui Paulus meritorum multitudine, non occurrat.» Vera itaque Paulus, non commentitia Pandora. Hoc vnum quod continet omnia, ille vnus, « in quo conſumptus eſt Chriſtus:» id eſt in quo theſauros omnes gratiæ, Chriſtus magnificus, liberalis, ne dicam prodigus & profuſus impendit. O verè Saulum, id eſt iuxta doctiſſimos Interpretes & ipſum maximè Hieronymum, admirabilem virum! « vas admirabile, opus Excelſi. Hæc mutatio dexteræ Excelſi: » Qui tam repente nigredinem Æthyopis, & Pardi varietatem, in candidiſſimam gratiæ lucem dealbauit. Et hoc tertium eſt, quod diuinæ gratiæ potentiam in Pauli conuerſione commendat.

Chryſoſt.

Eccli. 43. 2. Pſalm. 76. 11.

Iure quidem mirantur omnes, onerariam nauim, citatiſſimo curſu, velis omnibus expanſis, vento validiſſimo impulſam, ſubitò immotam conſiſtere, remorâ, tenuiſſimo piſciculo, ſed omni dentatâ Anchorâ eam tenaciùs obfirmante. Quantò mirabilius videre Saulum toto tartarei antri effuſo aquilone, toto zeli turbine concitatum, Chriſto piſciculo de aquis ſupercœleſtibus occurrente repente ſiſti, & ſine morâ remorari, vnâ voce proſterni, vno lucis radio obcæcari, in alterum hominem verbo vnico tranſmutari? O mirabilem nautæ cœleſtis artem! Mutato motu leui, gubernaculo, quanta facta eſt in Saulo, proræ mutatio. Ruebat nauis, & in mari rubro perſecutionis Eccleſiæ præceps in occaſum,

Ariſt. Plin. Ambr. Baſil.

Digitized by Google

caſum, in necem Diſcipulorum Domini toto impetu ferebatur: & ecce refugum mare, retroacti fluctus, conuerſa retrorſum nauis, cum Iordane à facie Domini & voce eius, ad Orientem vſque reflectitur, & totius miſericordiæ & gratiæ agnoſcit principium. « Quid eſt tibi mare quod fu- Pſ.113.
giſti, & tu Iordanis quia conuerſus es retror- 5.
ſum?» O Paule, « quantùm diſtat ortus ab occi- Aug.
dente, longè fecit à te iniquitates tuas.» Vt be- homil.
nè de te ſcripſerit Auguſtinus: « Cùm (inquit) 14.
Paulus Apoſtolus priùs Saulus crudeliſſimus eſſet & immaniſſimus perſecutor, nihil omnino boni merebatur, immo merebatur plurimum malum. Merebatur enim damnari, non eligi. Et ecce ſubitò cùm mala faceret, & mala mereretur, vna cœleſti voce proſternitur, perſecutor deiicitur, prædicator erigitur, &c. Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis. Quantùm diſtat Pſ.102.
Oriens ab occaſu, &c. Auertere ab Occidente, 12.
conuertere ad Orientem, Occidunt ibi peccata, oritur inde iuſtitia. In Occidente vetus, in Oriente nouus. In occidente Saulus, in Oriente Paulus. Vnde hoc Saulo? vnde hoc crudeli? vnde hoc perſecutori? vnde hoc non paſtori? Ipſe enim eſt Gen.
lupus rapax, de tribu Beniamin, &c. Mane rapit 49.27.
prædam, & ad veſperam diuidit eſcas. Priùs conſumpſit poſteriùs paſcit, &c. Ecce rapit, ſed adhuc mane eſt. Vanitas ſub Sole eſt (Quando ſcilicet Chriſto Soli iuſtitiæ ſubiicitur, dicens, Domine quid me vis facere?) ſit ei veſpera, quando cæcitate percutitur. Ecce vnus homo Saulus & Paulus, perſecutor in Occidente, prædicator in Oriente. Oculi eius ad huius mundi vanitatem clauduntur, alij inter ores illuminantur. Vas paulò ante perditionis; diuiſiones eſcarum eius quo-

Digitized by Google

tidie recitantur. Vide quomodo diuidit eſcas? Nouit quid cui congruat. Diuidit, non paſſim, non confusè erogat, &c. Loquitur ſapientiam
1. Cor. 2.6. inter perfectos. Quibuſdam verò non valentibus capere ſolidum cibum, diuidens dicit, lac
1. Cor. 3.2. vobis potum dedi. Ecce hoc facit qui paulò ante faciebat Quid? nolo recordari. Imo recorder hominis nequitiam, vt approbem Dei miſericordiam. A quo patiebatur Chriſtus, patitur pro Chriſto, fit verè Paulus ex Saulo. Qui ſpargebat, colligit; qui oppugnabat, defendit. » Et vnde hoc Saulo? Ab ipſius vtique medici miſericordiâ, ab ipſius nominis, quouis oleo, & balſamo
Act. 9. 5. potentioris efficaciâ «Ego enim ſum IESVS NAZARENVS quem tu perſequeris. Ecce nomen Do-
Eſa 30. 27. mini venit de longinquo, & quadrigæ eius ſal-
Habac. 3.8. uatio Voca nomen eius, accelera, feſtina, ſpolia detrahere. Auferetur ab eo fortitudo Damaſci.»
Eſa. 8. 3.4. Ab eo qui petierat literas in Damaſcum, quo dum appropinquaret, ſubitò circumfulſit eum lux, &c. Nominis Ieſu velocem efficaciam pon-
Petrus Bleſ. tract. de conuerſ. Pauli. derat Petrus Bleſenſis.« Poterat (inquit) expreſſiſſe quis eſſet maieſtaticis, & terribilibus verbis, vt diceret: Ego ſum Deus vltionum Dominus, qui reſpicit terram, & facit eam tremere: tango montes, & fumigant: ſed cum lenitate reſpondet,
Pſ. 143. 6. vt excitet ad ſpem, & inuitet ad fidem.» Næ
Cant. 1.2. « oleum effuſum nomen tuum » Domine. Satis fuerat, primo vocis tonitru perterruiſſe & pro-
Luc. 10. 34. ſtraſſe rebellem; ſed vt pius Samarites, cuſtos, & non euerſor hominum, in contriti vulnera, vnà
Petrus Bleſ. ſupra. cum tui nominis oleo, miſericordiæ balſamum, & tui amoris vinum infundis. « Ad vocem diuinę animaduerſionis, in perſecutore humiliatur elatio; decrudeſcit in Saulo ſeueritas, & effrenata

Digitized by Google

rabies manſueſcit in gratiam; ſucciditur oleaſter, vt oliua fructifera plantetur in domo Domini; lupus mutatur in ouem, rhamnus in vitem, herodius in columbam, ſicarius in Apoſtolum, blaſphemus in ſanctum, Saulus in Paulum. Qui in Saulo mutat vitam, mutat & nomen, iuxta verbum Eſaïæ: Et vocabit ſeruos ſuos nomine alio. Verè conuerſio & mutatio hæc, dexteræ Excelſi eſt. In dextera Excelſi duo ſunt, poteſtas & miſericordia, ſicut ſcriptum eſt; duo hęc audiui quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia. Saulum poteſtas humiliat miſericordia leuat: peruerſum poteſtas corripit, & conuertit; conuerſum miſericordia conſolatur & erigit. Poteſtas timorem incutit & tremorem: miſericordia conſolationem exhibet & exultationem: vt Saulus pariter cum Prophetâ lætetur & dicat ad Dominum: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum »

Rom. 11.17. Pſ.51. 10. Eſa. 65. 15. Pſ.76. 11. Pſ. 61. 13. Pſ. 85. 10.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. « Conſideraui Domine opera tua, & expaui. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Terribilis es & quis reſiſtet tibi? Oſtendiſti potentiam tuam » perſecutorem vincens in mediâ inſaniâ, & quantùm poſſes arte medicâ demonſtraſti, dum phrenetici febrim ipſo in æſtu reſtinxiſti. Quale portentum! hoc ſtupet Auguſtinus, & exclamat: « Dum intrat lupus in ouile pecudis, ipſe ſubitò factus eſt ouis. Lupus ad ouem (Ananiam) captiuus ducitur: ab Agno pro ouibus mortuo, fit ouis ſecura de lupo. » Et vt prodigia prodigiis, « Deus mirabilia magna ſolus faciens »

Habac. 1. 1. Ex.70. Pſ.117. 23. Pſ.75. 8. Aug. ſer.24. in nouis ſer. Aug. 14. de

Digitized by Google

ſanctis. intexat, ſic idem proſequitur Auguſtinus: « Pa-
Pſ. 135. titur Paulus, quod fecerat Saulus, Saulus lapida-
4. uit, Paulus lapidatus eſt; Saulus Chriſtianos vir-
Aug. ſer. 1. de Per. & Pauil. gis affecit, Paulus ter virgis cæſus eſt Saulus perſecutus eſt, vinxit, traxit in carcerem; eadem Paulus pro Chriſto paſſus eſt. » Et ad hæc omnia ſe paratum dixit, « Domine, quid me vis facere? » Chriſto victori reſpondens. O Paule quantum debes gratiæ Dei! quam iuſtè gratiam Domini recognoſcens, confeſſus es: « gratiâ Dei ſum id quod ſum! » Quantâ prærogatiuâ gratiæ, non iam à Chriſto mortali, vt cæteri, & in terris adhuc verſante, ſed immortali ác glorioſo, in cœlis ad dextram Patris ſedente, ad ſenatum Apoſtolicum aſſumptus! Tanto te Chriſtus dignatus eſt honore, vt pro te vno ſuâ gratiâ reparando præſtiterit quod pro totâ reficiendâ Eccleſiâ, ſui corporis incorruptibili præſentiâ. Qui enim immobilis manens, « ſedenſque à dextris virtutis Dei, donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum: » nobiſcum tamen eſt, & manet vſque ad conſummationem ſæculi, quotidie in altaris Sacramento, reproductus: idem ipſe à paternâ dexterâ non recedens, in viâ Damaſci reproductus apparuit Saulo, vt de lupo agnum, de nebula cinerem, de chryſtallo buccellam, de mari amariſſimo, lactis pelagus, de inferno odij, cœlum amoris empyreum, de Saulo tandem Paulum, admirandum omnibus, Angelis, hominibus, Deo ipſi prodigiorum artifici ſpectaculum faceret.

1. Cor. 15.10.

Pſ.109. 2.

Ber. ſer. 1. in cõuerſ. Pauli. SECVNDA REFLEXIO. « Meritò quidem dilectiſſimi, Conuerſio Doctoris Gentium ab vniuerſitate Gentium feſtiuis gaudiis hodie celebratur: multos enim ab hac radice ramos

prodijſſe videmus. Conuerſus Paulus, Conuerſionis miniſter factus eſt vniuerſo mundo. Et multos quidem in carne adhuc, ſed non iam ſecundùm carnem ambulans, prædicationis officio conuertit ad Deum. Nunc quoque in ipſo fœliciùs viuens, & apud ipſum nec adhuc quidem ceſſat ab hominum conuerſione: dico autem exemplo, oratione, doctrinâ. Propterea denique Conuerſionis eius memoria frequentatur, quòd & ipſa quoque memorantibus vtilis inueniatur. In hac enim memoria, & peccator ſpem veniæ concipit, & prouocatur ad pœnitentiam: & qui iam pœnitet, perfectæ conuerſionis accipit formam. Quis deſperet vltra pro magnitudine cuiuſlibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc ſpirantem minarum & cædis in Diſcipulos Domini, ſubitò factum vas electionis? » Quis de niue, de nebula, de chryſtallo etiam duriſſimâ ſpem veniæ non concipiat? « Non deſperetur de chryſtallo: quanto minùs de niue, vel de nebula? De ipſa chryſtallo non deſperetur. Audi vocem quamdam chryſtalli: qui priùs fui blaſphemus, perſecutor & iniurioſus. Sed quare ſoluit chryſtallum Deus? Ne de ſe nix ipſa deſperet. Ait enim: ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, (quam etiam perſecutoribus indulget, vt & maximo perſecutori conferat ipſius Apoſtolatus honorem;) ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Clamat ergo Deus ad Gentes: ſolui chryſtallum, venite niues. Emittet verbum ſuum & tabefaciet ea, ſpirabit ſpiritus eius & profluent aquæ. Ecce chryſtallum, & niues reſoluuntur: eunt in aquas: qui

Rom. 8. 4.

Aug. in Pſ. 147.

1. Tim. 1. 13.

ſitiunt, veniant & bibant.» Hactenus Auguſtinus. Atque vt maiorem in animis veſtris ſpem miſericordiæ cœleſtis accendam, fingite vobis, & exemplum iſtud aureo Chryſoſtomi calamo ſcriptum ob oculos ponite. « Sit verbi gratiâ ciuitas quædam populoſa, cuius ciues omnes mali ſint, alij plùs, alij minùs; omnes tamen peccatis obnoxii: vnus autem inter cæteros ſit ſceleribus clarus, ac præ omnibus ſuppliciis dignus, quippe qui omne genus nequitiæ exercuerit. Si igitur dixerit quiſpiam, regem omnibus culpas velle dimittere; non ita verbis eius fides adhibebitur, ſicuti ſi videant eum qui plùs omnibus grauiuſque deliquit, veniâ fuiſſe donatum: nulla enim iam ambiguitas remanere poterit, quin omnibus ignoſcere velle exiſtimetur Rex, qui eum abſoluerit, qui erat præ cæteris peccatoribus inſignis. Hoc & Paulus ait: cùm, inquit, vellet Deus certiores homines facere, quòd illis omnia peccata donauit, elegit eum qui plus omnibus deliquerat, cui ſcelera cuncta dimitteret. Illo enim potito veniâ, nemo iam de ſe dubitare permittitur, &c. » Quare ſit conſecutus miſericordiam, exponit cauſam: « Vt in me (inquit) oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem longanimitatem, ad informationem eorum qui credituri ſunt. » Tanquam diceret ſic explanante Auguſtino; « Chriſtus daturus veniam conuerſis ad ſe peccatoribus, vſque ad inimicos ſuos, me primò elegit acriorem inimicum, quem cùm ſanaret, nemo in cæteris deſperaret. Faciunt hoc medici, quando ad ea loca veniunt vbi ignoti ſunt, quos curent primitus, eligunt deſperatos, vt in eis & beneuolentiam exerceant, & commen-

Chryſoſt. in 1. Tim. 1.

1. Tim. 1.16.

Aug. ſer. 10. de verb. Apoſt.

Digitized by Google

dent doctrinam: vt vnuſquiſque in illo loco dicat proximo; vade ad illum medicum, ſecurus eſto, ſanat te. Et ille, me ſanat? non vides quid patiar? Ego noui quid ſimile. Tu quod pateris, & ego quidem paſſus ſum. Sic dicit Paulus vnicuique ægroto, & de ſe volenti deſperare: qui curauit me, miſit me ad te, & dixit mihi: illi deſperanti vade, & dic quid habuiſti, quid in te ſanaui, quàm citò ſanaui: de cœlo vocaui, vnâ voce percuſſi, & deieci, aliâ erexi & elegi, tertiâ impleui & miſi, quartâ liberaui & coronaui. Vade dic ægrotis, clama deſperatis: fidelis ſermo, & omni acceptione dignus quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Quid timetis? quid trepidatis? quorum primus ego ſum. Ego, inquit, vobis loquor, ſanus ægrotantibus, ſtans iacentibus, ſecurus deſperantibus. Ideo enim miſericordiam conſecutus ſum, vt in me oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem longanimitatem. Morbum meum diu pertulit, & ſic abſtulit: tanquam bonus medicus phreneticum patienter tolerauit: ſuſtinuit me ferientem ſe, donauit mihi feri- Pſ.33.5.
ri pro ſe, &c. Nolite ergo deſperare. Ægroti eſtis, accedite ad eum & ſanamini: cæci eſtis, accedite ad eum & illuminamini. Et qui ſanati eſtis, ei gratias agite, & qui ægrotatis, ad eum ſanandi currite. Dicite omnes, Pſ.94.6.
venite adoremus, & proſternamur ei, & ploremus coram Domino qui fecit nos, & homines, & ſaluos.»

Tertia Reflexio. Cogitate quid ſubiecerit Paulus: « vt oſtenderet in me omnem patientiam, ad informationem eorum,

Digitized by Google

Chry-ſoſt. homil. in 1. Tim. 1. &c.» Quod ſic ponderat Chryſoſtomus. «Et quæſo diligentius intuere beatiſſimi viri prorſus humilem mentem. Non dixit, vt in me oſtenderet patientiam, ſed omnem patientiam. Ac ſi apertiùs diceret: nullus eſt in quo maior ſit habenda patientia, neque inueniri facilè poteſt peccator, qui tantâ abundantiâ miſerationis indigeat. Omnem, inquit, patientiam, non partem, quemadmodum his qui modica deliquerunt.» Vbi ſunt qui non iam ſcribere, qui omnibus ſæculis propalare, ſed vix ad auriculam Sacerdotis ſua crimina accuſare detrectant? Attendite formam, ſequimini normam, timete ſententiam. Et Bernardum audite; «Conuerſus eſt hodie Paulus, imò Saulus Conuerſus, verſus eſt in Paulum (id eſt paruulum.) Siquidem factus eſt tanquam Euangelicus ille paruulus, de quo Dominus ait: niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum cœlorum. Fortè enim ſeipſum dicebat.»

Ber.ſer. 2. in Conuerſ. Pauli. Matth. 18. 3.

Qvarta Relexio. Informemur à Paulo, fratres, & tantæ Conuerſionis ſpeculo conformemur; audiamus «ſapientiam clamitantem in plateis, & in viâ peccati ſtantibus exclamantem, «quid me perſequeris?» Creatorem tuum, Redemptorem tuum, iudicem tuum? ego Ieſus, Ego ſalus tua: quid me perſequeris? «quid inuenerunt in me patres veſtri iniquitatis? aut in quo contriſtaui te, reſponde mihi» An quia ad imaginem meam te formaui? An quia me tuæ conformaui? vel quia pro te pauper natus in ſtabulo? vel quia pro te mortuus in patibulo? An quod vir do-

Prou. 8. 1

Hier. 2. 5.

lorum fui, tu vis eſſe delitiarum? quia contemptus & inglorius, tu glorioſus vis eſſe & honoratus? durum eſt tibi, & tuæ conſcientiæ ſtimulo, & ſpiritui meo recalcitrare. « Quid tamdiu gratiam in vacuum recipis? quid carni & ſanguini continuò acquieſcis» & verbo meo aduerſario tuo in viâ citò non conſentis?« Longa erit fortè vita tua. Si longa erit, bona ſit. Quare vis habere longam vitam, & malam? Aut longa non erit: & illa longa debet te delectare quæ non habet finem. Aut longa erit: & quid mali erit, quia diu benè vixiſti? Audi conſilium ſapientis, & non ſuggeſtionem ſerpentis decipientis. Ne tardes conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te.» Gal 1. 16. Matth. 5. 25. Aug. homil. 11. Eccli. 5. 8.

QVINTA REFLEXIO. Potiùs, ah! potiùs, cum Paulo ab Occidente auerſi, ad Orientem conuerſi dicamus: « Domine quid me vis facere?» Et quid hæc ſonent dicitur à Bernardo. « Hæc planè fratres, perfectæ conuerſionis eſt forma: paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. Domine quid me vis facere? O verbum breue, ſed plenum, ſed viuum, ſed efficax, ſed omni acceptione dignum! quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ formâ, qui ſuam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant: vt non quid ipſi, ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione, Domine quid me vis facere? &c. Heu plures ha- Ber. ſer. 1. in Conuerſ. Pauli.

Google

bemus Euangelici illius cœci, quàm noui Apoſtoli imitatores. Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, vt faciam tibi? » Quanti ſunt, « qui cùm à Domino corripiuntur, more Pharaonis in ſuâ pertinaciâ ſe obdurant, &c. Quàm pauci qui velint ab hominibus ſimilibus ſui, in via ſalutis inſtrui. » Quàm pauci Paulo ſimiles, qui ad manum duci ferant, licet cum illo apertis oculis nihil videant! O Paule, quando perfectè conuerſus ad Chriſtum materiæ primæ, vel aquæ ſimilis, multiformi gratiæ Spiritus incubantis morem gerens; abſque vllâ morâ, dicam: « Domine quid me vis facere? » ô verè Dominum omni iure! Tu me de nihilo creaſti: pro nihilo meriti, grandi pretio redemiſti: in omni patientiâ ſeruum rebellem ſuſtinuiſti. Quando vas iræ aptum in interitum, vas gratiæ facies aptum in Regnum? « loquere iam Domine, quia audit ſeruus tuus. Dic animæ meæ, Ego ſum Ieſus, ſalus tua ego ſum. Domine Deus virtutum conuerte nos » & tu, « anima mea conuertere in requiem tuam » Deum tuum, centrum tuum. Quamdiu in via peccati laſſaberis? vias difficiles ambulabis? En tibi Chriſtus occurrit in viâ: contra ſtimulum tantùm ne calcitra, ſeſſorem patere, porta & glorifica in tuo corpore: vt iumentum eius & ferculum facta in viâ, Thronus eius cum Paulo merearis eſſe in patriâ. Amen.

Petrus Bleſ. ſupra.

1. Reg. 3. 9.

Pſ. 79. 4. 8.

Sap. 5. 7.

Digitized by Google

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virginis.

Speculum ſine macula Dei maieſtatis.
Sap. 7. 26.

BEnè herclè, ſi euentus intentis reſpondiſſet, Ludouicus Rex Hungariæ, ſe in ſpeculo chryſtallino, aureâ thecâ inſerto repræſentauit, cum Symbolo, « vndique illæſus. » Quaſi diceret; quòd licet immaturè natus fuiſſet, nullo tamen integritatis animæ, & corporis ſui diſpendio, prodierat in lucem. Sic iactabat animam chryſtallo mundiſſimo nitidiorem, in aurei corporis thecâ Deo opifice concluſam: ſed vt natura horam natiuitatis anteuerterat; ſic aduerſa fortuna, præmaturâ morte vitam eripuit, temerè cum Turca, imparibus longè viribus congreſſo, & terga hoſti vertenti. Tibi hoc, Virgo, Symbolum debebatur, mente & carne puriſſimæ, conceptæ, & natæ; ante, & poſt partum illæſæ. Tu « ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis. » Et tamen Sole ipſo purior, in templum hodie purificanda procedis. Vt nimius ſplendor meos perſtringit oculos; ſic profundiſſima ſpeculi tui concaui, mentem confundit humilitas: & vtrumque cogit cum Angelo nihil purius in cœlo, nihil humilius in terra cernente, demiſſo oculo, & genu flexo, coram ſpeculo, Dei maieſtatem repræſentante, omni animi demiſſione, & deuotione dicere: Aue Maria.

Tipotius in Hiero. Reg. Hung.

Sap. 7. 26.

Digitized by Google

EXORDIVM.

Solemne fuit ſemper tam ſacris, quàm prophanis mulieribus, inter cætera mundi muliebris ornamenta, ſpecula circumferre. Ægyptiæ ſiquidem nunquam pergebant in templum niſi ſpeculo de zonâ pendente, vel manu geſtato: & Hebrææ ſua ſpecula, ad lauacri ænei ſtructuram contulerunt. « Fecit & labrum æneum (Sanct. Pag. ex Hebr. concham æneam) cum baſi ſua de ſpeculis mulierũ, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.» Illę, vt ſe ita componerent, vt nil diuorum oculos poſſet offendere; ſiue quòd non immediatè eorum imagines, ſed tantùm reflexas in ſpeculis auderent aſpicere: hæ verò, vt quod ſibi maximè in deliciis eſſet, ad ornatum Sacerdotum munditiemque conferrent. Ita enim exprimitur in textu Scripturæ: « facies & labrum æneum cum baſi ſua, ad lauandum: poneſque illud inter tabernaculum teſtimonii, & altare. Et miſsâ aquâ, lauabunt in ea Aaron & filii eius manus ſuas, ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii: & quando acceſſuri ſunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur. » Quem locum cùm Cyrillus Alexandrinus de baptiſmo explicaſſet quo maculæ omnes peccatorum abluuntur, de ſpeculis ſubiecit: « Genus (inquit) Iſraëlitarum cùm ſeruiret Ægyptiis, ac diu in illorum legibus vitam traduceret, idola coluit. Mos igitur erat præcipuè apud mulieres Ægyptiorum lineâ veſte indutas adire templa, ſpeculum ſiniſtrâ, ciſtrum dextrâ, ſacro habitu geſtantes, eumque honorem, imò vt veriùs & meliùs dicam, contumeliam, il-

Exod. 38.8.

Exod. 30.18.

Cyrill. Alex. lib. 9. de Ador. in ſpiritu.

læ quidem quæ inter cæteras maximè excellerent, & ſacris eſſent initiatæ vix obtinebant. Mulieres igitur ex genere Iſraël, reliquias illius cultus quem in Ægypto ſeruauerant, cùm in ſua ſupellectili reperiſſent, hæc ipſa, inquam, ſpecula, oblationis causâ detulerunt, &c. Hoc enim eſt, vt opinor, è Gentilium ſpeculis, ſeu diabolicis theſauris labrum æneum formari, in quo iam aqua ſit, quâ ipſe quoque Moyſes purgetur, quæque ad ablutionem nimirum ſpiritalem, legali Sacerdotio ſit vſui.» Sic Ægypti ſpolia, & inſtrumenta vanitatis, à prophano vſu, ad ſacrum tranſtulerunt. Dicamne Beatiſſimam Virginem in hodierno myſterio, nec illarum ceremoniæ, nec iſtarum ceſſiſſe pietati? cùm templo Salomonis duo ſimul excellentiſſima ſpecula, ſe ſuumque offerat filium. Speculum Patris, & «imaginem bonitatis illius» obtulit Sacerdoti Simeoni, vt ſe in «antiquo dierum» ſenex inſpiciat, & ſuam in nouo homine renouet ſenectutem. «Ad ſenem hominem venit, qui mundum inueteratum inuenit.» Huic Sacerdoti magno longè digniùs conuenit quàm Simoni Oniæ filio, illud Eccleſiaſtici; «in accipiendo ipſum ſtolam gloriæ, & veſtiri eum in conſummatione virtutis.» Nuſquam enim tam pretioſâ ſtolâ indutus eſt Simeõ, quàm pueruli Ieſu, expanſis ſuper collum eius brachiolis. Tum verò conſummata veſtis virtutis eius, in hoc ſpeculo compoſita; dum admiratione raptus exclamauit. «Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, &c. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.» Vel, vt duo ſpecula ſibi oppoſita, ſuam inuicem ſibi ſpeciem & imaginem imprimunt. Sic Dei filius ſuas in matre ſanctiſſima virtutes impreſſit; & Mater Filium Dei, hominem

Sap. 7. 26.
Dan. 7. 9.
Aug. ſer. 13. de tẽp.
Eccli. 50 11.
Eccli. ſupra.
Luc. 2. 29.

Digitized by Google

ſibi ſimilem expreſſit. Atque vt duo in ſpeculo efformando concurrunt: chryſtallus munda & pellucida, ſtannumque denſum & obſcurum: hæc, vt expolita tabula, quæ rerum ſpecies naturæ penicillo depictas excipiat: hoc vt eas terminet & reflectat; ita prorſus mundiſſima puritas, & profundiſſima humilitas, in Beatiſſimâ Virgine perfectiſſimum contexuere ſpeculum. Hæc duo ſimul in eâ coniuncta, maximè in hodierno Purificationis eius myſterio ſpeculemur; deinde præclaro reflexiones congruas ſumemus ex ſpeculo.

DIVISIO.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Paulus, Magiſter ille magnus humanæ ac diuinæ ſcientiæ, omnem ſcientiam Dei, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem, ſeu viæ, ſeu patrię, per ſpeculum adipiſci nos docuit; vbi ait; « Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. » In quem locum D. Thomas « Sciendum eſt (inquit) quòd aliquid ſenſibile poteſt tripliciter videri: ſcilicet, aut per ſui præſentiam in re vidente: ſicut ipſa lux quæ pręſens eſt oculo: aut per præſentiam ſuæ ſimilitudinis in ſenſu, immediatè deriuatam ab ipſa re; ſicut albedo quæ eſt in pariete, videtur, non exiſtente ipſâ albedine præſentialiter in oculo, ſed eius ſimilitudine: licet ipſa ſimilitudo non videatur ab eo: aut per præſentiam ſimilitudinis, non immediatè deriuatæ ab ipſa re, ſed deriuatæ à ſimilitudine rei in aliquid aliud; ſicut cùm videtur aliquis homo in ſpeculo. Non enim ſimilitudo hominis immediatè eſt in oculo; ſed ſimilitudo hominis reſultantis in ſpeculo. Per hunc ergo

1. Cor. 13. 12.

D. Th. lect. 4. in cap 13. 1. Cor.

Digitized by Google

modum, loquendo de viſione Dei; dico quod naturali cognitione ſolus Deus videt ſeipſum: quia in Deo idem eſt ſua eſſentia & ſuus intellectus. Et ideo ſua eſſentia eſt præſens ſuo intellectui. Sed ſecundo modo fortè Angeli naturali cognitione Deum vident, in quantùm ſimilitudo diuinæ eſſentiæ relucet immediatè in eos. Tertio verò modo cognoſcimus nos Deum in vita iſta, in quantùm inuiſibilia Dei per creaturas cognoſcimus, vt dicitur Romanorum 1. Et ita tota creatura eſt nobis ſicut ſpeculum quoddam, quia ex ordine, & bonitate & magnitudine quæ in rebus à Deo cauſata ſunt; venimus in cognitionem ſapientiæ, bonitatis, & eminentię diuinę. Et hæc cognitio dicitur viſio in ſpeculo. Vlteriùs autem ſciendum eſt, quòd huiuſmodi viſio, quæ eſt ſimilitudinis in alio relucentis, eſt duplex: quia aliquando eſt clara & aperta, ſicut illa quæ eſt in ſpeculo: aliquando obſcura & occulta: & tunc illa dicitur viſio ænigmatica: ſicut cùm dico: me mater genuit, & eadem gignitur ex me. Iſtud eſt per ſimile occultum. Et dicitur de glacie, quæ gignitur ex aquâ congelatâ; & aqua gignitur ex glacie reſolutâ, &c. In quantùm ergo inuiſibilia Dei per creaturas cognoſcimus, dicimur videre per ſpeculum. In quantùm verò iſta inuiſibilia ſunt nobis occulta, videmus in ænigmate.» Hactenus D. Thomas. Omnis itaque ſcientia Dei in hac vitâ hauritur à creaturis, quæ nobis ſuo modo, velut ſpecula quædam ob oculos ponunt attributa diuina. Sed & in patriâ, licet Paulus dicat nos viſuros « facie ad faciem; » & Ioannes, « ſicuti eſt. » Et Pſaltes, « in lumine tuo videbimus lumen; » quòd ex D. Thoma ſupra, ſi Dei viſio fieret per ſpeciem aliquam & ſimilitudi-

1. Cor. 13. 12.
1. Io. 3. 2.
Pſ. 35. 10.

D. Th. ſupra. nem, « Sequeretur etiam quod beatitudo hominis vltima, eſſet in alio, quàm in ipſo Deo, quod eſt alienum à fide. Naturale etiam hominis deſiderium, quod eſt perueniendi ad primam rerum cauſam, & cognoſcendi ipſam per ſeipſam, eſſet inane. » Tamen hæc non excludunt omnimodo cognitionem per ſpeculum : cùm Dei Filius & Verbum Patris, ſit verè propriè, & ad literam Sap. 7. 26. « ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius. » Vnde & Chriſtus Philippo dicebat : « qui videt me, videt & Patrem meum. » Io. 14. 9. Quod ſpeculum & neceſſarium à Patribus dicitur quia vt prima omnium cauſa, creaturas omnes continet eminenter, quas Beatis ſe clarè videntibus manifeſtat : & voluntarium, reſpectu rerum paſſibilium, quas pro gradu meriti, & beneplacito voluntatis ſuæ, reuelat electis Sed poſt Verbum, nullum inter creaturas, exceptâ Mariâ, ſpeculum ſine macula iure appellari poteſt; quæ vt principalis effectus, plus de ſuæ puritate cauſæ participauit Si enim « Angelu potentiâ maculoſus eſt conditus » quia licet, vt loquitur Tertullianus, « à Deo in bonum conditus, vt à bono conditore inuituperabilium conditionum, & excultus omni gloriâ Angelicâ, &c. Poſtea tamen à ſemetipſo tranſlatus in malum, &c. Ab inſtitutionis formâ, libidine propriâ, conceptæ vltro malitiæ exorbitauit: » Vna eſt Maria, omni humanâ & Angelicâ præſtantior creaturâ, quæ in primo conceptus inſtanti, ſic eſt in gratiâ confirmata, vt macula peccati non potuerit inquinari.

Theologi. Tertul. cont. Marc. cap. 10.

Orig. in ſap. 7. Neque verò tantummodo concepta ſpeculum facta eſt ſine macula, ſed & concipiens puritati Patris æterni reſpondit: vnde Origenes Græcam

ſecutus

ſecutus lectionem τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας; Dei inoperationis, vel efficaciæ, vel operationis ad intra, ſublimē nobis ſenſum ſuggerit Virginei conceptus: quòd ſicut Pater æternus ad intra, « ex vte- Pſ. 109.
to ante Luciferum genuit filium » ſic beatiſſima 4.
Virgo ex ſuâ ſubſtantiâ Spiritu ſancto operante concepit. « Mirabilis illa generatio, quia ſine Aug.
matre; mirabilis iſta, quia ſine Patre » ait Auguſtinus. Vtrimque mente conceptus filius. Licet enim, ô Virgo, « Benedictus ſit fructus ventris Luc. 1.
tui: » dicam tamen cum Auguſtino; « non com- 42.
plexu carnis, ſed obedientiâ genitum mentis. » Aug. ſer. 13.
Vtrimque medios inter lucis radios, concepta de tēp.
« lux vera quæ illuminat omnem hominem ve- Io. 1. 9.
nientem in hunc mundum. » Vnde vbi vulgata legit, « in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante Luciferum genuite. » Sanct. Pagn. ex Hebræo
vertit: « in pulchritudinibus ſanctitatis, ex vtero, Pſ. 109. 3.
ab aurora fuit tibi ros natiuitatis tuæ. » Et quænam eſt aurora iſta, niſi Maria? de qua in Canti-
cis, attoniti exclamant Angeli: « quæ eſt iſta quæ Cant. 6.
progreditur quaſi aurora conſurgens? » De quâ 9.
rurſum Sapiens; « attingit vbique propter ſuam Sap. 7. 24.
munditiam. Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. » Quid reſtat, niſi ſtupor & admiratio, tam puram
conceptionem meditanti? « ô quàm pulchra eſt Sap. 4. 1.
caſta generatio, cum claritate. »

Verùm, vt ſpeculum ſine plumbo, vel ſtanno, tranſlucidum; non retinet euaneſcentes rerum imagines; nec radius Solis in eo conſiſtit, ſed tranſmeat: ſic Verbum Patris in Lucifero & Angelis eius creaturam quidem Angelicam, naturâ puriſſimam, ſed defectu hu-

Digitized by Google

militatis plumbeæ, excipiendæ imaginis Patris incapacem tranſmeauit; donec incideret in Virginem, velut ſpeculum concauum humilitate profundiſſimâ, cuius in centro omnium virtutum radios adunaret; & ſeipſum viſibilem hominibus redderet, Paternæ bonitatis imaginem. Id ni

Cant.2. 8. fallor, innuit ſponſa in Canticis, aduenienti ſponſo gratulans: « ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. » Montes, inquam, & colles chryſtallinos, hoc eſt puriſſimos Angelorum ordines tranſiliit. « Nuſquam Angelos apprehendit » ſed de humillimâ Virgine « ſemen Abrahæ apprehendit. » Hinc ſequitur: « en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum. » Tranſilit colles, ſtat autem poſt parietem noſtrum; quia in Virgine, « ſapientia ædificauit ſibi domum: & Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis. » Et quod tanti ædificij fundamentum? « Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. » Pulchrè Bernardus, « Virginitate (inquit) placuit, humilitate concepit. » Audite, quid de iſtâ ſpeculi noſtri, chryſtalli ſimul & plumbi, ſiue ſtanni commiſſurâ, ſenſerit Hugo Victorinus. « Spiritus ſanctus in tuâ humilitate ſingulariter requieuit, qui in tuâ Virginitate miraculum nulli comparabile fecit. » Et rurſum: « O Virginitas (inquit) & humilitas; quomodo in vnũ conueniſtis, quid feciſtis? Sic fœcundaſtis Virginẽ, ſic ſublimaſtis humilem; vt Virgo Dei pariat Filium, & humilis habeat ſponſum Deũ. » Hæc duo poſtrema Hugonis verba, prorſus à purificationis lege Deiparam immunem probant. Quid enim lex illa imperabat? « Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtruæ. Et die octauo circumcidetur infantulus:

Hebr. 2. 16. Cant. 2. 9. Prou. 9. 1. Io. 1. 14 Luc. 1. 48. Bern. homil. 1. de Laud. M. Virgin. Hugo Vict. ſer. de aſſumpt. Virgin. Hugo Vict. de coniunct. humil. & Virg. Leuit. 12. 2.

ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ. » Vbi duo vides fœminam legi purificationis obſtringere; primò ſuſceptum à viro ſemen, dehinc immundi profluuium ſanguinis: vnde liquet, vtrobique exemptam hac lege Mariam. Accipite Auguſtinum: « Probat (inquit) virtutem Domini ordo naſcendi; concepit Virgo virilis ignara conſortij; impletur vterus nullo humano pollutus amplexu. » Et rurſum: « Quoniam diabolus per ſerpentem Euæ locutus, per Euæ aures mundo intulit mortem; Deus per Angelum ad Mariam pertulit Verbum, & cunctis ſæculis vitam effudit. Angelus ſermonem eiecit, & Chriſtum Virgo concepit. O coniunctio ſine ſordibus facta, vbi maritus ſermo eſt, & vxor auricula. Hoc ſplendore concipitur Dei Filius, hac munditia generatur. Similiter & Hugo Victorinus: « Concepit Maria de Spiritu ſancto, non quod de ſubſtantiâ Spiritus ſancti, ſemen partus acceperit, ſed quia per amorem, & operationem Spiritus ſancti, ex carne Virginis diuino partui natura ſubſtantiam miniſtrauit. Nam quia in corde amor Spiritus ſancti ſingulariter ardebat, ideo in carne eius virtus Spiritus ſancti mirabilia faciebat, &c. » Nec impari eloquentiâ, Chryſologus, de Spiritu ſancto conceptum puriſſimum meditatur: « Spiritus (inquit) & Virgo, copula terrena non eſt, cœleſte ſed eſt ſecretum, hinc quod naſcitur eſt diuinum. Ergo quòd natus eſt, confitendum eſt; quomodo natus eſt, tacendum eſt: quia quod ſecretum eſt, ſciri non poteſt: quod clauſum eſt, neſcit aperiri: quod ſingulare eſt, non refertur exem-

Aug. ſer. 6. de Nat. Dom.

Idem ſer. 11. de Nat. qui & inter opera S. Fulg. reperitur ſer. 3.

Hugo Vict. tom. 3. de Mariæ Virgin. cap. 2.

Chryſol. ſer. 61.

Digitized by Google

Et idẽ ſer.148 plo.» Et alibi ſic interrogat: « Quæ (inquit) ibi verecundiæ læſio, vbi init Deus cum amicâ ſibi ſemper integritate conſortium? Vbi eſt Interpres Angelus, fides pronuba, deſponſatio caſtitas, donatio virtus, iudex conſcientia, cauſa Deus, conceptus integritas, Virginitas partus, Virgo mater.» Obumbrationem porrò Virginis, ab omni libidinis æſtu, & corruptione virili innoxiam, ſic

Idem ſer.142. diſſerit: « Æſtus noſtri corporis neſcit, quam diuinæ protegit vmbra virtutis. Nec ſecretum mundanæ habitationis inquirit, quæ ſe ſeptam ſuperni ſplendoris circumſpicit velamento.» Cui conſonat Auguſtinus, inducens Virgini lo-

Aug. homil. 44. quentem Angelum: « Ne timeas æſtum libidinis, ſub tanto vmbraculo ſanctitatis.» Quid ergo in hoc conceptu lucido tenebrarum purificatione indiguit, ô Virgo? « quoniam apud te eſt

Pſ 35. 10. fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.» Fortè quòd aliquas in partu ſordes contraxiſti? ſed poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti:

Aug. ſer.6. de Nat. Dom. « Vide miraculum matris Dominici corporis; Virgo concipit, Virgo grauida, Virgo cùm parturit, Virgo poſt partum. Præclara ergo illa Virginitas, & glorioſa fœcunditas. Virtus mundi naſcitur, & nullus pariendi eſt gemitus. Vacuatur vterus, infans excipitur, nec tamen Virginitas violatur. Fas enim erat vt Domino ex Virgine ſecundùm carnem naſcente, meritum creſceret caſtitatis, ne per eius aduentum violaretur integritas, qui veniebat ſanare corrupta.» In eumdem ſenſum ſic proſequitur ſanctiſſimus Do-

Aug. ſer.15. de Nat. Dom. ctor. « Qui venerat (inquit) triſte lætificare ſæculum, ventris non contriſtauit hoſpitium. De cœlis medicus tranſiens per Virginem, poſt tranſitum ſuum illæſam fecit Virginem permanere.

Digitized by Google

Qui enim dirupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quantò magis in ſua matre quod inuenit integrum non potuit violare naſcendo? Creuit enim eius partu integritas corporis, potiùs quàm decreuit: & Virginitas ampliata eſt potiùs, quàm fugata.» Et quis dicat, impreſſo in ſpeculum Solis radio, munditiem eius imminui potiùs quàm augeri? «Solis radius ſpecular penetrat, & ſoliditatem eius inſenſibili ſubtilitate pertranſit, & talis videtur intrinſecus, qualis extra & extrinſecus. Itaque fratres, nec cùm ingreditur violat, nec cùm egreditur diſſipat, quia ad ingreſſum & egreſſum eius ſpecular integrum perſeuerat. Specular ergo non rumpit radius Solis; integritatem Virginis ingreſſus aut egreſſus vitiare potuit deitatis?» Ille tibi ô Virgo, «& munus fœcunditatis attulit conceptus, & donum Virginitatis non abſtulit natus.» Et ad Voluſianum ſcribens: «Ipſa virtus per inuiolatæ matris virginea viſcera, membra infantis eluxit, quæ poſtea per clauſa oſtia membra iuuenis introduxit.» Cui accinit Chryſologus: «Virgo (inquit) concipit, Virgo parturit, Virgo permanet. Ergo virtutis eſt caro conſcia, non doloris, quæ magis, pariendo, integritatis augmenta ſuſcepit, &c. & Sacramentis cœleſtibus interfuiſſe ſe noua mater miratur. Teſtis ſui partus exiſtit, quæ nullas partus pertulit paſſiones.»

Aug. ſer. 3. de temp.

Aug. ſer. 13. de tēp. Et ep. 3. ad Voluſianum. Chryſol. ſer. 117.

Quæ cùm ita ſint; quid ad templum Virgo purificanda procedis quæ nec ſuſcepto de viro ſemine, nec partu corrupta, ſed aucta, tranſmeante per ſecreta vteri Sole, chryſtallo purior & illuſtrior euaſiſti? «mulier amicta Sole, Lunæ maculis ſupplantatis, omni ſtellarum luce coronata» niuem dealbare, lauare fontem, lucem ipſam

Apoc. 12. 1.

illuſtrare, purificare puritatẽ, ſanctitatem ſancti-
Luc.1. 35. ficare quid properas? An ignoras, « quod ex te na-
tum eſt ſanctum » de Spiritu ſancto conceptum
Ezech. 44.2. eſſe? Neſcis, te ſine corruptela peperiſſe? « portam
Cant. 4. 12. clauſam principi, hortum concluſum, fontem ſi-
gnatum » quid te diſſimulas? Auguſta, manci-
piorum legi ſubderis? Ah! video ſecretum, ag-
noſco myſterium, nec filius tuus circumciſio-
ne, nec tu egebas purificatione; ſed ſicut Dei fi-
lium non potuiſti ſine humilitate concipere, ſpe-
culum facta Patris, expreſsâ in te eius integerri-
mâ fœcunditate: ſic nec ſpeculum concauum
humilitatis, & imaginem Patris, ſine eius imita-
Philip. 2. 7. tione portare. Ille in te ancillâ humili « for-
Rom. 8. 3. mam ſerui accepit » tu in illo facto « in ſimilitu-
dinem carnis peccati » circumciſo, & redempto,
ſimilitudinem peccatricis purificata ſuſcepiſti:
tanto maiore humilitate, quò purior & ſanctior,
ad viliora & imperfecta legis vmbraticæ Sacra-
menta, expreſſis legis ipſius terminis exempta,
deſcendiſti. O ſpeculum verè chryſtallinum pu-
ritate, concauum & profundum humilitate; di-
gnum planè, cuius in centrum omnes Solis iu-
Sap.7. 26. ſtitiæ radij confluant. « Speculum denique diui-
næ inoperationis & efficaciæ » cuius reflexo lu-
mine & calore, omnium Angelorum & homi-
num corda, & filii, & matris luce fulgeant, &
charitate inardeſcant. Incende nos amore puri-
tatis; ſolue nos in cineres humilitatis.

SECVNDA PARS MORALIS

Prima Reflexio. Multas cerno mulie-
res adornari ſpeculis; ſed longè aliâ intentione ab
antiquis illis Hebræis & Ægyptiis mulieribus,

Illæ ne quid Deos offenderet, modeſtè ſe ad ſpeculum componebant: noſtræ vt mundo & diabolo placeant, Deoque & Angelis ſummè diſpliceant, vtpote mercatrices venalis ſuæ pudicitiæ. Archymedem prorſus in hoc imitatur ſathanas, qui de muris Syracuſanis magna ad Solem ſpecula concaua ſuſpendit, quibus Marcelli & Romanorum hoſtiles naues in portu, mediiſque vndis ſuccenderet Heu quot naues onuſtæ virtutibus, in templi ipſius portu, tot cupidinis iaculis, quot oculorum percuſſæ & inflammatæ radiis, miſerrimè pereunt, in ipſo confeſſionis & communionis exitu. « Et tu ab Ægypto confunderis » mulier Chriſtiana, irreligioſior Ægyptiacâ. Ierem. 2. 36.
Quid ſi nunc viueret, in vos euomeret ſeuerus ille Tertullianus? « Quid alteri periculo ſumus? quid alteri concupiſcentiam importamus? quam ſi Dominus ampliando legem, à facto ſtupri non diſcernit à pœnâ, neſcio an impunè abeat, quæ alicui fuerit cauſa perditionis. Perit enim ille ſimul vt tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi. » Tertul. 2. de cultu fœm. cap. 2. Et rurſum: « Conſilium formæ à ſpeculo petunt, & faciem moroſiorem lauacro macerant, forſitan & aliquo eam medicamine interpolant » Tertul. de vel. Virg. cap. 12. Et quod pudendum magis; nunc pudet viros ſexus ſui maſculi; adeo molles effœminantur in fœminas. « Et viris propter fœminas, vt fœminis propter viros, vitio naturæ ingenita eſt placendi voluntas; propriaſque præſtigias formæ & hic ſexus ſibi agnoſcit, barbam acriùs cædere, interuellere, circumradere, capillum diſponere, & decolorare canitiem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri diſtringere, cætera pulueris cuiuſdam aſpritudine leuigare, tum ſpe- Tertul. 2. de cultu mul. cap. 8.

culum omni occaſione conſulere, anxiè inſpicere: cùm tamen cognito Deo, omnia illa vt otioſa, aut hoſtilia recuſentur.» Et quid Mariæ deuotionem profitemini, toto corporis cultu, & ſuperbiam, & luxuriam, humilitatis eius & virginalis pudicitiæ inimicæ profitentes.

Seneca lib. 1. naturalium quæſt. cap. 17.

Secvnda Reflexio. Aduertite quid Gentilis Seneca de ſpeculorum vſu ſcripſerit. « Quorſus (inquit) pertinuerit hanc comparare materiam, excipiendarum imaginum potentem? Non in hoc ſcilicet, vt ad ſpeculum barbam faciemque velleremus, aut vt faciem viri poliremus. In nulla re illa negotium luxuriæ conceſſit: ſed primùm omnium, quia imbecilli oculi ad ſuſtinendum cominùs Solem, ignoraturi erant formam eius, hebetato illum lumine oſtendit. Quãuis enim eum Orientem, Occidentemque contemplari liceat; (vnde & Pſaltes. Exitus (inquit) matutini, & veſpere delectabis.) Tamen habitum eius ipſum, qui verus eſt, non rubentis, ſed candidâ luce fulgentis neſciremus, niſi in aliquo nobis humore læuior, & adſpici facilior occurreret.» Ita planè, nec ſolem diuinitatis niſi in humanitatis Chriſti, Mariæ, Sanctorumque ſpeculo reflexam ſuſtinere, & imitari poſſemus. Subijcit ibidem Seneca. « Inuenta ſunt ſpecula, vt homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta primò ſui notitia: deinde & ad quædam conſilium. Formoſus, vt vitaret infamiam: (ne deformitas morum incongrua corporis formæ, eius pulchritudinem diffamaret.) Deformis, vt ſciret redimendum eſſe virtutibus, quidquid corpori deeſſet. Iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi: Senex, vt indecora canis deponeret, & de morte

aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, noſmetipſos videndi. Fons cuique perlucidus, aut læue ſaxum imaginem reddit, &c.» Ex ferro & ære deinde factitata ſpecula narrat; dehinc luxu, argento & auro ornata. « Proceſſit (inquit) immodeſtius paulatim opibus ipſis inuitata luxuria, & incrementum ingens vitia acceperunt, &c. Iam ſpeculum, ornatus tantùm causâ adhibitum, nulli non vitio neceſſarium factum eſt. » Vtinam ſaltem vel in ſpeculo, faciem tot animi perturbationibus immutatam cernentes, erubeſcerent. Nunc tumeſcit ſuperbiâ, nunc igneſcit luxuriâ vel iracundiâ, nunc tabeſcit auaritiâ, nunc liueſcit inuidiâ, nec palleſcit acediâ. Seipſum ita videre præter naturam conſtitutum, & turbatum vndique, non parum conferat ad huiuſmodi inordinatorum affectuum damnationem. « Quibuſdam, vt ait Sextius, iratis profuit aſpexiſſe ſpeculum. Perturbauit illos tanta mutatio ſui: velut in rem præſentem adducti, non agnouerunt ſe, & quantulùm ex verâ deformitate imago illa ſpeculo repercuſſa reddebat, animus ſi oſtendi, & ſi in vllâ materiâ perlucere poſſet, intuentes nos confunderet, ater maculoſuſque, æſtuans, & diſtortus, & tumidus. Nunc quoque ſi tanta deformitas eius eſt, per oſſa, carneſque, & tot impedimenta effluentis: quid ſi nudus oſtenderetur?»

Seneca ibid.

Seneca lib. 2. de Ira cap. 35.

TERTIA REFLEXIO. Si næuos & maculas vultus in ſpeculo, vel aquâ, vel fuco aliquo detergimus; cur deformitates animæ, in ſpeculo illo totius ſanctitatis & virtutis, Beatiſſimâ, inquam, Virgine Deiparâ, non corrigimus. « Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri. Quid nobilius Dei matre, quid ſplendidius eâ quam

Ambr. lib. 2. de Virg.

ſplendor elegit? Quid caſtius eâ, quæ corpus ſine corporis contagione generauit?» De ſpeculo mentio expreſſa præceſſerat. Sic enim hortabatur Ambroſius.« Sit vobis tanquam in imagine deſcripta Virginitas, vitaque B. Mariæ, de quâ velut ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exēpla viuendi, vbi tanquam in exemplari, magiſteria expreſſa probitatis; quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt.» Fugere certè ſingularitatem docuit, quæ ſingulariter electa Mater & Virgo, quaſi communi lege conceptum filium communibus ſordibus deturpata peperiſſet, communi ſe Purificationis legi ſubiecit; ſua priuilegia celat, ſe quaſi vnam de turba purificat. Nos ſi quid habemus ſingulare vltro prodimus; ſi quid infirmum, omni curâ & ſolicitudine occultamus.

Ambr. lib. 2. de Virg.

QVARTA REFLEXIO. Viſebatur olim in templo Cereris iuxta Megalopolim ſpeculum ſolas deorum imagines referens, & maximè Iouis ſedentis in throno, & oliuæ ramum manu dexterâ præferentis. O ſi Chriſti, & beatiſſimæ Matris eius virtutes ſolas referre poſſemus, ſicut expoſcit ab omnibus baptizatis Apoſtolus!« Induimini Dominum Ieſum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.» Vel vt habet Syriaca tranſlatio, «nec ſoliciti ſitis carnis veſtræ ad concupiſcentias:» ſcilicet eius implendas. In quem locum D. Thomas; «Induimus (inquit) Ieſum Chriſtum, primò quidem per Sacramenti ſuſceptionem. Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. (Porphyrogeniti, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati, regiâ ſimul ac Sacerdotali purpurâ in Agni ſanguine tinctâ veſtiti.) ſecundò

Pauſanias in Arcadicis.

Rom. 13.14.

Thom. in Rom. 13. lect. 3.

Gal. 3. 27.

Io. 1. 13.

Digitized by Google

per imitationem. Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, induentes nouum qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia. Dicitur autem induere Chriſtum, qui Chriſtum imitatur. Quia ſicut homo continetur veſtimento, & ſub eius colore videtur: ita in eo qui Chriſtum imitatur, opera Chriſti apparent. » Vtinam ſi Regis, & Reginæ Angelorum virtutes imitari perfectè non poſſumus; vel ipſorum Angelorum perfectioni ſpeculari conformemur. « Certè (inquit Dionyſius noſter) Angelus eſt imago Dei, & arcani luminis declaratio; ſpeculum purum, clariſſimum, integrum, immaculatum, intaminatum, totam in ſe recipiens, ſi dictu fas eſt, pulchritudinem boniformis deitatis; liquidóque quoad fieri poteſt, in ſemetipſo reſplendere faciens ſecretiſſimi illius ſilentii bonitatem. » Silentium dixit pacem & tranquillitatem imperturbabilem. Sed heu nos quàm diuerſi, quàm aduerſi! « Angeli ſemper vident faciem Patris » quam velut ſpecula mundiſſima exceptam reflectunt inuicem. Nos & halitu impuro inquinamur, & in terrena conuerſi, toti terreſtres efficimur. Quid ſi in ſpecula veſtra vitrea lutum quis iactaret? non indignaremini? « Si tanti vitrum, quanti Margaritum vnum? » Animæ ſcilicet pretioſum? non eſt hoc certè « ſicut in die honeſtè ambulare. » In hoc enim teſte Angelico Doctore « pulchritudo honeſtatis conſiſtit, vt homo ſpiritum præferat carni. » Quantò magis ne vitrum fragile animæ præferat immortali.

Ephes. 4.22. & ſeq.

Dion. Areop. de diuin. cap. 4. §. 22.

Matth. 17.10.

Tertul. ad Martyras cap. 4.

D. Th. in Rom. 13. lect. 3.

QVINTA REFLEXIO. In proceſſione ſolemni Iſidis Ægyptiorum Deæ, quæ Luna erat, omnes in humeris ſpecula defere-

Digitized by Google

bant, in quibus eius imago à ſingulis videbatur; & in hodierna ſupplicatione dum proceſſimus, Deiparæ virtutes in omnibus reſplendere debuerunt; vitia ſaltem ad eius virtutum exempla detergamus. Cum magnâ fiduciâ in « aquis fontis Solis » maculas abluamus, hoc ipſo virgineæ Purificationis ſacro die ſancta Gertrudis ad verſum cantatum in Eccleſiâ « Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti: » vidit Beatiſſimam Virginem pallio ſuo aſſiſtentium maculas abſtergentem, & ſub eius angulo, oculis iuſtitiæ diuinæ abſcondentem. « Beati quorum ſic tecta ſunt peccata. » O Virgo « ſpeculum ſine maculâ » de noſtris erubeſcimus maculis, ſed cùm ſpeculum ſis, indifferenter excipiens, & iuſti ampliùs iuſtificandi, & peccatoris purificandi imaginem; fac tuis apud filium meritis, vt « qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & qui in ſordibus eſt, non ſordeſcat adhuc » ſed ab omni peccato mundetur. Onicem legimus lapidem ſpecularem ſpecies rerum inuerſas reddere; conuerte ſuperbiam noſtram in humimilitatem tuam: laſciuiam in caſtitatem: amorem terreſtrium, in affectum cœleſtium. Vt ſpeculum facti, & imago virtutum tuarum, tuam in cœlo gloriam ſpeculari mereamur. Amen.

Ioſue 15. 7.

Lib. 4. inſinuat S. Gertrud. cap. 9.

Pſ. 31. 1.

Sap. 7. 26.

Apoc. 22. 11.

IN FESTO S. MATHIÆ Apoſtoli.

Cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.
Actorum 1. 26.

PRæuiderat Pſaltes hodierni feſti myſterium, quo Eccleſia recolit infœlicem miſeri Iudæ ſortem; cui, meliùs prouidente electione diuinâ, ſuffectus eſt ſanctus Mathias Apoſtolus. Pro quo præloquens oculis ac manibus in cœlum erectis Dauid præcinebat: « in manibus tuis ſortes meæ. » In quem locum Auguſtinus, « Non in manibus (inquit) hominum, ſed in manibus tuis. Quæ ſunt iſtæ ſortes, quare ſortes? Audito nomine ſortium, non debemus ſortilegos quærere. Sors enim non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humanâ, diuinam indicans voluntatem. Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli, quando Iudas, tradito Domino, periit; & ſicut de illo ſcriptum eſt, abiit in locum ſuum; cœpit quæri, quis in locum eius ordinaretur. Electi ſunt duo iudicio humano; & electus de duobus vnus iudicio diuino. De duobus conſultus eſt Deus, quemnam ipſorum eſſe vellet: & cecidit ſors ſuper Mathiam. » De fœlici huius Apoſtoli ſorte dicturi, te omnibus ſanctis præelectam agnoſcimus, ô Maria, cui Sapiens præludebat, cùm te ſic fantem inducebat: « ab æterno teſſelata, vel augurata ſum princeps; » pro eo quod Vulgata ſimpliciter legit, « ab æterno ordinata ſum. » Vel vt

Pſ. 30. 16.
Aug. Ibid.
Act. 1. 25.
Prou. 8. 23.

vertit Sanctes Pagninus, « à ſæculo principatum habui. » Sortita coronam gloriæ ſuper omnes non modò Apoſtolos, ſed & omnes Angelos; quam etiam Gabriel Archangelus Mariam, hoc eſt Syriacè Dominam agnouit, cùm dixit: Aue.

EXORDIVM.

Si qua reuolubilis anni feſtiuitas timorem incutere, & cum eo ſalutem operari nos docet; hodierna certè Mathiæ in Apoſtolatum Iudæ ſubrogati ſolemnitas. Quis enim videns Angelum de cœlo, Adam de paradiſo, Iudam de Collegio Apoſtolico ruentem, non expaueſcat? Quis profunditatem abyſſi iudiciorum impenetrabilem cogitans, non obſtupeſcat, cernens magnum illum

Rom. 9. 21. « figulum ex eadem maſsâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? »

D. Th. lect. 4. in c. 9. Rom. Vbi ſic D. Thomas; « Conſiderandum eſt (inquit) quòd ſi aliquis artifex ex materiâ vili faciat vas pulchrum, & nobilibus actibus accommodatum, totum adſcribitur bonitati artificis. Putà ſi ex luto faciat ſcutellas & vrceos, ad nobilem menſam decentes. Si verò ex vili materiâ, putà ex luto faciat vas accommodatum vilibus vſibus, putà coquinæ, vel huiuſmodi officiis; non poſſet vas conqueri ſi rationem haberet. Poſſet enim conqueri ſi ex materiâ pretioſâ quæ præiacet artificis operationi, putà ex auro, & lapidibus pretioſis, faceret vas ad vilia officia deputatum. Humana autem natura vilitatem habet ex ſuâ materiâ: quia vt dicitur, fecit Deus hominem de li-

Gen. 2. 7. mo terræ: ſed maiorem vilitatem habet ex cor-

Rom. 5. 12. ruptione peccati, quod per vnum hominem in hunc mundum intrauit. Et ideo homo luto me-

Digitized by Google

ritò comparatur. Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri. Vnde quidquid boni habet homo, debet bonitati diuinæ, quaſi peritię figuli adſcribere, & dicere, Nunc Domine Pater es tu, nos verò lutum: & fictor noſter tu, & opus manuum tuarum omnes nos. Si verò Deus hominem ad meliora non promoueat, ſed in ſua infirmitate eum dimittens, deputat eum ad infimum vſum, nullam ei facit iniuriam, vt poſſit iuſtè de Deo conqueri. » Nec habuit ergo Iudas quod de Deo quereretur: nec Mathias quod de ſe gloriaretur. Vnde ſubiicit idem Doctor Angelicus, iuxta Paulum; « In magnâ domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & fictilia: & quædam quidē in honorem, quædam autem in contumeliā. » Dehinc ſic poſt Paulum ratiocinatur: « Similiter Deus liberam poteſtatem habet facere ex eâdem corruptâ materiâ humani generis, ſicut ex quodam luto, nulli faciendo iniuriam, quoſdam homines præparatos in gloriam; quoſdam autem in miſeriâ derelictos. Sicut lutum, ait Ieremias, in manu figuli, ita in manu meâ vos domus Iſraël. » Tu Iuda, iuſto Dei iudicio in miſeriâ tuâ, & peſſimo liberi arbitrij tui vſu derelictus es: tu Mathia magnâ Dei miſericordiâ « vocatus in partem ſortis ſanctorum. » retulit Iudas pretium ſanguinis Chriſti impenſum in agrum figuli; & liberè repulit ſuæ Redemptionis pretium, vt à figulo vas in contumeliam fieret: ſorte vocatus eſt Mathias; vt ab eodem figulo vas electionis & honoris fieret. De Iuda præuaricatore ſic Auguſtinus: « Pretio Dominici ſanguinis ager figuli comparatur, &c. Vide ergo, quia illo non tam redempta ſit agri terrena fragilitas, quàm totius mundi inco-

Iob. 30. 19.
Eſa. 64. 8.
2. Tim. 2. 20.
D. Th. ſupra.
Ier. 18. 6.
Coloſſ. 1. 12.
Aug. ſer. 128. de tēp.

lumitas ſempiterna, &c. Vide, inquam, ne pecunia illa, non tam comparati ſit agri parua portio, quàm totius mundi copioſa poſſeſſio, &c. Si ager mundus eſt, quiſnam figulus, qui mundi poſſit habere dominatum? Niſi fallor, ipſe eſt figulus, qui vaſcula corporis noſtri fecit ex limo, de quo dicit Scriptura, Et fecit Deus hominem de limo terræ. Ipſe eſt figulus qui carnium noſtrarum cœnoſum lutum, vapore ſui ſpiritus animauit, & materiam fluidam atque terrenam igneo calore decoxit. Ipſe, inquam, eſt figulus, qui nos per manus ſuas formauit ad vitam; per Chriſtum ſuum reformauit ad gloriam; ſicut ait Apoſtolus: ad eandem imaginem reformamur de gloria ad gloriam; ſcilicet vt qui à priore factura, propriis vitiis corruimus; in ſecundâ natiuitate figuli huius materiâ reparemur, &c. Ipſe planè eſt figulus de quo dicit B. Apoſtolus, numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quare me feciſti ſic? & iterum, Numquid non habet poteſtatem figulus luti, ex eâdem maſsâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam? »

Gen. 2. 7.

2. Cor. 3. 18.

Rom. 9.20.21

Divisio. De ſorte Mathiæ 1. dicamus, 2. Reflexiones morales colligamus.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Sors in Mathiam iacta, mouet nos quærere, quid ſit ſors, & quid ſortis nomine intelligatur. Apoſtolum recolo ſcribentem ad Epheſios, ſic fantem: « Vt nôtum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum eius quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terrâ ſunt, in ipſo. (Qui eſt caput

Epheſ. 1.9. D. Th. Ibid. lect. 4.

Digitized by Google

eſt caput omnium electorum, ſiue Angelorum, ſiue hominum) in quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.» Vbi D. Thomas ſic ſortem illam exponit. «Sciendum eſt (inquit) quòd multa fiunt inter homines quæ fortuita videntur, & contingentia, quæ tamen ſunt ſecundùm diuinam prouidentiam ordinata. Sors nihil aliud eſt, quàm exquiſitio prouidentiæ diuinæ de aliquo contingenti & humano. Vnde Aug. ſuper illud Pſalmi, (in manibus tuis ſortes meæ:) dicit quòd ſors non eſt aliquod malum, ſed in rebus dubiis diuinam exquirens voluntatem, &c. Quia ergo ſors nihil aliud eſt, quàm inquiſitio rerum quæ ex diuinâ voluntate fiunt; gratia autem eius, ex ſolâ diuinâ voluntate dependet; inde eſt quod gratia diuinæ electionis dicitur ſors: quia Deus per modum ſortis, ſecundùm occultam prouidentiam, non ex alicuius meritis, per internam gratiam vocat.» Auguſtinus autem præcitatus à D. Thoma ſic præmiſſo loco, vbi de ſorte Mathiæ: «Quid (inquit) eſt, in manibus tuis ſortes meę? ſortes dixit, quantùm ego exiſtimo, gratiam quâ ſaluati ſumus. Quare ſortis nomine appellat gratiam Dei? quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei. Nam vbi dicitur, iſte facit, iſte non facit, merita conſiderantur: & vbi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors: quando autem Deus nulla merita noſtra inuenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſaluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc eſt ſors.» Tum in exemplum adducit ſortem in Domini tunicam miſſam, quâ ſignificante eius charitatem, operta eſt multitudo peccatorum noſtrorum. «Meritò (inquit)

Aug. in Pſ. 30. 15.

Aug. ibid.

tunica illa Domini, quæ ſignificat charitatis æternitatem, cùm diuidi a perſecutoribus non
Matth. 27.35. poſſet, ſors ſuper eam miſſà eſt. Ad quos peruenit, eos ſignificauit qui videntur ad ſortem per-
Epheſ. 2. 8. uenire ſanctorum. Gratiâ ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Vide ſortem; & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Non ex operibus, quaſi vos benefeceritis, vt ad hoc accedere digni eſſetis: non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipſius enim ſumus figmentum, (vas figuli de quo ſupra) creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Hæc quodammodo ſors, occulta eſt voluntas Dei; in humano genere ſors eſt, ſors veniens de Dei occultâ voluntate, apud quẽ non eſt iniquitas. Non enim ille perſonas accipit: ſed occulta illius iuſtitia, tibi ſors eſt.» Idem probat ex Actorum libro, in quo Petrus Simonem Magum, donum Spiritus ſancti pecuniâ emere
Act. 8. 20. volentem ſic repulit. « Pecunia tua tecum ſit in perditionem quia exiſtimaſti donum Dei pecu-
Aug. Ibid. niâ comparari. Non eſt tibi ſors, neque pars in fide hac. Id eſt, non pertines ad illam gratiam quam gratis omnes accepimus, qui pecuniâ te putas poſſe emere quod gratis datur. Ex eo autem quod gratis datur, ſors vocatur.»

Ad hanc Domini tunicam, ad ſortem Apoſtolatus de quo præuaricatus eſt Iudas, Mathias vo-
Pſ.108. 8. catus eſt, de quo prædixerat Pſaltes; « fiant dies
Aug. Ibid. eius pauci. Dies eius dixit dies Apoſtolatus eius, quia pauci fuerunt; quoniam ante Paſſionem Domini, ſcelere ipſius, & morte conſumpti ſunt. Et tanquam diceretur; quid ergo fieret de ſacratiſſimo numero duodenario, in quo non fruſtra Dominus duodecim habere primos Apoſtolos voluit? continuò ſubiecit, & Epiſcopatum eius

accipiat alter. Tanquam dicens, & ipſe pro ſuo merito puniatur, & ille numerus ſuppleatur. Quòd ſi quis quemadmodum factum ſit, ſcire deſiderat, Actus Apoſtolorum legat.» Narrat in eis D. Lucas, quomodo ſorte Epiſcopatui Iudæ ſucceſſerit S. Mathias. Vbi quidem, Apoſtoli non ſunt ſortiti globulis aureis Venetorum, laneis Genuenſium, calculis aut fabis Æliorum: ſed ex Græco, «ſuffragiis omnium cooptatus eſt.» Suffragia autem, vt veroſimile eſt, vel vnanimi voce electorum omnium acclamantium, vel Mathiæ nomine primo ex vrna educto, vel pluribus, imò omnibus electorum ſuffragiis Mathiæ nomine inſcriptis; cui conſonat tranſlatio Syriaca «ſors aſcendit ad Mathiam» vt & de Zachariâ legitur, «ſorte exiit vt poneret incenſum.» Sicut & ſcribitur de Dionyſio Syracuſano tyranno, quòd eductâ literâ M. Monarchiæ augurium accepit. Et Syracuſani quotannis ſorte eligebant Sacerdotem Iouis. Et nos annis ſingulis memoriam colimus electionis & ſortis S. Mathiæ, ſummi Dei Epiſcopi. Quomodo autem à Deo præmonſtratum ſit, diuerſi diuerſa ſentiunt. D. Antoninus miſſo in eum cœlitus radio; ſicut columnâ igneâ indice deſignatus eſt Gregorius magnus. Dionyſius Carthuſianus ſcripſit Angelo denotante, vel columbâ in eius caput incubâ prælatum. Siue igitur inſpirante interiùs Deo, ſiue exteriùs, ſigno aliquo notificante, non per aſcenſum purpureum cognationis & ſanguinis, non ab aliquibus, ſed ab omnibus centum viginti electoribus; non præcipitanter, ſed oratione præmiſsâ, & Spiritus ſancti inuocatione, & concione Principis Apoſtolorum; ſanctiſſimo Ioſeph Barſabæ, cognomento Iuſto, prælatus eſt;

Cicero. 4. Verrina.

Act. 1. 23.

Digitized by Google

cuius nomen filium creſcentem, quietis filium, & columbæ donum interpretatur.

Nec dicas occaſione lapſus Iudæ, & alterius defectu Mathiam Apoſtolorum Collegio cooptatum; vt eius excellentiam imminutam exinde credas, aut dictites. Imò verò defecerat, abſque Mathiâ ruinam implente, duodenarius & perfectus cœleſtis curiæ Senatorum numerus. Vnde & Pſalmus vndecimus ſic Senatum illum ad Deum clamantem inducit: « Saluum me fac Domine quoniam defecit ſanctus. » Hinc ex Greg. Vndecimum cornu beſtiæ ſignificat tranſgreſſionem Decalogi; & vndecim vela cilicina, ad tegenda peccata contra legem in tabernaculo ſeruatam commiſſa. Hic cùm exponeret locum Danielis de decem cornibus « Ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum: & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius: & ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia. » Antichriſtum per hanc explicat. « Paruulum (inquit) oritur, quia purus homo generatur: ſed immaniter creſcit, quia vſque ad coniunctam ſibi vim Angelicæ fortitudinis proficit. Quòd tria cornua quæ ei ante faciem ſunt, euellit: quia ditioni ſuæ regna totidem, quæ ſibi vicina ſunt ſubigit. Cuius oculi ſunt oculi hominis, ſed os ingentia loquitur: quia in illo humana quidem forma cernitur, ſed verbis ſuis vltra hominem eleuatur. Quod ergo per Paulum dicitur: extollens ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: hoc Daniel Propheta teſtatur dicens: os loquens ingentia. » In rem autem præcisè noſtram ita de cornu vndecimo « Vndecimum (inquit) huius beſtiæ cornu eſſe deſcribitur; quia regni eius potentia iniquitate ro-

Pſ. 11. 1.

Greg. lib. 32. mor. in cap. 12. in Iob. 40. ex Dan. 7. 8.

2. Theſ. 2.

Greg. Ibid.

Digitized by Google

boratur. Omne enim peccatum vndenarium eſt: quia dum peruerſa agit, præcepta decalogi tranſit. Et quia in cilicio plangitur, hinc eſt quòd in tabernaculo vela cilicina vndecim fiunt. Hinc per vndecimum Pſalmum dicitur: Saluum me fac Domine quoniam defecit ſanctus. Hinc in vndenario numero remanere Apoſtolos Petrus metuens, Mathiam duodecimum ſorte miſsâ requiſiuit. Niſi enim ſignari culpam per vndenarium cerneret, impleri Apoſtolorum numerum tam feſtinè duodenario non curaret. Quia ergo per vndenarium transgreſſio exprimitur; huius beſtiæ cornu vndecimo ipſe Author tranſgreſſionis indicatur.» Hunc numerum Mathias impleuit. Et quidē ſi ex Auguſtino,« vndecim ſunt horæ diei. Si ergo illi horæ, quid ibi Iudas? & ipſe inter duodecim horas: qui ſi hora erat, lucebat, ſi lucebat quomodo diem ad mortē trādebat? ſed Dominus in hoc verbo non ipſum Iudam, ſed ſucceſſorem eius præuidebat. Iudâ enim cadente, ſucceſſit Mathias, & duodenarius numerus manſit. Non ergo fruſtra duodecim Diſcipulos elegit Dominus, niſi quia ipſe ſpiritalis eſt dies.» Et rurſum; « duodecim (inquit) ſedes dixit Dominus duodecim Apoſtolos. Vnus cecidit Iudas, in locum ipſius ſanctus Mathias ordinatus eſt, duodenarius numerus ſedium.» S. Fulgentius vbi de Mathiâ in locum Iudæ ſuffecto, & implente numerum ſtellarum duodecim coronæ mulieris Eccleſiæ. « Excluſus eſt de coronâ, complenda eſt ipſa corona. Qui elegit, aſcendit; qui tradidit, malè pependit. Quis ſuppleat numerum, in iſta coronâ gemmarum, proponitur ſortis diuinæ iudicium. Chriſtus Mathiam eligit de cœlo, qui duodecim ordinauit in campeſtri pa-

Exod. 26.

Pſ. 11. 1.

Act. 1. 26.

Tract. 49. in Io. 11.

Aug. in Pſ. 86.

Fulg. ſer. 9. in Nat. Apoſt.

Digitized by Google

latio. Aperiuntur ſancta ſanctorum, profertur vrna aurea, vt verè de cœleſti aureo decorata. O ſors bona, quæ elegit Diſcipulum, vt integra permanſiſſet corona Gemmarum. » De eodem numero non euacuato dixerat S. Auguſtinus: « duodecim elegi, quia ſacratus eſt numerus. Non enim quia periit inde vnus, ideo illius numeri honor demptus eſt. Nam in locum pereuntis, alius ſubrogatus eſt. Manſit numerus conſecratus, numerus duodenarius: quia per vniuerſum mundum, hoc eſt, per quatuor cardines mundi, Trinitatem fuerant annuntiaturi, ideo & quaterni. Se ergo exterminauit Iudas, non duodenarium numerum violauit: ipſe deſeruit præceptorem, nam Deus illi appoſuit ſucceſſorem. » Sed & D. Athanaſius dicit horâ vndecimâ vocatum Mathiam bonum vtique vineæ Dominicæ operarium. « Homo quidam (inquit) dilucidò egreſſus eſt, ad conducendum operarios. Homo ille, eſt Deus. Vinea, mundus eſt. Operarii ſunt Apoſtoli. Circa verò vndecimam horam venientes, Mathias eſt, qui cum vndecim Apoſtolis connumeratus eſt. » Quin & longè his omnibus ſuperior Dionyſius Areopagita, excellentiam D. Mathiæ, ex ſpeciali eius electione, & numero duodenario per eum adimpleto colligit. « Quin & Princeps Apoſtolorum (inquit) vna cum coæquali ſibi ac pontificali decade, ad ſacrum illum duodenarium Diſcipulorum numerum implendum congregatus, ſummæ Diuinitati electionis munus reuerenter ceſſit, cùm ait: oſtende quem elegeris: eumque quem diuina ſors deſignauerat, ſacro illi duodenario hierarchico annumerauit. Cùm autem de diuinâ illâ ſorte, quæ diuinitus ſuper Mathiam cecidit, alij ab aliis, meo

Aug. tract. 27. in Io. 6.

Athan. q. 16. in Matth. 20.

Dion. Areop. de Eccl. Hierar. §. 5.

Act. 1. 24.

quidem iudicio, non rectè diuerſa ſenſerint; meam ipſe ſententiam exponam. Mihi enim videtur Scriptura ſortem appellare, diuinum illud munus, quo declarabatur choro hierarchico, quiſnam diuino ſuffragio electus erat: ſi quidem diuinus Pontifex, nequaquam motu proprio ſacros ordines conferre debet; ſed vt decet Pontificem, eoſdem inſtinctu Dei, diuinitùs celebrare. » O Apostoli debitores certè vos agnoſcite Mathiæ, de numeri veſtri complemento; vt enim detracto vno, mutatur eſſentia numeri; ad tranſgreſſionis numerum deficiente Iudâ redacti, ad perfectionis cumulum per Mathiam reducti fuiſtis. Et ſicut vltima diſpoſitio formam ſubiecto introduxit. Vnde & Petrus etiam electionis eius neceſſitatem agnouit. « Viri fratres, oportet impleri Scripturam quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iudâ, &c. qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius, &c. Epiſcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, &c. teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri, &c. » Oportebat item impleri Prophetiam Iſaiæ de eâdem electione præmiſſam « illuc congregati ſunt milui alter ad alterum. Requirite diligenter in libro Domini, & legite: vnum ex eis non defuit: alter alterum non quæſiuit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & ſpiritus eius ipſe congregauit ea. (Siue præcepta, ſiue animalia prædæ ſpiritalis auida.) Et ipſe miſit eis ſortem, & manus eius diuiſit eam illis in menſuram. » 70. paulò aliter. « Ibi occurrerunt cerui, & viderunt facies inter ſe: numero tranſierunt, & vna ipſarum non periit: altera alteram non requiſierunt: quia Dominus eis man-

Act. 1. 16. & ſeq.

Iſa. 34. 15.

dabit, & ſpiritus ipſius congregauit ea. Et ipſe mittet eis ſortes, & manus eius diſtribuit, vt paſcantur » Quid ad ſortem Mathiæ aptius & expreſſius potuit prophetari? Apoſtoli cerui primò timidi, de quibus illud Tertulliani dici poteſt, dum « relicto Domino omnes fugerunt » qui cum eo mori ſe paratos eſſe iactabant: « in prælio cerui, in pace leones.» Poſtea reſumptis animis, milui & vultures ad prædam animarum Chriſto captandam. Diligenter ſancti Spiritus inſtinctu in libro Pſalmorum, Petro reuoluente requiſierunt, ſufficiendum Epiſcopatui Iudæ Mathiam. Numero venerunt, vndecim nempe Apoſtoli in turbâ Diſcipulorum ſic Lucâ referente « In diebus illis, exurgens Petrus in medio fratrum (Syr. Diſcipulorum. Vnde & Beda iuxta Clementem Alexandrinum refert ambos hos qui ad ſortem Apoſtolatus ſtatuti ſunt, de numero fuiſſe 70. Diſcipulorum) Viri fratres oportet impleri Scripturam. » Vnum ex eis non defuit: quia Mathias numerum duodenarium impleuit « Dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis » Informis ô Apoſtoli numerus veſter erat, deformi letho pereunte Iudâ ſed formoſum numerum, complementum Senatus Apoſtolici Mathias adimpleuit.

Math. 26. 57. Tertul. lib. de corona cap. 1.

Act. 1. 15. Retrac. in c. 1. Act. 10. 6.

Act. 1. 26.

Horam meridianam quis negauerit & lucidiorem cæteris doctrinâ præfulgentem, (cuius causâ Paulus ſtulta mundi à Chriſto electa commemorans, Non multi (inquit) ſapientes) & ſimul feruidiorem admiramini, qui diſpartitis aliis Apoſtolis, ipſe ſimul & Iudæis & Gentibus Chriſtum diem prædicauerit & Verbum Dei tam in Iudæa, quàm in Æthyopiâ nuntiauerit, vt teſtatur

Baro. An. 44. Sophr. apud Hiero. de Scri.

Digitized by Google

plurimi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Authores; idque tanto zelo; vt cùm Petrus negator, crucifixus tantùm; Paulus perſecutor, obtruncatus; Stephanus plenus ſpiritu ſit lapidatus; Mathias ab ipſo initio Ioſeph cognomento iuſto prælatus humano diuinoque iudicio, lapidatus ſimul, & obtruncatus, glorioſo martyrio temporalem vitam in æternam mutauerit. Nunc, glorioſa anima, fruere ſorte ſanctorum, & vas in honorem efformatum, de luto fragilitatis humanæ, mutatum « in vas auri ſolidum, ornare omni lapide pretioſo » & tot gemmis gloriæ coruſca, quot gratiæ, & virtutum floruiſti ſplendoribus.

Eccli. Nicceph. hiſt. cap. 40.

Eccle. 50.10.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Veniat nunc aliquis & poſtremum Mathiam Apoſtolici Collegij, & quaſi vltimam horam diei paruipendat: nulla inter eas non lucida, nulla Chriſti veræ diei lucem & gloriam non reſonans. Sic enim Auguſtinus: « Non fruſtra (inquit) duodecim Diſcipulos elegit Dominus: niſi quia ipſe ſpiritalis eſt dies. Sequantur ergo horæ diem, prædicent horæ diem, illuſtrentur à die, horæ illuminentur à die, & per horarum prædicationem credat mundus in diem. » Quòd autem Mathias non minori luce clareat, non leuiore in deuotos feruore ardeat, ſequenti liquet exemplo. Quidam miles, proximè ad bellum nauale mare conſcenſurus, cùm iam eſſet in procinctu memor ſermonis quo dudum audierat plurimùm apud Deum poſſe Apoſtolicum ſuffragium, duodecim Apoſtolorum nomina ſingulis ſcripſit in ſchedulis quas in caſſidem miſit, & breui oratione præ-

Aug. tract. 49. in Io.

Digitized by Google

miſsâ, eleuatiſque in cœlum oculis, oſtende, inquit, mihi Domine quem è duodecim mihi Patronum elegeris: ſed Mathiam Iudæ loco ſubrogatum, noli. Tum verò excuſsâ ſæpius caſſide ſortitus, Mathiæ nomen primo eduxit quòd ſtatim reiecit in Galeam, & ſecundò, ac tertiò miſſis ſortibus & toties in manus eius primo redeunte Mathiâ: indignabundus, carebo, inquit, potiùs ego patrono quàm Mathiam mihi ſuffragatorem accipiam. Res miranda, vix nauem conſcenderat cùm ecce tibi ſubitò ventus validus abripit nauem in medium pelagus, ortâque tempeſtate grauiſſimâ, decimandis à militiæ duce militibus ſors primò cecidit in Mathiæ contemptorem. Deiicitur in mare; iamiamque naufragus, cœlum ſuſpiciens, & ſe contemptus reum agnoſcens, medio cernit libratum in aëre Mathiam, propitiam manum de cœlo porrigentem ſibi, & ad ſummam vſque aquam amico vultu delabentem, & apprehensâ manu ad littus vſque deducentem. Vbi tanto ereptus periculo Deo & B. Mathiæ grates retulit, & ſententiæ Scripturæ

Prou. 16.33. veritatem agnouit: « ſortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur » vel vt vertit Sanct. Pagn. ex Hebr. « Et à Domino eſt omne iudicium ſortis. » Quòd ſi deſpectori ſuo ſic propitius Mathias occurrit, quid erit deuotis ſuis? Hunc eligite, hunc colite. Hæc hora meridiana, & fulgebit vobis clariſſima, & feruentiſſima ardebit.

Secvnda Reflexio. Quoniam thema noſtrum, & totus penè tractatus de ſortibus eſt contextus; non pigebit cum D. Thomâ diſcutere, quid in mittendâ ſorte ſit cauendum « Sciendum eſt, inquit, quòd multa fiunt inter homines

D. Th. Lect. 4.

quæ fortuita videntur & contingentia, quæ tamen ſunt ſecundùm diuinam prouidentiam ordinata. Sors enim nihil aliud eſt, quàm exquiſitio prouidentiæ diuinæ de aliquo contingenti & humano, &c. Eſt autem in ſortibus triplex peccatum vitandum. Primum quidem ſuperſtitionis. Nam omnis vana & illicita Religio ſuperſtitio eſt. Tunc ergo in ſortibus incurritur peccatum illicitæ ſuperſtitionis, quando in eis initur aliquod pactum cum dæmonibus. Vnde dicitur apud Ezech. Stetit Rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiſcens ſagittas interrogauit Idola, exta conſuluit, &c. Secundò vitandum eſt peccatum tentationis Dei. Nam quando per ſe homo poteſt aliquid facere & ſcire quid debeat facere; ſi tunc à Deo, ſorte, vel aliquo alio tali exploret quid facere debeat, Deum tentat. Quando autem neceſſitas immiñet, neque ipſe per ſeipſum iuuari poteſt, tunc licitè à Deo inquirit quid facere debeat. Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſiduum, vt oculos noſtros dirigamus ad te. Tertiò vitandum eſt peccatum vanitatis. Quod fit ſi de inutilibus & impertinentibus, ad nos, inquiramus. Vtputà de futuris contingentibus. Vnde dicitur: non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, &c. Poteſt ergo ſecundùm hoc triplex ſors accipi. Scilicet quædam diuiſoria, quædam conſultoria, & quædam diuinatoria. Diuiſoria eſt, cum aliqui diuidentes hæreditatem & concordare non valentes, mittunt ſortes, &c. Et huiuſmodi ſortes poſſunt mitti licitè. Ita enim Sapiens: contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat. Conſultoria autem fit, quãdo quis dubitans quid

In cap. 1 Epheſ.

Ezech. 21. 21.

2. Paral. 20. 12.

Act. 1. 7

Prou. 18. 18. Ion. 1. 7.

facere debeat, conſulit Deum mittens ſortes. Sic quando ſuperuenit tempeſtas, conſuluerunt Deum ſortem mittentes vt ſcirent cuius peccato tempeſtas illa veniſſet; & hic modus licitus eſt, maximè in neceſſitatibus, & in electionibus poteſtatum ſæcularium, &c. Sed hoc ante aduentum Spiritus ſancti Apoſtoli fecerunt etiam in electione ſpiritali, quando ſors cecidit ſuper Mathiam: ſed hoc poſt aduentum Spiritus ſancti ampliùs nō licet in prædictis electionibus, quia hoc faciendo, iniuriaretur Spiritui ſancto. Credendum eſt enim quòd Spiritus ſanctus prouidet Eccleſiæ ſuæ de bonis Paſtoribus. Vnde poſt aduentum eius, quando Apoſtoli elegerunt ſeptem Diaconos, non miſerunt ſortes. Et ideo in nullâ electione Eccleſiaſticâ hoc modo licet. Diuinatoria autem ſors eſt inquiſitio de futuris, ſoli diuinæ cognitioni reſeruatis; & hæc ſemper habet vanitatem admixtam, nec poteſt ſine vitio curioſitatis fieri.» Huc vſque propriis terminis S. Thomas.

Act.1.26.

Tertia Reflexio. Quis tam diuerſos exitus ſortes Iudæ & Mathiæ penſitans, ſpei ac timoris non moueatur affectibus, cum Pſalte dicens: « Ab altitudine diei ego timebo, ego verò in te ſperabo » dies alta, altitudo conſilij diuini: « terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. » Dies Chriſtus, vt ſupra cum Auguſtino vidimus, ab altitudine diei cecidit hora Iudas, qui diem nocti & morti tradidit, & non timebo? Electus eſt ſorte Mathias, & Epiſcopatum eius accepit, & non ſperabo? Tentauit ſatanas cor Iudæ, Deo non excitante, ſed Apoſtolos « petenti cribrare ſicut triticum » quaſi paleam de areâ Iudam abſtulit. Accipite Gregorium ſic meditantem hunc locum

Pſ.55.4
Pſ.65.5.
Luc.22.31.

Digitized by Google

Sanɫti Iob. « Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum. Quia (inquit) de eius (ſathanæ ſcilicet) fortitudine & electos meos potẽter eripio, & rurſum reprobos non iniuſtè ſed rationabiliter damno, id eſt, & eos quos benignè eligo eripere mirabiliter poſſum; & eos quos reſpuo, non iniuſtè derelinquo. Nemo quippe, vt diuina illum gratia ſubſequatur, priùs aliquid contulit Deo. Nam ſi nos Deum benè operando præuenimus, vbi eſt quod Propheta ait, miſericordia eius præueniet me? ſi quid nos bonæ operationis dedimus vt eius gratiam mereremur, vbi eſt quod Apoſtolus dicit, gratiâ ſaluati eſtis per fidem: & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, & non ex operibus? Si noſtra dilectio Deum præuenit, vbi eſt quod Ioannes Apoſtolus dicit: non quia nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos? Vbi eſt quod per Oſeam Dominus dicit: diligam eos ſpontaneè? Si ſine eius munere, noſtrâ virtute Deum ſequimur, vbi eſt quod per Euangelium veritas proteſtatur dicens; ſine me nihil poteſtis facere? vbi eſt quod ait: nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum? vbi eſt quod iterum dicit: non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos? Si ſaltem dona bonorum operum virtute noſtrâ benè cogitando prẹuenimus, vbi eſt quod rurſum per Paulum tam ſalubriter dicitur, vt omnis de ſe humanæ mentis fiducia, ab ipsâ cordis radice ſuccidatur, cùm dicit: non quia ſufficientes ſimus aliquid cogitare à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt? Nemo ergo Deum meritis præuenit, vt tenere eum quaſi debitorem poſſit: ſed miro modo æquus omnibus conditor, & quoſdam præeligit, & quoſdam in ſuis prauis moribus iuſtè derelinquit.»

Greg. lib. 33. mor. cap. 20. in cap. 41. Iob.

Pſ. 58. 11.

Epheſ. 2. 8.

1. Io. 4. 10.

Oſee 14. 5.

Io. 15. 5.

Io. 6. 44.

Io. 15. 16.

2. Cor. 3. 5.

Pſ.24. 11. QVARTA REFLEXIO. Et quoniam « vniuerſæ vię Domini miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius. » Nec ſine miſericordiâ ſors Mathiæ, nec ſine iuſtitiâ ſors Iudę. Et vtraque via inueſtigabilis eſt, & tamen ſancta, quia ſcriptum eſt, Deus in ſancto via tua. De his viis ſic Auguſtinus: « Quæ ſunt (inquit) viæ inueſtigabiles, niſi de quibus in Pſalmo canitur, vniuerſæ viæ Domini, &c. Igitur inueſtigabiles ſunt miſericordia & veritas eius: quoniam cuius vult miſeretur, non iuſtitiæ, ſed miſericordiæ gratiâ, & quem vult obdurat, non iniquitate, ſed veritate vindictæ. Quæ tamen miſericordia & veritas ita ſibi occurrunt, quia ſcriptum eſt; miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: vt nec miſericordia impediat veritatem quâ plectitur dignus, nec veritas miſericordiam quâ liberatur indignus. Quæ igitur ſua merita iactaturus eſt liberatus, cui ſi digna ſuis meritis redderentur, non eſſet niſi damnatus? Nullane igitur ſunt merita iuſtorum? ſunt planè, quia iuſti ſunt. Sed vt iuſti fierent, merita non fuerunt. Iuſti enim facti ſunt cùm iuſtificati ſunt. Sed ſicut dicit Apoſtolus, iuſtificati gratis per gratiam ipſius.» Rurſum, aduerte cum Gregorio non tantùm partiri Deum hinc iuſtitiam reprobis, illinc miſericordiam electis, ſed vtriſque mixtam miſericordiâ iuſtitiam temperare. « Nec electis (inquit) ſuis pietatem ſine iuſtitiâ exhibet, quia hîc eos duris afflictionibus premit: nec rurſum reprobis iuſtitiam ſine miſericordiâ exercet: quia hîc æquanimiter tolerat quos quandoque in perpetuū damnat. Si ergo & electi præuenientem ſe gratiam ſequuntur, & reprobi, iuſta

Aug. ep. 105. ad Sixtum.

Rom. 11. 33.

Rom. 3. 24.

Greg. lib. 33. mor. cap. 20. in cap. 41. Iob.

Digitized by Google

quod merentur, accipiunt: & de miſericordiâ inueniunt electi quod laudent, & de iuſtitiâ non habent reprobi quod accuſent. Benè itaque dicitur, quis ante dedit mihi, vt reddam ei? Ac ſi apertè diceretur; ad parcendum reprobis nullâ ratione compellor: quia eis debitor ex ſuâ actione non teneor. Idcirco enim nequaquam cœleſtis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempſerunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono firmatur electis, cum eorum mens à terrenis deſideriis gratiâ aſpirante ſuſpēditur.» Sicut Apodes in terram lapſi, aurâ aſpirante, in aërem ſubleuati librantur. Proſequitur Gregorius vt cooperationem liberi arbitrij ſorti & electioni diuinæ gratiæ reſpondere aſſerat. «Bonum, inquit, quod agimus, & Dei eſt & noſtrum: Dei per præuenientem gratiam, noſtrum per obſequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non eſt, vnde ei gratias in æternum agimus? rurſum ſi noſtrum non eſt, vnde nobis, retribui præmia ſperamus? Quia ergo non immerito gratias agimus, ſcimus quòd eius munere præuenimur: Et rurſum quia non immerito retributionem quærimus, ſcimus quod ſubſequente libero arbitrio bona elegimus quæ ageremus.»

Iob. 41. 2.

Greg. Ibid.

QVINTA REFLEXIO. Conſiderandum nobis eſt, tam electorum, quàm reproborum ſortem, occulto licet, iuſto tamen iudicio vtriſque contingere; vt cum Pſalte canamus ſemper; «Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.» In eburneo throno ſedebat Iudex Salomon, cu-

Pſ. 118. 75.
Pſ. 100. 1.
3. Reg. 10. 18.

Digitized by Google

ius materia puritate, & iuſtitiæ candore candeſcebat. Scitu porrò dignum quod animaduertit ſanctus Philo Carpathius in illud Cantici: « venter eius eburneus. » Secutus ipſe lect. 70. « venter eius pixis eburnea. Rectè, inquit, pixidi eburneæ comparantur. Vt enim in pixide ſententiæ recondi ſolent, & decreta principum, &c. Non quidem ad terrenum imperium, ſed ad cœleſte regnum pertinentia, &c. In quâ quidem ſpiritali pixide codicilli ſapientiæ ſuffragia conduntur, non ad terrenum imperium, ſed ad cœleſte regnum conductura. Quod ex his Philonis verbis magis penſo, eſt quod adnotauit decreta principum & ſuffragia regni cœleſtis ex pixide eburnea ornata Saphiris produci; ex quibus nempe viſceribus occultis, iudiciorum Dei irreprehenſibilium, ſortis bonæ, vel malæ oracula manant, ſtupenda quidem, ſed æqua ſemper, & ad gloriam ſummi Iudicis & arbitri ſalutis & damnationis hominum: qui propter ſemetipſum omnia operatur, impium quoque in diem malum. Quod pulchrè diſſerit D. Thomas præcitato ſuperiùs loco: « Conſiderandum, inquit, eſt quòd finis omnium diuinorum operum eſt manifeſtatio diuinæ bonitatis. Vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, &c. Tanta eſt autem diuinæ bonitatis excellentia, quod non poteſt vno modo, nec in vna creatura ſufficiénter manifeſtari: & ideo diuerſas creaturas condidit, in quibus diuerſimodè manifeſtatur. Præcipuè autem in creaturis rationabilibus, in quibus eius iuſtitia manifeſtatur, quantum ad illos quos pro eorum meritis punit, miſericordia verò in illis quos ex ſuâ gratiâ liberat. » Et teſtem adducit Paulum ſcribentem ad Romanos: « dicit

Philo Carpat. tom. 4. Bibliot. Patrum in Cāt. 5. 14.

D. Th. lect. 4. in Rom. 9. Prou. 16. 4.

« dicit Scriptura Pharaoni : quia in hoc ipſum excitaui te , vt oſtendam in te virtutem meam, (Syr. potentiam,) & vt annuntietur nomen meum in vniuersâ terrâ. » Et rurſum : « Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam , ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ apta in interitum , vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam. » Vbi ex D. Thomâ ſupplendus eſt ſuſpenſus ſenſus, quaſi diceret ſi hoc velit Deus facere, quis reprehendat? « Audiamus (inquit Auguſtinus) omnes dicentem: ô homo tu quis es qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum, &c. An non habet poteſtatem figulus ex eâdem maſsâ, &c. Hæc maſſa ſi eſſet vtique media, vt quemadmodum nihil boni, nec mali aliquid mereretur; non fruſtra videretur iniquitas , vt ex eâ fierent vaſa in contumeliam. Cùm verò per liberum arbitriũ primi hominis, in condemnationẽ vniuerſa defluxerit, proculdubiò quòd ex ea fiãt vaſa in honorem, non ipſius iuſtitiæ, quæ gratiam nullã præceſſit, ſed Dei miſericordiæ eſt. Quòd verò in contumeliã; non iniquitati Dei, quæ abſit, vt ſit apud Deum ; ſed iudicio deputandũ eſt. Hoc quiſquis cum Eccleſiâ Catholicâ ſapit, non contra gratiam pro meritis diſputat, ſed miſericordiam & iudicium cantat: vt nec miſericordiã recuſet ingratus , nec iudicium accuſet inuitus. » Ipſe autem Auguſtinus cum retuliſſet hunc Apoſtoli locum ſic cõcludit: « hoc eſt (inquit) gratiæ Dei non ſolũ adiutoriũ, verùm etiã documentũ. Adiutorium ſcilicet in vaſis miſericordiæ, in vaſis autem iræ documentum : in eis enim oſtendit iram & demonſtrat patientiam ſuam : quia tam potens eſt bonitas eius, vt benè vtatur etiam ma-

Rom. 9. 17. Exod. 9. 16.

Rom. 9.22.

Beda in Rom. 9. citans Aug. lib. ad Bonif.

Tom. 7 lib 2. ad Bonif. cap. 7.

Digitized by Google

lis, & in eis notas facit diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Quoniam quod ab iræ vaſis exigit iudicia punientis, hoc vaſis miſericordiæ dimittit gratia liberantis. Nec beneficium quod quibuſdam gratis tribuitur, appareret, niſi Deus aliis ex eâdem maſsâ pariter reis iuſto iudicio condemnatis, quid vtriſque deberetur, oſtenderet. Quis enim te diſcernit? ait idem Apoſtolus, homini tanquam de ſemetipſo, & de ſuo proprio bono glorianti. Quis enim te diſcernit? vtique ab iræ vaſis, à maſsâ perditionis, quæ per vnum, omnes miſit in damnationem. Quis te diſcernit? & tanquam reſpondiſſet, diſcernit me fides mea, propoſitum meum, meritum meum. Quid enim habes, inquit, quod non accepiſti? &c. Hoc eſt, quaſi de tuo ſit, vnde diſcerneris. Ergo ille diſcernit, qui vnde diſcernaris, impertit; pœnam debitam remouendo, indebitam gratiam largiendo. Ille diſcernit, qui cùm tenebræ eſſent ſuper abyſſum, dixit: fiat lux, & facta eſt lux. Et diuiſit, hoc eſt diſcreuit inter lucem & tenebras. Non enim cum ſolæ eſſent tenebræ, quod diſcerneret inuenit, ſed lucem faciendo diſcreuit: vt iuſtificatis impiis dicatur: fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ac ſic, qui gloriatur, non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur. »

1.Cor. 4.7. Rom.5. 16. Gen.1. 2. 3. Epheſ. 5.8.

Sexta Reflexio. Vt ſemper in humilitate nos contineamus, & « cum timore & tremore ſalutem operemur » ſortem noſtram nobis ignotam eſſe voluit. « Nemo enim ſcit an amore vel odio dignus ſit » an vas iræ vel miſericordiæ; an cum Iudâ ſit reprobus, an cum Mathiâ ſit electus. Subobſcurè id nobis ſuo in Emblemate innuit Marcellus Papa ſecundus; pinxit in altari flammas, & ſtellam ſupereminentem ſimul cum

Philip. 2. 12. Eccle. 9. 1.

Digitized by Google

Epigraphe, « noſtra latens » ſupple ſors eſt. Quis enim hominum nouit, an flamma, vel ſydera eum maneant. An inter ſtellas electas ſit numeratus; an altari iuſtitiæ diuinæ & flammis vltricibus deſtinatus. Hoc myſterium occultum latet in illo calice, de quo Dauid « calix in manu Domini plenus mixto. » Vinum quidem merum eſt, reſpectu Dei cuius iuſta & pura ſunt iudicia: ſed mixtum eſt reſpectu noſtri: vt ager, area, ſagena, in quibus frumentum & zizania; triticum & palea; piſces boni, & mali. Collegium eſt Virginum fatuarum & prudentum. Sed apud Deum iam ab initio, lux à tenebris eſt diuiſa. « Nouit Dominus qui ſunt eius, nouit in areâ paleam & triticum; nouit qui permaneant ad pœnam, qui permaneant ad coronam. » Vinum merum, inebriantem calicem, torrentem voluptatis ſeruat electis, cum Mathia: ſed fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ » cum reprobo Iudâ. « *Hunc* humiliat » ad vas contumeliæ, Iudam: « & hunc exaltat » in vas gloriæ Mathiam. « Inclinat ex hoc in hoc: » vt qui ſecundùm nos, vel iuxta præſentem iuſtitiam, electi videntur, declinent in reprobos: & qui modo apparent reprobi, tranſeant in electos: « vt qui ſtat, videat ne cadat; » & qui cecidit diiciat vt reſurgat: dicit enim « qui habet clauem Dauid ſanctus & verus, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit; » Angelo, id eſt Epiſcopo Philadelphię: « ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. » Nec te putes neceſſarium Deo. « Non enim ſunt ei neceſſarij homines impij. » Et ſicut in naturalibus corruptio vnius, eſt generatio alterius. Sic Angelis corruptis homines electi ad ruinas implendas; ſic Ia-

Typotius in Hieroglyph. Pon. f. Rom.

Pſ. 74. 9.

Gen. 1. 2. 3.

2. Tim. 2. 19. Aug.

1. Cor. 10. 12.

Apoc. 3. 7. & 11.

Eccli. 15. 12.

cob Eſaü iunior, prodigus ſeniori, Samüel Heli, Iudæo Gentilis, Mathias Iudæ, vni ex quadraginta martyribus, alius: Eccleſiæ Orientali, Occidentalis: Hæreticis & Schiſmaticis noui Chriſtiani
Matth. 3. 9. ſubſtituti ſunt. « Potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahę. Et diuum Fran-
S. Bonau. in vita eius. ciſcum contriſtatum de fratribus imperfectis, & à diſciplinâ regulari deficientibus, cœleſtis vox conſolata eſt, dicens: « Aliis recedentibus,
Pſ. 101. 19. alios meliores ſubrogabo. Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum. »

Septima Reflexio. Electis Dei duas lectiones præſcripſit Mathias; quas apud S. Clementem Alexandrinum reperi. Quarum vna monet electum, ſi flammas vindictæ diuinæ velit euadere, vt inſtar ſtellæ, in obſcurâ ſumus ſæculi
Clem. Alex. 7. Strom. cap. 8. nocte, bono exemplo præluceat proximo. « Dicunt, inquit, Mathiam Apoſtolum inter cætera dixiſſe: ſi electi vicinus peccauerit, peccauit electus: nam ſi ſe ita geſſiſſet vt iubet Verbum, ſeu Ratio; eius vitam ita eſſet reueritus vicinus, vt non peccaſſet. » Tantùm valet exemplum bo-
Eſa. 14. 16. num, aut malum. « Qui te viderint ad te inclinabuntur. » Sic Principem Tyri in figuram Luciferi, Propheta compellat. Sic exemplo malo vi-
Apoc. 12. 4. debat abripientem Angelos. Sic « draco traxit
Pſ. 17. 25. caudâ tertiam partem ſtellarum. Ita Sapphyrus vt ſupra vidimus ex Philone Carpathio, ſibi proxima quæque ad ſe traxit, & ſuo cœleſti colore perfundit; vt ex aduerſo: « qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Cum bono bonus eris, & cum
Clem. Alex. 3. Strom. cap. 3. electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. » Altera ſententia Mathiæ refertur ab eodem Clemente « dicunt itaque Mathiam quoque ſic do-

Digitized by Google

cuiſſe: cum carne quidem pugnare,& eâ vti,nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem & cognitionem.» Hæc ſunt planè electorum alimenta. Sic iuxta Platonicos Tertullianus:« Omne corpus corporalibus ali iudicant, animam verò vt incorporalem, incorporalibus, ſapientiæ ſcilicet ſtudiis, &c. Non ſubſtantiæ ipſi alimenta proficiunt ſtudiorum, ſed diſciplinæ; quia nec opimiorem animam efficiunt, ſed ornatiorem.» Imò verò & pingueſcit & ornatur ſimul ſpiritualibus cibis anima Chriſtiana, quæ & carnem macerat abſtinentiis, & mortificationibus edomat. Talis electus Domini Calliopius, qui ad conuiuium ſolemne deorum inuitatus, & Idolothyta edere compulſus, dixit « ſe Chriſtianum, Chriſtum ieiuniis colere, nec in os Chriſtiani fas huiuſmodi cibos intrare.» Virgis cæditur, ſub pœnâ crucis ſacrificare iubetur. « Quid, inquit, me toties Chriſtianum ore libero confitentem, Chriſto cruciformem non affigitis.» Tandem quintâ Sabbathi ante Paſcha, quinque nummos dedit carnifici, vt inuersâ formâ crucifigeretur. O Petro non imparem Martyrem; de quo diceret Auguſtinus: « qui Dominici non extimuit tormenta patibuli, ſimilitudinem expaueſcit triumphi.» Audita de cœlo vox: « hic verus eſt ciuis Chriſti, & cohæres ſanctorum Angelorum.» Vbi molles, & delicatuli Chriſtiani, qui carnem etiamnum Quadrageſimæ tempore impinguant carnibus, & animam inediâ ſpiritualium eduliorum ieiunam conficiunt. Hæccine ſunt documenta Mathiæ? Hæc vita eorum, quos « vocauit Deus in partem ſortis ſanctorum.» Quid diceret Chryſoſtomus ſi viueret? quâ notâ te electum & verè Chryſtianum à Gen-

Tertul. de anima, c. 6.

Surius 7. Aprilis.

Aug. ſer. de Apoſt. 5

Surius ſupra.

Coloſſ. 1. 12.

Chryſoſt.

hom. ad pop. Antioc. tili diſcerneret? an à loco? Chriſtiani locus, templum eſt: tu verò in cauponâ, ludo, comœdiâ. An à veſte? Heu quomodo induis Ieſum? laſciuè an modeſtè veſtiris? an à ſermone? cibo? negotiis? &c. omnia Gentilem & reprobum redolent. Hoc quippe cum prædamnatis in multorum ore verſatur: « Coronemus nos roſis antequam marceſcant; nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra, &c. Quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, &c. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excœcauit enim illos malitia eorum. Et neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum. »

Sap. 2. 8 & ſeq.
Pſ. 30. 16.
Pſ. 118. 73.
Rom. 9. 21.
Eccli. 27. 6.
Pſ. 25. 2. & 3.

Ego verò, « dixi Domino, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me. Vtinam vas in honorem, & non in contumeliam. Et ſiquidem vaſa figuli probat fornax, proba me Domine & tenta me, vre renes meos & cor meum. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tuâ. » Improbos verò rege in virgâ ferreâ & tanquam vas figuli confringe eos, Tuis ô Mathia fac apud Deum meritis vt ſortiti partem Sanctorum in lumine fidei, ſortiamur hæreditatem æternam in lumine gloriæ. Amen.

Digitized by Google

IN FESTO GABRIELIS Archangeli.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Luc. 1. 26.

Diuina ſapientia quæ « diſponit omnia ſuauiter, & attingit à fine ad finem fortiter » ſe magnorum Principum ac Regum mori & conſuetudini coaptauit: « Rex namque Regum & Dominus dominantium, filio ſuo futurus nuptias » regni ſui primarium principem pronubum ac paranymphum Gabrielem de cœlo miſit in terras, vt Regiâ de tribu Dauid claram ortam Virginem, vnigenito filio ſuo matrem ſimul ac ſponſam quæreret. Ac velut Abraham miſit ſeruum ſuum fidelem domus ſuæ diſpenſatorem Elieſer in Meſopotamiam, adiurans eum, vt poſitâ manu ſuper femur, « non acciperet vxorem filio ſuo de filiabus Chananæorum » ſic miſit Deus pater « antiquus dierum » vt ibidē « Abraham ſenex, dierumque multorum » dicitur: præcepit fideliſſimo ſecretorum conſcio, ne accipiat vnico filio ſuo ſponſam de genere maledicto peccatorum. Licet enim viâ communi de ſtirpe Adam, pro cæteris omnibus maledicta proceſſerit; à communi lege, ſpeciali priuilegio, in ipſo

Sap. 8. 1. 1. Tim. 6. 15, Matth. 22. 2. Gen. 24. 3. Ibid. verſu 1.

Digitized by Google

quoque conceptu, auerſâ ab eâ captiuitate Ia-
Pſ. 84. 1. cob, & excuſſo ſeruitutis iugo, à peccato origi-
nali, præuentâ gratiâ, terra benedicta fuit; de
quâ ſecundus Adam Virgine, ſponsâ, ſimul ac
matre, miro ſancti Spiritus opere formaretur.
Aug. ſer. 75. de tép. Sed cur « dixit Abraham ad puerum ſuum; pone
manum ſub femur meum, & iura per Deum cœli
& terræ? Quid eſt hoc fratres? tanquam diceret:
mitte manum tuam ad altare: aut diceret, mitte
manum tuam ad Arcam teſtamenti; extende ma-
num ad templum Dei, & iura mihi. Femur tange-
bat, & per Deum cœli & terræ iurabat. Non enim
errabat beatus Abraham, quando hoc fieri impe-
rabat, ſed quia prophetiæ ſpiritu repletus, no-
uerat de ſemine ſuo Chriſtum cœli & terræ Do-
minum naſciturum. Ideo quando ſeruus ſuus fe-
mur illius contingebat, non per carnale mem-
brum, ſed per Deum viuum & verum iuramenta
Matth. 1. 2. præſtabat: quia Abraham genuit Iſaac, Iſaac ge-
nuit Iacob, Iacob genuit Iudam, de cuius ſemine
Chriſtus Dominus natus eſt. » Sed quid eſt, quod
juxta fontem & puteum Eliezer Rebeccam,
ſponſam futuram eſt allocutus? niſi quod om-
nium gratiarum fontem, & humilitatis puteum
Aug. ſupra. altum Mariam Gabriel eſt affatus. « Quid tamen
poſt hæc factum eſt? protulit puer inaures aureas,
Gen. 24. 22. & dextralia aurea, & dedit ea Rebeccæ. In illis
inauribus aureis ſignificabantur verba diuina, in
illis armillis aureis opera ſancta, quia in ma-
nibus opera deſignantur. » O verè promiſſas
olim Virgini « murenulas aureas vermiculatas
Cant. 1. 10. argento! » Verba dico diuina, quæ Mariæ auribus
appendit Gabriel, matrem Dei futuram prænun-
Cant. 5. 11. tians, cuius « caput aurum optimum » ô ſimul
argento vermiculatas murenulas! en Pſaltes

Digitized by Google

« eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum.» Audi quid dicat, quid auribus appendat Virginis: « ne timeas Maria: gloria Libani data eſt tibi » incorrupta & « exaltata ſicut cedrus in Libano » niue candidior, argento purgato ſeptuplum purior permanebis: « decor Carmeli & Saron » datus eſt tibi. Carmelus enim idem eſt quòd « cognitio circumciſionis, vel agnus circumciſus: » & quæ Agnum immaculatum circumcides, agnoſces in conceptu tuo, obũbrante Spiritu omnem libidinis æſtum circumciſum. Saron autem vbertatem & abundantiam ſignificans, bellè exprimit vteri tui Virginei fœcunditatem. « Audi ergo filia & vide, inclina aurem tuam » perfectam & perforatam, in ſignum ſeruitutis & obedientiæ; & murenulas aureas Angeli excipe, porrige & armillis aureis manus & brachia, operi omnium diuiniſſimo, hoc eſt Incarnationi Dominicæ, & humani generis ſaluti collabora. Aures inclinauit murenulis, manus armillis; dum Angelo conſenſit, in nuptiis ſponſam ſalutanti, his verbis: Aue Maria gratia plena.

Pſ. 11. 7. Luc. 1. 30. Eſa. 35. 2. Eccli. 24. 17. Eſa. 35. 2. Pſ. 44. 12.

EXORDIVM.

Suſpirabat humana natura ab origine mundi, & quo peccauit Adam, iugo graui ſeruitutis oppreſſa Redemptorem, qui ſubacta ſerpentis aſtutiâ fraudulenti, protoplaſti manum auxiliarem, medio internuntio Gabriele, ad Mariam Euæ correctricem miſſo porrigeret. Suſpirabat, inquam, & lugubri ſponſæ in Canticis voce, Luciferum execrans principãtem, Gabrielem ſupplex inclamabat: « Surge Aquilo & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata eius. » Enim-

Cant. 4. 16.

vallatus liliis.) Flammeus ibi roſæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei ſpargantur flores, & vario nitore depictus Chriſti thalamus exornetur. » Sed vnde tot horti noſtri concluſi flores & aromata fluxerunt? Gabrielis certè auſtralis venti ſpiramine perflata Maria, tot virtutum odores, quot verba produxit.

Divisio.

Sed quoniam non tam ſponſæ, quàm pronubi merita hodie ſuſcepi narranda; quantus fuerit diuini huius connubij paranymphus, paulò fuſiùs inquiramus in primâ huius tractatus parte, & in ſecundâ congruas reflexiones eliciamus.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Quis, quantuſue ſit Gabriel, ad tantum miniſterium deputatus, in quo de totâ Dei gloriâ, & totius mundi ſalute, cœli cum terrâ fœdere, nuptiis Dei cum homine vniuerſo orbi purificando contrahendis, agebatur; ſatis æſtimatur ex communi Regum negotium, timore quo ad regnorum diutina bella, mutuis fœderibus & nuptiali complexu componenda, internuntios digniores, prudentiores, ſibique chariores, & fideliores cæteris eligere conſueuerunt. Dionyſius Areopagita cœleſtis è cœlo magiſtri relucis Pauli Diſcipulus, Athenienſis primùm, dehinc Pariſienſis ciuitatis regni Galliæ Metropolis Epiſcopus, tantum credidit ſummi huius myſterij adminiſtrum, vt eum diuiniſſimi nomine inſignire voluerit. Parum quippe dixero ſi cum Damaſiono « Angelorum Anteſignanum: » appellauero. Prior enim, & in Gabrielis encomia vocalior, diuiniſſimum Dionyſius noſter appella-

Damaſc. orat. 2. de Aſſumpt.

Digitized by Google

uit: « Diuinum, inquit, humanitatis Ieſu myſterium Angelis primùm patefactum eſſe video, per quos deinde ad nos quoque cognitionis eius gratia peruenit. Ita diuiniſſimus ille Gabriel Zachariam quidem Pontificem docuit quòd puer ex ipſo præter ſpem diuinâ gratiâ naſciturus, Prophetæ foret humanæ diuinæque Ieſu diſpenſationis benignè ſimul ac ſalubriter appariturę: Mariam verò erudiuit, quomodo in ipsâ diuinum illud ineffabilis Dei formationis myſterium conſummaretur. » Alia porro quæ à diuerſis eidem Gabrieli circa Chriſtum miniſteria tribuuntur, diuerſis ipſe addixit ſpiritibus, aliumque cenſet docuiſſe Ioſephum de impletis promiſſis Dauid, alium qui paſtoribus Chriſti natiuitatem nuntiauit, & angelicum hymnum cum exercitu cecinit, alium qui in Ægyptum ſecedere, & inde redire monuit, alium qui Ieſum ipſum in agoniâ confortauit. Gregorius autem magnus, « Summum (inquit) Angelorum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiare veniebat. » Neque verò de ſimplici Angelorum ordine fuiſſe credendus eſt, aut Angelorum tantummodò ſummus, cùm Angelus miſſum ſignificet, quo & Malachias & Ioannes propter officium, licet naturâ homines, ſunt vocati: ſed cum Magiſtro ſent. De ordine Seraphim fuiſſe Gabrielem non immeritò dixero: cùm & Marcus Vigerius Cardinalis, multis rationibus conficere conetur ipſum fuiſſe primum Seraphici ordinis. Ac primo quidem id ſuadere nititur; quòd ſicut primus omnium apoſtatarum ſpirituum fallendo & ſeducendo Euam, per eam alliciendo virum, in vno perdidit omne genus humanum: ſic oportuit primum omnium Spirituum beatorum Mariam ad conſenſum ſua-

Dionyſius de cœleſt. Hierar. cap. 4.

Greg. homil. 34.

Magiſter ſent. diſt. 10.

Marcus Vigerius in decachordo Chriſtiano cho da 1 & 2.

Digitized by Google

lis, & in eis notas facit diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Quoniam quod ab iræ vaſis exigit iudicia punientis, hoc vaſis miſericordiæ dimittit gratia liberantis. Nec beneficium quod quibuſdam gratis tribuitur, appareret, niſi Deus aliis ex eâdem maſsâ pariter reis iuſto iudicio condemnatis, quid vtriſque deberetur, oſtenderet. Quis enim te diſcernit? ait idem Apoſtolus, homini tanquam de ſemetipſo, & de ſuo proprio bono glorianti. Quis enim te diſcernit? vtique ab iræ vaſis, à maſsâ perditionis, quæ per vnum, omnes miſit in damnationem. Quis te diſcernit? & tanquam reſpondiſſet, diſcernit me fides mea, propoſitum meum, meritum meum. Quid enim habes, inquit, quod non accepiſti? &c. Hoc eſt, quaſi de tuo ſit, vnde diſcerneris. Ergo ille diſcernit, qui vnde diſcernaris, impertit; pœnam debitam remouendo, indebitam gratiam largiendo. Ille diſcernit, qui cùm tenebræ eſſent ſuper abyſſum, dixit: fiat lux, & facta eſt lux. Et diuiſit, hoc eſt diſcreuit inter lucem & tenebras. Non enim cum ſolæ eſſent tenebræ, quod diſcerneret inuenit, ſed lucem faciendo diſcreuit: vt iuſtificatis impiis dicatur: fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ac ſic, qui gloriatur, non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur. »

1.Cor. 4.7.

Rom. 5. 16.

Gen. 1. 2. 3.

Epheſ. 5.8.

Sexta Reflexio. Vt ſemper in humilitate nos contineamus, & « cum timore & tremore ſalutem operemur » ſortem noſtram nobis ignotam eſſe voluit. « Nemo enim ſcit an amore vel odio dignus ſit » an vas iræ vel miſericordiæ; an cum Iudâ ſit reprobus, an cum Mathiâ ſit electus. Subobſcurè id nobis ſuo in Emblemate innuit Marcellus Papa ſecundus; pinxit in altari flammas, & ſtellam ſupereminentem ſimul cum

Philip. 2. 12.

Eccle. 9. 1.

Epigraphe, « noſtra latens » ſupple ſors eſt. Quis enim hominum nouit, an flamma, vel ſydera eum maneant. An inter ſtellas electas ſit numeratus; an altari iuſtitiæ diuinæ & flammis vltricibus deſtinatus. Hoc myſterium occultum latet in illo calice, de quo Dauid « calix in manu Domini plenus mixto. » Vinum quidem merum eſt, reſpectu Dei cuius iuſta & pura ſunt iudicia: ſed mixtum eſt reſpectu noſtri: vt ager, area, ſagena, in quibus frumentum & zizania; triticum & palea; piſces boni, & mali. Collegium eſt Virginum fatuarum & prudentum. Sed apud Deum iam ab initio, lux à tenebris eſt diuiſa. « Nouit Dominus qui ſunt eius, nouit in areâ paleam & triticum; nouit qui permaneant ad pœnam, qui permaneant ad coronam. » Vinum merum, inebriantem calicem, torrentem voluptatis ſeruat electis, cum Mathia: ſed fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ » cum reprobo Iudâ. « *Hunc* humiliat » ad vas contumeliæ, Iudam: « & hunc exaltat » in vas gloriæ Mathiam. « Inclinat ex hoc in hoc: » vt qui ſecundùm nos, vel iuxta præſentem iuſtitiam, electi videntur, declinent in reprobos: & qui modo apparent reprobi, tranſeant in electos: « vt qui ſtat, videat ne cadat; » & qui cecidit diiciat vt reſurgat: dicit enim « qui habet clauem Dauid ſanctus & verus, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit; » Angelo, id eſt Epiſcopo Philadelphiæ: « ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. » Nec te putes neceſſarium Deo. « Non enim ſunt ei neceſſarij homines impij. » Et ſicut in naturalibus corruptio vnius, eſt generatio alterius. Sic Angelis corruptis homines electi ad ruinas implendas; ſic Ia-

Typotius in Hierograph. Pon. f. Rom.

Pſ. 74. 9.

Gen. 1. 2. 3.

2. Tim. 2. 19.

Aug.

1. Cor. 10. 12.

Apoc. 3. 7. & 11.

Eccli. 15. 12.

cob Eſaü iunior, prodigus ſeniori, Samüel Heli, Iudæo Gentilis, Mathias Iudæ, vni ex quadraginta martyribus, alius: Eccleſiæ Orientali, Occidentalis: Hæreticis & Schiſmaticis noui Chriſtiani ſubſtituti ſunt. « Potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahę. Et diuum Franciſcum contriſtatum de fratribus imperfectis, & à diſciplinâ regulari deficientibus, cœleſtis vox conſolata eſt, dicens: « Aliis recedentibus, alios meliores ſubrogabo. Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum. »

Matth. 3. 9.
S. Bonau. in vita eius.
Pſ. 101. 19.

Septima Reflexio. Electis Dei duas lectiones præſcripſit Mathias; quas apud S. Clementem Alexandrinum reperi. Quarum vna monet electum, ſi flammas vindictæ diuinæ velit euadere, vt inſtar ſtellæ, in obſcurâ ſumus ſæculi nocte, bono exemplo præluceat proximo. « Dicunt, inquit, Mathiam Apoſtolum inter cætera dixiſſe: ſi electi vicinus peccauerit, peccauit electus: nam ſi ſe ita geſſiſſet vt iubet Verbum, ſeu Ratio; eius vitam ita eſſet reueritus vicinus, vt non peccaſſet. » Tantùm valet exemplum bonum, aut malum. « Qui te viderint ad te inclinabuntur. » Sic Principem Tyri in figuram Luciferi, Propheta compellat. Sic exemplo malo videbat abripientem Angelos. Sic « draco traxit caudâ tertiam partem ſtellarum. Ita Sapphyrus vt ſupra vidimus ex Philone Carpathio, ſibi proxima quæque ad ſe traxit, & ſuo cœleſti colore perfundit; vt ex aduerſo: « qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Cum bono bonus eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. » Altera ſententia Mathiæ refertur ab eodem Clemente « dicunt itaque Mathiam quoque ſic do-

Clem. Alex. 7. Strom. cap. 8.
Eſa. 14. 16.
Apoc. 12. 4.
Pſ. 17. 25.
Clem. Alex. 3. Strom. cap. 3.

cuiſſe: cum carne quidem pugnare,& eâ vti,nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem & cognitionem.» Hæc ſunt planè electorum alimenta. Sic iuxta Platonicos Tertullianus:« Omne corpus corporalibus ali iudicant, animam verò vt incorporalem, incorporalibus, ſapientiæ ſcilicet ſtudiis, &c. Non ſubſtantiæ ipſi alimenta proficiunt ſtudiorum, ſed diſciplinæ; quia nec opimiorem animam efficiunt, ſed ornatiorem.» Imò verò & pingueſcit & ornatur ſimul ſpiritualibus cibis anima Chriſtiana, quæ & carnem macerat abſtinentiis, & mortificationibus edomat. Talis electus Domini Calliopius, qui ad conuiuium ſolemne deorum inuitatus, & Idolothyta edere compulſus, dixit « ſe Chriſtianum, Chriſtum ieiuniis colere, nec in os Chriſtiani fas huiuſmodi cibos intrare.» Virgis cæditur, ſub pœnâ crucis ſacrificare iubetur. « Quid, inquit, me toties Chriſtianum ore libero confitentem, Chriſto cruciformem non affigitis.» Tandem quintâ Sabbathi ante Paſcha, quinque nummos dedit carnifici, vt inuerſâ formâ crucifigeretur. O Petro non imparem Martyrem; de quo diceret Auguſtinus: « qui Dominici non extimuit tormenta patibuli, ſimilitudinem expaueſcit triumphi.» Audita de cœlo vox: « hic verus eſt ciuis Chriſti, & cohæres ſanctorum Angelorum.» Vbi molles, & delicatuli Chriſtiani, qui carnem etiamnum Quadrageſimæ tempore impinguant carnibus, & animam inediâ ſpiritualium eduliorum ieiunam conficiunt. Hæccine ſunt documenta Mathiæ? Hæc vita eorum, quos « vocauit Deus in partem ſortis ſanctorum.» Quid diceret Chryſoſtomus ſi viueret? quâ notâ te electum & verè Chryſtianum à Gen-

Tertul. de anima, c. 6.

Surius 7. Aprilis.

Aug. ſer. de Apoſt. 5

Surius ſupra.

Coloſſ. 1. 12.

Chryſoſt.

h m.ad pop. Antioc tili diſcerneret? an à loco? Chriſtiani locus,templum eſt: tu verò in cauponâ, ludo,comœdiâ. An à veſte? Heu quomodo induis Ieſum? laſciuè an modeſtè veſtiris? an à ſermone? cibo? negotiis? &c. omnia Gentilem & reprobum redolent. Hoc quippe cum prædamnatis in multorum ore verſatur: « Coronemus nos roſis antequam marceſcant; nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra,&c. Quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ,&c. Hæc cogitauerunt,& errauerunt: excœcauit enim illos malitia eorum. Et neſcierunt Sacramenta Dei,neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.»

Sap 2. 8 &ſeq. Pſ. 30. 16. Pſ. 118. 73. Rom. 9. 21. Eccli. 27. 6. Pſ. 25. 2. & 3.

Ego verò, « dixi Domino, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me. Vtinam vas in honorem, & non in contumeliam. Et ſiquidem vaſa figuli probat fornax, proba me Domine & tenta me, vre renes meos & cor meum. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tuâ.» Improbos verò rege in virgâ ferreâ & tanquam vas figuli confringe eos, Tuis ô Mathia fac apud Deum meritis vt ſortiti partem Sanctorum in lumine fidei, ſortiamur hæreditatem æternam in lumine gloriæ. Amen.

IN FESTO GABRIELIS Archangeli.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Luc. 1. 26.

Diuina ſapientia quæ « diſponit omnia ſuauiter, & attingit à fine ad finem fortiter » ſe magnorum Principum ac Regum mori & conſuetudini coaptauit: « Rex namque Regum & Dominus dominantium, filio ſuo futurus nuptias » regni ſui primarium principem pronubum ac paranymphum Gabrielem de cœlo miſit in terras, vt Regiâ de tribu Dauid claram ortam Virginem, vnigenito filio ſuo matrem ſimul ac ſponſam quæreret. Ac velut Abraham miſit ſeruum ſuum fidelem domus ſuæ diſpenſatorem Elieſer in Meſopotamiam, adiurans eum, vt poſitâ manu ſuper femur, « non acciperet vxorem filio ſuo de filiabus Chananæorum » ſic miſit Deus pater « antiquus dierum » vt ibidẽ « Abraham ſenex, dierumque multorum » dicitur: præcepit fideliſſimo ſecretorum conſcio, ne accipiat vnico filio ſuo ſponſam de genere maledicto peccatorum. Licet enim viâ communi de ſtirpe Adam, pro cæteris omnibus maledicta proceſſerit; à communi lege, ſpeciali priuilegio, in ipſo

Sap. 8. 1. 1. Tim. 6. 15, Matth. 22. 2. Gen. 24. 3. Ibid. verſu 1.

quoque conceptu, auerſâ ab eâ captiuitate Ia-
Pſ. 84. 1. cob, & excuſſo ſeruitutis iugo, à peccato origi-
nali, præuentâ gratiâ, terra benedicta fuit; de
quâ ſecundus Adam Virgine, ſponsâ, ſimul ac
matre, miro ſancti Spiritus opere formaretur.
Aug. ſer. 75. de tēp. Sed cur « dixit Abraham ad puerum ſuum; pone
manum ſub femur meum, & iura per Deum cœli
& terræ? Quid eſt hoc fratres? tanquam diceret:
mitte manum tuam ad altare: aut diceret, mitte
manum tuam ad Arcam teſtamenti; extende ma-
num ad templum Dei, & iura mihi. Femur tange-
bat, & per Deum cœli & terræ iurabat. Non enim
errabat beatus Abraham, quando hoc fieri impe-
rabat, ſed quia prophetiæ ſpiritu repletus, no-
uerat de ſemine ſuo Chriſtum cœli & terræ Do-
minum naſciturum. Ideo quando ſeruus ſuus fe-
mur illius contingebat, non per carnale mem-
brum, ſed per Deum viuum & verum iuramenta
Matth. 1. 2. præſtabat: quia Abraham genuit Iſaac, Iſaac ge-
nuit Iacob, Iacob genuit Iudam, de cuius ſemine
Chriſtus Dominus natus eſt.» Sed quid eſt, quod
iuxta fontem & puteum Eliezer Rebeccam,
ſponſam futuram eſt allocutus? niſi quod om-
nium gratiarum fontem, & humilitatis puteum
Aug. ſupra. altum Mariam Gabriel eſt affatus. « Quid tamen
poſt hæc factum eſt? protulit puer inaures aureas,
Gen. 24. 22. & dextralia aurea, & dedit ea Rebeccæ. In illis
inauribus aureis ſignificabantur verba diuina, in
illis armillis aureis opera ſancta, quia in ma-
nibus opera deſignantur.» O verè promiſſas
olim Virgini « murenulas aureas vermiculatas
Cant. 1. 10. argento! » Verba dico diuina, quæ Mariæ auribus
appendit Gabriel, matrem Dei futuram prænun-
Cant. 5. 11. tians, cuius « caput aurum optimum » ô ſimul
argento vermiculatas murenulas! en Pſaltes

« eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne Pſ. 11. 7.
examinatum. » Audi quid dicat, quid auribus Luc. 1.
appendat Virginis: « ne timeas Maria: gloria Li- 30.
bani data eſt tibi » incorrupta & « exaltata ſicut Eſa. 35. 2.
cedrus in Libano » niue candidior, argento pur- Eccli.
gato ſeptuplum purior permanebis: « decor Car- 24. 17.
meli & Saron » datus eſt tibi. Carmelus enim Eſa. 35.
idem eſt quòd « cognitio circumciſionis, vel 2.
agnus circumciſus: » & quæ Agnum immaculatum circumcides, agnoſces in conceptu tuo, obũbrante Spiritu omnem libidinis æſtum circumciſum. Saron autem vbertatem & abundantiam ſignificans, bellè exprimit vteri tui Virginei fœcunditatem. « Audi ergo filia & vide, inclina au- Pſ. 44.
rem tuam » perfectam & perforatam, in ſignum 12.
ſeruitutis & obedientiæ; & murenulas aureas Angeli excipe, porrige & armillis aureis manus & brachia, operi omnium diuiniſſimo, hoc eſt Incarnationi Dominicæ, & humani generis ſaluti collabora. Aures inclinauit murenulis, manus armillis; dum Angelo conſenſit, in nuptiis ſponſam ſalutanti, his verbis: Aue Maria gratia plena.

EXORDIVM.

Suſpirabat humana natura ab origine mundi, & quo peccauit Adam, iugo graui ſeruitutis oppreſſa Redemptorem, qui ſubacta ſerpentis aſtutiâ fraudulenti, protoplaſti manum auxiliarem, medio internuntio Gabriele, ad Mariam Euæ correctricem miſſo porrigeret. Suſpirabat, in- Cant. 4
quam, & lugubri ſponſæ in Canticis voce, Luci- 16.
ferum execrans principâtem, Gabrielem ſupplex inclamabat: « Surge Aquilo & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata eius. » Enim-

Digitized by Google

verò, ſi Scripturæ ſanctæ idiomate, Angeli ſiue
Pſ. 103. 5. boni, ſiue mali, ventis comparantur, & venti,
ſpiritus eſſe dicuntur: « Qui facit Angelos ſuos
ſpiritus: » quia nimirum Angeli, vento, & alato
curſore velociores, Dei nutibus alacres obtem-
perant; in Lucifero Aquilonem, & in Auſtro Ga-
brielem delineatum intelligimus. Audite Lucife-
Eſa. 14. 13. rum olim ex hac orbis parte flantem: « in cœlum
conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium
meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus
Ier. 13. Aquilonis. » O plagam ſæuam! « Quid tu vides?
Ollam ſuccenſam, (Sanct. Pagn. ex Hebr. bul-
lientem,) ego video, & faciem eius à facie Aqui-
lonis. Et dixit Dominus ad me: ab Aquilone
pandetur (Hebr. ſoluetur) malum ſuper omnes
habitatores terræ. » 70. « Exardeſcent mala ſuper
omnes habitatores terræ. » O quot mala, quan-
tas ſæuiens ſic Aquilo, cœlo, terrâ, mari tempe-
ſtates excitauit! In cœlo turbinem pulueris va-
nitatis, quo capti ſequacium oculi, in puteum
abyſſi corruerunt. Quo altiſſimæ Cedri Libani
in terra in ſummis montium radicitus extirpatæ
Pſ. 28. 5. ſunt. « Vox Domini confringentis Cedros, &
confringet eas, & comminuet ſicut vitulum Li-
bani. » Quo ſublimia, ornata, ditia ſanctarum
Cant. 1. 16. animarum palatia, quorum « tigna cedrina, la-
quearia cypreſſina » ſubuerſa funditus, & imò
ſolo æquata ſunt. Quo fluminum curſus, id eſt,
iuſtorum hominum in mare diuinitatis fluen-
Eccle. 1. 7. tium, « & vnde exeunt reuertentium » pigro gelu
conſtricti tardati ſunt. Quo onuſtæ pretioſis
Orientis gratiæ mercibus naues, in profundum
abſorptæ perierunt. Quo denique perflante ſer-
pentino ſibilo paradiſum, cum protoplaſte cæte-
ri homines loco voluptatis exſufflati, irreuoca-

biliter perierunt facti « ſicut puluis quem pro- Pſ. 1. 5
iicit ventus à facie terræ. » Quid ergo mirum, ſi
flatibus & turbinibus huius Aquilonis tandiu
concuſſa humana natura, cogitur exclamare:
« ſurge Aquilo: » egredere de terrâ, inferni clau- Cant. 4.
ſtra repete: « & veni Auſter » tu Gabriel, « plu- 16.
uiæ voluntariæ » Paranymphe, ſpirator roris, à Pſ 67.
parte lucidâ, & calidâ, veni « miſſus à Deo » Pa- 10.
tre, & filius de « accubitu Patris, ille qui paſcit Luc. 1.
& cubat in meridie, ante luciferum, in ſplendo- 26.
ribus ſanctorum ex vtero genitus » in ſinum ma- Cant. 1.
tris aduolet incarnandus. « Veni Auſter perfla 6.
hortum meum: » Mariam « hortum concluſum: Pſ. 109.
gratiâ plenam » ſaluta: frigidum timoris Aqui- 4.
lonem expelle, dicens: « Ne timeas Maria, inue- Cant.
niſti enim gratiam apud Deum: & fluent aroma- 4. 16.
tâ eius. » O quot aromata! quàm ſuauiter Verbi Cant.
diuini naribus olentia, Auſtro flante, ex ore Ma- 4. 12.
riæ liquata fluxerunt! pudoris quidem, cùm di- Luc. 1.
xit: « Quomodo fiet iſtud? » O roſam purpurâ ve- 30.
recundiæ tinctam, & virgineo pudore fragran- Cant.
tem: « quoniam virum, non cognoſco. » O lilium 4. 16.
niueâ caſtitate candicans! « Ecce ancilla Do- Luc. 1.
mini. » O violam ſubcinericio humilitatis in- 34.
uiolabilis colore tinctam! « Fiat mihi ſecundùm
verbum tuum. » O nardum reſignationis & obe- Luc. 1.
dientiæ nidore perfuſam, Regem ſponſum à cœ- 38.
leſti accubitu ad virgineum thalamum mirificâ
ſuauitate trahentem! « Extendat nunc fides
ſplendentis vteri pulchra tentoria, obumbret Aug.
virtus, Spiritus ſibilet, naturali calore depulſo, ſer. 21.
tenuis Virginem aura refoueat, & fluente refri- de tẽp.
gerio, ſpiramentis cœleſtibus ventiletur, aluus & 17.
virginalis ſertis verecundiæ coronetur. (En cin- de Nat.
gulum ſponſæ, cuius venter ſicut aceruus tritici Cant. 7. 2.

Digitized by Google

vallatus liliis.) Flammeus ibi roſæ fulgor anhelet, albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei ſpargantur flores, & vario nitore depictus Chriſti thalamus exornetur. » Sed vnde tot horti noſtri concluſi flores & aromata fluxerunt? Gabrielis certè auſtralis venti ſpiramine perflata Maria, tot virtutum odores, quot verba produxit.

Divisio. Sed quoniam non tam ſponſæ, quàm pronubi merita hodie ſuſcepi narranda; quantus fuerit diuini huius connubij paranymphus, paulò fuſiùs inquiramus in primâ huius tractatus parte, & in ſecundâ congruas reflexiones eliciamus.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Quis, quantuſue ſit Gabriel, ad tantum miniſterium deputatus, in quo de totâ Dei gloriâ, & totius mundi ſalute, cœli cum terrâ fœdere, nuptiis Dei cum homine vniuerſo orbi purificando contrahendis, agebatur; ſatis æſtimatur ex communi Regum negotium; timore quo ad regnorum diutina bella, mutuis fœderibus & nuptiali complexu componenda, internuntios digniores, prudentiores, ſibique chariores, & fideliores cæteris eligere conſueuerunt. Dionyſius Areopagita cœleſtis è cœlo magiſtri relucis Pauli Diſcipulus, Athenienſis primùm, dehinc Pariſienſis ciuitatis regni Galliæ Metropolis Epiſcopus, tantum credidit ſummi huius myſterij adminiſtrum, vt eum diuiniſſimi nomine inſignire voluerit. Parum quippe dixero ſi cum Damaſiono « Angelorum Anteſignanum : » appellauero. Prior enim, & in Gabrielis encomia vocalior, diuiniſſimum Dionyſius noſter appella-

Damaſ. orat. 2. de Aſſumpt.

uit: « Diuinum, inquit, humanitatis Ieſu myſterium Angelis primùm patefactum eſſe video, per quos deinde ad nos quoque cognitionis eius gratia peruenit. Ita diuiniſſimus ille Gabriel Zachariam quidem Pontificem docuit quòd puer ex ipſo præter ſpem diuinâ gratiâ naſciturus, Prophetæ foret humanæ diuinæque Ieſu diſpenſationis benignè ſimul ac ſalubriter apparituræ : Mariam verò erudiuit, quomodo in ipsâ diuinum illud ineffabilis Dei formationis myſterium conſummaretur. » Alia porro quæ à diuerſis eidem Gabrieli circa Chriſtum miniſteria tribuuntur, diuerſis ipſe addixit ſpiritibus, aliumque cenſet docuiſſe Ioſephum de impletis promiſſis Dauid, alium qui paſtoribus Chriſti natiuitatem nuntiauit, & angelicum hymnum cum exercitu cecinit, alium qui in Ægyptum ſecedere, & inde redire monuit, alium qui Ieſum ipſum in agoniâ confortauit. Gregorius autem magnus, « Summum (inquit) Angelorum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiare veniebat. » Neque verò de ſimplici Angelorum ordine fuiſſe credendus eſt, aut Angelorum tantummodò ſummus, cùm Angelus miſſum ſignificet, quo & Malachias & Ioannes propter officium, licet naturâ homines, ſunt vocati: ſed cum Magiſtro ſent. De ordine Seraphim fuiſſe Gabrielem non immeritò dixero : cùm & Marcus Vigerius Cardinalis, multis rationibus conficere conetur ipſum fuiſſe primum Seraphici ordinis. Ac primo quidem id ſuadere nititur; quòd ſicut primus omnium apoſtatarum ſpirituum fallendo & ſeducendo Euam, per eam alliciendo virum, in vno perdidit omne genus humanum : ſic oportuit primum omnium Spirituum beatorum Mariam ad conſenſum ſua-

Dionyſius de cœleſt. Hierar. cap. 4.

Greg. homil. 34.

Magiſter ſent. diſt. 10.

Marcus Vigerius in decachordo Chriſtiano cho da 1 & 2.

Digitized by Google

dendo reparare genus humanum. Vnde Auguſtinus « Cum per pleraſque temporum gyrantium rotas mundiale curriculum volueretur, neque quiſpiam mederetur, & ingraueſcentibus culpis ruinæ præcipitis ictu & fremitu, totius orbis membra pulueſcerent, & nemo ſuccurreret, ad fœminam cauſa reuertitur, & origo per originem detruncatur: origo peccati (ſupra dixerat ex Eccli. 25. à muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur,) per genitricem Chriſti, proſapies impietatis, per proſapiem pietatis, ſtirps mortis, per ſtirpem vitæ percutitur, &c. Eua mater generis noſtri, pœnam intulit mundo, genitrix Domini noſtri ſalutem & fœminæ geſſit & viro. Auctrix peccatri maledicta, auctrix meriti benedicta. » Imò verò maledictus ex primo Seraphim ſerpens factus, ſeduxit Euam, benedictus Gabriel eiuſdem ordinis, in ſalutem hominis induxit Mariam, Bernardus in hac cauſa reſpondet Auguſtino: « Miſſus eſt (inquit) coluber tortuoſus à diabolo vt venenum per aures mulieris in ipſius mentem transfunderet, & ſic refunderet in totius poſteritatis originem: miſſus Angelus Gabriel à Deo, vt Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipſius eructaret, vt eâdem viâ intraret antidotum quo venenum intrauerat. » Secundò, vt Lucifer primus omnium diuinitatem inuadere voluit in cœlo, & homini ſuaſit per feminam futuros ſicut Deos, ſi de vetito ederent ligno: ſic oportuit primum Seraphim ad huius rapinæ ſacrilegæ reparationem, homini ſuadere Deum futurum hominem in vnitate perſonæ. Quod quidem vt tertiam rationem ſubiiciam ex ſecundâ fluentem, fieri de-

Aug. ſer. 21. de tēp. & 27. de Nat. Dom.

Ber. ſer. 2. in Pentec.

buit per ſanctum Gabrielem. Si enim Hieronymo credimus « Gabriel idem ſignificat, quod, confirmauit me Deus.» Si ſancto Proclo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, Deus & homo. «Reuerere ſaltem, ô homo, Archangeli appellationem is namque qui lætum illum nuntium Mariæ detulit, Gabriel vocabatur. Quid verò Gabrielem interpreteris? Arrige aures, & diſce, Deus & homo. Quia itaque ille quem annunciabat, Deus erat ac homo, quò faciliùs diſpenſationem perſuadeat, rei miraculum, nominis notatione anticipat.» Quartò, quantò creditu difficilius erat myſterium tantò ſpiritui perſuabiliori credendum erat. Linguas Angelorum recolo ab Apoſtolo memoratas, ſimulque ab eo diſco, nil omnium linguas ſiue hominum ſiue Angelorum eſſe niſi cymbalum tinniens, vel æs ſonans ſi fuerint deſtitutæ charitate. Sed Gabriel noſter Seraphico & ignito eloquio vehementer cor Virginis illuſtrauit, accendit, inflexit, maximo omnium myſterio, humanitus incredibili credendo induxit. Quintò, quantò extrema duo erant ab inuicem ſeparata & diſtantia, tantò per medium ſpiritum & Deo dignitate & zelo eius gloriæ propinquiorem & homini beneuolentia coniunctiorem debuere connecti. Medium etiam eum agnouit Chryſoſtomus, & Verbi diuini portitorem, vbi ait: «in medio. Angelus adueniens qui eſt vehiculum Verbi; infundit Mariæ, concepit credens verbo.» Vtraque facit vnum, cœlum terræ, Deum homini coniungit. « Ex ſinu Patris, in vterum dignatur deſcendere matris: ſed nec regionem ſuam maieſtas infinita deſeruit, nec eum Virginalis aula, dum accepit, incluſit. Fides à terra in cœlum erecta eſt, (velut ſcalâ) huic Chri-

Hiero. lib. de Nom. Hebr.

Proclus orat. 1. de Lau. Mariæ.

Chryſoſt to. 1 hom. in Pſ. 9.

Aug. ſer. 17. de tēp.

ſtus inſedit, & per ipſam in templum pudoris intrauit.» Malim iuxta Chryſoſtomum Gabrielem vehiculum Verbi & quaſi regiam geſtatoriam ſellam dicere, cui Dei Filius inſedit, & quâ mediâ in templum virginei pudoris intrauit. Licet porro omnes Angeli, vt notat Rupertus, hominum ſaluti collaborent, nato Chriſto, reſurgentique congaudentes: « præ omnibus tamen Michaël atque Gabriel coram Domino pro nobis ſunt, propter nos ſatagunt, & in noſtrum eunt atque veniunt adiutorium; ſicut teſtatur vtrumque, vetus ſcilicet & nouum teſtamentum. Nam in veteri Daniel audiuit vocem dicentis ſibi, Gabriel fac intelligere iſtam viſionem virum iſtum qui Gabrieli loqui præcepit, vt Danielem faciat intelligere viſionem, Iudæi Michaël autumant, conſequenter autem quia viſio de præliis erat, Regumque certaminibus, imò regnorum ſucceſſionibus Gabriel qui præpoſitus eſt præliis, huic officio mancipatur. Gabriel enim in noſtrâ linguâ vertitur fortitudo, vel robuſtus Dei. Vnde & eo tempore, quo erat Dominus naſciturus, & indicturus bellum dæmonibus, & triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam, & ad Mariam, (terribilem vt caſtrorum aciem ordinatam) & poſtea in Pſalmo de Domino legimus triumphante: quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus fortis & potens in prælio.»

Rup. lib. 5. in Apoc. à prin. Eccli. 13. 1.

Sextò, quis in dubium vocet quòd quò maior gratiæ theſaurus, & dotalia ſponſalia cœli terræque Reginæ per Regem Regum & Dominum dominantium mittebantur, & totius mundi pretium ac redemptio vniuerſi, eo fideliori debuit omnium cœlitum œconomo & diſpenſatori

committi;

committi;qui non ab alio vtique Angelo, ſed ab ipſo Deo immediatè mittebatur.

Enimverò « Gabriel ille horum ſponſalium internuncius fuit, &c. Tanti Regis nuntius, & ſecreti diuini legatus, qui ex palatio Imperatoriȩ Maieſtatis indulgētiam reddit criminoſis, vitam mortuis, & pacem ſacram attulit captiuis, &c. Fauit partibus ſæculi conſcius ſecretorum cœli, lætantur ſocij quòd negotium iuuerit mundi.» Et in his laudibus magiſtrum Auguſtinum ſubſequitur, deuotus diſcipulus Bernardus. « A Deo (inquit) non ab alio aliquo fortè excellentiori ſe, vt aſſolet, ſpiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur, &c. Ne cui vel beatorum ſpirituum ſuum Deus antequam Virgini reuelaſſe putetur conſilium, excepto duntaxat Archangelo Gabriele: qui vtique tantæ inter ſuos inueniri potuerit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur & nuntio. Dei quippe virtutem Chriſtum quem melius nuntiare decebat, quàm hunc quem ſimile nomen honoraret.» Præluxerat & Bernardo S. Proclus, vbi ſic Deiparam trepidantem nominis ſui energiâ confirmat. « Deponens itaque dubitationem, lubens ſuſcipe ſalutationem: excute muliebrem humilitatem, & ſenſum induere virilem. An neſcis ob huius me myſterij diſpenſationem, nominis iſtius hanc ab initio accepiſſe nuncupationem? Nam Gabrielem interpreteris, homo Deus. Quia enim immutabilis Deus, humanâ formâ inter homines appariturus erat, in Angelico præuiè miniſterio, glorioſum ſuum præſignauit aduentum, quò infidelibus quidem putaretur, vt homo mortalis; fidelibus autem innoteſceret vt Deus immortalis.» Cui accinit Euſebius Gallicanus.« Miſſus eſt (inquit)

Aug. ſer. 17. de Nat. Dom.

Bern. homil. 1. de Laud. Mariæ.

Proclus orat. 6. in ſanctam Deiparam.

Euſeb.

Gallicanus ſer. 4. Dom. 4 Aduentus.

Angelus Gabriel; qui Dei fortitudo interpretatur, vt Dei virtutem, & Dei ſapientiam carnem ſuſcipere nuntiaret. Sed quò miſſus eſt? in Nazareth ciuitatem Galilææ. Vbi enim caſtitatis & munditiæ mater, niſi in Nazareth habitare debuerat, quæ flos vel munditia interpretatur. Et nomen Virginis Maria. Dicitur enim Maria ſtella maris. Plures ſtellas habet cœlum, mare vnam quæ præ illis omnibus clarior & melior eſt. De hac enim vna ortus eſt Sol iuſtitiæ, cuius fulgore omnia illuſtrantur. Quem qui ſequitur non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Cuius igitur fulgoris illam ſtellam eſſe putamus, quæ hunc tantum talemque Solem peperit mundo? » Excellentiæ Gabrielis magnitudinem metitur S. Anaſtaſius Antiochenus Archiepiſcopus. Quid (inquit) iterum in terra magnus vult Gabriel? Ergo ad nos rurſum venit? qualibus Dei myſteriis ſeruit? non minoribus, ſed verè tremendis miniſtrat mãdatis. Magna ſunt quę ei credũtur. Nemo alius per ipſum declarata facilè percipere poſſit. Ei ſoli cõmittuntur arcanæ Dei ſapientiæ theſauri, ac profundum inſcrutabilium eius iudiciorum docetur: ad nos quandoque venit, vt virum deſideriorum ſapientiâ erudiret, doceretque Regum ſucceſſiones & mundi finem; vt item Reſurrectionem & iudicium cuique ordine reddendum prænunciaret futuráque reuelaret. Venit iterum vt mirabilem diuini Baptiſtæ natiuitatem Patri annuntiaret, &c. Rogo num ab iis quæ ſcripta ſunt fide dignus aduenerit; quod nimirum ſteriles ſuſcipiant liberos, ſenes procreent filios, immaturi in vtero fœtus exiliant, Sacerdos ob incredulitatem loquelam amittat. Alij aliique ſanctorum Angelorum aliud quid nego-

Anaſt. Antioc. ſer. 2. de Annũt.

Digitized by Google

tij creditur; huic vni quod eſt vniuerſorum caput, committitur; nimirum Deum in Virginis vuluâ ſine ſemine concipi, Spiritũ ſanctũ edendæ proli cooperari; eũ qui eſt ſuper omnia Pater ac Deus, in hæc verba iubere Virginẽ ſalutari, Aue gratiâ plena, Dominus tecum. O magnificam ac diuinam vocem! O excellentem clementiam ac bonitatem! ô Angelorum verè miniſterium! »

Nec ſubticendum quod arcanorum Hebræorum Interpres doctiſſimus Franciſcanus, Franciſcus Georgius Venetus de Gabriele retulit. « Apparuit, inquit, Danieli in Vlai, id eſt veſtibulo vel porticu templi, non intra templum, quia nihil prædixit de iis quæ fieri debebant per Chriſtum? niſi quòd ſigillari debebat prophetia, (id eſt impleri perfectè) conſummari peccatum, (perfidiæ Iudæorum in morte Chriſti) & deleri iniquitas; (peccatum mundi ſanguine Agni, vel extremâ ruinâ deſolari gens Iudæa.) Vt indicaretur, quòd Daniel nondum intrauerat verum templum Dei quod eſt Chriſtus, per quem & nos facti ſumus membra eius, & templum Dei, cùm mediante Chriſto Deus habitet in nobis. De quo templo non facto, multa prædixit Daniel, (iam vtique à Veſtibulo in templum & intima adyta per Gabrielem introductus erat,) deſtruendo per Paſſionem, reædificando per Reſurrectionem. Soluite templum hoc, &c. Cùm dixit Daniel, post Hebdomadas 62. occidetur Chriſtus, en ſolutio templi; & Hebdomades ſeptem & ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea & muri templi videlicet & tabernaculi non manu facti. Poſt ſexaginta nouem Hebdomadas, in ſeptuageſima prædixit hæc omnia futura, quod patet benè ſupputanti Hebdomadas annorum à

Georgius Venet. to. 3. Sect. 9. Problem. 488.

Dan. 8. 2.

Io. 2. 19

Hebr. 9. 11.

Digitized by Google

vt partus eius diabolo celaretur qui diuinitatem Daniele vſque ad Chriſtum. Aperire autem occulta myſteria Gabrielis eſt proprium. » Et quoniam præfatæ Hebdomades iuxta Irenæum & Ambroſium ad myſterium Incarnationis à Deo fuerant ordinatæ; congruum fuerat, vt idem Gabriel qui multis ante temporibus Incarnationem Verbi Danieli prædixerat, idem quoque B. Annæ Virgini matris ortum & Zachariæ Ioannis Præcurſoris natiuitatem, & ipſi Mariæ Chriſti conceptum annuntiaret. « Adeſt Angelus Gabriel, & à ſuperiorum cœlorum cardine Domini fortitudo deſcendens, ſtat à dextris altaris incenſi. Nec quilibet Angelus, ſed ille ſublimior, qui Beatæ Virginis nuntium attulit ſingulare, etiam electus eſt vt annuntiaret militem, qui Regem nuntiare debebat. » Sed quam velox & feſtinus ſemper humano generi beneuolus Gabriel accurrat, Daniel & Chryſoſtomus indicant. « Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in viſione à principio, citò volans, (Sanct. Pagn. ex Hebr. volans volatu,) tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini. » Et quid volantem vidit? « Non quòd pennatus ſit Gabriel, (licet & Cherubim apud Ezech. & Seraphim apud Eſaïã) ſed quia ob ſublimes cœleſtis naturæ vires; vel pennato animo & in homines celeri & propenſo ad Incarnationis myſteriũ miniſter aduolauit. »

Iren. lib. 5. cap. 25. Ambr. ſer. 63. Pantaleo apud Metaphraſt. Ber. ſer. de priuileg. Baptiſt.

Dan. 9. 21.

Chryſoſt. de inconprehenſibili Nat. Dom.

Lubet hîc ordinem tantæ nuntiaturæ, miris conceptibus S. Gregorij Thaumaturgi Neocæſareæ Epiſcopi, Origenis diſcipuli nullis tamen eius erroribus inferti, referre. « Menſe ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem deſponſatam viro. Quem hîc ſextum menſem dicit? Illum nimirum, ex quo lætum illud Elizabeth

Greg. Thaumat. ſer. 3. de Annũt.

Digitized by Google

accepit nuntium, ex quo Ioannem concepit. Et tom.5.
vnde hoc planum fit? id ipſemet interpretatur Bibliot.
Archangelus ad Virginem dicens: Ecce inquit, Pat.
Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in Luc.1.
ſenectute ſuâ, & hic menſis eſt ſextus illi quæ 36.
vocatur ſterilis. Menſe ſexto ſcilicet à conceptione Ioannis. Conueniebat enim vt miles præcederet, vt ſatelles anteuerteret; decebat vt nuntius præcurreret, qui Domini aduentũ prædicaret, &c.» De Gabriele nuntio vtriuſque natalis, Greg.
hæc habet. «Miſſus eſt Gabriel, vt totius mundi Thaumat.
ſalutem adnuntiaret. Miſſus eſt Gabriel, vt re- ſupra.
uocationis ſubſcriptionem Adamo deferret. Miſſus eſt ad Virginem Gabriel, vt mulieris ignominiam in honorem cõmutaret. Miſſus eſt Gabriel, vt dignum puriſſimo ſponſo thalamum præpararet. Miſſus Gabriel, vt inter creaturam & Creatorem ſponſalia contraheret. Miſſus eſt Gabriel, ad animatum Regis Angelorũ palatiũ. Miſſus eſt ſeruus incorporeus, ad Virginem inuiolatam atque immaculatam. Miſſus eſt à peccato liber, ad eam quæ omnis corruptionis expers erat. Miſſus eſt lychnus, qui ſolem iuſtitiæ indicaret. Miſſus diluculi linitor, qui diei lumen præcurreret. Miſſus eſt miles, qui magni Regis myſterium proclamaret. Myſterium, inquam, quod fide cognoſcitur, & curioſitate non indagatur. Quod adoratur, & humano ingenio non ponderatur. Myſterium quod diuinis & non humanis rationibus expenditur.» Dehinc ponderat ipſe cur ad Virginem deſponſatam viro cui nomen erat Ioſeph Greg.
ſit miſſus Gabriel. «Ad Virginem (inquit) deſ- Thaumat.
ponſatam non coniunctam. Deſponſatam qui- ſupra.
dem, ſed ſeruatam. Cur deſponſatam? Ne citius latro myſterium cognoſceret. (Iuxta Ignatium,

ſuffurari Deo voluerat, & ſui latrocinii participes primos parentes effecerat.) Quòd etenim per Virginem Rex venturus eſſet, improbum non latebat. Nã & Eſaïæ illa verba ipſe audierat: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium. Quare & quotidie Virginis vocem obſeruabat, (quòd vox iuxta Tertullianum mulieris grauidæ obſoleſcat,) vt vbi myſterium hoc adimpleretur, infamiam pręppararet. Atque ideo Dominus per deſponſatam venit, vt improbum lateret: quæ enim deſponſata fuerat, deinceps ſponſo tradenda erat. Audi quid de hoc viro & Virgine Propheta: Dabitur, inquit, liber hic obſignatus, (liber, inquam, generationis Ieſu Chriſti de Virgine nati, ſponſa Ioſeph,) viro ſcienti literas. Et quis iſte obſignatus eſt liber, niſi omnino immaculata Virgo? A quibus dabitur? à Sacerdotibus ſcilicet. Cuinam viro? fabro Ioſeph. Cùm igitur Sacerdotes Virginem Mariam caſto deſpondiſſent Ioſeph, eam ipſi commendarunt, tempus nuptiarum expectantes. Quàm quidem ipſe accipiens, integram erat conſeruaturus. Quod & longè antea prædixerat Propheta: Dabitur, inquiens liber obſignatus viro ſcienti litteras, (nec enim ignorabat quod ſcripſerat Eſaïas Virginem parituram, ſed quænam illa eſſet, ignorabat, multò minùs ſeipſum tantæ Virginis Dei matris ſponſum eſſe præſumebat,) & dicet: Non poſſum legere, cur non potes legere ô Ioſeph? Non poſſum, inquit, legere, nam liber obſignatus eſt, (vt hortus concluſus, & fons ſignatus.) Cuinam ſeruatus? rerum omnium Creatori pro domicilio cuſtoditur.»

Eſa.7. 14.

Tertul. de vel. Virg. cap. 11.

Eſa.29 11.

Eſa.29. 12.

Cant. 4. 12.

Præ cæteris idem Sanctus, vt opere, ſic eloquio mirus, explanat Euangeliſtæ verba dicentis, miſ-

ſum à Deo Gabrielem, dum inducit Deum patrem ſic vocantem: « Adeſdum, ô Archangele, miniſter tremendi & arcani eſto myſterii, miraculo deſer... Ad requirendum Adam qui errauerat meis commotus miſerationibus deſcendere propero. Peccatum inueterauit eum qui ad imaginem meam formatus eſt, & opus manuum mearum debilitauit, pulchritudinemque à me confectam obſcurauit. Lupus meum alumnum deuorat. Paradiſi domicilium deſolatur: lignum vitæ à flammeo cuſtoditur: campus deliciarum clauſus eſt, oppugnati miſereor, & hoſtem comprehendere volo. Myſterium hoc (abſconditum à ſæculis, quod nemo principum huius ſæculi nouit,) cunctas virtutes cœleſtes latere cupio, quæ tibi ſoli confido. Vade igitur ad Mariam Virginem. Abi ad animatam ciuitatem, de quâ dicebat Propheta: Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Abi ad paradiſum meum ratione præditum, Abi ad portam Orientalem. Abi ad domicilium Verbo meo dignum. Abi ad alterum, quod in terra eſt, cœlum. Abi ad nubem leuem, & aduentus mei ipſi adnuntia imbrem, &c. Si ignis in ſolitudine læſit rubum, lædet omnino & Mariam meus aduentus: at ſi ignis ille qui diuini mei ex cœlo ignis aduentum deſignabat, rubum rigauit, non combuſſit, quidnam de ipsâ veritate dixeris, non in flammâ ignis, ſed in ſpecie pluuiæ deſcendente? » Ait enim Pſaltes: « deſcendet ſicut pluuia in vellus. »

Greg. Thaumat. Ibid. ſupra. Gen. 2. 17. Pſ. 86. 3. Exod. 3. 2. Pſ. 71. 6

« Gabriel ille horum ſponſalium internuntius, quid dixerit, quid audierit referat. (Poſuerat enim in eius ore Deus, pro Chriſto legatione fungentis verbum reconciliationis:) Aue, inquit, gratiâ plena, Dominus tecum. Gratia refertur

Aug. ſer. 17. de Nat.

Digitized by Google

pro culpâ, plena dicitur, non vacua. Impleta eſt ergo gratiâ, & euacuata eſt culpa.» Liceat & mihi hæc de verbis ſancti Procli oracula Angeli Gabrielis ori Virginem ſalutantis imponere Aue Maria, Aue gratiâ plena, «quæ verè impollutus es virginitatis theſaurus, ſpiritalis ſecundi Adam paradiſus; vnionis naturarum officina; ſalutaris commercij nundinæ thalamus in quo ſibi Verbum carnem deſponſauit: mundiſſimum vellus imbris cœleſtis ex quo paſtor ouem induit; Dei ad homines vnicus pons; horrendum Incarnationis textorium iugum, in quo ineffabili quadam ratione, vnionis illius tunica confecta eſt; cuius quidem textor extitit Spiritus ſanctus, (tunicæ, inquam, inconſutilis deſuper contextæ per totum) nectrix virtus obumbrans ex alto; luna antiquum Adami vellus, trama impolluta caro ex Virgine; textorius radius, immenſa geſtantis gratia; artifex tandem Verbum per auditum illabens, &c. Nam vbi ſerpens per inobedientiam ingreſſum virus effuderat, ibi Verbum per obedientiam ingreſſum, viuum ſibi exædificauit templum.» Æquum quippe fuit «vt Angelus cum Virgine loqueretur, vt non ampliùs cum muliere ſerpens loquatur.» Dicat ergo, Aue ſanctificatum Dei templum, aureum altare holocautomatum, diuinum compoſitionis tymiama, ſacrum vnctionis oleum, pretioſum nardi piſtici alabaſtrum, Sacerdotale Ephod diuinam ſignans voluntatem, aureum candelabrum ſeptem Ellychniorum lucernam portans; arca intrinſecùs & extrinſecùs deaurata, corpore ſcilicet & ſpiritu ſanctificata. Aue primogenita illa iugi expers ac rufa vitula, cuius cinis, Domini ſcilicet corpus ex eâ ſumptum, inquinatos ab impurâ pecca-

Proclus orat. I. de Lau. Mariæ.

Greg. Thau. ſer. 3. de Annũt. S. Proclus orat. 6. de Lau. Mariæ.

torum lue emundet: porta ad Orientē reſpiciens, Hebr.
propter Domini per eā ingreſſum egreſſumq; in 9.13.
perpetuū clauſa. Aue nauis Regia quæ de Tharſis Ezech.
diuitias portat; quæ, inquam, cœleſtis Regis 44.1.
Ieruſalem ex Gentilium regione gentium con- 3. Reg.
uerſionem afferat. Aue oliua fructifera plantata 10.22.
in domo Domini, ex quâ Spiritus ſanctus Domi-
nici corporis ramum accipiens tempeſtate iacta-
to humano genere detulit, fauſtè de cœlo annun-
tians pacem. Floridus ac immarceſſibilis hortus Gen.2.
in quâ lignum vitæ plantatum, vniuerſis liberè 9.
fructum immortalitatis præbet. Nouæ creaturæ
cœleſtis globus, in quâ Sol iuſtitiæ nunquam oc-
cidens, omnem ab anima omni peccatorum no-
ctem fugauit. »

Sed quàm aptè, quàm prouidè ad pauidam Virginem & de tantâ gratiâ trepidam Gabriel, id eſt Dei fortitudo miſſus: Ne timeas, non ſum ille qui Euam ſeduxit, ſed qui te omnium fide viuentium matrem electam, ad conſentiendum ſaluti humani generis inducit. Non vt te pomo ſpiritualium deliciarum paradiſo pellam, ſed vt te « paradiſum malorum punicorum cum pomorum fructibus » appellem. Non ſum ille Cherubim qui gladio viam paradiſi præcluſit, ſed qui prænuntio Verbum « ignitum eloquium vehementer, omni gladio ancipiti penetrabilius, in lucernam pedibus » fidelium, vt clauſum retro hoſtium iam recludat. Non ille qui ſeptem phialis effuſis percuſſit Ægyptum, ſed qui ſum nuntius Angeli teſtamenti, qui ſeptem Sacramentis plagas omnes curabit Ægypti, non ille qui miniſter legis, & « miniſtrationis mortis litteris in lapidibus deformatæ; » ſed legis ſpiritus & libertatis, per Spiritum ſanctum « in tabulis cordis carna-

Cant. 4 13. Pſ. 118. 140. Hebr. 4.12. Apoc. 16. 1. 2. Cor. 3. 7. 4. Reg. 19.35.

libus diffundendæ.» Non qui tot millia de Sennacherib proſtrauit, ſed qui ſum eius pronubus, qui vitam omnibus dedit. « Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Inueniſti gratiam, non creaſti vt Deus, non rapuiſti vt Angelus, non perdidiſti vt Adam, non emiſti vt Simon Magus, non abſcondiſti vt infidelis Doctor, ſed reſtituiſti potiùs: gratiam dico increatam, & cum illa omnem creatam ſpiritalem & corporalem.»

Albert. ſer. 1. de Annũt.

« Ne à conſpectu meo terrearis Mater Domini mei, ego Conceptionis tuæ miniſter aduení, non vt Virginitatem amitteres, interueni. Ipſe miſit me ad te, qui eſt naſciturus ex te. Concipies enim & paries filium, non cuiuſlibet meriti hominem, ſed totius ſæculi Saluatorem. Recole Maria in libro Eſaïæ Prophetæ Virginem quam parituram legiſti, & gaude atque exulta, quia tu eſſe meruiſti. Tu ibi præfigurata es Virgo, tu ecce concipies in vtero, non de viro, ſed de Spiritu ſancto. Et grauida eris, & incorrupta permanebis. » Inducit & Virginem tremulam ex viſu, habitu, auditu Gabrielis Auguſtinus: « Ignaro Ioſeph ſponſo meo, venit ad me quidam magnus Chriſti Paranymphus, non Patriarcha primus, aut Propheta egregius, ſed Gabriel ille Archangelus, facie rutilans, veſte coruſcans, ingreſſu mirabili, aſpectu terribili, viſitauit & perturbauit me: ſalutauit & grauidauit, dixitque mihi: Aue gratia plena Dominus tecum. Dominus, inquit, tecum, ſed pluſquam mecum. In me autem licet ſit Dominus, memetipſum creauit Dominus, per te autem genitus eſt Dominus. Ita eſt Dominus tecum, vt ſit in corde tuo, ſit in vtero tuo: adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam: procedat formo-

Aug. ſer. 18. de ſanctis.

Aug. ſer. 18. de tẽp.

ſus de vtero tuo, tanquam ſponſus de thalamo ſuo: egrediatur Rex de cubiculo ſuo: procedat princeps ex aula Regali, ita vt Virginitatem tuam non faciat violari.» Quid expaueſcit? ne timeas Maria: « Sicut Deus noſter cùm primum Adam facere vellet, non ex coniunctione viri aut mulieris, vt eſſet, effecit, ſed accipiens terram, inde hominem diuinâ quadam arte formauit: ita ſine viri coniunctione, Deum in virginali aluo incorporali diſpenſauit, &c. Sicut Adam ex terrâ Virgine figuratus, ita & Chriſtus ex Virgine natus, &c. Flatus Dei de terra viuum hominem ſurgere fecit ad vitam: mundum Spiritus ſanctus de Mariâ Virgine Chriſtum hominem figurauit ad hominis reparationem, &c. Vt quia per mulierem in hunc mundum mors intrauit, ſalus per Virginem redderetur.» Aug. ſer. 17. de tẽp.

Neque verò alteri quam Gabrieli credidit Deus curam pellendi timoris, & placandæ turbationis in Ioſepho, qui timidam & turbatam Virginem confirmauerat expaueſcentem de tam ineffabili & tremendo myſterio. « Ecce iterum Virginis ille Paranymphus, non homo, ſed Gabriel Angelus ille conſpicuus, cœli curſor æquiſſimus, medio noctis libramine, dicit ad Ioſeph in viſione. Ioſeph fili Dauid, cur tantum tribularis? Quid multùm contriſtaris? cur in ſomno cogitando deſudas? quare vigilando triſtis ambulas? cur de Mariâ malam tibi ingeris ſuſpicionem, cùm ipſa tibi generatura ſit Saluatorem? Aufer zelotypiæ animum ex eâ, ipſe eſt enim Dominus qui imprægnauit eam. Ideo triſtis eſt anima tua, quia quæcumque legiſti in prophetiâ, non intellexiſti in Mariâ. Ioſeph fili Dauid, natus non ſolùm ex genere Sacerdotali, verùm Aug. ſer. 18. de tẽp.

Digitized by Google

etiam ex Regali, filius Prophetarum, ſocius Scribarum, ille Deus qui ſcripſit mirabilia in lege ſuâ, ipſe fecit mirabilia in coniuge tuâ, &c. Ipſa lex quam quotidie legis, ſine graphio ſcripta eſt in tabulis lapideis &c. Ergo qui ſcripſit lapideas tabulas ſine ſtylo ferreo, (ſed Dei digito:) ipſe grauidauit Mariam Spiritu ſancto: & qui produxit panes in eremo ſine aratione, ipſe imprægnauit Virginem ſine corruptione: & qui fecit
Num. 17. 7. 8. virgam ſine humore folia (& flores & fructus præmiſerat.) germinare, ipſe fecit filiam Dauid ſine ſemine generare. Poſtremò, fili Dauid Ioſeph fili Prophetarum, legiſti Eſaïam eximium Prophetarum, quid dixerit, quemadmodum ſcripſerit: Ecce Virgo in vtero accipiet, &c. Quod ergo legiſti in libris tuis, aſpice in Mariâ oculis
Pſ. 47. 7. tuis, vt dignè dicas canticum Dauid patris tui: ſicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. Accipe ergo Mariam coniugem tuam, ſemper de eâ ſecurus, & in nullo ſis ſollicitus; quia quod natum eſt, in eius vtero, non vocabitur filius Iudæi, ſed vocabitur Filius Dei.»

SECVNDA PARS MORALIS.

PRIMA REFLEXIO. Quanquam Angelicæ naturæ ſublimitas, & in iuuandos homines ex paternâ Dei in nos prouidentiâ procliuitas, omnes adminiſtratorios ſpiritus honore, ex fidei, ſpei charitatiſque debito compellat; deuotione tamen & affectu ſpeciali Gabrielem proſequi nos condecet, quem ex tot millibus Incarnationis Dominicæ diſpenſatorem hominum amator elegit, quem vt Dei fortitudinem ex nomine, in om-

nibus aduerſis diu noctuque ab hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus impetiti, cum omni fiduciâ inuocemus. « Fortitudo Dei appellatus eſt, vel quòd nuntiaret aduentum virtutis Dei: vel quia Virgìnem, naturâ pauidam, ſimplicem, verecundam, de miraculi nouitate, ne expaueſceret, confortare debebat. Quod & fecit dicens: Ne timeas Maria, &c. Ioſeph quoque non irrationabiliter forſitan idem Angelus confortaſſe creditur, quãquam tunc ab Euangeliſta non nominetur, dum ait: Ioſeph fili Dauid noli timere accipere coniugem tuam. » Sunt & qui cum Georgio Veneto ſentiant: & Ioſeph Patriarchæ & Danieli vt & Virgini adfuiſſe tanquam Dei robur exiſtiment. « Vir à quo inuentus Ioſeph in agro fratres quærens, non fuit communis, ſed iuxta ſapientes Gabriel qui apud Danielem vir dicitur, nec ſine myſterio: eſt enim omnium Angelorum tribunali diuino aſſiſtentium nobis propinquiſſimus & viro magis domeſticus, miſſus ad Zachariam, & Mariam & ad Danielem, vt viſiones & ſomnia Nabuchodonoſor exponeret. Et quia præeſt Lunæ ſub cuius reſidentiâ mortales noctu ſomniant, & robur Dei ſignificat, miſſus fuit ad Ioſeph, vt ipſum roboraret, tanta acturum, & paſſurum, & ſomnia Pharaonis & carceratorum, exponeret. » Quid quòd, « miſſus eſt ideo ad Virginem, quia cùm locus à quo ſecretiores Theologi, eum veniſſe putant, ſit dictus Ghubara, id eſt robur, qui eſt locus Sacerdotij & victimarum, quæ pro peccatorum expiatione offerri conſueuerant; hinc per Angelum loci illius primarium, nuntiata fuit victima concipienda & patienda. Vel quia robur Dei venit ad illam quæ adeo fortis eſſe debebat, vt inuocaretur

Bern. hom. 1. de Lau. Mariæ.

Matth. 1. 20.

Georg. Venet. tom. 1. ſect. 4.

Gen. 37. 15.

Dan. 9. 21.

Idem to. 4. ſect. 9.

Digitized by Google

contra robuſtiſſimum hoſtem, dicente Eccleſiâ, da mihi virtutem contra hoſtes tuos. De quâ Prouerbiorum vltimo: « Mulierem fortem quis inueniet? vt contra talem hoſtem ſtare poſſit. (De quo in Apoc. draco ſtetit ante mulierem.) Vel è robore aquilonari venit Gabriel ad Mariam plenã gratiâ quæ meridionalis eſt; (& Maria Regina Auſtri, in quâ ſponſus cubat & paſcit in meridie, vt inde naſceretur ille qui vtramque partem complectens ſedet in medio. » Verùm quia in exordio Auſtralem diximus Gabrielem, ab Aquilone non venit niſi quòd eum ibi fortem & inde priùs regnantem ligatum reliquit, vt Auſter flaret, aflaretque Mariam & gratiâ plenam ſalutaret. Parum eſt niſi & Chriſtum Dominum in agoniâ factum confortaſſet. Scio quidem Chriſtum non eguiſſe Angeli ſolatio qui liberè omnem inferiori parti conſolationem pro nobis negabat, ſed vt ex Beda factum ſe pro nobis hominem infirmum oſtenderet. Epiphanius autem: « Admiratione, inquit, ductus Angelus dicebat ad ipſum, glorificans & benedicens proprium Dominum in paſſione conſiſtentem, (confortans, id eſt, animum eius fortem laudans) tua eſt adoratio, tuum eſt dominium, tua eſt potentia, tua eſt fortitudo. Vt impleret id quod à Moſe ſcriptum eſt confortent ipſum omnes Angeli Dei. » Sic 70. apud noſtrum Fanenſem: « lætamini cœli ſimul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei: lætamini gentes cum populo eius, & confortentur in eo omnes Filij Dei. » Fortè & ipſe Gabriel Angelus Eliam fugientem Ieſabel confortauit, vt in fortitudine cibi illius ambularet. Agar afflictam in deſerto, Gedeonem, dicens: « Dominus tecum virorum fortiſſime vade

Epiph. hæreſi 69. & in Ancorato.

Deut. 32. 43.

3. Reg. 19. 7. 8

Gen. 16. 7.

Iud. 6. 12.

in hac fortitudine tuâ, & liberabis Iſraël de manu Madian. Tres pueros in fornace, Danielem in lacu leonum, Paulum naufragum. « Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere, & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. » Narrat Sophonius Theodoſium Abbatem ſenem, initio conuerſionis ſuæ ductum à iuuene quodam lucidiſſimo (Gabrielem puta!) dicente, veni, quia pugnare, & luctari te conuenit. Tum verò duxit eum in theatrum plenum viris hinc candidis, hinc nigris indutis. Inter quos vidit miræ magnitudinis Æthyopem nubes tangentem, cum hoc, inquit Angelus, luctari te oportet. Cui Theodoſius, quomodo cum tanto tantillus? Ingredere, inquit, confidenter, adiutor ero, & coronator. Luctari cœpit, adfuit Angelus, victoremque coronauit. Multitudo Æthyopum eiulans euanuit: candidati certatim Angelum lucis Theodoſij adiutorem, & coronatorem laudauerunt. Ego verò quid timeam? Quem hominem vel dæmonem Dei virtute, robore, fortitudine, Gabriele munitus ac tutus. Quòd ſi teſte Damiano « duo leones throni Salomonis ſunt Gabriel Archangelus & Ioannes Euangeliſta, quorum alter dextræ Virginis, alter ſiniſtræ cuſtos deputatus eſt: Gabriel enim mentem, Ioannes carnem peruigili ſolicitudine ſeruauerunt: » & cuiuſq; « iuſti anima ſedes eſt ſapientiæ: » quid ſub Gabrielis patrocinio metuendum? « leo fortiſſimus animalium, ad nullius pauebit occurſum » Immò verò « leo rugiet, quis non timebit? » Eia fratres, « ne timueritis à timore nocturno, à ſagittâ volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano » ſub Gabriele, Dei fortitudine, leone fortiſſimo,

Dan. 3. 49. Dan. 6. 22. Act. 27. 24. Sophr. in prat. ſpir. cap. 66.

Petrus Dam. ſer. de Nat. Virg.

Digitized by Google

& præualente viribus leoni inferno. « Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. »

SECVNDA REFLEXIO. Intelligite quâ ratione, quo modo timorem Gabriel excuſſerit à Virgine. « Ne timeas, inquit, Maria. » Cur non timeat? « Inueniſti enim gratiam apud Deum. » Apud Deum, inquit, nam apud mundum teſte Salomone fallax gratia. » Quod breuiter Bernardus expoſuit: Quæramus, inquit, gratiam apud Deum, nam apud homines gratia eſt fallax. » Pulchrè etiam & paucis: Auguſtinus Epiſt. 144. « Mundus iſte periculoſior eſt blandus, quàm moleſtus. » Proindeque minùs amandus quàm timendus. Qui verò cum Mariâ gratiam inuenit apud Deum, quàm ſecurus. Accipite Gregorium Magn. « In occurſu, inquit, beſtiarum, idcirco leo non trepidat, quia præualere ſe omnibus non ignorat. Vnde viri iuſti ſecuritas rectè leoni comparatur: (iuſtus quaſi leo confidens:) quia contra ſe cùm qualiacumque conſurgere conſpicit, ad mentis ſuæ confidentiam redit. Et ſcit quia cunctos aduerſantes ſuperat, qui illum ſolum diligit quem inuitus nullo modo amittit, &c. Quiſquis enim exteriora quæ etiam nolenti ſubtrahuntur, appetit, ſuâ ſe ſponte extraneo timori ſubſternit. Infracta autem virtus eſt, concupiſcentia vitæ æternæ, terrenæ contemptus. » Audi & poſt Pſaltem Auguſtinum ceu leonem intrepidum rugientem non de ſuis viribus, ſed de Deo fortem. « Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Ille, inquit, me illuminat, recedant tenebræ. Ille me ſaluat, recedat infirmitas. Ambulans in lumine firmus, quem timebo? Non enim talem ſalutem dat Deus quæ

Prou. 31.

Ber. ſer. 3. de Annunt.

Lib. 31. mor. cap. 23.

Prou. 28. 1.

Aug. in Pſ. 26.

Digitized by Google

quæ ab alio poſſit extorqueri, aut tale lumen eſt, quod ab aliquo poſſit obtenebrari, &c. Poteſt mihi auferri quod dat Omnipotens? ſicut non vincitur qui dat, ſic non aufertur quod dat. Si auferri poteſt quod datum eſt, vincitur dator, &c. Protegitur Imperator à ſcutatis, & non timet. Protegitur mortalis à mortalibus, & ſecurus eſt: protegitur mortalis ab immortali, & trepidabit? & timebit?»

Tertia Reflexio. Si quantus ſit theſaurus gratiæ ſciremus, nihil præter eam perdere timeremus, nil tantâ curâ perditum quæreremus. Inuenit Maria gratiam, ſed quam non perdidit, ſed quam Dei dono præuenta recepit. Mulierem recolite recuperandæ drachmæ perditæ ſolicitam.« Vbi te inueniam verè bona & ſecura ſuauitas? Et vbi te inueniam? Si præter memoriam meam te inuenio, immemor tui ſum. Et quomodo iam inueniam te, ſi memor tui non ſum? perdiderat enim mulier drachmam, & quæſiuit eam cum lucernâ, & niſi memor eius eſſet, non inueniſſet eam. Cùm enim eſſet inuenta, vnde ſciret vtrum ipſa eſſet, ſi memor eius non eſſet, &c. Quomodo ergo te quæro Domine? Cùm enim te Deum meum quæro, vitam beatam quæro. (Et gratia Dei vita æterna.) Quæram te, vt viuat anima mea. Viuit enim corpus meum de animâ meâ, & viuit anima mea de te. Quomodo ergo quæro vitam beatam? quia non eſt mihi, donec dicam ſat eſt, illic vbi oportet vt dicam. Quomodo eam quæro? vtrum per recordationem, tanquam eam oblitus ſim, oblitumque me eſſe adhuc teneam? An per appetitum diſcendi incognitam? Nonne ipſa eſt beata vita quam omnes volunt, & omnino qui nolit eam, nemo

Aug. lib. 10. Cõfeſſ. cap. 18.

Et cap. 2.

eſt? vbi nouerunt eam, quòd ſic volunt eam? vbi viderunt, vt amarent eam? nimirum habemus eam neſcio quo modo, &c. Vtrum ſingillatim omnes? an in illo homine qui primus peccâuit, in quo & omnes mortui ſumus, & de quo omnes cum miſeriâ nati ſumus?» In quo omnes gratiam, innocentiam, beatitudinem perdidimus, quâ perditâ nudi à facie Dei timidi fugimus. Verùm

Aug. in Pſ. 138. « perdiderat drachmam mulier illa, accendit lucernam. Sapientia Dei perdiderat drachmam. Quid eſt drachma? nummus; in quo nummo imago erat Imperatoris noſtri. Factus eſt enim homo ad imaginem Dei, & perierat. Et quid facit mulier ſapiens? Accendit lucernam. Lucerna de luto eſt, ſed habeat lucem quâ inueniatur drachma. Lucerna ergo ſapientiæ, caro Chriſti. De luto facta eſt, ſed Verbo ſuo lucet, & inuenit perditos, &c. quæſiuit vos antequam quæreretis eum, & inuenit vos, vt inueniretis eum, & nox illumi-

Aug. lib. 10. Cõfeſſ. cap. 22. Eſa. 48. 22. natio mea in deliciis meis.» Et vnde deliciæ? Vnde gratulatio drachmæ perditæ & inuentæ? « Abſit Domine, abſit à corde ſerui tui, qui confitetur tibi: abſit vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem; eſt enim gaudium quòd non datur impiis, ſed eis qui te gratis colunt, quorum

Aug. ſupra. cap. 23. gaudium tu ipſe es. Et ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te, ipſa eſt, & non altera, &c. Beata quippe vita eſt gaudium de veritate, &c. Beatus ergo erit, ſi nulla interpellante moleſtiâ, de ipsâ per quam vera ſunt omnia, veritate gau-

Luc. 1. 47. debit.» Sic & Maria: « Exultauit, inquit, ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo.»

Qvarta Reflexio. Sed & aliud nobis myſterium innuit Angelus in verbis quibus turbatum Virginis animum tranquillauit,

Digitized by Google

« Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam Luc. 1.
apud Deum. » Quaſi diceret: non apud te, 30.
cùm omnis ſit ex Deo gratia, multò magis quàm natura, & tanta gratia, quanta fuit, vt Mater Dei nominaretur & eſſet, quantâ Chriſtus homo donatus eſt, vt Filius Dei eſſet; quantâ & Gabriel, vt Dei fortitudo, ad virtutem Dei nuntiandam præ omnibus Angelis electus eſſet. Quantâ etiam, vt ipſo Lucifero per ſuperbiam cadente, & « in veritate non Io. 8.
ſtante, tot columnis cœli cum eo contremiſ- 44.
centibus » & euerſis fortis ipſe & robuſtus ſta- Iob. 26.
ret in Domino. De ſingulis iſtis, non in no- 11.
bis, ſed in Domino gloriemur, & « videamus 1. Io. 3.
qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij 1.
Dei nominemur & ſimus. » De gratiâ quidem Chriſti: « rectè poſſumus dicere, quòd Aug.
cùm ad naturam Dei non pertineat humana tract.
natura, ad perſonam tamen vnigeniti Filij 82. in
Dei per gratiam pertinet humana natura, & Io. 15.
tantam gratiam, vt nulla ſit maior, nulla prorſus æqualis. Neque enim illam ſuſceptionem hominis vlla merita præceſſerunt, ſed ab illa ſuſceptione merita eius cuncta cœperunt? De Chriſti ſimul & Mariæ gratiâ quid dicemus? « Hîc omnino granditer & euidenter Dei gratia Aug. in
commendatur. Quid enim natura humana in Enchir.
homine Chriſto meruit, vt in vnitatem perſonæ ad Laur
vnici Filij Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? Quæ cap. 36.
bona voluntas? Cuius boni propoſiti ſtudium? Quæ bona opera præceſſere, quibus mereretur iſte homo, vt vna fieret perſona cum Deo? Numquid antea fuit homo, & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt, vt ſingulariter permereretur Deum? &c. Sic & eius matrem

Angelus ſalutauit, quando ei futurum annunciauit hunc partum: Aue, inquit, gratiâ plena. Et paulò poſt: Inueniſti, ait, gratiam apud Deum, & hæc quidem gratiâ plena, & inueniſſe gratiam apud Deum dicitur, vt Domini ſui, immo Domini omnium mater eſſet. De ipſo autem Ioannes Euangeliſta cùm dixiſſet: Et Verbum caro factum eſt, &c. & vidimus, inquit, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. Quòd ait, Verbum caro factum eſt, hoc eſt plenum gratiæ. Quòd ait, gloriam vnigeniti à Patre, hoc eſt plenum veritatis. Veritas quippe ipſa vnigenitus Dei Filius, non gratiâ, ſed naturâ. Gratiâ ſuſcepit hominem, tantâ vnitate perſonæ, vt idem ipſe etiam eſſet hominis filius. Idem namque Ieſus Chriſtus Filius Dei vnigenitus, id eſt vnicus Dominus noſter natus eſt de Spiritu ſancto & Maria Virgine: & vtique Spiritus ſanctus Dei donum eſt, quod quidem & ipſum eſt æquale donanti. Ex hoc ergo quod de Spiritu ſancto eſt ſecundùm hominem natiuitas Chriſti, quid aliud quam ipſa gratia demonſtratur? Cùm enim Virgo quæſiuiſſet ab Angelo quomodo id fieret, reſpondit Angelus, Spiritus ſanctus ſuperueniet, &c. & Ioſeph: Noli timere accipere Mariam quod in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.» Et de Gabriele ipſo quid? & quid fortitudo Dei appellatur? An de ſe fortis, vel ex Deo? An non magis Deo gratus cum Pſalte ab exordio cecinit cum aſtris matutinis, & iubilantibus Dei filiis, præuenit Princeps coniunctus pſallentibus, communem Angelorum & hominum Saluatorem introductum à Patre in orbem terrarum vnigenitum adorans: fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem? Diligam te

Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum. Qui ergo cadunt, cum impelluntur niſi qui ſua ſibi fortitudo, & ſua ſibi volunt eſſe laudatio? Quapropter cuius fortitudo & laudatio eſt Dominus, tam non cadit, quàm non cadit Dominus: & ideo ei factus eſt in ſalutem.» O magnum humilitatis & agnitionis gratiæ in Ieſu, Mariâ, Gabriele documentum. « Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis ſine dubitatione gratuita, niſi quia magna hîc & ſola Dei gratia fideliter & ſobriè conſiderantibus euidenter oſtenditur, vt intelligant homines, per eandem gratiam ſe iuſtificari à peccatis, per quam factum eſt vt homo Chriſtus nullum poſſet habere peccatum.» Sed nec ſine gratiâ, iuſtificati etiam à peccatis, plenè poſſumus implere mandata. « Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: manete in dilectione meâ. Non æqualitatem naturæ oſtendit noſtræ & ſuæ, ſicut eſt Patris & ipſius: ſed gratiam quâ mediator Dei & hominum eſt homo Chriſtus Ieſus. Sed quis ambigat quòd dilectio præcedit? Vnde enim præcepta ſeruet, non habet, qui non diligit, &c. Non ergo vt nos diligat, priùs eius præcepta ſeruamus, ſed niſi nos diligat, præcepta eius ſeruare non poſſumus. Quid eſt ergo, manete in dilectione meâ, niſi manete in gratiâ mea? Hæc eſt gratia quæ humilibus patet, ſuperbos latet.» Vbi aduerte iuxta Sapientem nil odiſſe Deum eorum quæ fecit: « Non enim quodcumque odiſſet eſſe voluiſſet, aut omnino eſſet, quod omnipotens eſſe noluiſſet, niſi & in eo quod odit, eſſet etiam quod amaret. Cùm igitur eorum quæ fecit nihil oderit, quis dignè poſſit dicere quantùm diligat membra vnigeniti ſui? Membra quippe vnige-

Aug. in Pſ. 117.

Aug. in Enchir. cap. 36.

Aug. tract. 82. in Io. 15.

Sap. 11. 25.

Aug. tract. 110. in Io. 17.

Digitized by Google

niti ad Angelorum ſanctorum æqualitatem gratiæ ſuæ largitate perducit,&c. Hoc itaque nobis magnum bonum confert qui dilexit nos,ſicut dilexit Chriſtum, vt propter ipſum cuius membra nos eſſe voluit, æquales Angelis ſanctis ſimus, qui & naturâ inferiores conditi ſumus, & peccato indigniores facti,qui eorum fieri qualeſcumque ſocii deberemus.» Ergo agite fratres gratias Deo Patri qui « ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.» Gratias Filio, qui factus homo « dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Gratias Spiritui ſancto, « Deo ab Auſtro venienti, & ſancto de monte Pharan, id eſt vmbroſo, Virginem obumbranti.» Et de eius puriſſimo ſanguine ſanctum Chriſti corpus efformanti. Gratiam Virgini conſenſum Angelo Paranympho nuptiis quibus « iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, & Deus conciliatus homini, conſenſum præbuit. Gratiam Gabrieli amantiſſimo præ cæteris Angelis noſtræ ſalutis internuntio, pro tantâ, tamque fideli & ſedulâ negotiatione referamus. Quis mihi det ſanctiſſimi Michaëlis Syncelli vel Syngelli à Theodorâ Auguſtâ in Patriarcham Conſtantinop. deſtinati, ſed modeſtè recuſantis oratione eloquentiſſimâ concludere, totâque cum eo deuotione liqueſcere: « O tu diuiniſſime Gabriel, mundi amantiſſime, gaudioſe, fauſte, nuntie, Arcanorum ſcientiſſime ac lætiſſime; qui bonorum omnium primus exiſtas, tum explanator, tum miniſter, doctorque, mentem meam ac animam erudi, quò Dei iudicia ac iuſtificationes intelligat, tu qui Danielem in Chobar diuiniſſimam illam viſionem intelligere feciſti. Meæ ſterilitatis infœcunditatem diſſolue, qui diuinâ pridem iuſſione, Eliſabethę diſſoluiſti

Mich. Syncel. orat. in ſanctos Arch. ex Bibliot h. Card. Mazar.

Dan. 8. 6.

ſterilitatem, optimique fructus feracem effeciſti. Meæ miſeræ ac afflictæ animæ gratiam impertire ac lætitiam, iucunditatemque, qui ſanctiſſimæ ac intemeratiſſimæ Dominæ noſtræ ac Dei genitricis Mariæ immaculatam animam gaudii plenâ ac ſalutari tuâ annuntiatione præclarè lætificaſti, Euæque luctum in gaudium conuertiſti, ac mœſtitiam mutaſti; vnoque verbo, vt circuitu vtar, vniuerſi mundi triſtitiam in gaudium tranſtuliſti; ac lugubri diſciſsâ tunicâ vniuerſos iucunditate induiſti: ita ſupplico rogoque, iterumque ac ſæpè Gabriel, Gabriel gaudii miniſter conciliatorque, viſita me graui reum impietate, ac diuina me iucunditate adimple, liberans me à iaculis Belial, atque à viſibilibus, inuiſibilibuſque hoſtibus, iuſtorumque ac ſanctorum conſortem efficiens in locis voluptatis, tuæ ad Deum interceſſionis ſuffragio.» Tu verò anima mea, quid Gabrieli, quid Mariæ gatiâ plenæ gratulationis, gratitudiniſque rependes? quid per amborum merita ac ſuffragia per ſanguinem Redemptoris iuſtificata timebis? Anima certè iuſti, ſedes eſt ac thronus Sapientiæ candidior ebore, auro fulgidior & pretioſior, quid trepidas duobus hinc inde vigilibus ac fortibus ſtipata leonibus. « Lectulum quidem Salomonis ſexaginta fortes ambiunt: » ſed duo mihi Maria, & Gabriel pro cuſtodiâ indefeſsâ ſufficiunt. Hæc « mulier fortis inuenta; fortitudo & decor indumentum eius; terribilis vt caſtrorum acies ordinata: collum eius ſicut turris Dauid, mille clypei pendent ex eâ omnis armatura fortium.» Gabriel, fortitudo, virtus, robur Dei, vir Deus. Quid timebo? O Gabriel, in horâ mortis, timorem leonis inferni pelle, tu Maria ter-

Cant.3.7. Prou.31.10.25. Cant.6.3. Cant.4.4.

contra robuſtiſſimum hoſtem, dicente Eccleſiâ, da mihi virtutem contra hoſtes tuos. De quâ Prouerbiorum vltimo: « Mulierem fortem quis inueniet? vt contra talem hoſtem ſtare poſſit. (De quo in Apoc. draco ſtetit ante mulierem.) Vel è robore aquilonari venit Gabriel ad Mariam plenā gratiâ quæ meridionalis eſt; (& Maria Regina Auſtri, in quâ ſponſus cubat & paſcit in meridie, vt inde naſceretur ille qui vtramque partem complectens ſedet in medio. » Verùm quia in exordio Auſtralem diximus Gabrielem, ab Aquilone non venit niſi quòd eum ibi fortem & inde priùs regnantem ligatum reliquit, vt Auſter flaret, aflaretque Mariam & gratiâ plenam ſalutaret. Parum eſt niſi & Chriſtum Dominum in agoniâ factum confortaſſet. Scio quidem Chriſtum non eguiſſe Angeli ſolatio qui liberè omnem inferiori parti conſolationem pro nobis negabat, ſed vt ex Beda factum ſe pro nobis hominem infirmum oſtenderet. Epiphanius autem: « Admiratione, inquit, ductus Angelus dicebat ad ipſum, glorificans & benedicens proprium Dominum in paſſione conſiſtentem, (confortans, id eſt, animum eius fortem laudans) tua eſt adoratio, tuum eſt dominium, tua eſt potentia, tua eſt fortitudo. Vt impleret id quod à Moſe ſcriptum eſt confortent ipſum omnes Angeli Dei. » Sic 70. apud noſtrum Fanenſem: « lætamini cœli ſimul cum eo, & adorent eum omnes Angeli Dei: lætamini gentes cum populo eius, & confortentur in eo omnes Filij Dei. » Fortè & ipſe Gabriel Angelus Eliam fugientem Ieſabel confortauit, vt in fortitudine cibi illius ambularet. Agar afflictam in deſerto, Gedeonem, dicens: « Dominus tecum virórum fortiſſime vade

Epiph. hæreſi 69. & in Ancorato.

Deut. 32. 43.

3. Reg. 19. 7. 8

Gen. 16. 7.

Iud. 6. 12.

Digitized by Google

in hac fortitudine tuâ, & liberabis Iſraël de manu Madian. Tres pueros in fornace, Danielem in lacu leonum, Paulum naufragum. « Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere, & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. » Narrat Sophonius Theodoſium Abbatem ſenem, initio conuerſionis ſuæ ductum à iuuene quodam lucidiſſimo (Gabrielem puta!) dicente, veni, quia pugnare, & luctari te conuenit. Tum verò duxit eum in theatrum plenum viris hinc candidis, hinc nigris indutis. Inter quos vidit miræ magnitudinis Æthyopem nubes tangentem, cum hoc, inquit Angelus, luctari te oportet. Cui Theodoſius, quomodo cum tanto tantillus? Ingredere, inquit, confidenter, adiutor ero, & coronator. Luctari cœpit, adfuit Angelus, victoremque coronauit. Multitudo Æthyopum eiulans euanuit: candidati certatim Angelum lucis Theodoſij adiutorem, & coronatorem laudauerunt. Ego verò quid timeam? Quem hominem vel dæmonem Dei virtute, robore, fortitudine, Gabriele munitus ac tutus. Quòd ſi teſte Damiano « duo leones throni Salomonis ſunt Gabriel Archangelus & Ioannes Euangeliſta, quorum alter dextræ Virginis, alter ſiniſtræ cuſtos deputatus eſt: Gabriel enim mentem, Ioannes carnem peruigili ſolicitudine ſeruauerunt: » & cuiuſq; « iuſti anima ſedes eſt ſapientiæ: » quid ſub Gabrielis patrocinio metuendum? « leo fortiſſimus animalium, ad nullius pauebit occurſum » Immò verò « leo rugiet, quis non timebit? » Eia fratres, « ne timueritis à timore nocturno, à ſagittâ volante in die. à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano » ſub Gabriele, Dei fortitudine, leone fortiſſimo,

Dan. 3. 49. Dan. 6. 22. Act. 27. 24. Sophr. in prat. ſpir. cap. 66.

Petrus Dam. ſer. de Nat. Virg.

Digitized by Google

& præualente viribus leoni inferno. « Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. »

Secvnda Reflexio. Intelligite quâ ratione, quo modo timorem Gabriel excuſſerit à Virgine. « Ne timeas, inquit, Maria. » Cur non timeat? « Inueniſti enim gratiam apud Deum. » Apud Deum, inquit, nam apud mundum teſte
Prou. 31. Salomone fallax gratia.» Quod breuiter Bernardus expoſuit: Quæramus, inquit, gratiam apud
Ber. ſer. 3. de Annunt. Deum, nam apud homines gratia eſt fallax.» Pulchrè etiam & paucis: Auguſtinus Epiſt. 144. « Mundus iſte periculoſior eſt blandus, quàm moleſtus.» Proindeque minùs amandus quàm timendus. Qui verò cum Mariâ gratiam inuenit apud Deum, quàm ſecurus. Accipite Grego-
Lib. 31. mor. cap. 23. rium Magn. « In occurſu, inquit, beſtiarum, idcirco leo non trepidat, quia præualere ſe omnibus non ignorat. Vnde viri iuſti ſecuritas rectè
Prou. 28. 1. leoni comparatur: (iuſtus quaſi leo confidens:) quia contra ſe cùm qualiacumque conſurgere conſpicit, ad mentis ſuæ confidentiam redit. Et ſcit quia cunctos aduerſantes ſuperat, qui illum ſolum diligit quem inuitus nullo modo amittit, &c. Quiſquis enim exteriora quæ etiam nolenti ſubtrahuntur, appetit, ſuâ ſe ſponte extraneo timori ſubſternit. Infracta autem virtus eſt, concupiſcentia vitæ æternæ, terrenæ contemptus. » Audi & poſt Pſaltem Auguſtinum ceu leonem intrepidum rugientem non de ſuis viri-
Aug. in Pſ. 26. bus, ſed de Deo fortem. « Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Ille, inquit, me illuminat, recedant tenebræ. Ille me ſaluat, recedat infirmitas. Ambulans in lumine firmus, quem timebo? Non enim talem ſalutem dat Deus

quæ

Digitized by Google

quæ ab alio poſſit extorqueri, aut tale lumen eſt, quod ab aliquo poſſit obtenebrari, &c. Poteſt mihi auferri quod dat Omnipotens? ſicut non vincitur qui dat, ſic non aufertur quod dat. Si auferri poteſt quod datum eſt, vincitur dator, &c. Protegitur Imperator à ſcutatis, & non timet. Protegitur mortalis à mortalibus, & ſecurus eſt: protegitur mortalis ab immortali, & trepidabit? & timebit?»

TERTIA REFLEXIO. Si quantus ſit theſaurus gratiæ ſciremus, nihil præter eam perdere timeremus, nil tantâ curâ perditum quæreremus. Inuenit Maria gratiam, ſed quam non perdidit, ſed quam Dei dono præuenta recepit. Mulierem recolite recuperandæ drachmæ perditæ ſolicitam.« Vbi te inueniam verè bona & ſecura ſuauitas? Et vbi te inueniam? Si præter memoriam meam te inuenio, immemor tui ſum. Et quomodo iam inueniam te, ſi memor tui non ſum? perdiderat enim mulier drachmam, & quæſiuit eam cum lucernâ, & niſi memor eius eſſet, non inueniſſet eam. Cùm enim eſſet inuenta, vnde ſciret vtrum ipſa eſſet, ſi memor eius non eſſet, &c. Quomodo ergo te quæro Domine? Cùm enim te Deum meum quæro, vitam beatam quæro. (Et gratia Dei vita æterna.) Quæram te, vt viuat anima mea. Viuit enim corpus meum de animâ meâ, & viuit anima mea de te. Quomodo ergo quæro vitam beatam? quia non eſt mihi, donec dicam ſat eſt, illic vbi oportet vt dicam. Quomodo eam quæro? vtrum per recordationem, tanquam eam oblitus ſim, oblitumque me eſſe adhuc teneam? An per appetitum diſcendi incognitam? Nonne ipſa eſt beata vita quam omnes volunt, & omnino qui nolit eam, nemo

Aug. lib. 10. Cõfeſſ. cap. 18.

Et cap. 2.

Digitized by Google

eſt? vbi nouerunt eam, quòd ſic volunt eam? vbi viderunt, vt amarent eam? nimirum habemus eam neſcio quo modo, &c. Vtrum ſingillatim omnes? an in illo homine qui primus peccâuit, in quo & omnes mortui ſumus, & de quo omnes cum miſeriâ nati ſumus?» In quo omnes gratiam, innocentiam, beatitudinem perdidimus, quâ perditâ nudi à facie Dei timidi fugimus. Verùm

Aug. in Pſ. 138. « perdiderat drachmam mulier illa, accendit lucernam. Sapientia Dei perdiderat drachmam. Quid eſt drachma? nummus; in quo nummo imago erat Imperatoris noſtri. Factus eſt enim homo ad imaginem Dei, & perierat. Et quid facit mulier ſapiens? Accendit lucernam. Lucerna de luto eſt, ſed habeat lucem quâ inueniatur drachma. Lucerna ergo ſapientiæ, caro Chriſti. De luto facta eſt, ſed Verbo ſuo lucet, & inuenit perditos, &c. quæſiuit vos antequam quæreretis eum, & inuenit vos, vt inueniretis eum, & nox illumi-

Aug. lib. 10. Cõfeſſ. cap. 22. Eſa. 48. 22. natio mea in deliciis meis.» Et vnde deliciæ? Vnde gratulatio drachmæ perditæ & inuentæ? « Abſit Domine, abſit à corde ſerui tui, qui confitetur tibi: abſit vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem; eſt enim gaudium quòd non datur impiis, ſed eis qui te gratis colunt, quorum

Aug. ſupra. cap. 23. gaudium tu ipſe es. Et ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te, ipſa eſt, & non altera, &c. Beata quippe vita eſt gaudium de veritate, &c. Beatus ergo erit, ſi nulla interpellante moleſtiâ, de ipsâ per quam vera ſunt omnia, veritate gau-

Luc. 1. 47. debit.» Sic & Maria: « Exultauit, inquit, ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo.»

Qvarta Reflexio. Sed & aliud nobis myſterium innuit Angelus in verbis quibus turbatum Virginis animum tranquillauit,

Digitized by Google

« Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. » Quaſi diceret: non apud te, cùm omnis ſit ex Deo gratia, multò magis quàm natura, & tanta gratia, quanta fuit, vt Mater Dei nominaretur & eſſet, quantâ Chriſtus homo donatus eſt, vt Filius Dei eſſet; quantâ & Gabriel, vt Dei fortitudo, ad virtutem Dei nuntiandam præ omnibus Angelis electus eſſet. Quantâ etiam, vt ipſo Lucifero per ſuperbiam cadente, & « in veritate non ſtante, tot columnis cœli cum eo contremiſcentibus » & euerſis fortis ipſe & robuſtus ſtaret in Domino. De ſingulis iſtis, non in nobis, ſed in Domino gloriemur, & « videamus qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. » De gratiâ quidem Chriſti: « rectè poſſumus dicere, quòd cùm ad naturam Dei non pertineat humana natura, ad perſonam tamen vnigeniti Filij Dei per gratiam pertinet humana natura, & tantam gratiam, vt nulla ſit maior, nulla prorſus æqualis. Neque enim illam ſuſceptionem hominis vlla merita præceſſerunt, ſed ab illa ſuſceptione merita eius cuncta cœperunt? De Chriſti ſimul & Mariæ gratiâ quid dicemus? « Hîc omnino granditer & euidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Chriſto meruit, vt in vnitatem perſonæ vnici Filij Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? Quæ bona voluntas? Cuius boni propoſiti ſtudium? Quæ bona opera præceſſere, quibus mereretur iſte homo, vt vna fieret perſona cum Deo? Numquid antea fuit homo, & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt, vt ſingulariter permereretur Deum? &c. Sic & eius matrem

Luc. 1. 30.

Io. 8. 44.

Iob. 26. 11.

1. Io. 3. 1.

Aug. tract. 82. in Io. 15.

Aug. l. Enchir. ad Laur cap. 36.

Digitized by Google

Angelus ſalutauit, quando ei futurum annuntiauit hunc partum: Aue, inquit, gratiâ plena. Et paulò poſt: Inueniſti, ait, gratiam apud Deum, & hæc quidem gratiâ plena, & inueniſſe gratiam apud Deum dicitur, vt Domini ſui, immo Domini omnium mater eſſet. De ipſo autem Ioannes Euangeliſta cùm dixiſſet: Et Verbum caro factum eſt, &c. & vidimus, inquit, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. Quòd ait, Verbum caro factum eſt, hoc eſt plenum gratiæ. Quòd ait, gloriam vnigeniti à Patre, hoc eſt plenum veritatis. Veritas quippe ipſa vnigenitus Dei Filius, non gratiâ, ſed naturâ. Gratiâ ſuſcepit hominem, tantâ vnitate perſonæ, vt idem ipſe etiam eſſet hominis filius. Idem namque Ieſus Chriſtus Filius Dei vnigenitus, id eſt vnicus Dominus noſter natus eſt de Spiritu ſancto & Maria Virgine: & vtique Spiritus ſanctus Dei donum eſt, quod quidem & ipſum eſt æquale donanti. Ex hoc ergo quod de Spiritu ſancto eſt ſecundùm hominem natiuitas Chriſti, quid aliud quam ipſa gratia demonſtratur? Cùm enim Virgo quæſiuiſſet ab Angelo quomodo id fieret, reſpondit Angelus, Spiritus ſanctus ſuperueniet, &c. & Ioſeph: Noli timere accipere Mariam quod in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. » Et de Gabriele ipſo quid? & quid fortitudo Dei appellatur? An de ſe fortis, vel ex Deo? An non magis Deo gratus cum Pſalte ab exordio cecinit cum aſtris matutinis, & iubilantibus Dei filiis, præuenit Princeps coniunctus pſallentibus, communem Angelorum & hominum Saluatorem introductum à Patre in orbem terrarum vnigenitum adorans: fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem? Diligam te

Digitized by Google

Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum. Qui ergo cadunt, cum impelluntur niſi qui ſua ſibi fortitudo,& ſua ſibi volunt eſſe laudatio? Quapropter cuius fortitudo & laudatio eſt Dominus, tam non cadit, quàm non cadit Dominus: & ideo ei factus eſt in ſalutem.» O magnum humilitatis & agnitionis gratiæ in Ieſu, Mariâ, Gabriele documentum.« Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis ſine dubitatione gratuita, niſi quia magna hîc & ſola Dei gratia fideliter & ſobriè conſiderantibus euidenter oſtenditur, vt intelligant homines, per eandem gratiam ſe iuſtificari à peccatis, per quam factum eſt vt homo Chriſtus nullum poſſet habere peccatum.» Sed nec ſine gratiâ, iuſtificati etiam à peccatis, plenè poſſumus implere mandata. « Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: manete in dilectione meâ. Non æqualitatem naturæ oſtendit noſtræ & ſuæ, ſicut eſt Patris & ipſius: ſed gratiam quâ mediator Dei & hominum eſt homo Chriſtus Ieſus. Sed quis ambigat quòd dilectio præcedit? Vnde enim præcepta ſeruet, non habet, qui non diligit, &c. Non ergo vt nos diligat, priùs eius præcepta ſeruamus, ſed niſi nos diligat, præcepta eius ſeruare non poſſumus. Quid eſt ergo, manete in dilectione meâ, niſi manete in gratiâ mea? Hæc eſt gratia quæ humilibus patet, ſuperbos latet.» Vbi aduerte iuxta Sapientem nil odiſſe Deum eorum quæ fecit: « Non enim quodcumque odiſſet eſſe voluiſſet, aut omnino eſſet, quod omnipotens eſſe noluiſſet, niſi & in eo quod odit, eſſet etiam quod amaret. Cùm igitur eorum quæ fecit nihil oderit, quis dignè poſſit dicere quantùm diligat membra vnigeniti ſui? Membra quippe vnige-

Aug. in Pſ. 117.

Aug. in Enchir. cap. 36.

Aug. tract. 82. in Io. 15.

Sap. 11. 25.

Aug. tract. 110. in Io. 17.

Digitized by Google

niti ad Angelorum ſanctorum æqualitatem gratiæ ſuæ largitate perducit, &c. Hoc itaque nobis magnum bonum confert qui dilexit nos, ſicut dilexit Chriſtum, vt propter ipſum cuius membra nos eſſe voluit, æquales Angelis ſanctis ſimus, qui & naturâ inferiores conditi ſumus, & peccato indigniores facti, qui eorum fieri qualeſcumque ſocii deberemus.» Ergo agite fratres gratias Deo Patri qui « ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.» Gratias Filio, qui factus homo « dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Gratias Spiritui ſancto, « Deo ab Auſtro venienti, & ſancto de monte Pharan, id eſt vmbroſo, Virginem obumbranti.» Et de eius puriſſimo ſanguine ſanctum Chriſti corpus efformanti. Gratiam Virgini conſenſum Angelo Paranympho nuptiis quibus « iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, & Deus conciliatus homini, conſenſum præbuit. Gratiam Gabrieli amantiſſimo præ cæteris Angelis noſtræ ſalutis internuntio, pro tantâ, tamque fideli & ſedulâ negotiatione referamus. Quis mihi det ſanctiſſimi Michaëlis Syncelli vel Syngelli à Theodorâ Auguſtâ in Patriarcham Conſtantinop. deſtinati, ſed modeſtè recuſantis oratione eloquentiſſimâ concludere, totâque cum eo deuotione liqueſcere: « O tu diuiniſſime Gabriel, mundi amantiſſime, gaudioſe, fauſte, nuntie, Arcanorum ſcientiſſime ac lætiſſime; qui bonorum omnium primus exiſtas, tum explanator, tum miniſter, doctorque, mentem meam ac animam erudi, quò Dei iudicia ac iuſtificationes intelligat, tu qui Danielem in Chobar diuiniſſimam illam viſionem intelligere feciſti, Meæ ſterilitatis infœcunditatem diſſolue, qui diuinâ pridem iuſſione, Eliſabethę diſſoluiſti

Mich. Syncel. orat. in ſanctos Arch. ex Biblioth. Card. Mazar.

Dan. 8. 6.

ſterilitatem, optimique fructus feracem effeciſti. Meæ miſeræ ac afflictæ animæ gratiam impertire ac lætitiam, iucunditatemque, qui ſanctiſſimæ ac intemeratiſſimæ Dominæ noſtræ ac Dei genitricis Mariæ immaculatam animam gaudii plenâ ac ſalutari tuâ annuntiatione præclarè lætificaſti, Euæque luctum in gaudium conuertiſti, ac mœſtitiam mutaſti; vnoque verbo, vt circuitu vtar, vniuerſi mundi triſtitiam in gaudium tranſtuliſti; ac lugubri diſciſsâ tunicâ vniuerſos iucunditate induiſti: ita ſupplico rogoque, iterumque ac ſæpè Gabriel, Gabriel gaudii miniſter conciliatorque, viſita me graui reum impietate, ac diuina me iucunditate adimple, liberans me à iaculis Belial, atque à viſibilibus, inuiſibilibuſque hoſtibus, iuſtorumque ac ſanctorum conſortem efficiens in locis voluptatis, tuæ ad Deum interceſſionis ſuffragio.» Tu verò anima mea, quid Gabrieli, quid Mariæ gatiâ plenæ gratulationis, gratitudiniſque rependes? quid per amborum merita ac ſuffragia per ſanguinem Redemptoris iuſtificata timebis? Anima certè iuſti, ſedes eſt ac thronus Sapientiæ candidior ebore, auro fulgidior & pretioſior, quid trepidas duobus hinc inde vigilibus ac fortibus ſtipata leonibus. « Lectulum quidem Salomonis ſexaginta fortes ambiunt: » ſed duo mihi Maria, & Gabriel pro cuſtodiâ indefeſsâ ſufficiunt. Hæc « mulier fortis inuenta; fortitudo & decor indumentum eius; terribilis vt caſtrorum acies ordinata: collum eius ſicut turris Dauid, mille clypei pendent ex eâ omnis armatura fortium.» Gabriel, fortitudo, virtus, robur Dei, vir Deus. Quid timebo? O Gabriel, in horâ mortis, timorem leonis inferni pelle, tu Maria ter-

Cant. 3. 7.
Prou. 31. 10. 25.
Cant. 6. 3.
Cant. 4. 4.

Digitized by Google

ribilis dæmonio caput Draconis contere. Per te in terrâ apud Deum inueniam gratiam, & in cœlo æternam gloriam. Amen.

IN FESTO SANCTISSIMI Ioſeph.

Conſtituit eum dominum domus ſuæ; & Principem omnis poſſeſsionis ſuæ.
Pſal. 104. Verſu. 21.

SI veſtra pietas & deuotio, ſe communem, & frequentem cæteris exhibet ſanctis; æſtimo, ſe totam exerere, & explicare ſanctorum maximo, & aliorum omnium merita continenti. Hunc profectò vos præeligere omnibus non dubito,
Eccli. 45. 4. quem « elegit Deus ex omni carne. » Hæc quippe principum & Regum deuotio, huic famulari; qui de tot Regibus, & principibus Iuda ducens originem, Reginæ mundi ſponſus à Deo meruit ordinari: de quo Propheta Regius myſticè caneret, quod ad literam cecinit, de Patriarchâ Ioſe-
Pſ. 104. 21. pho: « Conſtituit eum dominum domus ſuæ: & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. » Quem locum licet Bernardus ad Eugenium ſcribens, D.
Bern. ep. 237. Petro applicet: « locus in quo ſtas, terra ſancta eſt, locus Petri eſt, locus Principis Apoſtolorum, vbi ſteterunt pedes eius. Locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ, &c. » Longè tamen conuenientiùs ſponſo Virginis apta-

bitur; & eò digniùs, quò Vicario Chriſti, melior eſt Pater Chriſti. Petrus Chriſti abſentis ſucceſſit imperio; & Christus Ioſephi viuens ſe ſubiecit dominio. Petrus Chriſti corpori, Ioſephus Chriſti capiti, & collo imperauit. Et cùm naſcentis Eccleſiæ domus & poſſeſſio, eſſet in duobus ſummis & principibus eius membris; IESV ſcilicet & Mariâ; totius Eccleſiæ Dominus, & Princeps Ioſeph, à Deo eſt conſtitutus. O IESV, & Maria duo poli cœli gloriæ Ioſeph: « gloria enim patris filius ſapiens: » & gloria viri vxor prudens. De veſtrâ agitur gloriâ, ſi indignè hodie tracto Ioſephi præconia. O « pulchra ſicut Ieruſalem, ornata viro tuo » da conceptus, & verba digna ſponſo tuo. Et tu Gabriel, eſto mihi motrix intelligentia; « firmamentum virtutis Dei » inclina & moue; & mihi aquam piſcinæ cœleſtis gratiæ commoue, linguæ paralyticæ, & languidæ deuotioni ſanandæ; « cuius ſermone turbata eſt Maria, cùm ad Virginem Mariam deſponſatam Ioſeph à Deo miſſus, Aue » dixiſti.

Prou. 10.1.

Apoc. 21. 2.

Pſ. 150. 1.

Io. 5. 4.

Luc. 1. 29.

EXORDIVM.

Dei ſolius eſt, qui « omnia in pondere, numero, & menſurâ diſpoſuit, & qui ſpirituum ponderator eſt Dominus » ſanctorum ſuorum merita, graduſque ſingulorum ponderare. « Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat » & matris ſuæ « capiti, coronam duodecim ſtellarum » impoſuit, in Ioſepho eius ſponſo dilectiſſimo, ſanctorum omnium, vt cœlorum, gratiam & gloriam collocauit. Si enim pro principii omnis gratiæ & gloriæ proximitate, diuinus eius participatur effectus: quid pro-

Sap. 11. 21.

Pſ. 146. 4.

Apoc. 12. 1.

Digitized by Google

ximius patre? quid Matris Dei ſponſæ coniun-
Matth. 19. 6. ctius & propinquius viro? « Iam non ſunt duo,
ſed vna » in vnâ videlicet Christi carne, imper-
mixtâ licet vtriuſque coniugis carne, caro; &
Act. 4. 32. multo amplius « anima vna & cor vnum in Deo.»
Id Mathæus innuit, omnia breui verſiculo Io-
Matth. 1.16. ſephi priuilegia colligens: « Iacob autem genuit
Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Iesv qui
Ibid. verſu. 20. vocatur Christus. » Et rurſum; cogitante Ioſeph
Mariam occultè dimittere grauidam; « Ecce An-
gelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Io-
ſeph Fili Dauid, noli timere accipere Mariam
coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de
Spiritu ſancto eſt; pariet autem filium, (& vt alia
cognatio ſpiritalis accedat, tanquam patrinus,)
vocabis nomen eius Iesvm. » Subſcripſit &
Luc. 1. 37. Lucas. « Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo in ci-
uitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Vir-
ginem deſponſatam viro cui nomen erat Ioſeph,
de domo Dauid, &c. » Cùm ergo iuxta Theolo-
gos, ſuperior Hierarchia, inferiorum omnium
dona, virtuteſque contineat: quidquid Angelis
ſimul, & hominibus partialiter omnipotentis
largitas diſtribuit, id totum in vno Ioſeph, ditan-
do collegit. Angelis ſublimior, ad quem imme-
diatè à Deo vnus ex primis cœleſtis curiæ princi-
pibus eſt miſſus. Id etiam aduertente Dionyſio.
Dion. de cœleſt. Hierar. cap. 4. §. 4. « Angelus, inquit, Ioſephum docuit verè adim-
pleta eſſe, quæ progenitori eius Dauid diuinitus
promiſſa fuerant. » Si Prophetam dixero, parum
vtique dixero; cùm in ſomnis, non à quouis An-
gelo, ſed vt par eſt credere, ipſo, cui commiſſa
Matth. 2.13. & 19. eſt myſterii Incarnationis diſpenſatio, reuelatio-
nem, non vnam, ſed plures acceperit. Si Regem
prædicauero, parùm etiam laudauero; cùm

Digitized by Google

viderit beatiſſimis oculis, quod multi Reges & Luc.10.
Prophetæ videre voluerunt, & non viderunt » 23.
& tres inſuper ab Oriente Reges coram filio ſuo putatiuo, nutritio, & legali, proſtratos. Dicam & Apoſtolis, imò & Angelis « tantò excellentiorem factum, quò nomen melius » non Apoſtoli, vel Angeli, ſed Patris « hæreditauit. Cui enim Angelorum dixit, Pater meus es tu? omnes enim ſunt adminiſtratorii ſpiritus: » & tamen Rex Angelorum « erat ſubditus illi. » Compendiato ſermone omnem ſancti Ioſeph celſitudinem expreſſit, qui dixit: « conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. » Hoc dicto tacendum; quinimò hoc loquendum, & explicandum nobis, in primâ huius tractatus parte; & quærendum quæ ſit illa domus, & poſſeſſio, dominiumque ſancti Ioſeph, & principatus in vtrumque; vt in ſecundâ videamus, quo honore & fiducia tantum principem colere debeamus.

Matth. 2.11. Hebr. 1.4.&5. Hebr.1.14. Luc. 2.51. Pſ.104.21. Divisio.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Vt quoquomodo celſitudinis Ioſephi apicem attingamus, tria nobis ſunt præſupponenda principia. Primò, Scripturæ vſu, mulierem, domum appellari; ad quam videlicet ſecurus vir confugiat; vnde & de vxore Salomonis, & forti muliere ſcriptum legimus: « confidit in eâ cor viri ſui. » Et de primâ quidem muliere Moyſes: « Ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam, in mulierem » & notatu dignum; quòd cùm plerumque verſiones in aliquo varient, hoc loco omnes, ne vnâ quidem voce diſcrepant. Eâdem item loquendi formulâ vſus eſt Ioannes

Prou. 31.11. Gen. 2.21.

Digitized by Google

in Apocalypſi, cùm deſcribit Ieruſalem vxorem
Apoc. 21. 2. Agni. « Et ego, inquit, Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo à Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. » Et quia de Chriſto viro eius, dixit Apoſtolus:
Rom. 6. 9. « Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: » hinc eſt, quòd ſemper « ornata ſit viro ſuo » cùm vidua mortuo viro, ornamenta deponat, & domus, defuncto domino, nigro viduitatis colore veſtiatur.

Secundò. Supponendum eſt, iuxta idioma Scripturæ; poſſeſſionem patris & matris propriam, eſſe filium, vnde & habetur in Geneſi;
Gen. 4. 1. « Adam verò cognouit vxorem ſuam Euam; quæ concepit, & peperit Caïn, dicens; poſſedi hominem per Deum. » Siue vt vertit Sanctes Pagn. ex Hebræo; « acquiſiui virum à Domino. » Quia ſecundùm Philoſophum: relatiuum eſt, cuius totum eſſe, eſt ad aliud ſe habere. Vnde &
Aug. tract. 29. in Io. 7. Auguſtinus in verba Chriſti: « Mea doctrina non eſt mea; quæ eſt, inquit, doctrina Patris, niſi Verbum Patris? ipſe ergo Chriſtus, doctrina Patris, ſi Verbum Patris. Sed quia Verbum non poteſt eſſe nullius, ſed alicuius, & ſuam doctrinam dixit ſeipſum; & non ſuam; quia Patris eſt Verbum. Quid enim tam tuum quàm tu, & quid tam non tuum, quàm tu, ſi alicuius es quod es? » Cùm ergo & Maria verè coniux fuerit ſancti Ioſeph, & IESVS verus Mariæ Filius; & domus, & poſſeſſionis eius, fuit verè Princeps & Dominus.

Tertiò. Supponendum eſt ex Iureconſultis, veras ac legitimas « nuptias non concubitum, ſed conſenſum facere. » Et in coniugium caſtiſſi-

Digitized by Google

inum ſancti Ioſeph, & Beatiſſimæ Virginis, ſic fantem Auguſtinum: « Ioſeph maritus Mariæ, habens eam coniugem continenter; non concubitu, ſed affectu: non commixtione corporum, ſed copulatione, quod eſt carius, animarum.» Et iterum, vbi de Virgine Deiparâ: « Deſponſata eſt, inquit, viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potiùs contra violentos cuſtodituro quod illa voluerat.» Nec minùs tamen verum inter eos, imò perfectius, ſeruatâ vtrimque virginitate coniugium idem ſanctiſſimus Doctor aduertit, « omnia, inquit, tria bona nuptiarum, in illo quod ſecundùm Euangelium coniugium nuncupaui, dixi eſſe completa; fidem, quia nullum adulterium: prolem, ipſum Dominum IESVM Chriſtum: Sacramentum, quia nullum diuortium.» His poſitis, cùm forma det eſſe rei, ſecundùm Philoſophos, & conſenſus ſit forma Sacramenti matrimonii: conſenſus porro tantò liberior & pronior, quò inter coniuges ſimilitudo maior, quantus fuerit ſanctus Ioſeph Mariæ coniux, ex coniugij præſtantiâ cum fœminâ ſuper omnes benedictâ concludite. Nec veroſimile, minorem curam fuiſſe Deo ſtatus gratiæ, quàm naturæ; vt qui adiutorium ſimile Adæ prouidit, Mariæ Ioſephum imparem & diſſimilem iunxerit. Nec potuit Deus dare Virgini ſponſum, niſi ei virtutum operatione ſimillimum, ambo pares genere, ambo formâ & virtute conſimiles. « Verè (inquit Bernardus) de domo DAVID, verè de Regiâ ſtirpe deſcendit vir iſte Ioſeph, nobilis genere, mente nobilior. Planè, filius DAVID, non degener à Patre ſuo DAVID. Prorſus, inquam filius DAVID, non tantùm carne, ſed fide, ſed ſanctitate, ſed deuotione; quem tanquam alterum DAVID DOMINUS

Aug. tom. 6. lib. 23. cont. Fauſt. cap. 8. Lib. de S. Virg. cap. 3.

Aug. lib. 1. de Nupt. cap. 11.

Bern. hom 2. ſuper Miſſus.

inuenit ſecundùm cor ſuum, cui tutò committeret ſecretiſſimum atque ſacratiſſimum ſui cordis arcanum: cui tanquam alteri Dauid incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauit: & dedit illi non ignarum eſſe myſterij, quod nemo principum huius ſæculi agnouit: cui denique datum eſt, quod multi Reges & Prophetæ cùm videre vellent, non viderunt; audire, non audierunt; non ſolùm videre & audire, ſed etiam portare, deducere, amplecti, deoſculari, & enutrire, & cuſtodire.» Vnde Rupertus Scalam Iacob eiuſque gradus per Reges Iuda decurrens ſummum eius gradum, cui innixus eſt Dominus, D. Ioſeph expreſſiſſe declarat. « Ecce, inquit, ſcala illa quę Iacob apparuit, quando parentibus obediens ibat in Syriam, vt de ſuâ cognatione acciperet vxorem, &c. Scala illa, iſta eſt generatio Ieſu-Chriſti & latera ſcalæ, ſummi Patres vel Principes ſunt huius generationis, Abraham atque Dauid, ad quos promiſſio facta eſt cum iuramento eius qui repromiſit. Supremus ſcalæ gradus, cui Dominus innixus eſt, iſte eſt beatus Ioſeph vir Mariæ, de qua Ieſus qui vocatur Chriſtus, natus eſt. Quomodo iſte Deus & Dominus huic innixus eſt? vtique tanquam tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo ſine Patre natus eſt. Ita innixus eſt huic beato Ioſeph, vt eſſet infantulo iſte pater optimus, vt huius ſolatio paterno, puer cum Virgine puerperâ ſuſtentaretur.» Cum autem omnis ſanctitas, iuſtitiæ nomine ſignificetur, Ioſeph vir iuſtus in Euangelio nuncupatur. « Iuſtus (inquit Origenes) in verbo, iuſtus in facto, iuſtus in lege, iuſtus in conſummatione, iuſtus in iudicio gratiæ.» Quanta vtriuſque coniugis paritas? de Mariâ poſt Eccleſiaſticum canit

Rupertus li. 1. in Mat. de glor. & hon. filij homin.

Orig. homil. 1. in c. 1. Math.

Eccleſia: « quaſi palma exaltata ſum in Cades:» id eſt in ſanctitate, hoc eſt iuſtitiâ: & de filio ſuo Pſalmiſta : « iuſtus vt palma florebit. » Notatu autem dignum quòd loco Eccleſiaſtici præcitato legunt alij:«quaſi palma maritata ſum in Cades.» grande myſterium,adiutorium ſimile; quod D. Ephrem non præteriit,vbi de paternâ appellatione ſancti Ioſeph. «Ipſe, inquit, Ioſeph natura appellationem indidit, honorémque tempus præbuit: quoniam Virginis & Ioſeph ſponſorum ac candidatorum arrhabones, vt hoc nomine vocaretur, effecerunt. Poſſum autem etiam contra oſtendere Patrem qui non genuerit. Palmarum mares qui dicuntur, dum obumbrant fœminis, fructuoſas illas efficiunt: cùm tamen neque illis miſceantur, neque vllam ipſis ſubſtantiam præbeant,& ficulnearũ quoq;nonnullæ fructum non ferunt,niſi ramis maribus obumbrentur. Quemadmodum igitur iſta,quamuis non generent,Patres appellantur: ita & Ioſeph Pater eſt dictus, licet maritus (ſupple carnaliter cognitæ ſponſæ) Virginis non eſſet, &c. Dicat cœlum quòd ſtellam præbuit teſtem quam non accepit cum Sole & Lunâ. Teſtentur æthera in coruſcatione quæ in cochleas inſilit,exemplum eius qui naſciturus erat ex Virgine. De S.Ioſephi Patronitate Cyrill. «Sicut Maria mater Ioannis propter dilectionem, & non propter generationem: Ita Ioſeph Pater Ieſu, propter curam, vel dilectionem vocatus eſt,non propter generationem. Non enim cognouerat eam, inquit Euangelium,donec peperit filium ſuum primogenitum. Sed propter curam,quam in alendo præſtabat.» Sed nec Maria de Spiritu ſancto concepit, niſi deſponſata Ioſeph, palma femella ſub maſculi vmbrâ. Nec

Eccli. 24.18.
Pſ. 91.

D Eph. de Margarita pretioſa.

Cyrill. Ieroſ. Cathec. 7.

Eſa. 7. 14. concipere potuit iuxta Prophetam niſi Virgo, nec parere. Virgo autem ſine viri conſenſu, non permanſiſſet, nec grauida parere, ſi iuxta legem, lapidandam traducere voluiſſet. Debitrix ſuæ Virginitatis extitit ſponſo. Quia « mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. » Suo ergo iuri ceſſit caſtiſſimus Ioſeph, vt Virgo Maria permaneret. Et quia Virgo deſponſata permanſit, ſub vmbrâ palmæ maſculi, Virginitatis eius, & vitæ cuſtodis, Virgo concepit & peperit. Lubet hîc inducere Auguſtinum ſic cum ſponſo & ſponsâ colloquentem: « Habe Ioſeph cum Mariâ coniuge tuâ communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus naſcitur Angelorum. Sit Maria Mater Chriſti, in carne ſuâ virginitate ſeruatâ; ſis autem & tu Pater Chriſti, curâ caſtitatis, & honorificentiâ Virginitatis, &c. Magnum meritum Virginitatis, fratres; Virginitas Mariæ Angeli ſalutatione eſt imprægnata, & prægnans Mariæ Virginitas de vtero, in vtero eſt ſalutata, generans Virginitas Mariæ ab Angelis eſt hodie collaudata, & lactans Virginitas Mariæ, per ſtellam de cœlo eſt indicata, & Magorum muneribus eſt honorata. Gaude itaque Ioſeph, nimiumque congaude Virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere coniugij: quia per meritum Virginitatis, ita ſeparatus es à concubitu vxoris, vt Pater dicaris Saluatoris. » O quanta Ioſephi excellentia, ex quo tota hominum ſalus, ruinæ Angelorum reparatio, Chriſti Incarnatio, Mariæ maternitas, omnipotentis Dei denique glorificatio. Si enim Dei gloria in attributorum eius clarificatione & manifeſtatione conſiſtit, & hæc in hominum reparatione per Chriſtũ, & Chriſtus naſci

1. Cor. 7. 4.

Aug. ſer. 14. de Nat. qui eſt 18. de temp.

Digitized by Google

naſci debuit ex Virgine, & Virgo à Ioſephi conſenſu pendere; cœlum, terra, Angelus, homo, Maria, Chriſtus, poſt Deum, Ioſepho optimum quod poſſidet, debet.

Sed amplius vrgeo principatum dominiumque Ioſephi ſuper domum & poſſeſſionem Dei. Parū fuerat Dei magnificentiæ & liberalitati, « hominem paulò minùs ab Angelis minuiſſe, omnia ſub pedibus eius ſubieciſſe, gloriâ & honore coronaſſe, denique & conſtituiſſe ſuper omnia opera manuum ſuarum» niſi & in complementū dominii ipſam Euam eius poteſtati ſubdidiſſet; vt & Paulus poſtea diceret; «vir caput mulieris» vt iure coniugij, mulier ſit viro ſubiecta. O caput nobiliſſimæ mundi familiæ, vt Reginę matri, & Regi Regum eius filio ſis à Deo præfectus, impleto in te Moſis de Ioſeph Patriarcha vaticinio: « Benedictio illius qui mihi apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph.» Rubus illæſus, illæſa Mariæ virginitas; & quæ benedictio Ioſeph, niſi vt Princeps Ægypti fieret & Pater Pharaonis? O caput ſuper omnes Angelos exaltatū! caput omni gloriâ dignum! quo te diademate coronabo? Huc violas humilitatis, huc lilia caſtitatis, huc roſas charitatis, huc lauros triumphi immortalis. Impera Ioſeph Chriſto, & Mariæ; « ſub te curuentur qui portant orbem» cui etiam ſubditus fuit, vt Patri & Domino, cui ſubdita ſunt omnia; à te pendeat, « qui tribus digitis appendit molem terræ, & cuius in manu poteſtas & imperium.»

Pſ. 8. 6.

1 Cor. 11. 3.

Deut. 33. 16.

Iob. 9. 13.

Eſa. 40. 12.

Duas radiantiſſimas totius mundi regni coronas, nempe Chriſti, Domini, & Mariæ, voluit Deus à Beatiſſimi Ioſeph voluntate & conſenſu virginali pendere; vt & verus eſſet Matris Dei coniux, & multiplex Filij Dei Pater. Ideò enim

Eſa.7. 14. Chriſtus « Emmanuel nobiſcum Deus » quia de Virgine Matre: ideo Virgo Mater, quia Virgo permanſit, Ioſeph ſponſo conſentiente & iuri ſuo legitimo cedente. Et cui ceſſit ius tantum? Audite ſtupendum, & dictu, cogitatuque mirabile. Non alteri ceſſit faber hic, quàm totius mundi fabro, hoc eſt omnium artifici Spiritui ſancto. Accipite Auguſtinum, vbi vtramque Chriſti natiuitatem confert: « Ioſeph, inquit, faber in terris Pater putabatur eſſe Domini Saluatoris. Nec ab hoc opere Deus qui verè eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti excluditur. (Multò minùs Spiritus ſanctus, cuius apud Salomonem omnium artifex ſapientia dicitur, & quo Virginem obumbrante, ſapientia ædificauit ſibi domum, vt habitaret in nobis) nam eſt & ipſe faber; ipſe eſt enim artifex, qui huius mundi machinam non ſolùm mirabili, ſed etiam ineffabili potentiâ fabricauit. Tanquam ſapiens architectus cœlum ſublimitate ſuſpendit, terram mole fundauit, maria calculis alligauit. Ipſe artifex qui in noſtris moribus præcidit ſuperflua opera, vtilia quæque conſeruat. Ipſe eſt artifex, cuius ſecurim ad radicem noſtram poſitam, Ioannes Baptiſta comminatur: vt omnis arbor quæ normam iuſtæ diſcutionis exceſſerit, exciſa radicitus tradatur incendio: quæ autem menſuram veritatis habuerit, cœleſti fabricæ deputetur. » Hinc ſcitè Chryſologus in verba Euangelij, quibus Chriſtus verè filius fabri putabatur. « Nonne hîc eſt fabri filius: dicebant, inquit, hic eſt fabri filius, non dicebant, &c. Chriſtus erat fabri filius, ſed illius qui mundi fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto: qui elementorum membra non ingenio, ſed iuſſione compegit; qui maſſam ſe-

Aug. ſer. 36. de tẽp.

Matth. 3. 10.

Chryſol. ſer. 48.

Digitized by Google

culi authoritate, non carbone conflauit.» Vbi aurifici, non fabro lignario Deum hac poſtrema ſententia comparat. Virgo itaque ſanctiſſima vera Ioſeph ſponſa, viro conſentiente & ius ſuum Spiritui ſancto cedente, & in teſtimonium ceſſionis iuris ſoluente calceamentum, Spiritui ſancto coniuncta concepit, & adoptionis iure legali, imputandum Ioſepho filium, Chriſtum Regem vniuerſi peperit. De vtroque myſterio ſic Auguſtinus «Gaudeamus, inquit, fratres in commercio Dei & hominis, ſponſi & ſponſæ, Chriſti & Eccleſiæ, Saluatoris & Virginis; quæ dum deſponſaretur fabro, cœli nupſit architecto.» Sed aduerte quàm mirandâ ceremoniâ, Ioſeph fabro fuerit deſponſata. Cùm facta eſſet nubilis, Sacerdos ſummus, cuius hactenus curæ in templo cum cæteris virginibus commiſſa fuerat; iuxta legem, Regiæ ſtirpi Dauid viro tradendam ſciens, conſulto in propitiatorio Deo, reſponſum accepit; vt ſicut olim Aaron ex virgâ floridâ cæteris tribubus præelectus in Pontificem fuerat; ſic duodecim virgis, iuxta duodecim viros, de tribu Iuda in tabernaculo poſitis, is in ſponſum deſtinaretur Virgini, cuius apici Spiritus ſanctus ſpecie columbæ incubaſſet: quod cùm in virgâ Ioſeph eueniſſet, traditus eſt Mariæ in coniugem. Quo portento factum, vt dixerit Rupertus Abbas, quod de Spiritu ſancto inter perſonas Trinitatis Auguſtinus: «Eſt inquit, Spiritus ſanctus ineffabilis complexus genitoris & geniti, ingeniti largitate perfundens creaturas pro earum captu.» Quem inſecutus Rupertus, de Mariâ & Ioſeph ſcribens: «O coniugium, inquit, verum & ſanctum, coniugium cœleſte non terrenum! quomodo enim, vel in quo coniugati

Aug. ſer. 17. de Nat. in fi.

Euſtat. in Hexameron.

Aug.

Rupertus in cap.

Matth. lib. 1. de gloria filij hominis 1. Cor. 15.

fuerunt? nimirum in eo: vnus ſpiritus, & vna fides erat in eis, ſola illic deſinit corruptio carnis. Propterea veriſſimè dixit Apoſtolus Paulus; quia primus homo de terrâ terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Non quòd iſte IESVS CHRISTVS qui ex Mariâ natus eſt, de cœlo cum carne venerit, & per Mariam, quaſi per fiſtulam tranſierit, ſicut quidam dixerunt hæretici; ſed quòd coniugum vita, ſiue coniunctio tota fuerit cœleſtis, & Spiritus ſanctus amborum coniugalis amor, quorum vtique conuerſatio erat in cœlis; in ambobus præſidens, coniugem viri huius fidei commiſerit, & de carne Virginis hominem formans, paterno viro huic, eius qui naſcebatur infantis amorem penitus infuderit.» Vbi ponderandum eſt quod ait, « erat Spiritus ſanctus, vtriuſque nexus, & coniugalis amor.» Vt Deus ille zelotes, medius nexus amborum, cor vtrumque omnium capaciſſimum ineffabili dilectione perfundens, quaſi medium de vtroque participans, vtriuſque per ſe medium puriſſimos amores tranſmiſſos, & ignea Seraphicæ charitatis iacula excepta, per ſe quaſi mediam ignitæ fornacis flammam ardentia, magis ac magis accenderet.

Iam, quomodo ab æterno fuerat à filio adoptatus in Patrem, videamus quomodo verè ſecundùm legem, ius ſuum Spiritui ſancto cedens, ad obumbrandam impręgnandamque Virginem, Dei & Virginis filium habuerit adoptiuum. Vt quomodo nos non naturâ ſed gratiâ adoptante, filij ſumus voluntatis & cordis Dei, ſic Chriſtus non carne aut ſanguine, ſed voluntate, quod maius eſt, & corde, eſſet filius Ioſeph. « Quæ generatio ſpiritalis more Scripturarum, etiam

Aug. ep. 54. ad Macedonium.

adoptio nominatur » inquit Auguſtinus. Ad intelligentiam magni illius iuris, quod Ioſeph cedendo iuri ſuo, à Spiritu ſancto accepit, vt filium Dei ex lege acciperet adoptiuum : ſupponendum eſt illud in lege præſcriptum : « quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui. » Quod & Auguſtinus circa ipſum Ioſeph ex Euangelio factum notauit, iuxta Euangeliũ Lucæ, & Mathæi. « Lex, inquit, filios etiam mortuis adoptabat, iubens vt fratris ſine filiis mortui duceret frater vxorem, & fratri defuncto ſemen ex eâdem ſuſcitaret, &c. Vterini autem fratres fuerunt in quibus hoc contigit, vt vnius defuncti, qui vocabatur Heli, duceret alter vxorem, id eſt Iacob, à quo Mathæus narrat genitum eſſe Ioſeph: ſed vterino fratri ſuo eum genuit, cuius filium Lucas dicit fuiſſe Ioſeph, non vtique genitum, ſed ex lege adoptiuum. » Hinc eſt quod iuxta Tertullianum reprehenſus eſt Herodes à Ioanne, quòd vxorem fratris ſui defuncti habentis filiam contra legem duxiſſet. « Ioannes, inquit, retundens Herodem quòd aduersùs legem, vxorem fratris ſui defuncti duxiſſet, habentis filiam ex illâ, non aliàs hoc permittente, immò & præcipiente lege, quàm ſi fratter illiberis deceſſerit, vt à fratre ipſius, & ex coſtâ ipſius ſupparetur ſemen illi ; coniectus in carcerem fuerat, ab eodem Herode poſtmodum & occiſus. » Cùm ergo S. Ioſeph propter votum Virginitatis, pro mortuo, in generationis actu cenſeretur; ei Spiritus ſanctus filium adoptiuum ex coniuge ſuſcitauit ; cuius curam vt proprii filii ſuſcepit ; & ſuo ſudore verus nutritius educauit,

Deut. 25. 5.

Aug. lib. 2. de cõſenſu Euang. cap. 3. & lib. 2. retract. cap. 7. & c. 16.

Tertul. 4. contra. Marc. cap. 4.

Digitized by Google

& ei, tanquam filio, paternę poteſtatis iure imperauit. Ac velut Athenienſium lege, qui ſponſam ducebat grauidam, fructum eius ſuum faciebat; ita propriè coniugis de Spiritu ſancto grauidæ, Filium Chriſtum tanquam ſuum accepit. Et ſicut apud Venetos, moris eſt, vt Reſpublica à fundamentis vſque ad ſuperficiem aquæ ædificet, eique quòd latet ſub aquis imputatur, reliquum quod aquis ſupereminet, priuatorum impendiis extructum, ipſis pariter deputatur. Ita planè mirabile Incarnationis ædificium, « myſterium abſconditum à ſæculis, quod volucres cœli latet » id eſt Angelos, opus eſt commune Trinitatis: ſed quod foris apparuit, quod impendiis Ioſeph filij accreſcentis accreuit, ipſi communi ſenſu tributum eſt, vt filius Ioſeph putaretur verus Dei & Mariæ filius: ac per hoc dominus fundi, & theſauri; ac velut alter cuſtos terreſtris paradiſi, & ligni, & fontis vitæ arbiter eſſet; denique vt impleretur in eo Propheta Dauidis: « Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. »

Herodotus. Coloſſ. 1. 26. Iob. 28. 21. Pſ. 104. 21.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. His poſitis: ſi honor excellentiæ eius reſpondere debet, & Pharaonem mundi, quid dico Creatorem audimus imperantem, vt omnes coram eo genuflectant; cum omni humilitate coram tanto principe corda & corpora inclinemus. « Numquid ſapientiorem & conſimilem tui inuenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium, cunctus populus obediet: vno tantùm regni ſolio te præcedam. » Quid dico, & vno regni ſolio Regem

Gen. 41. 39.

Reginamque præcedit, & vtrique imperat, vt dominus domus. Video proinde manipulos omnes, & collecta ſanctorum omnium merita, adorare manipulum Ioſeph. Quid ni paupérculæ Ruth ſimilis, anima mea, poſt meſſores Boos, pauculas ſpicas ſuas, ex Scripturæ campo, pedibus eius abiiciat? En video Solem Ieſum, Lunam Mariam, ſtellas ſanctos adorantes Ioſeph. Audite Auguſtinum: « Hoc, inquit, in illo Ioſeph tunc impletum eſt, quando eum in Ægypto adorauerunt fratres ſui; & non incongruè coacti ſunt ſteriles manipuli, fructuoſum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant. (Et nobis iuxta Bernardum Ioſeph Chriſtum eripiens Herodi frumentum ſeruauit in Ægypto.) Vidit etiam aliud ſomnium, quod Sol & Luna, & vndecim ſtellæ adorarent eum. Cui reſpondit Pater ſuus: Numquid ego & mater tua & fratres tui adorabimus te ſuper terram? Hoc in illo Ioſeph impleri non potuit, quia iam mater ipſius de hac luce migrauerat: in noſtro verò Ioſeph, id eſt Domino Ieſu Chriſto ſomni illius Sacramenta cõpleta ſunt. Sol enim, & Luna, & vndecim ſtellæ eum adorauerunt, quando poſt reſurrectionem ſancta Maria quaſi Luna, & B. Ioſeph velut Sol, cum vndecim ſtellis, id eſt, beatis Apoſtolis, incuruati & proſtrati ſunt ante eum: & impleta eſt Prophetia quæ dixerat, « laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen. » Sed ipſe Sol Ieſus, & Luna Maria, & ſtellæ Apoſtoli Ioſeph noſtrum, vt Dominum domus, & principem omnis poſſeſſionis coluerunt. Quis poſt hæc, hunc principem venerari recuſet?

Aug. ſer. 81. de tēp.

Bern. hom. 2. ſupra Miſſus.

Pſ. 148. 3.

SECVNDA REFLEXIO. Quid nobis à Deo bonorum omnium largitore, per eius merita

Gen. 41. 41. preceſque rogato poterit denegari? « Dixit rurſus Pharao ad Ioſeph: Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius, veſtiuitque eum ſtolâ byſſinâ & collo torquem auream circumpoſuit, Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpoſitum eſſe ſcirem vniuerſæ terræ Ægypti. Dixit quoque Rex ad Ioſeph: ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.» Non minori in vniuerſo mundo authoritate præpollet ſanctus Ioſeph. An non Ieſu puelluli brachiola toties eius collo chariſſimo implexa, torques aurei, & monilia pretioſa? Quos putas ardores, ex hoc carbunculo, omnes Seraphicos Spiritus inflammante concepit? quæ, ex Verbo Patris, Cherub illuminante lumina ſuſcepit? O Ioannes, « eructauit cor tuum verbum bonum qui ſemel in pectore Domini recubuiſti » & quoties Ieſus in Ioſeph pectore recubuit. Quis byſſus, candori innocentiæ eius, aut quæ purpura flammanti eius charitati poterit pariari? Quid de annulo dicam Præfecti & Cuſtodis Regij ſignaculi? Aurum annuli, ex abyſſo humilitatis terræ virgineę productum. Adamas inſertus auro, Verbũ Patris; aurifex Spiritus ſanctus. Traditus eſt hic annulus in manu Ioſeph, vt etiam impleatur in illo magnifica illa Amos viſio: « hæc oſtendit mihi Dominus: & ecce Dominus ſtans ſuper murũ, & in manu eius trulla cæmentarii.» Vbi Sanctes Pagninus ex Hebræo. « In manu eius perpẽdiculũ.» 70. verò: « Et ecce ſtabat ſuper murũ adamantinum, & in manu eius adamas.» Quid hoc,

Pſ. 44. 1. Io. 21. 20. Amos. 7. 7.

Digitized by

ce rerum eſt? Quid trullæ, cum adamante? vel adamanti cum perpendiculo? vel his omnibus, cũ fabro lignario? vnum noui, quod iuxta Pſaltem, « implebit ruinas, vt ædificentur muri Ieruſalem » cuius fundamentum Chriſtus. Adamantem in manu Ioſeph magnus mundi artifex collocauit, vt cum eo compingat electos velut trullâ cæmentariâ, interceſſione ſuâ. Quorum omnia vota, & ſupplicationes, ſuo annulo ſubſignet, & omnia petita hoc ſubſcripta nomine & ſignaculo exorabilia præſtet. Narrant, Imperatrici Fœlinæ à quodam Mago datum annulum, cuius palæ Adamas, Sole & Lunâ ſignatus, cum Epigraphe; « ſubiugatis aſtris. » Non à Mago, ſed à Deo magno ſimilis annulus Ioſepho conceſſus, & plena in Solem & Lunam, Ieſum, & Mariam data poteſtas, vt quaſi Principi conſtituto domus & poſſeſſionis, omnia eius imperio ſubiaceant; nec Sol, aut Luna, ſine eius nutu moueri potuerint. Quid Ioſue memorẽ, Soli & Lunæ imperantem dicentemque: « Sol ſta, & Luna ne moueare contra Gabaon? » Quid Mariæ Ieſus, quid Ioſepho Maria, Ieſuſq; recuſabunt? « Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis & fiet vobis. »

Pſ. 109. 5. Pſ. 50. 20. Ioſue. 10. 12. Marc. 11. 24.

TERTIA REFLEXIO. Sed & iuſtitia Ioſeph in aliquo nobis imitanda eſt, vt aliquid virtutis ſuæ ſimile in nobis conſpicatus, maiori in nos beneuolentiâ, & ad intercedendum inclinatione feratur. Chryſologus eius in hoc aduertit innocentiam, cum Euangeliſta; quòd cum eſſet iuſtus, noluit Mariam traducere, &c. In quo nos docuit in occultis, iudicia temeraria declinare; multò magis occultos defectus proximorum garrulâ loquacitate propalare. « Æſtuabat, inquit, animus ſanctus, negotii nouitate perculſus. Sta-

Chryſol. ſer. 145.

bat ſponſa prægnans,ſed Virgo: ſtabat plena pignore, ſed non vacua pudore: ſtabat de conceptu ſolicita,ſed de integritate ſecura : ſtabat veſtita materno munere (vt pote mulier amicta Sole) ſed non honore virginitatis excluſa. Sponſus quid faceret ad iſta? accuſaret de crimine? ſed ipſe erat innocentiæ teſtis. Culpam diceret? Sed erat ipſe cuſtos pudoris. Vrgeret adulterium? Sed erat ipſe virginitatis aſſertor. Cogitat dimittere, & dicit Deo totum, quia homini dicere non habebat. Et nos fratres, quoties res turbat, fallit ſpecies, facit color negotii interna neſcire, declinemus iudiciũ,ſubtrahamus vindictã, ſententiam fugiamus,dicamus Deo totũ : nedum facilè innocentûm fortè geſtimus in pœnam, ipſi nobis noxiam ſententiam proferamus, dicente Domino in quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini.»

Matth. 7.2.

QVARTA REFLEXIO. Eſt & alia in S. Ioſeph iuſtitiæ ſpecies imitanda, nempe perfecta charitas, quæ vt ex Paulo, « non cogitat malum, ſic non æmulatur, non eſt ambitioſa.» Vidimus ex Aug. ſupra ſuperſtitem fuiſſe ſanctum Ioſeph Chriſti morti, & eum cum Mariâ poſt Reſurrectionem, & cum Apoſtolis adoraſſe; & mirum eſt quòd non legitur Chriſtus ipſi,ſed Ioanni potiùs matrem ſuam de cruce commendaſſe; cui tamen honori iuſtiſſimus Ioſeph non inuidit, ſed in hoc, ſuo etiam iuri, & diſpoſitioni diuinæ æquanimis ceſſit (ſicut ſuprà ceſſit ius ſponſi Spiritui ſancto.) Vt nobis in rebus longè inferioris meriti, proximos anteferri non indignemur, ſeu de formâ, ſeu de robore, dignitate, vel diuitiis, cæteriſque temporalibus ſic placuerit diuinæ prouidentiæ ſapienter & iuſtè diſponere. Diſcite quomodo ſe in hac iuſtitiæ parte

1.Cor. 13.5.

Vide ſupra de S. Ioanne Euang.

Luc. 8. 12.

Digitized by Google

geſſerit, ex Cypriano; vbi ſic Chriſtũ affatur. «Cõ- Cypr.
ſidero, inquit, te in cruce de matre ſollicitũ, cui de Paſ-
volenti loqui tecum, cùm Euangelizares, nega- ſione
ueras retroactis diebus colloquium, & prætule- Chriſt.
ras matri, auditores verbi, pauperes ſpiritu; di- à m.
cens eos tibi eſſe pro matre & fratribus, qui Luc. 8.
voluntati Patris obtemperant. Nunc materno 21.
moueris affectu, & thalamum humilitatis tuæ Io. 19.
cubiculario dilecto commendans, & prouides 27.
ſedulò benedictæ inter mulieres Apoſtolicam clientelam, & obſequiũ Virginis, Virgini Diſcipulo tradis; vt nõ iam Ioſeph tanti myſterij oneretur præpoſiturâ, ſed Ioãnes: quia iam exigebat ratio, vt coniugij remoueretur opinio: nec vltra Pater Chriſti æſtimaretur, qui eatenus vicẽ Patris, & coniugis tenuerat. Habebat Ioſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilẽ contradictionẽ, cùm alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognouiſſet carnalem maritum: ſedquia in ſpiritu actũ erat coniunctionis illius myſterium, paſſus eſt Ioſeph æquanimiter ſibi eũ in hoc ſeruitio præponi, quem digniorẽ ſe iudicabat; & ideo maximè, quia magiſtri electio ſic negotiũ ordinabat.» Ita nos in omnibus Dei nutũ ſequi, & eius volũtati in omnibus obſequi cõdecet, ſi conſummatæ iuſtitię palmam conſequi velimus, vt cum ſancto
Iob dicamus in omnibus: «ſicut Domino placuit, Iob. 1.
ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.» 21.

QVINTA REFLEXIO: Nec eſt quod Ioanni inuideamus adoptionis præcellentiam, quâ fuit
etiam Ioſepho prælatus. «Poteſtatem enim de- Io. 1.
dit filios Dei fieri» ſicut & Mariæ, maximè per Aug.
merita Ioſephi, «qui credunt in nomine eius.» ep. 120.
ſic adnotauit Auguſtinus. «Hæc, inquit, adoptio ad Honoratũ,
vocatur. Eramus enim aliquid antea quàm eſſe- cap. 4.

mus filij Dei, & accepimus, vt fieremus quod nõ eramus: ſicut qui adoptatur, antequã adoptatur, nondum erat filius eius à quo adoptaretur, iam tamẽ erat qui adoretur, &c. Nos quoque per eius gratiã facti ſumus, quod nõ eramus, id eſt filij Dei: ſed tamen aliquid eramus; & hoc ipſum aliquid, multò inferiùs, hoc eſt, filii hominũ. Deſcẽdit ergo ille, (vnicus & vnigenitus, per ſcalã ex Mariâ coniuge Ioſeph) vt nos aſcenderemus, & manens in naturâ ſuâ, factus eſt particeps naturæ noſtræ, vt nos manentes in naturâ noſtrâ efficeremur participes naturæ ipſius; non tamen ſic. Nam illum naturæ noſtræ participatio non fecit deteriorem: nos autem facit naturæ illius participatio meliores.» Et rurſum: «Neque abſurdè, inquit, quiſque dicitur non carne, ſed charitate genuiſſe, quem filium ſibi adoptauerit. (Agebat de Iacob Patre Ioſeph, & Heli) at verò etiam nos quibus dedit Deus poteſtatem filios eius fieri, de naturâ atque ſubſtantiâ ſuâ nos non genuit, ſicut vnicum filium, ſed vtique dilectione adoptauit, &c. Vt illo participante mortalitatem noſtram, per dilectionem, nos efficeret participes diuinitatis ſuæ per adoptionem, &c. atque vt apertiùs oſtenderet, quâ gratiâ factum ſit; & Verbum, inquit, caro factum eſt, &c. Tanquam diceret, quid mirum ſi filii Dei facti ſunt, cùm caro eſſent, propter quos vnicus caro factus eſt, cùm Verbum eſſet. Hac ſanè magnâ diſtantiâ, quia nos effecti filii Dei mutamur in melius, ille autem Filius Dei, cùm filius hominis factus eſſet, non eſt mutatus in deterius, ſed aſſumpſit quod erat inferius.»

Lib. 2. de conſenſu cap. 3.

Io. 1. 12.

Io. 1. 14.

Sed cui hanc, poſt Deum, gratiam adoptionis acceptam referemus, «vt filii Dei & Mariæ no-

1. Io. 3. 1.

minemur & ſimus.» Quibus gradibus, quâ ſcalâ, quâ portâ, vel feneſtrâ, niſi per ſanctiſſimi Ioſeph ſaluatoris mundi merita, conſcendemus, & intrabimus, vt ſalutem hæreditate capiamus? « Benedictionem omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput eius. Eccli. 44.25.
Rupertus, quantum humani generis fuerit erga beatiſſimum Ioſeph debitum, quantum omnium noſtrum in eodem, vt ita dicam, mundi ſaluatore refugium, docuit; dum ſcalam Iacob ſic explicauit. « Quid, inquit, ſecundùm hoc quod omnia in figuris contingebant illis, ſcala illa præfigurauit, cui Dominus innixus apparuit, niſi generationem Ieſu Chriſti, quam ſanctus Euangeliſta diuino ore ita contexuit, vt per Ioſeph ad Chriſtum perueniret? Cui videlicet Ioſeph ſupremo ſcalæ gradui Dominus paruulus innixus eſt. An non illi beato innixus eſt, quando pupillus in hoc ſæculo, id eſt abſque carnali Patre natus, ſolatio eius cum puerperâ matre ſuſtentari dignatus eſt? Et vt cætera taceam, nonne tunc illi vel maximè innixus eſt, quando ne ab inimicis Herode vel cæteris inueniretur, qui quæſituri erant animam eius, in Ægyptum ab eodem nutritio ſuo deportatus eſt, iterumque defuncto Herode in terram Iuda relatus eſt? &c. Prædictam ſcalam, non tam ſomniamus, quam vigilanti animo & certâ fide videmus, & Dominum noſtrum paruulum propter nos factum, & per portam cœli, quam ſupremus gradus ſcalæ, ſcilicet B. Ioſeph ſponſali dignitate contingit, per portam, inquam, cœli, id eſt, per B. Virginem egreſſum Dominum noſtrum paruulum & vagientem, & eo modo quo iam dictum eſt, ſcalæ innixum audimus, noſtram, id eſt, gentium ſalutem pro ma-

Rup. lib.3. de diuinis offic. cap.18.

Digitized by Google

gnâ benedictione promittentem, imò promiſſam adimplentem. Nam quòd in illo ſomno Iacob audiuit dicentem Dominum, in ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ, hoc impletur in Chriſti generatione. » Proh quanta benedictio, Patriarcha beatiſſime, vt benedictæ ſint omnes gentes in ſemine tuo: non quod ſeminaſti, « ſemen enim eſt Verbum Dei » quod Pater æternus per Spiritum ſanctum in terrâ Virgine ſeminauit; ſed quod rigaſti ſudore tuo, ex terrâ tuâ, coniuge tuâ, poſſeſſione tuâ, Dominio tuo, ortum erat; tuo proinde in ſemine & frumento, quod in Ægypto ſeruaſti, quo nos toties pauiſti, benedicti ſumus. Pulchrè Chryſologus de Chriſto in Ægyptum per Ioſeph trāſlato: « Chriſtus, inquit, totam cauſam noſtræ ſalutis occiderat, ſi ſe paruulum permiſiſſet occidi, &c. » Et quis vitam authori vitæ, eiuſque matri, pluſquam Euæ matri viuentium, vitam conſeruauit, niſi Ioſeph? quis iuxta Rupertum coniunctior gradus portæ cœli, niſi vir eius? vt intelligat quiſque ſe ſaluti æternæ propinquare quàm maximè, qui Ioſepho fuerit deuotione coniunctior. « Facta eſt (inquit Aug.) Maria feneſtra cœli, quia per ipſam Deus verum fudit ſæculis lumen. Facta eſt Maria ſcala cœleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit ad terras, vt per ipſam homines aſcendere mereantur ad cœlos. » Et alibi ſic inducit loquentem Mariam: « Dicat Maria, porta facta ſum cœli, ianua facta ſum Filio Dei. Illi facta ſum ianua clauſa, qui poſt ſuam reſurrectionem ingreſſus eſt per oſtia clauſa. » Sed tu faber & Dominus domus & Princeps ſcalæ, portæ, & feneſtræ; fac nos per ſcalam, & portam gratiæ, in cœli gloriam introire. Amen.

Chryſol. ſer. 151.

Aug. ſer. 15. de tēp.

Et ſer. 14. de Nat. Chriſt.

Digitized by Google

IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. Mariæ Virginis.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum tuum. Lucæ 1. 38.

MAgno myſterio, veteres Hebræi feſtum Eſther Reginæ ſuæ pulcherrimæ, ſolemni ritu, Luna decima-quarta celebrabant; «Duodecimi menſis Adar, tertiâ-decimâ die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabant ſanguine; verſâ vice Iudæi ſuperiores eſſe cœperunt, &c. Dies tertius-decimus menſis Adar, primus omnium interfectionis fuit, & quartâ decimâ die cædere deſierunt, quem conſtituerunt eſſe ſolemnem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio & conuiuiis, &c. Scripſit itaque Mardochæus, &c. Vt quartam decimam, & quintam decimam menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno ſolemni celebrarent honore.» Hoc cultu innuerant Eſter à Deo electam, pulchram, vt lunam, vt præeſſet nocti populi, in tenebris anguſtiæ gementis. Vel quòd huic eſſet planetæ ſimilis; qui tum in defectum luminis, ſiue Ecclypſim incidit, cùm in plenilunio verſatur. Ita planè numquam Eſter humilior, deliquium paſſa eſt coram Aſſuero ſponſo, quàm cùm gloriâ plenior. Dedecet ſanè nos Hebræorum cedere pietati. Feſtum Annuntiatæ Virginis in plenilunio cele-

Eſter. 9. 1. & ſeq.

Verſu. 17.

Verſu. 20. & 21.

bramus. Et Eſter, ô Virgo, non obſcura tuæ vir-
Cant. 6.9. tutis idea. Tu verè « pulchra vt Luna » noctem tribulationis noſtræ, tuâ luce conſolaris; nuſquam humilior ancilla, quàm cùm omnium Domina, & Regina ſalutaris. Ideo, ſicut Eſther, Hebræo nomine ſignificat « eleuatam in populis; » ſic tu ſuper cœlos eleuata, quia in terrâ humiliata; ideo ſuper Angelos & homines exaltata, quia in infimam ancillæ ſortem deiecta: digna planè ſalute humanâ, & Angelica, quam gratiâ plenam hodie primò Angelus ſalutauit, dicens: Aue.

EXORDIVM.

Eſt aliquid ſcire, ſcire quòd nihil ſcias. Nec ille penitus ignarus, qui ſe cognoſcit ignarũ. Nec pudor eſt, ſed gloria, fateri ſe cum ſapientiſſimis ignorantem. Quis enim erubeſcat cum Salomone profiteri, « quartum ſe penitus ignorare, viam (ſcilicet) viri in adoleſcentulâ. » Conceptum Virginis cum Iſaiâ. « Generationem eius quis enarrabit? » Cum Paulo, myſterium abſconditum à ſæculis; » cum Ioanne Baptiſtâ, « indignum ſoluere corrigiam calceamenti; hoc eſt occultiſſimi ligaturam myſterii? » Lubet cum Habacuc; inſcribere « Canticum pro ignorantiis » cuius nomen « amplexationem » ſonat, & oſculum Verbi cum carne repræſentat, quod in Canticis ſponſa chariſſima, humana natura, ſuſpirabat. « Incuruati ſunt, inquit, colles mundi, ab itineribus æternitatis eius. » Hoc eſt, humiliantur Angeli, & cum Paulo, « inueſtigabiles vias eius » ſcrutari non præſumunt. Via quâ filius exit à Patre, via quâ naſcitur ex Matre, inueſtigabilis. « Quod ſecretum eſt, ſciri non poteſt; quod clauſum eſt, neſci

Prou. 30.19. Eſa. 53. 8. Coloſſ. 1. 26. Marc. 1.7. Habac. 3. Cant. 1.1. Habac. 3.6. Rom. 11. 33. Chryſol. ſer. 61.

Digitized by Google

neſcit aperiri ; quod ſingulare eſt, non refertur
exemplo. » Quia tamen Propheta memoratus
promiſerat: « in medio annorum notum facies; » Habac.
quia Lucas Virginis Scriba, & Notarius, locum 3.2.
deſignat; ſponſi, & ſponſæ, & Paranymphi no- Luc.1.
mina, & naſcituræ prolis dignitates ; licebit mi- 26.
hi abſque præſumptionis elogio, primò aliquid Divi-
de huius occulti Sacramenti arcano dicere; ſe- ſio.
cundò ſyntheſes & veſtes nuptiales ſeruorum ad
nuptias inuitatorum deſcribere.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Duo lego matrimonia ſacris in codicibus regi-
ſtrata; primum in veteri, ſecundum in nouo te-
ſtamento. Primi Notarius Moyſes;ſecundi Scri-
ba D. Lucas. Primum contractum eſt initio tem- Gen. 2.
porum: ſecundum in plenitudine temporum. 21.
Primum in paradiſo terreſtri: ſecundum in Na-
zareth ciuitate florum. Primum inter Adam & Luc. 2.
Euam; ſecundum inter Spiritum ſanctum & B. 26.
Mariam. Primi primogenitus Caïn fratricida: Gen.
ſecundi Chriſtus fratrum homicidarum vita. Sed 4.1.
quanta differentia inter vmbram & lucem, figu-
ram & veritatem, Spiritum ſanctum & Adam:
Mariam & Euam, Caïn & Chriſtum, poſterita-
tem electorum, & reproborum generationem?
Ne in tanto vager tot differentiarum labyrintho,
tres tantùm excerpo, quibus primam tractatus
partem conficio. Prima eſt, quòd cum Euâ ſedu- Gen. 3.1
ctor Angelus egerit de hominum ruinâ; cum
Mariâ Archangelus, de ſalute generis humani tra-
ctauerit; ſecunda, quòd cùm Eua turbata non ſit Luc. 1.
in ſuggeſtione ſerpentis, turbata eſt Maria in 29.
ſermone Gabrielis. Tertia, quòd cùm Deus Gen. 2.
27.

Adam ſoporato, Euam, non petito conſenſu produxerit ex latere; Spiritus ſanctus per Angelum conſenſum petiit à Mariâ Virgine. Diſertiſſimus omnium, Auguſtini iudicio, Tertullianus, ſic primam differentiam ediſſerit. « Deus (inquit) imaginem & ſimilitudinem ſuam à diabolo captam, æmulâ operatione recuperauit. In Virginem enim adhuc Euam irrepſerat verbum ædificatorium mortis: (cuius palatium in generis humani ruinis extructum eſt,) in Virginem æquè introducendum erat verbum extructorium vitæ: vt quod per eiuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem. Crediderat Eua ſerpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit. Sed Eua nihil tunc concepit in vtero, ex diaboli verbo. Imò concepit. Nam exinde vt abiecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli ſemen illi fuit. Enixa eſt denique diabolum fratricidam. (Quia ex Adam peccatore per ſe in peccatum lapſo concepit Caïn in peccato, & ex peccato originali in actuale lapſurum.) Contra Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Iſraël interemptorem ſuum ſaluum quandoque præſtaret. » Breuiùs Auguſtinus primam hanc attigit differentiam: « Hæc eſt (inquit) illa nouitas Ieremiæ Prophetæ vaticinio prænuntiata: Faciet Dominus nouum ſuper terram, fœmina circumdabit virum. O fœmina ſuper fœminas benedicta quæ virum omnino non nouit, & virum ſuo vtero circumdedit. Circumdat virum Maria Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum ſerpenti conſentiendo. » Operationem autem æmulam ſubtiliùs & doctiùs Tertulliano ſic expoſuit: « Poterat vtique Deus hominem

Tertul. de Carne Ch. cap. 17.

Gen. 3. 6.

Luc. 1. 38.

Gen. 4. 8.

Aug. ſer. 18. de ſanctis qui eſt 2. de Annũt.

Ier. 31. 22.

Aug. lib. 13. de Trinit. c. 18

Digitized by Google

aliunde ſuſcipere, in quo eſſet mediator Dei & hominum, non de genere illius Adam, qui peccato ſuo genus obligauit humanum; ſicut ipſum quem primum creauit, non de genere creauit alicuius. Poterat ergo vel ſic, vel alio quo vellet modo creare vnum alium hominem, de quo vinceretur victor prioris: ſed meliùs iudicauit, vt de ipſo quod victum fuerat genere aſſumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum: & tamen ex Virgine; cuius conceptum Spiritus, non caro: ſides, non libido præuenit; nec interfuit carnis concupiſcentia, per quam ſeminantur, & concipiuntur cæteri, qui trahunt originale peccatum: ſed ea penitus remotiſſima, credendo, non concumbendo, ſancta eſt fœcundata virginitas; vt illud quod naſcebatur ex propagine primi hominis, tantummodò generis, non etiam criminis originem duceret. Naſcebatur namque non tranſgreſſionis cognatione vitiata natura, ſed omnium talium vitiorum ſola medicina, &c.» Et quia hominem primum per Euam ſubactam & ſeductam deiecerat, per Mariam Angelo credentem eſt ſubactus. Hinc Chryſologus: «Agit (inquit) agit cum Mariâ Angelus de ſalute, quia cum Euâ Angelus egerat de ruinâ, vt conueniens perditionis noſtræ, reparationis noſtræ reſponderet exordium.» Et alibi, cùm ageret de Mariâ Magdalenâ cum Angelo loquente: «Mulieri, inquit, cui fuerat cum diabolo lethale conſilium, cum Angelo colloquium fit vitale.» Et iterum: «Mulier accepit à Deo fermentum fidei, quæ acceperat à diabolo fermentum perfidiæ, &c. Vt mulier quæ corruperat fermento mortis in Adam totam maſſam generis humani, fermento reſurrectionis totam

Chryſol. ſer. 142.

Chryſol. ſer. 74.
Ser. 99.

Digitized by Google

carnis noſtræ maſſam redintegraret in Chriſto. Vt mulier quæ confecerat panem gemitus & ſudoris, panem vitæ coqueret & ſalutis: & eſſet omnium viuentium mater vera per Chriſtum, quæ erat in Adam omnium mater mortuorum. Ob hoc namque Chriſtus naſci voluit, vt ſicut per Euam (Angelo diabolo ſuggerente) venit ad omnes mors; ita per Mariam rediret omnibus vita, &c. De ſupernis ſuſcipit fermentum Verbi, &c. Et quæ credit verbo, (Angelico) meritò concipit Verbum.» Concludamus hanc differentiam terminis Auguſtini. « Quoniam, inquit, diabolus per ſerpentem Euæ locutus, per Euæ aures mundo intulit mortem: Deus per Angelum ad Mariam protulit verbum, & cunctis ſæculis vitam effudit. Angelus ſermonem eiecit, & Chriſtum Virgo concepit.» Aliam D. Fulgentius huius differentiæ profert rationem. « Attendite, inquit, medicinalis gratiæ lineas, diuinâ nobis benignitate monſtratas. Tunc ad Euam Angelus acceſſit, vt per eam homo, quem Deus fecerat, à Deo ſepararetur: Nunc autem ad Mariam bonus Angelus venit, vt in eâ, humanæ naturæ Deus vnigenitus vniretur. Venit ad Euam diabolus, vt vitam nobis malignus auferret: venit ad Mariam Gabriel, vt vitam reddendam hominibus nunciaret. Per primi hominis culpam, cœpit diabolus homini dominari: per ſecundi hominis gratiam, cœpit ab homine ſuperari. Super primum ſuperbus, ſub ſecundo captiuus. Per illum nos captiuatos tenuit, per iſtum nos liberatos amiſit.»

Idem ſer. 142.

Aug. ſer. 15. de tẽp.

D. Fulgent, ſer. de Nat. duplici Chriſt.

Ex hac primâ differentiâ, naturali fluxu, ſecunda exoritur. Vt quia impudens Eua, cum ſerpente imperturbata, & ſecura collocuta eſt;

Digitized by Google

Virgo pudica, cum Angelo à Deo miſſo trepida loquetetur. Quamquam ex Athanaſio in libro doctiſſimo quæſtionum ad Antiochum: « Sola ſancta Deipara Virgo nudam eſſentiam Gabrielis Archangeli, vt eſt, contemplata eſt » tamen ex Euangelio, « turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. » De quo ſic Auguſtinus: « Salutat, inquit, Angelus puellam, viri ſalutationis ignaram: terretur Virgo nouitate verborum, &c. » Et alibi ſic inducit Virginem fantem « Ignaro, inquit, ſponſo meo, venit ad me quidam magnus Chriſti Paranymphus, non Patriarcha primus, aut Propheta egregius, ſed Gabriel ille Archangelus, facie rutilans, veſte coruſcans, ingreſſu mirabili, aſpectu terribili, viſitauit, & perturbauit me. » Sed quid turbaris ô Virgo? an quia ſalutis oraculum niſi corde tuo, ſicut extis victimæ Delphicæ palpitantibus, trepidante non dabitur? An quia « trepidare virginum eſt, & ad omnes viri pauere ingreſſus?» An quia tenuis virgula tantum ſalutis humanæ fructum baiulare formidat, & puluis humilis, tanto ſub ædificio, motu trepidationis agitur? ſic meditabatur olim Chryſologus: « Ne, inquit, tanto ponderi cœleſtis fabricæ in Mariâ, ſubtilis noſtri corporis arena ſuccumberet; & in Virgine totius generis humani portatura fructum, virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli mox præceſſit, dicens, Ne timeas Maria. » Quid mirum, ſi pauorem excutit Angelus fortitudinis nomine honoratus? Sic Bernardus, iuxta Gregorium: « Nec diſcordat, inquit, nomen à Nuntio: Dei quippe virtutem Chriſtum quem meliùs nuntiare decebat, quàm hunc quem ſimile nomen honorat? &c. Angelus fortitudo Dei appel-

Athan. qu. 28.

Luc. 1. 29.

Aug. ſer. 18. de ſanctis.

Aug. ſer. 18. de tẽp.

Ambr. lib. 2. in Luc.

Chryſol. ſer. 142.

Bern. hom. 1. ſuper Miſſus.

latus eſt, vel quòd huiuſmodi meruerit prærogatiuam officii, quo eiuſdem nuntiaret aduentum virtutis: vel quia Virginem naturâ pauidam, ſimplicem, verecundam, de miraculi nouitate, ne expaueſceret, confortare deberet. Quod & fecit; Ne timeas, inquiens, Maria.» Proſequitur Chryſol. « Ne timeas. Quare? quia inueniſti gratiam. Timet, non qui inuenit, ſed qui perdit. Quid timet, quæ ſecuritatem rerum concipit, parit gaudia ſæculorum? &c. Quid timet, quæ ſuſcipit eum, quem timent omnia quæ timentur? &c. Quid timet, cui iudex cauſæ eſt aſſertor; integritas teſtis innocentiæ? » Quid eſt ergo quod Virgo turbaris? « Omnium artifex ſapientia ædificare ſibi domum » vult in terrâ. In te ſolùm, vt terrâ Virgine, firmum reperit, in quo tam ſublimis palatij ponat fundamentum; vt impleatur vox Dauidica, pro Filio Dei prælocuta: « ſubſtantia mea in inferioribus terræ » vel vt alij legunt, « in vtero matris meæ. » Et quidem, ſi centrum eſt pars terræ inferior, & immobilis; quid Virgo turbaris? duo centra inducuntur à Mathematicis, vnum grauitatis, alterum magnitudinis; & quoties centrum grauitatis, quo omnia grauia tendunt, à centro magnitudinis, ſeu vi ventorum, ſeu aliquo grauiori pondere diuiditur, tum verò terra motu aliquo concutitur. Non ignoro, Triſmegiſto, & Platoni Deum habitum pro centro magnitudinis; & Theologiâ docente didici, hominem iuſtitiæ originalis pondere libratum, Deo coniunctiſſimum fuiſſe; ſed flatu diaboli, & pomi pondere, à centro ſuo ſeparatus intremuit. « De cœlo auditum feciſti iudicium, terra tremuit. » Adam expauit, & dixit, quod longe poſtea Habacuc repetiit: « Domine audiui auditum

Chryſol. ſer. 144.

Sap. 7. 21.

Pſ. 138. 15.

Pſ. 75. 8

Habac. 3. 1.

Digitized by Google

tuum & timui. » Turbetur Adam, expaueſcat Eua, terra fragilis,& pulueręa; turbetur vterque innocentiæ veſte nudatus; tu verò Maria, terra Virgo, & ſtabilis; « adſtans Regina à dextris Dei Pſ.44.
in veſtitu deaurato » gratiæ originalis, « amicta 10.
Sole » & ſplendore ſanctitatis, « circumdata (virtutum omnium) varietate » quid turbaris? « obumbrat te Dei virtus, ne portatura Deum Chryſol.ſer.
fragilitas humana ſuccumbat. » Coniunctiſſima centro magnitudinis,per centrum grauitatis,hoc 142.
eſt humilitatis immobilis, quid turbaris? niſi quia Euæ detrimenta reparans, nimiam eius & impudentem audaciam,quâ libens, & intrepida, indiſcuſſo ſerpentis alloquio, poculum venenatum accepit, & Adamo viro ſuo hauriendum propinauit;turbatione tuâ pudicâ & Virgineâ,ne quid angeli ſeductoris, in Angelum lucis tranſfigurati, ſubeſſet fraudis & doli, « turbata in ſermone eius, qualis eſſet iſta ſalutatio, cogitaſti. »
Illa velut incauta & imprudens mulier, « quomodo iſtud fieret » vt fructu vetito delibato, Luc.1.29.
« fieret ſicut Deus » angelum non interrogauit: Gen.3.5
tu cautior, vtpote ore locuta Sapientis, « mea Prou.
eſt prudentia,meum eſt conſilium: » dixiſti Ga- 8. 14.
brieli: Mater Dei verè futura diuina:« quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? » Lubet huc rurſum proferre Auguſtinum. « Iiſdem, Aug.
inquit, gradibus, dilectiſſimi, quibus perierat lib.3.de Symb.
humana natura, à Ieſu Chriſto Domino noſtro ad Ca-
reparata eſt. Adam ſuperbus, humilis Chriſtus. tech.
Per fœminam mors, per fœminã vita. Per Euam cap.4.
interitus,per Mariam ſalus. Illa corrupta ſecuta eſt ſeductorem,hæc integra peperit Saluatorem. illa poculum à ſerpente propinatum libenter accepit, & viro tradidit, ex quo ſimul mererentur

occidi: hæc gratiâ cœleſti deſuper infusâ, (Angelo dicente, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c.) Vitam protulit, per quam caro mortua poſſit reſuſcitari. Quis eſt qui hæc operatus eſt, (operatione ſcilicet æmulâ de quâ ſupra Tertullianus,) niſi Virginis filius, & Virginum ſponſus? Qui attulit Matri fœcunditatem, ſed non abſtulit integritatem. Quod contulit matri ſuæ, hoc donauit & ſponſæ ſuæ. Denique ſancta Eccleſia, quæ illi integro, integra coniuncta eſt, quotidie parit membra eius, & Virgo eſt. »

Sed & in hoc Spiritus ſancti cum Mariâ, Verbi cum carne, Chriſti cum Eccleſiâ connubio, tertiam differentiam aduerto; quòd ſine vllo Adæ conſenſu, ſponſa ex eius dormientis latere, à Deo producitur; cùm nec Spiritus Mariæ ſponſus, nec in eâ & de eâ Chriſtus concipitur, niſi Angelo priùs petente conſenſum; & Virgine apud ſe cogitante, & prudenter interrogante, priuſquam ſuum ei ad tanti ponderis coniugium, præberet aſſenſum. Sic non de dormiẽte & ſoporato Adam, ſed de « virgâ vigilante, ortâ de radice Ieſſe flos & Nazaræus Chriſtus » oriri debebat in Nazareth. Audite verò dilectum ad fores ſponſæ Angeli voce pulſantem. Cùm enim Salomon dixiſſet, pro ſponsâ loquens: « Ego dormio, & cor meum vigilat. » Subiecit ſtatim: « vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror mea, (70. proxima mea,) amica, columba mea, immaculata mea, (70. perfecta mea.) « Quid eſt, Ego dormio & cor meum vigilat? niſi, ita quieſco, vt audiam. Otium meum non impenditur nutriendæ deſidiæ, ſed percipiendæ ſapientiæ. Ego dormio, & cor meum vigilat: vaco, & video quoniam tu es Dominus. Ego requieſco à negotioſis actibus, &

Hier. 1. 11. Iſ. 11. 1.

Cant. 5. 2.

Aug. tract. 57. in Io. 13.

animus meus diuinis ſe intendit affectibus.» Ibidem Auguſtinus, caput, rorem, guttas noctis ſic explicat: « Nox, inquit, iniquitas eſt, ros verò eius, & guttæ, hi ſunt (peccatores ad quos liberandos venit Chriſtus) qui frigeſcunt & cadunt, & faciunt refrigeſcere caput Chriſti, hoc eſt vt non ametur Deus, caput enim Chriſti Deus. Sed portantur in crinibus, id eſt in Sacramentis viſibilibus tolerantur; ſed nequaquam interiora ſenſus attingunt. Pulſat ergo vt excutiat quietem, & clamat; (Eccleſiæ ſponſæ applicat Auguſtinus, quod ego Mariæ) Aperi mihi, de ſanguine meo ſoror mea, de acceſſu meo proxima mea, de ſpiritu meo columba mea, de ſermone meo quem plenius ex otio didiciſti, perfecta mea. Aperi mihi, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium » Et quodnam Chriſti caput? Pater cœleſtis. Quo rore plenum, niſi Spiritu, Virginem fœcundam redditurο? ô electa maris concha, pande ſinum, vt rore diuino implearis, & pretioſiſſimum Verbi vniendi cum carne concipias margaritum. « Deſcendet ſicut pluuia in vellus » excipe pluuiam, & ſuſcipe rorem. De quo ſic Chryſologus: « Cœleſtis imber virgineum in vellus placido ſe fudit illapſu, & tota diuinitatis vnda bibulo ſe noſtræ carnis celauit in vellere; donec per patibulum crucis expreſſum terris omnibus in pluuiam ſalutis effunderet.» Sed priuſquam cœleſti rore maderet, priuſquam de Spiritu ſancto ſponſo conciperet margaritam, per os Paranymphi Gabrielis exquiſitus eſt à Virgine conſenſus, & apertio voluntatis, « aperi mihi, inquit, ſoror mea » quid moraris? Cerne Adam cum Euâ, humani generis parentes excluſos à paradiſo, ad oſtium carceris præſtolantes.

1. Cor. 11. 3.

Pſ. 71. 6.

Chryſol. ſer. 143.

Digitized by Google

Aſpice Patriarcham Noë, fruſtra in arcâ compingendâ ſudantem, niſi tuo ſuffragio, & merito, hominem naufragum eripias diluuio. En Abraham benedictæ ſuæ & numeroſæ prolis ſtellas, à firmamento virtutis tuæ pendentes expectat. Ioſue terram verè fluentem lacte, & melle, ab Emmanuele futuro filio tuo ſuſpirat. Eſaïas Virginem parituram, cum cæteris Incarnationis Dominicæ prænuntiis, per te oracula, & figuras legis impleri ſupplex efflagitat. Suauiùs hîc erit mellifluum audire Bernardum ſic pro omnibus,
Bern. hom. 4. ſuper Miſſus. Virginem compellantem. « Audiamus (inquit) à te reſponſum lætitiæ quod deſideramus, vt iam exultent oſſa humiliata, &c. Expectat Angelus
Pſ. 50. reſponſum, tempus eſt enim vt reuertatur ad Deum, qui miſit illum. Expectamus & nos, ô Domina, verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. Ecce offertur tibi pretium ſalutis noſtræ, ſtatim liberabimur, ſi conſentis. In ſempiterno Dei Verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui reſponſo reficiendi ſumus, vt ad vitam reuocemur. Hoc ſupplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum miſerâ ſobole ſuâ, exul de paradiſo. Hoc
Eſa. 9. 2. Abraham, hoc Dauid, hoc cæteri flagitant Patres, Patres ſcilicet tui, qui & ipſi habitant in regione vmbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. Nec immeritò, quando ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captiuorum, ſalus denique vniuerſorum filiorum Adam totius generis tui. Dic, Virgo, reſponſum feſtinanter. O Domina reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod
Pſ. 44. 12. expectant & ſuperi. Ipſe quoque omnium Rex & Dominus, quantùm concupiuit decorem

tuum,tantùm deſiderat & reſponſionis aſſenſum,
in quâ nimirum propoſuit ſaluare mundum. Et
cui placuiſti in ſilentio, iam magis placebis ex
Verbo; cùm ipſe tibi clamet è cœlo, ô pulchra
inter mulieres, (amici Angeli auſcultant te,) Cant.
fac me audire vocem tuam. (Audi filia & vide.) 8.13.
Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipſe Pſ. 44.
te faciet videre ſalutem noſtram, &c. Tu es illa 11.
in quâ, & per quam Deus ipſe Rex noſter ante Cant.
ſæcula diſpoſuit operari ſalutem in medio terræ, 8. 13.
&c. Reſponde citiùs Angelo, imò per Angelum, Pſ.73.
Domino. Reſponde verbũ, & ſuſcipe Verbum: 12.
profer tuum,& cõcipe diuinum. Emitte tranſitoriũ,& amplectere ſempiternum. Quid tardas,
quid trepidas? Crede, confitere,& ſuſcipe. Iuuat
humilitas audaciam, verecundia fiduciam,&c. Et
ſi grata in ſilentio verecundia magis tamẽ nunc in
verbo pietas neceſſaria. Aperi, Virgo beata, cor
fidei, labia confeſſioni, viſcera Creatori.» Scis
conſenſum, neceſſariã formam eſſe Sacramenti.

Quid plura? «Ecce (inquit) Ancilla Domini, Luc. 1.
fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Dedit abyſſus 38.
vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit» vt Habac.
benediceret ſuper omnes mulieres benedictam. 3. 10.
Leuauit Pater vtramque manum, Filium, & Spiritum ſanctum, vt cum ſponsâ « ab oſculis oris Cant. 1.
oſculata exultante ſpiritu in Deo ſalutari ſuo » 1.
cantaret: « Læua eius ſub capite meo, & dextera Luc. 1.
illius amplexabitur me.» Impletum tandem eſt 47.
illud vaticinium Habacuc. « Sol & Luna ſtete- Cant. 2.
runt in habitaculo ſuo.» Sol & Luna, Verbum 6.
caro, ſteterunt in vnicâ Verbi ſubſiſtentiâ. In ha- Habac.
bitaculo ſuo, in Virginis vtero, vt diceret Virgo, 3.9.
« qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, Eccli.
vnde procederet tanquam ſponſus de thalamo 24.12.

Digitized by Google

Pſ. 18. 6. ſuo. » Sed quid Propheta dixit, « ſteterunt » cui Ieremias contradixit, corruerunt; « quia fortis
Ier. 46. 12. impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt » Vel vt legunt 70. « Audierunt gentes vocem tuam: & clamore tuo impleta eſt terra: quia pugnator aduerſùs pugnatorem infirmatus eſt: in idipſum ceciderunt vtrique. » Ad vocem abyſſi humiliantis ſe, ad concurſum Domini Sabaoth
Pſ. 23. 8. « fortis & potentis in prælio, cum muliere forti
Prou. 31. 1. & terribili ſicut caſtrorum acies ordinatâ, ambo
Cant. 6. 9. pariter cõciderunt, in idipſum vtriq; ceciderunt. » Fingite vobis ex altiſſimi vtrimq; montis ſummo culmine, duo vaſa chryſtallina animata, toto impetu in idipſum punctum vallis infimæ, vltrò ſe dare in præceps, & in minutiſſimum puluerem diſſoluere. Quid ſublimius æterno Patris Verbo? quid purius Virgine ſuper omnes Angelos exaltatâ, & ab Angelo Gabriele plenâ gratiâ ſalutatâ. Hic à ſummo diuinitatis apice, hæc à ſupremo dignitatis fulmine in imam humilitatis vallem, ruit. Illa, « Ecce, inquit, ancilla Domini: » de illo
Luc. 1. 38. Paulus, « cùm in formâ Dei eſſet non rapinam
Philip. 2. 6. arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus. » Sicque adimpleta eſt Prophetia: « fortis impegit in fortem: & ambo
Hier. 46. 12. pariter conciderunt. » Sed vt omnia ex nihilo per verbum fiat, facta ſunt; ſic ex humilitatis exinaniti Verbi, & Mariæ nihilo, per verbum fiat, refecta, & reſarcita ſunt omnia, Deo omnia, Paulo teſte, in Chriſto inſtaurante. Pulchrè Damia-
Epheſ. 1. 10. nus: « Per, ipſam (inquit) & in ipſâ, & de ipſâ, & cum ipsâ totum hoc faciendum decernitur,
Dam. ſer. de Annũt. vt ſicut ſine ipſo factum eſt nihil, ſic ſine ipſâ nihil refectum ſit. » O fiat Mariæ verbum po-

tens! audeo dicere plus aliquid operatum eſſe verbum Mariæ conſentiendo, & dicendo, « fiat mihi ſecundùm verbum tuum. » Audite quid dicat: « feci vt oriretur in cœlis lumen indeficiens, & erit firmamentum in terra in ſummis montium » vel vt alij legunt, « placenta tritici in capitibus Sacerdotum » hoc eſt ſanctiſſimum Sacramentum. Vt congregentur aquæ multæ, id eſt populi multi in vnum locum, & Eccleſiæ cœtum, vt Sol, & Luna, & ſtellæ, Apoſtoli, & ſancti luceant in cœlo Eccleſiæ. « Facies & homines, ſicut piſces maris » in aquâ baptiſmi generari; & ex eâdem volucres, ſpiritales homines euolare, conuerſatione cœleſti. Denique & Deum, ad imaginem & ſimilitudinem hominis fieri. Potentior ergo, Deo ſic volente, verbum matris, quàm Verbum Patris; quia maiora ſunt opera gratiæ, quàm naturæ, & Mariâ dicente fiat, « factus eſt quod fecerat, ne periret quod fecerat. » Sic pius Dominus, merita extorquet à nobis; vt quod gratis daturus erat, deuota promereatur, quam ipſe inſpirat, oratio. « Hoc vtique (ait Bernardus) prudens Virgo intellexit, quando præuenienti ſe muneri gratuitæ promiſſionis, iunxit meritum ſuæ orationis: fiat, inquiens, mihi ſecundùm verbum tuum. Fiat mihi de Verbo, ſecundùm verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne meâ, ſecundùm verbum tuum. Fiat, obſecro, mihi Verbum, non prolatum, quod tranſeat, ſed conceptum, vt maneat, carne videlicet, indutum, non aëre. Fiat mihi non tantùm audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris. Nec fiat mihi verbum ſcriptum, & mutum, ſed incarnatum & viuum: hoc eſt, non

Luc. 1. 38. Eccli. 24. 6. Pſ. 71. 16. Gen. 1. 9. Habac. 1. 14. Aug. tract. 36. in Io. Bern. homil. 4. ſuper Miſſus. Io. 1. 1.

mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum; ſed in formâ humanâ, meis caſtis viſceribus viuaciter impreſſum: & hoc non mortui calami depictione, ſed ſancti Spiritus (columbæ viuificantis & vitaliter obumbrantis) operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum eſt,
Hebr. 1. 1. nemini poſt me faciendum. Porrò multifariam, multiſque modis olim Deus locutus eſt Patribus in Prophetis: & aliis quidem in aure, aliis in ore, aliis etiam in manu factum eſſe verbum Domini memoratur; mihi autem oro vt in vtero fiat iuxta verbum tuum. Nolo autem vt fiat mihi, aut declamatoriè prædicatum, aut figuraliter ſignificatum, aut imaginatoriè ſomniatum; ſed ſilenter inſpiratum, perſonaliter incarnatum, corporaliter inuiſceratum. Verbum igitur quod in ſe nec poterat fieri, (quia genitum, non factum) nec indigebat; dignetur in me, dignetur & mihi fieri, ſecundùm verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, ſed ſpecialiter fiat mihi ſecundùm verbum tuum. » Vt conſentiendo Spiritui ſancto ſponſo meo, vera ſim Mater Filij tui, Saluatoris mei. Nos verò, quem fructum, ex præcedenti ratiocinatione decerpemus?

SECVNDA PARS MORALIS

Prima Reflexio. Cùm Rex vniuerſi
Matth. 22. 2. nuptias hodie fecerit Filio ſuo, & naturam noſtram deſponſauerit in vtero virginali, & « vocauerit
Ibid. 3. multos vt venirent ad nuptias » ad regale illud conuiuium, ſine veſte nuptiali, & ſyntheſi, hoc eſt indumento, coloribus ſponſi, & ſponſæ imbuto, nos conuenire, nec decet, nec expedit;
Ibid. 11. ne Regis, & Reginæ oculos offendamus, & quos

putas Reginæ oculis magis arridere colores?
« purpura, & byſſus indumentum eius, circum-
amicta varietatibus. » Nec tuis vult te largitas Prou.
eius, & munificentia ſumptibus indui; ſed vete- 31.22.
ribus, & attritis, ſuâque indignis aulâ pannis
exui, « expoliari (inquã) veterem hominem cum Pſ. 44.
actibus ſuis. » Nouum enim quod attinet. « om- 14.
nes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. » Qua- Coloſſ.
lis honor, tantæ Reginæ, omnium ditiſſimæ, & 3. 9.
munificentiſſimæ domeſticum recenſeri? Aliquę Prou.
potentes ſunt, ſed inacceſſæ, vel parcæ. At Regi- 31.21.
na noſtra licet « clauſa principi porta » propter Ezech.
virginitatem incorruptam; « fons patens eſt do- 44. 2.
mui Dauid; » quæ ſic omnes ad ſuum allicit fa- Zach.
mulatum; « beatus qui vigilat ad fores meas quo- 13.1.
tidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei: qui me in- Prou.8.
inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à 34.
Domino. « Quo loco aduertẽdum diligenter, 70.
Interpretes tranſtuliſſe, « egreſſiones meæ, egreſ-
ſiones vitæ; & paratur voluntas à Domino. » Vix Prou.
enim Angelica ſalutatione, quilibet ad fores bea- 8. 35.
tæ Mariæ pulſauerit, quin ſtatim egrediatur, &
occurrat ad gratiam veram animæ vitam & quę-
cumque vitæ etiam temporali neceſſaria procu-
rãnda. Ille haud dubiè « hauriet ſalutem à Domi-
no » cuius per mediatricem Mariam, « parabitur
voluntas à Domino. » Si enim ipſa eſt Eſter my- Pſ. 64. 7
ſtica, id eſt præparata ad tantam gratiam, quis
gratiæ capax, eam hauriat niſi voluntas eius pa-
retur à Domino? Tu enim verè, Maria, ſuf-
fragio tuo efficaciſſimo, « præparans montes in Prou.
virtute tuâ, paraſti cibum illorum, quoniam ita 31. 15.
eſt præparatio eius. » Tu illa mulier fortis, quæ
« de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis
ſuis, & cibaria ancillis ſuis. » Tu illa Eſther my-

Eſter. 4.14. ſtica, cui Mardochæus: « quis nouit vtrùm idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?» Vel vt legit Sanctes, « facta ſis ad regnũ.» Ad hoc certè, facta es, Virgo, ad hoc nata Regina, vt « in tempore iracundiæ fieres reconciliatio. Cor Regis Regum in manu tuâ, quocumque volueris inclinabis illud, » multò magis, & dura corda peccatorum ipſe molliet, & parabit hauriendæ gratiæ, hominum voluntates. Quas ſuauiter, illæsâ libertate, Virgo per filium trahet ad Patrem. « Sed quis trahitur, ſi iam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, vt velit, ab illo qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant. Hoc verum eſſe, non conjecturâ ſuſpicamur humanâ, ſed euidentiſſimâ diuinarum ſcripturarum auctoritate dignoſcimus, &c. Quid eſt autem, quod Eſther illa regina orat & dicit, da ſermonem concinnum in os meum, & verba mea clarifica in conſpectu leonis, & conuerte cor eius in odium impugnantis nos? Vt quid iſta in oratione dicit Deo, ſi non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem? &c. Et conuertit Deus, & tranſtulit indignationem eius in lenitatem, &c. Qui cor regis antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſimâ & efficaciſſimâ poteſtate conuertit, &c. Secundùm illud Apoſtoli, Deus eſt qui operatur in vobis & velle. » Et rurſum: « Putatis, inquit, iſto modo auferri voluntatis arbitrium, cum hoc facere (obedire ſcilicet Deo) quiſquam niſi voluntate non poſſit, ſed, quod non vultis, præparatur voluntas à Domino, non forinſecùs ſonantibus verbis, ſed ſicut orante exauditâque

Eccli. 44. 17. — Prou. 21. 1. — Aug. lib. 1. ad Bonif. cap. 20. — 2. Par. 30. 12. Ezech. 36. 26. Eſther. 14. 13. — Aug. lib. 3. operis perfecti cont. Iul. ſect. 117.

exauditâque Reginâ, conuertit Deus & tranſtulit indignationem Regis, in lenitatem. Sicut enim hoc diuino & occulto modo egit in hominis corde, ſic operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. » An non plus poterit Virgo, quàm Eſther, ad flectendum cor viri, filij, amici rebellis? Hæc eſt illa mulier fortis, quæ « manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. » Primò ergo de manu eius accipiant domeſtici eius candorem byſſi caſtitatis, ſine quâ nemo oculis eius placere poteſt. Quæ enim vel honeſta matrona, domi ſuæ ferat impudicè agentes ſeruos, aut proſtitutas ancillas? « Ambulabunt, inquit, mecum in albis, quoniam digni ſunt. » In ſpurcis enim, & inhoneſtis, indigni. Sic in cultum lubricum Chriſtianarum mulierum inuehitur Tertullianus. « Secundùm Gentilium, an ſecundùm Dei placitum incedere Chriſtianos oportet? Optemus tantummodo ne iuſtæ blaſphemationis cauſa ſimus. Quantò autem magis blaſphemabile eſt, ſi quæ Sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis, cultæ & expictæ? Aut quid minus habent infœliciſſimæ illæ publicarum libidinum victimæ? Quas ſi quæ leges à maritalibus & matronalibus decoramentis coarcebant, iam certè ſæculi improbitas quotidie inſurgens, honeſtiſſimis quibuſque fœminis, vſque ad errorem dinocendi coæquauit. Quanquam lenocinia formæ numquam non proſtituto corpori coniuncta, & debita, etiam ſcripturæ ſuggerunt. Illa ciuitas valida, quæ ſuper montes ſeptem, & plurimas aquas præſidet, proſtitutæ appellationem à Domino meruit. Sed quali habitu appellationi ſuæ comparata eſt? ſedet certè in purpurâ, & coccino, & auro, & lapide

Prou. 31. 20.

Apoc. 3. 4.

Tertul. 2. de cultu fœm. cap. 12.

Apoc. 17. 4.

Digitized by Google

pretioſo. Quàm maledicta ſunt, ſine quibus non potuit maledicta,& proſtituta deſcribi? Thamar
Gen.38.14. illa, quia ſe expinxerat, & ornauerat; idcirco Iudæ ſuſpicione viſa eſt quæſtui ſedere; adeóque ſub velamento latebat, habitus qualitate quæſtuariam mentiente, vt quæſtuariam & voluerit, & compellauerit,& pactus ſit. Vnde addiſcimus, aduersùs congreſſus, & ſuſpiciones impudicas, prouidendum omnimodo eſſe. Quid enim caſtæ mentis integritas,alterius ſuſpicione maculatur? Quid ſperatur in me quod auerſor? quid non mores, (& amores & Dominæ meæ caſtiſſimæ colores,) habitus pronunciat, ne ſpiritus per aures ab impudentiâ vulneretur?liceat videri pudicam, certè impudicam ſi licet.»

SECVNDA REFLEXIO. Sit pro ſecundo colore iucundiſſimo Reginæ, purpura verecundiæ, & charitatis, quâ quibuſcumque Dominæ noſtræ diſplicentibus, vel primis cogitationibus, & moribus, colloquiiſque, « matri pulchræ
Eccli. 24.44. dilectionis » aduerſantibus, repugnemus. Sit in limine præſes verecunda, & erubeſcens pudicitia; « Cum omnes templum Dei ſimus, illato in
Tertul. 2. de cultu fœm. cap. 1. 1.Cor. 3.16. nos & conſecrato Spiritu ſancto, eius templi æditua, & antiſtita pudicitia eſt, quæ nihil immundum, nec prophanum inferri ſinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.» Quanta ſit veſtis excellentia purpureæ, docuit Tertullianus,& ſimul quantâ curâ
Tertul. de pudic.c.1. cuſtodienda. « Noſtrorũ, inquit, bonorum ſtatus iã exigitur, Chriſtianæ pudicitiæ ratio concutitur, quæ omnia de cœlo trahit, & naturam per lauacrum regenerationis, & diſciplinam per inſtrumentum prædicationis, & cenſuram per iudicia ex vtroque Teſtamento, & coacta conſtantiùs,

ex metu,& voto,(deſiderio & ſpe regni cœleſtis) æterni ignis,& regni.» Neque verò, ſolius caſtitatis, ſed & cuiuſlibet virtutis propugnandæ causâ, ſtat pro foribus æditua & præſes purpurea in veſte pudicitia; quæ quolibet vitio, naturâ ſuâ pudendo, ad fores ſenſuum pulſante, vt cordis templum ingrediatur, cum Virgine pudiciſſimâ ſic loquitur: quomodo fiet iſtud? Ego verò vt ſuperbiam, auditâ voce abyſſi magnæ, ſe ad ancillæ vilitatem abiicientis? Ego vt de donis extollar. « quomodo fiet iſtud? quid habes quod non accepiſti? Quod ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi nō acceperis?» Exaltata, humiliata eſt & conturbata: ego verò exultabo in laudibus, non Angelicis, ſed humanis? « quomodo fiet iſtud: ſi tentet luxuria: Egone lectulum floridum, lilia & margaritas porcis conculcanda proſtituam? ſponſum caſtiſſimum thalamo pellam? ſponſæ Reginæ oculos lædam? Torrentem voluptatis, pro guttâ cœnoſæ libidinis, amittam? « Quid tibi vis in viâ Ægypti vt bibas aquam turbidam? aut quid tibi in via Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis? » quomodo fiet iſtud? ego vt theſaurum æterni regni, thronum gloriæ, diuitiis & honoribus ſæculi poſtponam? &c. Sit vobis emblema Farneſij Ducis Placentiæ; in quo picta cernitur Virgo ſedens, læuâ caput ſuſtinens, dextrâ facem; igne coram, ſub tripode poſito; cum Epigraphe « ſecuritas Placentiæ, & Parmæ » quaſi diceret, in peruigili cuſtodiâ, ſtare vrbis ſecuritatem. Nos verò, amoris Dei face ſemper accensâ, & ignis inferni timore, & vigili pudicitiâ, ſecuri erimus. « Solent (inquit Bernardus) Virgines quæ verè Virgines ſunt, ſemper pauidæ, & numquam eſſe ſecuræ, & vt caueant timenda, etiam tuta perti-

1. Cor. 4. 7.

Ier. 2. 18.

Typotius in hierog. Ducum Placentiæ & Parmę.

Bern. homil. 3. ſuper Miſſus.

meſcere; ſcientes ſe in vaſis fictilibus theſaurum portare pretioſum: & nimis arduum eſſe, viuere Angelicè inter homines, & in terris more cœleſtium conuerſari, & in carne cœlibem agere vitam; ac proinde quidquid nouum, quidquid ſubitum fuerit ortum, ſuſpectas habent inſidias, totum contra ſe æſtimant machinatum. Idcirco & Maria turbata eſt in ſermone An-
1. Io. 4. 1. geli.»

Tertia Reflexio. « Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Cogitabat Maria, qualis eſſet iſta ſalutatio:» hinc monet ſapienter Gilbertus Abbas;
Cant. 5. 2. prudenter & cautè diſcernendas voces ſponſi, & adulteri; pulſantis, & dicentis, « Aperi mihi ſoror
Gilbertus ſer. 43. in Cant. mea ſponſa, quia caput meum plenum eſt rore, &c.» Quod ſic exponit: « Ne, inquit, ad modicum tenebroſo & gelido malitiæ & nequitiæ rore inficiantur, quem Princeps aëris huius leniter & latenter aſpergit: caue fallaces infectiones eius; ſponſi tui illum cœleſtem ſe mentitur habere rorem. Claude illi: & ſi dicat, aperi mihi ſoror mea: nullam tibi cum eo cognationem eſſe reſponde. Quæ illi cognata eſt, immaculata non eſt. Praua cognatio, quam contagio ſequitur. Chriſtus cùm iam ſororem dicit, immaculatam ſub-
Cant. 5. 2. iungit. Auſculta quando dicere poſſis, vox dilecti pulſantis. Hoſtis primo aggreſſu timidè agit, tentantis modo deprehendi timens, palpat, non pulſat: dilectus tuus innoteſcere volens, pulſat audenter, Aperi mihi, quia caput meum, &c. Ac ſi dicat, aperi mihi, quia rore gratiæ refertus illabor.» Statim vt noueris ſponſum, ſurge vt ape-
2. Cor. 6. 8. rias dilecto per conſenſum. Induere polymitâ veſte & omnicolore induta, procede parata ad

omnia, anima mea; « à dextris, & à ſiniſtris; per ignominiam, & bonam famam. » In proſperis, & aduerſis; in paupertate, & diuitiis; in ægritudine, & ſanitate; in copiâ, & inopiâ. Hic ſemper cum Virgine, « fiat mihi ſecundùm verbum tuum. » Et cum Pſalte « fœderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. » In quem locum Auguſtinus; « Omnibus, inquit, malis neceſſe eſt vt hoc contingat: bonorum autem patientia, præparatione cordis excipit voluntatem Dei, & gloriatur in tribulationibus, dicens quod ſequitur: paratum cor meum Deus, &c. Quid fecit mihi? parauit foueam: cor meum paratum eſt. Ille parauit foueam ad decipiendum: ego cor non parabo ad perpetiendum? Ille parauit foueam ad opprimendum; ego cor non parabo ad tolerandum? propterea ille incidet in eam; ego autem cantabo, & pſallam. Audi cor paratum in Apoſtolo, qui imitatus eſt Dominum ſuum: gloriamur, inquit, in tribulationibus: quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit: quia Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Erat in preſſuris, in cathenis, in carceribus, in plagis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in omni vaſtatione laborum & dolorum: & dicebat, gloriamur in tribulationibus. Vnde? quia paratum eſt cor eius, ideo cantabat & pſallebat. »

Pſ. 56. 9
Aug. Ibid.
Rom. 5. 3.
2. Cor. 11.

QVARTA REFLEXIO. Quantulacumque præſtita beatiſſimæ Virgini obſequia nouit benigniſſima munificentiſſimè repenſare. Paupercula quædam gregem paſcens iuxta ſacellum

Calẽd. Virg. 25. Mart.

Digitized by Google

Virginis, in quo imago eius erat inculta, cùm per inopiam, vti ardebat, eam excolere & ornare non poſſet, deſiderium ſuum frequenter Virgini cum hodiernâ ſalutatione Angelicâ coram eius effigie offerebat. Febri correptam, & morti proximam tribus Virginum turmis comitata viſitauit; Virginum ſcilicet abſque voto; nuncupato voto, & martyrij roſa, cum lilio integritatis admixta; quæ expirantis animam hoc ipſo die, inter maternos exceptam ſinus, & ſerto pulcherrimo redimitam, in cœleſte regnum triumphantem inuexit. Nec impar eius pietas in Beatam Gertrudem, Ordinis S. Benedicti monialem; quæ cùm per infirmitatem, non poſſet coronam integram perſoluere, & omni affectu, quatuor tantum prima verba ſalutationis Angelicæ crebriùs recitaret, myſteria virtuteſque Virginis deuotiſſimè contemplans; apparuit ei pallio viridi circumamicta, in quo præter alios flores, roſæ ſex foliis miræ pulchritudinis depictæ, & gemmis diſtinctæ eminebant. Nec prætereibo deuotionem Amedæi Allobrogum Ducis, qui anno 1356. hoc die, ſub titulo Annunciationis Deiparæ, inſtituit ordinem equitum Virginis annunciatæ; quibus torquem auream, cum pendula Annunciationis imagine, triplici circumuolutione impoſuit, in qualibet repetens hoc monoſyllabum, « fert, fert, fert. » Vbi prima littera, « fortitudo » 2. « eius » 3. « Rhodum » 4. « tenuit » Quòd Amedæus magnus prædeceſſor eius, multū præſidij Hieroſolymitanis Equitibus contuliſſet, ſub auſpicio Virginis, ad propellendos ex Rhodo inſulâ Mahumetanos. Nos verò ſub vexillo fortis mulieris, quæ caput Draconis, virtute contriuit, omnem virtutem diabolicæ poteſtatis, ab animæ

Lib. 4. in fin. cap. 49.

Belle-foreſt. in annal. Franc. ad Lud. 11.

Digitized by Google

noſtræ inſulâ profligabimus. Vt fiducialiter ad Virginem Deiparam recurramus, exemplo memorabili Theophili Eccleſiæ Adanenſis in Cilicia præfecti, commonemur. Hic etenim, vt certa oculati teſtis Eutychiani Clerici & miniſtri eius relatione plures Hiſtorici referunt, cum falſis teſtibus in eum inſurgentibus Epiſcopi Diœceſani ſententia ab adminiſtratione Parochiæ ſuæ, ſummotus, in deſperationem actus abiurata Chriſti fide & cultu Virginis, ſe manuali ſyngrapha diabolo mancipaſſet, vt ſuo gradui & beneficio reſtitueretur: facti pertæſus, recurrit ad Virginem, cuius meritis compulſus dæmon ſchedulam Theophilo reddidit. Quod factum breuiter retexens Damianus exclamat, « fecit, inquit, in te magna qui potens eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Quid tibi negabitur, cui negatum non eſt, Theophilum de ipſis perditionis faucibus reuocare, &c. Nihil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt, deſperatos in ſpem beatitudinis releuare. Accedis enim ante illud humanæ reconciliationis altare, non ſolum rogans, ſed imperans; Domina, non Ancilla.» « O Domine quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Et emptus ſum, & vernaculus ſum, cum matre ſimul emptus: & quia vernaculus, propter peccata fugæ meæ deprædatus, & ideo emptus, quia redemptus. » Fiat ergo mihi ſecundùm verbum tuum. Sed vt ancillæ tuæ filius; ei liberam quoque debeo ſeruitutem: vnde « ſicut oculi ſeruorum in manibus Dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deũ noſtrum donec miſereatur noſtri. Vapulat ſeruus, ſentit plagarum dolores, attendit ad manus

Surius tom. 2. Symeõ Metaph. 4. Februarii. Petrus Damianus ſer. 1. de Natiu. Virg.

Pſ. 115.

Aug. Ibid.

Aug. Ibid.

Domini ſui, quoaduſque dicat parce; manũ enim ipſam poteſtatẽ dicit. Iuſſit nos cædi Dominus noſter; & Domina noſtra, Sapientia Dei iuſſit nos cædi; & in hac vitâ vapulamus. » Sunt ergo oculi noſtri in manibus Domini, ex quibus pendẽt ſortes noſtræ; ſed & munera in manibus eius, vt & flagella aſpicimus, ſed multò magis virtutũ exẽpla. De Virgine, Virgo concipi voluit, vt daret exemplum caſtitatis; de humili ancillâ formam ſerui accepit, vt documentum inſinuaret humilitatis: obedientem elegit, & prudentem, nec citò reſpondentem, « ſicut vna, & prima de inſipientibus locuta eſt » ſerpenti; vt doceret nos « quomodo debeamus proferre ſermonem » in omnibus facta es, Domina, exemplar ſanctitatis; digna planè, cui domeſtici, purpurâ, & byſſo, & verſicoloribus induti, per omnia famulentur. O ſi vt ſeruus poſſem, inutilis, augere dominium tuum; ſi ingentem gleba poſſeſſionem, ſtilla Oceanum, ſcintilla fornacem, floſculus hortum, ſtellula gloriæ tuæ firmamentum! Sed gaudeo, te in tantum excreuiſſe, « præparatum montem Domini in vertice montium » vt nullum poſſis amplius accipere incrementum. Gratulor tibi, quòd infima ancillæ humilitas, ad ſummam te Dei matris extulerit dignitatem. Exulto quòd immenſum vacuum cordis tui, cum plenitudine gratię, immenſitas Verbi impleuerit, quòd de nihilo tuo, omnis gratiæ fons exundauerit. De plenitudine ergo tua accipiamus vniuerſi, vt hîc per te induti virtutum ornamentis; ſtolam primam gratiæ, & in cœlo immortalis gloriæ induamur. Amen.

Iob. 2. 10.
Eſa. 50. 4. Iuxta 70.
Iſa. 2. 2.

IN DIE FESTO Paſchæ.

Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit, non eſt hic. Marc. 16. 6.

HOdie iuxta Paulum, Chriſtus in ſuo Corpore primitias reſurrectionis totius humani generis, & electi maximè conſecrauit. « Nunc autem Chriſtus ſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. » Hodie Chriſti corpus « Sacerdotis in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech » in virgâ Aaron delineatum, aridum, & exſuccidum, in tumuli tabernaculo depoſitum, in flores, & fructus reſurrectionis erupit. Hodie impletum eſt ſponſi oraculum: « flores apparuerunt in terra noſtra. » Quæris (inquit Bernardus) quando hoc fuit? quando putas, niſi cùm floruit caro Chriſti in reſurrectione? Et hic primus, & maximus flos qui apparuit in terrâ noſtrâ, in carne noſtrâ ſcilicet aſſumptâ. » Nam primitiæ dormientium Chriſtus. Ipſe inquam « flos campi, & lilium conuallium » Ieſus, vt putabatur, filius Ioſeph à Nazareth, quod intrepretatur flos. Is ergo flos apparuit primus, non ſolus. « Nam & multa corpora ſanctorum qui dormierant, pariter ſurrexerunt, qui veluti

1. Cor. 15. 20.

Pſ. 109. 4.

Num. 17. 5.

Cant. 2. 12.

Ber. ſer. 58. in Cant.

Cant. 2. 1.

Matth. 27. 52.

quidam lucidiſſimi flores, ſimul apparuerunt in terrâ noſtrâ. Denique venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.» Et quos fructus expectabimus autumno mundi meſſuros Angelos humanâ ex ſegete, cùm tales flores ver noſtrum, terra noſtra Agni immaculati ſanguine irrigata proferat? «paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & venuſtati florum, fructuum ſuccedat vbertas. Interim quippe florum, non fructuum tempus eſt, dum in ſpe magis, quàm in re ſumus, & per fidem, non per ſpeciem ambulantes, expectatione magis, quàm experientiâ gratulamur.» Tibi verò Virgo quàm gratulandum eſt de illo flore, digito Dei, in horto concluſo vteri virginalis, à Patre plantato? «Flos ille Libani elanguit» tempeſtate ſæuiſſimâ grandinatus; in horto ſepultus, hodie refloruit. O quem decorem oculis, odorem naribus tuis caſtiſſimis afflauit, exurgens diluculo! de cruce depoſitum «faſciculum myrrhæ dilectum tuum inter vbera commorantem» triſtitiæ lachrymis perfudiſti; nunc rore gaudij perplue; & gratiſſimâ violâ, lilio candenti, roſâ purpureâ fruere. Excute mœrorem: & tibi pro lugubri Stabat, nuper cantato, iidem cœlites, qui primò ſub Gregorio magno cecinerunt, exultationis canticum «præueniant principes coniuncti pſallentibus:» dicentes, Regina cœli lætare Alleluia.

Cant. 4.5. Ber. ſer. de Aquæductu in Nat. Virg. Nahũ. 1.4. Cant. 1. 12. Pſ. 67. 26.

EXORDIVM.

Vita, ita propria Dei eſt, vt hac notâ Prophetæ Deum verum à falſis diſcreuerint; adeout ſolemne Prophetæ iuſiurandum fuerit, «Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto.» Et Chriſtus de

4. Reg. 5.16.

Patre ſuo Deo viuente dixerit « Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus viuorum & non mortuorum. » Non quòd mortui eius imperio ſubducantur, « qui habet mortis imperium: » ſed quod « ſicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic & dedit filio habere vitam in ſemetipſo: » vt poſſit ex mortuis facere viuos; cùm omne « quod factum eſt, in ipſo vita fuerit. » Id eſt iuxta Auguſtinum; « Si omnia in ipſo facta ſunt, omnia vita ſunt, &c. Attendite arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere, non eſt vita: arca in arte, vita eſt, quia viuit anima artificis, vbi ſunt iſta omnia, antequam proferantur. Sic ergo, fratres chariſſimi, quia ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, ſecundùm artem continet omnia; antequam fabricet omnia. » Hoc & Gentiles in quadam ſubluſtri nocte cognouerunt, cùm Deos ſuos immortales cenſeri voluerunt. Cùm enim mortalitatem indignam Deo crederent, Diis ſuis, etſi hominibus mortalibus, poſt facta, immortalitatis gloriam adſcripſerunt, quod ſcitè denotauit, & riſit Auguſtinus, de Rege Argiuorum ſeu, Græcorum Api, facto Serapi Deo Ægyptiorum maximo. « Conſtitutum eſt, inquit, etiam de illo, vt quiſquis eum hominem dixiſſet fuiſſe, (proindeque mortalem;) capitalem penderet pœnam. Et quoniam ferè in omnibus templis, vbi tolebantur Iſis & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo, admonete videretur, vt ſilentium fieret; (Idolum erat Harpocratis ſilentii præſidis:) hoc ſignificare Varro exiſtimat, vt homines eos fuiſſe taceretur. » Nos verò non ſic: Chriſtum Dominum, & Deum immortalem, & hominem ſimul mortalem & mortuum ſemel, & ſuſcitatum, nec amplius moriturum

Matth. 22. 32.

Hebr. 2. 14.

Io. 5. 26.

Io. 1. 3.

Aug. tract. 1. in primum caput Io.

Aug. lib. 18. de Ciu. cap. 5.

apertè confitemur; & cum Petro, Paulo, cæteriſque Apoſtolis prædicamus; de quibus idcirco vates Regius cecinit, iuxta Auguſtinum : « ſepul-
Pſ. 13. 4. chrum patens eſt guttur eorum. » Petrus quidem
Aug. ſer. 133. de tēp. ipſo die Pentecoſtes, « ſtans cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis, &c. Viri Iſraëlitæ, audite verba hæc: Ieſum Nazarenum, virum
Act. 2. 14. & 22. approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis: hunc definito conſilio, præſcientiâ Dei traditum, (vel vt habet Syriaca : cùm ad hoc expoſitus eſſet, præſcientiâ & voluntate Dei) per manus iniquorum affligentes, interemiſtis: (Syr. expreſſiùs: tradidiſtis manibus ſceleratis, crucique affixiſtis atque trucidaſtis:) quem Deus ſuſcitauit à mortuis, &c. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus eſt, & ſepultus, & ſepulcrum eius eſt apud nos vſque in ho-
3. Reg. 2. 10. diernum diem. Propheta igitur cùm eſſet, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius: prouidens
Pſ. 131. 11. locutus eſt de reſurrectione Chriſti; quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit
Pſ. 15. 10. corruptionem. Hunc Ieſum reſuſcitauit Deus, cuius nos omnes teſtes ſumus. » Paulus autem non tacet, ſed ſilentium imponit, vt audiatur at-
Act. 13. 16. & 27. tentiùs, vt notat Lucas in Actis. « Surgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens, ait ; Viri Iſraëlitæ, & qui timetis Deum, audite, &c. qui habitabant Ieruſalem, & principes eius hunc ignorantes, & voces Prophetarum quæ per omne ſabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt, & nullam cauſam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. Cúmque

Digitized by Google

conſummaſſent omnia quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt eum in monumento: Deus verò ſuſcitauit eum à mortuis tertiâ die: qui viſus eſt per multos dies his qui ſimul aſcenderant cum eo de Galilęa in Ieruſalem: qui vſque nunc ſunt teſtes eius ad plebem.» Non igitur figendus eſt in Chriſti ſepulcro Harpocrates mutus, ſed Angelus ſedens in tumuli lapide loquens & nuntians mulieribus: «Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit non eſt hîc.» Ego verò Nazaręo florido reſurgenti, primâ huius tractatus parte coronam floridam, & vobis hoc verno tempore ſertum ſpei, ex floribus Scripturæ, Patrum, rationum contextum proferam, contra fœtorem mortis, & deliquium cordis multis ab eius timore cauſatum: & in ſecundâ, fructus ſiue reflexiones morales ex floribus colligam, quos virga amygdalina humanitatis Chriſti, ex floribus in fructus deformata, hodie protulit.

Marc. 16. 6.

DIVISIO.

Num. 17. 8.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Tantum eſt Reſurrectionis fidei pondus, vt eam Paulus quaſi fundamentum ſalutis humanæ collocauerit, & fidelium cordibus incidere ſtudioſiſſimè procurauerit. «Si, inquit, reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit: inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.» In quem locum D. Thomas «In quantùm, inquit, diuinitas eſt in Chriſto, Chriſtus eſt & exemplar & cauſa efficiens reſurrectionis mortuorum per humanitatem ſuam, ſicut per inſtrumentum diuinitatis ſuæ.» Si ergo Chriſtus reſurrexit, ſicut tot teſtibus eſt comprobatum, & nos reſurgemus,

1. Cor. 15. 13.

D. Th. lect. 2. Ibid.

Digitized

quia caput & corpus vnum ſunt, & quod in capite præceſſit, totum corpus expectat.

Et quia difficile erat creditu mirabile reſurrectionis myſterium, id Deus animis noſtris variis modis inſinuare ſategit « Totus (inquit Tertullianus) hic ordo reuolubilis rerum, teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum. Operibus eam præſcripſit Deus antequam literis: viribus ante prædicauit, quàm vocibus. Præmiſit tibi naturam magiſtram, ſubmiſſurus prophetiam: quò faciliùs credas prophetiæ, Diſcipulus naturæ. Quò ſtatim admittas cùm audieris, quod vbique iam videris: nec dubites Deum carnis etiam reſuſcitatorem, quem omnium noris reſtitutorem. » Et tuba quidem cuius meminit Paulus ad Corinthios ſcribens, quæ mortuos excitabit, vox Filij eſt per quam Pater mundum priùs excitauit ex nihilo. « Quæ de corde Patris ore Filij, vitalem ſimul & inferis & ſuperis dat clamorem. Inferis infert bellum, ſepulcri reſoluit moles, intonat mortuis vitam, reſurgentibus in lucem, perpetem dat triumphum, &c. Tuba quæ in principio mundum vocauit ex nihilo, ipſa in nouiſſimo mundum reuocabit ex perdito. »

Tertul. de reſurrect. cap. 12.

Chryſol. ſer. 103. in p.

Gen. 1. 9.

Et quid putas terram priùs ſepultam aquis ab ipſis mundi incunabulis, eâdem Dei voce & tubâ emerſiſſe aridam, & iuſſu Dei herbam virentem & viuidam, flores & fructus germinaſſe, congregatis tertiâ die aquis in locum vnum vt appareret arida. Sic olim meditabatur S. Anaſtaſius Sinaïta Patriarcha Antiochenus: « Propheticè, inquit, dixit Deus, congregetur aqua quæ eſt ſub cœlo in congregationem vnam, & appareat arida. Tertio autem die ex profundo profert terram Deus, priùs apertè deſcribens Chriſti trium dieꝝ

Anaſt. Sin. lib. 3. in Hexã. tom. 6. Bibliot. Pat. parte 1.

rum ab infernis reſurrectionem è terrâ genitæ noſtræ naturæ, ne ampliùs maneat arida.» Et quidem terra corporis Chriſti, diluuio paſſionis, non aquâ tantùm, ſed & ſanguine operta, poſt triduum ſepulturæ apparuit exſiccata, & omnibus exempta doloribus; vt carni noſtræ de terrâ ſumptæ, poſt lachrymas, & dolores, reſurrectionis gloriam prophetaret.

Et quid in primo homine de limo terræ formato factum eſt, vt ſurgeret afflatus aurâ diuinâ in animam viuentem? Audi Chryſologum rurſum de tubâ nouiſſimâ ſic fantem: « Quæ, inquit, initio hominem ſuſcitauit ex limo, ipſa in fine hominem reſuſcitabit ex puluere.» Et cùm primus homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei, hoc eſt Chriſti futuri hominis, ſit de limo formatus: expectatur in reſurrectione conformis imagini eiuſdem Filij reformandus. « Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, prouidentiâ, & ipſâ in primis adfectione, quæ liniamenta ducebat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus, quod & limus, &c. Qui in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimauit pariari Deo. Ita limus ille iam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, ſed & pignus.» Deus quippe habens pro causâ exemplari, & prototypo, filium ſuum, dum hominem ad imaginem eius efformaret, iam tum fidem ſuam oppignerabat homini, vt eum præfinito tempore incarnaret. Et cùm trinâ merſione, triduum ſepulturæ ſuæ exprimeret, conſepultis ſibi in Baptiſmo, & tertiâ die ſuſcitato, ſimilitudinem mortis ſuæ indutis, gloriæ quoque reſurrectionis parilitatem

Gen. 2. 7.

Chryſol. ſer. 103.

Tertul. lib. de reſur. cap. 6.

Philip. 2. 6.

Tertul. de reſurrect. c. 44. promittebat. « Semper mortificationem Chriſti Ieſu circumferentes in corpore noſtro (ait Paulus.) Qualis iſta res eſt, quæ poſt Dei templum,
2. Cor. 4. 10. iam & ſepulcrum Chriſti poteſt dici? cur autem mortificationem Domini circumferimus in corpore? vti & vita, inquit, manifeſtetur. Vbi? in corpore. In quo? in mortali. Ergo in carne planè mortali ſecundùm culpam, ſed & vitali, ſecundùm gratiam. Vide quantam; vt in illa vita Chri-
Pſ. 106. 16. ſti manifeſtetur, &c. Adeò eam ſignificat, quæ portas adamantinas mortis, & æneas ſeras inferorum infregit, quæ exinde iam noſtra eſt, &c. Scientes, ait, quòd qui ſuſcitauit Ieſum, & nos
2. Cor. 4. 14. ſuſcitabit cum ipſo, quia iam reſurrexit à mortuis: niſi quia, cum ipſo, ſicut ipſum, ſapit. Si verò ſicut ipſum, non vtique ſine carne. »

Itaque qui primò hominem de limo, ad exemplar Filij excitauit ad vitam, de puluere rediuiuum, per eius meritum, & ad eius prototypum reſuſcitabit ad gloriam; & viuifico eius ſanguine terra noſtra rigata, mortuos omnes reproducet in vitam immortalem. Quod quidem ab exordio mundi in Abel innocentis ſanguine adumbratum, ſanctus Baſilius Seleuciæ Epiſcopus aduer-
D. Baſil. Sel. tom. 5. Bibliot. part. 3. orat. 4. de Caïn & Abel. tit. « Mortali, inquit, vitâ per cædem iuſti priuantur, ſpe tamen bonâ per mortem non deturbantur: quinimò mortis patrocinio fulti, contra eam qui iniuriâ affecit, plus poſſunt; quodque omnium eſt maximum, liberationem à morte, & reſurrectionis cenſum hominibus fauſtè denunciant. (Vt cum fœnore, & vbere prouentu, granum frumenti cadens in terram & mortuum, multum fructum in reſurrectione afferat.) Primus enim iuſtus Abelus lethi portas intrat. Abelus, ſecundùm Pauli ſententiam, Chriſti vmbra: acceſſiſtis

Digitized by Google

acceſſiſtis ad teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel. » Quid ita? vindictam clamabat effuſio ſanguinis Abel: miſericordiam inuocat Chriſti ſanguis. Niſi de « nouiſſimâ omnium inimicâ morte » vindictam clamitet, quæ exhauſta cadauera, ad capillum vſque Domino numeratum reſtituere in reſurrectione compelletur. Hanc ſub altari, Sanctorum pro teſtimonio Chriſti occiſorum animæ depoſcunt dicentes: « vindica ſanguinem noſtrum: » hoc eſt à ſeruitute corruptionis libera. Porro, cùm vox ſanguinis Abel, vitalem actum ſonet, quo perfuſa terra os aperit; iam inde meliùs loquens aſperſio ſanguinis Chriſti, vitam omnibus mortuis auſpicatur. Vnde idem Baſilius: « Conueniens enim, inquit, erat, iuſti ſanguine reſurrectionis columnas (porticus columnis adornatas, vel firmitatem fidei reſurrectionis) adumbrari. Si enim mortis cauſa eſt præuaricatio, (vnde Paulus: ſtipendium peccati mors, gratia autem Dei vita æterna:) qui morti materiam non ſuffecit, vel inter vitâ functos, ex æquitate, liber manet.» Hinc ſequitur, quòd cùm Chriſtus voce Dauidicâ, propriâ virtute diuinâ, & merito, « factus ſit homo ſine adiutorio, inter mortuos liber » & nullo modo peccati lege conſtrictus, « poteſtatem habens animam ponere, & iterum ſumere eam » iniuſtè morti addictus; in pœnam tantæ iniquitatis, omnes etiam mortis reos, huius debiti vinculis ſolutos, ſecum abducere debuit: « quem proinde Deus ſuſcitauit à mortuis ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. » Concludit in hæc verba Baſilius. « O res inopinas! in mortis veſtibulo, reſurrectionis

Hebr. 12. 24. — Apoc. 6. 9. — Baſil. Sel. Ibid. ſupra. — Rom. 6. 23. — Pſ. 87. 4. — Io. 10. 18. — Act. 2. 24. — Baſil. Sel. Ibid. ſupra.

tabula legitur. (Alludit ad tabellam pro foribus templi Apollinis Delphici appenſam, in quâ
Pſ. 87. 11. morborum remedia deſcripta legebantur. Sed, numquid medici ſuſcitabunt & confitebuntur tibi?) Cur enim non primus mortis portas ingreditur Adamus, quandoquidem à rectâ naturæ lege deerrans, ipſe mortem contra naturam accivuit? Cur non priùs Euæ mortis ſententia obnuntiatur, quos propter, natura iudicatur? puluis es,
Gen. 3. 19. & in puluerem reuerteris. Sed primum Deus concedit Abelum tolli de medio: concedit, non prodit: non enim iuſtum Deus morti dedidit, ſed in eum inuadentem mortem non defendit: vt aggreſſoris nequitiam vſu meliore commutaret: vt victum mortis ſubiiciat fundamentum, mortiſque ius infirmius euadat. Iuſtus enim à morte iniuſtè occupatus, iuſtæ cauſæ dictionem inferno eripit, & primam mortis viam, mortis diſſolutionem fore ſpondet. Hanc enim in ſemet Chriſtus excipiens, hominum cauſâ, controuerſiam, patefacto mortis iniuſto dominatu diſſoluit. Carnem enim impeccabilem, per iniuriam, ad ſe trahens infernus, (diabolus in ſepulcrum deuoluens) iuſtos etiam, quos tenebat, per illam
Matth. 27 52. euomuit, (cùm multorum ſanctorum corpora cum Chriſto ſurrexerunt) tantum theſaurum tegit inſtituta de Abele narratio.»

Iam à lege naturæ, ad legem Moyſi tranſeamus, & in ipſius manu leproſâ, & emortuâ, ad priſtinam ſanitatem decoremque redactâ, reſurrectionis noſtræ imaginem contemplemur: Theodoretus idcirco Taumaturgam & prodigiorum opificem manum, priùs à Deo cenſuit infirmatam, vt Deo, non ſibi tot portenta Moyſes arrogaret. Malim ego, manum Dei, inſtrumentum Verbo

Digitized by Google

coniunctiſſimum, Chriſti carnem in manu Moyſi augurari, quam ſic Propheta Regius ſuſpirabat: « Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, &c. Dexteram tuam ſic notam fac, &c. » Quam primò « leproſam vidimus, non habentem ſpeciem neque decorem. » Sed de ſinu ſepulcri reductam viuidam & formoſam. De quâ idem Pſaltes: « Dextera Domini fecit virtutem, Dextera Domini exaltauit me, non moriar, (in æternum, ſine ſpe reſurrectionis,) ſed viuam, & narrabo opera Domini.» Et Moyſes in Cantico: « dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua Domine percuſſit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti (70. contriuiſti,) aduerſarios tuos. » Accipite Tertullianum ſic in manum Moyſi, omnium reſurrectionem, aſſerentem. « Scimus autem, inquit, ſicut vocibus, ita & rebus prophetatum. Tam dictis, quàm & factis prædicatur reſurrectio. Cùm Moyſes manum in ſinum condit, & emortuam profert; & rurſus inſinuat, & viuidam explicat; nonne hoc de toto homine portendit? » vt quod in dexterâ Dei, id eſt Chriſto præceſſit, in totius humani generis corpore ſubſequatur.

Pſ.144. 8. Pſ.89. 12. Eſa.53. 3. & 4. Pſ.117. 16. Exod. 15. 6. Tertul. de reſurrect. cap.28. Exod. 4.6.

Et quid aliud virga Moyſi, priùs in ſerpentem transformata, & poſteriùs, de ſerpente, in virgam primam reformata, prædixit? « Quid eſt, ait Dominus ad Moyſem, quod tenes in manu tua? reſpondit, virga. Dixitque Dominus: proiice eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Dixitque Dominus; extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit: verſaque eſt in virgam.» Quæ eſt iſta mirabilis virga, & oſtentorum operatrix,

Exod. 4.2.

Digitized by Google

cui cœli, terra, mare, orbis paret? hæc quippe quam expoſcit Dauid: « virgam virtutis tuæ emit-
Pſ. 109. 3. tet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. » Virga, peccati, mortis, diaboli triumphati debellatrix. De quâ ſic præclarè Auguſtinus, in reſurrectionis Dominicæ, ac noſtræ
Aug. in Pſ. 73. 3 myſterium, in verſum Pſaltis: « redemiſti virgam hæreditatis tuæ. » De virgâ Moyſi ita commen-
Gen. 3. 4. tatus. « Quid ſignificat? inquit, non enim fruſtra factum eſt. Interrogemus literas Dei. Quid ſerpens perſuaſit homini? mortem. Ergo mors à ſerpente. Si mors à ſerpente, virga in ſerpente,
Num. 21. 9. Chriſtus in morte Ideo etiã cùm à ſerpentibus in deſerto morderentur & necarentur, præcepit Dominus Moyſi, vt ſerpentem æneum exaltaret in eremo, & admoneret populum, vt quiſquis à ſerpente morſus eſſet, illum intueretur, & ſanaretur. Sic & fiebat: ſic & homines à venenis, morſi à ſerpentibus, ſanabantur intuendo ſerpentem. Sanari à ſerpente, magnum ſacramentum. Quid eſt, intuendo ſerpentem, ſanari à ſerpente? credendo in mortuum ſaluari à morte. Et tamen expauit & fugit Moyſes. Quid eſt, ab illo ſerpente fugiſſe Moyſem? Quid, fratres, niſi quod ſcimus in Euangelio factum? mortuus eſt Chriſtus, & expauerunt Diſcipuli, & ab illâ ſpe in quâ fuerant, receſſerunt. (Vnde & Diſcipuli Emmaüs dice-
Luc. 24 22. bant, nos autem ſperabamus, &c.) Sed quid dictum eſt, apprehende caudam eius. Quid eſt caudam? poſteriora comprehende. Hoc ſignificauit
Exod. 33 23. & illud, poſteriora mea videbis. (Dictum eſt Moyſi faciem Dei & eius anteriora, hoc eſt ante mundi creationem Verbum apud Deum videre petenti, gloria paſſione poſterior humanitatis eius reſurrectio promiſſa eſt, quam & ipſe credi-

bile eſt cum cęteris ſanctis ſuſcitatis vidiſſe, cuius iam figuram viderat antè in Thabor.) Primò factus eſt ſerpens, ſed cauda retenta, facta virga. Primò occiſus, poſtea reſurrexit.» Deinde proſequitur id de toto humano genere explicare. Et rectè quidem: ſicut enim in anguſto foramine arctatus ſerpens veteres ponit ſuæ pellis exuuias, & ſolem vt Canit Poëta,« iuuenta nitidus » emicat, renouatus; & vbi caput, ibi totum corpus illabitur: ita prorſus depoſitâ mortalitatis pelle corpus Chriſti quod eſt Eccleſia ſanctorum, occurret in nouum virum & perfectum, menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & corpus ſeminatum animale, & corruptibile reſurget ſpiritale & immortale penetratâ ſepulcri mole. « Eſt etiam, inquit, in caudâ ſerpentis finis ſæculi. Quia ſic modò mortalitas Eccleſiæ ambulat: alij eunt; alij veniunt, per mortem, tanquam per ſerpentem, quia à ſerpente mors ſeminata eſt: ſed in fine ſæculi, tanquam caudâ, redimus ad manum Dei, & efficimur ſtabilitum regnum Dei, vt impleatur in nobis, redemiſti virgam hæreditatis tuæ.» Addam & ego, virgam ſiue menſuram quâ hæreditas regni, pro modulo meriti diſtribuetur electis, eſſe Chriſtum Dominum primò de morte proprio ſui ſanguinis pretio redemptum, qui & nos omnes non tantùm vt cauſa exemplaris, ſed & meritoria, nec non efficax, « redimit de interitu vitam noſtram, coronans nos in miſericordiâ & miſerationibus.»

Aug. ibid. ſupra.

Pſ.102. 4.

Et quoniam de virgâ Moſaïcâ tractauimus, nec Aaronicam tacebimus, de quâ iam aliquid in exordio prælibauimus. Ducem ſequemur Origenem, vbi cum de igne in Synagogam graſſante, & peccatores comburente, & Aaron ſtante inter

Digitized by Google

viuos, & mortuos, Chriſti figuram induxiſſet; dixiſſetque: « Intuere ſtantem Pontificem, & obiectione quadam ſui viuentes à mortuis dirimentem: virtutem verò repropitiationis eius; & incenſi myſterium, erubuiſſe Angelum vaſtatorem; & in hoc mortem quidem finitam, vitam verò reparatam, &c. Aſcende nunc ad verbi huius celſiora faſtigia; & vide, quomodo verus Pontifex Ieſus Chriſtus, aſſumpto batillo carnis humanæ, & ſuperpoſito igni altaris, anima ſine dubio illa magnifica, cum quâ natus eſt in carne; adiecto etiam incenſo, qui eſt ſpiritus immaculatus, medius inter viuos & mortuos ſtetit, & mortem non fecit vltra graſſari: ſed ſicut Apoſtolus dicit, deſtruxit eum qui habebat mortis imperium, id eſt diabolum; vt qui credit in eum, iam non moriatur, ſed viuat in æternum. » Subiicit viuos, & mortuos; iuſtos, & peccatores. Dehinc « ſtabit etiam, inquit, magnus hic Pontifex, medius viuorum & mortuorum; cùm ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris, &c. Et ſunt vtique mortui ij qui in ignem mittuntur æternum: ſunt autem viui illi qui mittuntur ad regnum. » Homiliæ ſub finem ita virgam Aaronis exponit: « Quia, inquit, ſacramentum Sacerdotale eſt virga nucis, idcirco arbitror etiam Ieremiam, qui erat vnus de Sacerdotibus ex Anatoth, vidiſſe virgam nuceam, & propheтaſſe de virgâ nuceâ, & de ollâ ſuccenſâ, &c. vita enim & mors ponitur ante faciem noſtram: & eſt vita quidem Chriſtus in Sacramento nucis, mors autem diabolus in figurâ lebetis ſuccenſi. Si ergo peccaueris, portionem tuam pones cum lebete ſuccenſo; ſi autem iuſtè egeris, efficietur portio tua in virgâ nuceâ cum magno Pontifice. » Tan-

Orig. hom 9. in Nũ. 16.

Hebr. 2. 14.

Num. 16. 48.

Matth. 25. 33.

Orig. Ibid. ſupra.

Ier. 1. 13.

Eccli. 15. 18.

dem decurrit ad virgam amygdalinam Aaronis, in quâ notat Deum effectu promiſſa ſuperaſſe. « Et erit (inquit textus) homo quemcumque elegero; virga eius germinabit, hoc eſt ſolum quod promiſit Deus, vt virga eius quem elegerit, germinet. Vbi verò ad rem venitur, vt quod promiſſum eſt oſtendatur impletum, &c. Vide quanta addantur. Et produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces. Cùm ergo de ſolo germine fuiſſet promiſſum, vide quanta largitur Deus. (Potens ſuperabundanter facere quàm petimus.) Quid igitur eſt, quod ex iis colligere & contemplari debeamus ? primò, omnium reſurrectionis & mortuis ſacramentum. Virga enim arida germinat, cùm corpus extinctum cœperit reuiuiſcere. Quæ ſunt autem quatuor iſta quæ reſurgenti corpori præſtabuntur? vt ſeminatum in corruptione, ſurgat in incorruptione, & ſeminatum in infirmitate, ſurgat in virtute: & ſeminatum in ignominiâ, ſurgat in gloriâ : & ſeminatum corpus animale, ſurgat corpus ſpiritale. Iſta ſunt quatuor quæ virga arida corporis noſtri in reſurrectione germinauit.» Et ad exemplar Chriſti corporis glorioſi, cum quatuor dotibus corpus vniuſcuiuſque Beati germinabit.

Num. 17. 8.

1. Cor. 15. 44.

Quid plura ? vultis duas in vno Eliſæo graphicas reſurrectionis imagines? cùm ad ſuſçitandum Sunamitis mulieris puerum, fruſtra ſeruum ſuum Gieſi cum baculo ſuper faciem pueri mortui imponendo miſiſſet; ipſemet Eliſæus, vt Scriptura narrat, « incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro

4. Reg. 4. 29.

Ibid. Verſu. 34.

pueri, &c. Et oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos. » Quid Prophetes ille, niſi Chriſtum Regem Prophetarum hoc myſterio & miraculo præſignauit? Super genus humanum quaſi puerum, « abbreuiatum eſt Verbum Domini » & immenſitas eius ad anguſtias eius viſa eſt coarctata os, oculos, manus, incuruata maieſtas, in ſimilitudinem hominum facta, ſe humano corpuſculo coaptauit; cúmque nihil lex vetus & Prophetica, rigore ſuo, & duritiâ, tanquam baculo cædente, & literâ occidente, profeciſſet: « Propheta magnus ſurrexit in nobis: » Et ad mortuum vſque humiliatus, ſuper mortuum inclinatus, mortuum hominem excitauit ad vitam. Auguſtinum accipite interpretem. « Ipſa, inquit, figura eſt etiam, quòd Eliſæus primò ad mortuum reſuſcitandum baculum ſuum miſit per ſeruum. Mortuus erat filius viduæ hoſpitæ ipſius, nuntiatum eſt ei, ſeruo ſuo dedit baculum ſuum: vade, inquit, pone ſuper mortuũ. Neſciebat Propheta quid ageret. Præceſſit ſeruus ſuus, poſuit baculũ ſuper mortuum, non ſurrexit mortuus. Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. Non viuificauit lex per ſeruum miſſa: (lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta;) verè ex lege eſſet iuſtitia. Non viuificauit lex per ſeruum miſſa: & tamen ille miſit baculum per ſeruum ſuum, qui poſtea ſecutus viuificauit. Namque cùm ille infans non reſurrexiſſet, venit Eliſæus iam figuram portans Domini, qui ſeruum ſuum cum baculo, tanquam cum lege præmiſerat, venit ad iacentem mortuum, poſuit membra ſua ſuper illum. Ille infans erat, ille iuuenis erat. Contraxit, & breuiauit quodammodo iuuentutis ſuę magnitudinem par-

Eſa. 10. 22. Iuxta Paulũ. Rom. 9. 28.

Luc. 7. 16.

Aug. in Pſ. 70.

Gal. 3. 21. Idem Aug. ſerm. 11. de verb. Apoſt.

uulus factus, vt mortuo congrueret. Mortuus ergo ſurrexit, cùm ſe viuus mortuo coaptauit. Et fecit Dominus, quod non fecit baculus: fecit gratia, quod non fecit litera. » Humiliauit ſe Eliſæus ad mortuum, « Chriſtus autem vſque ad mortem, mortem autem crucis » cui ſuo vitali ſanguine viuificam virtutem impreſſit, vt in eâ mortuus, & animâ, & carne mortuos, ad vitam gratiæ, & gloriæ ſuſcitaret. Philip. 2.8.

Et hoc quidem in mortuo Eliſæi corpore delineatum intelligimus. De quo Scriptura ſic fatur. « Mortuum prophetauit corpus eius. In vitâ ſuâ fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt. » Quis audiuit vnquam tale, aut quis legit huic ſimile? Anima, ni fallor, non corpus, lumine prophetiæ donatur: & prophetat Eliſæi corpus. An non reſpicit Ieſus Sirach hoc loco, quod in libris Regum ſcribitur? « Quidam ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in ſepulcro Eliſæi. Quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſæi, reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. » Prophetauit itaque, quia miraculo Prophetæ meritum aperuit. Sed longè ſublimiori ſenſu, prædixit ſalutifero corporis Chriſti ſepulcri contactu, terram veluti viuidam effectam, vt monumenta reſeraret, & multorum Sanctorum corpora euomeret ad vitam. Si enim, Tertullianus, ex eo quod « Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas » ſic concludit; « primus liquor quod viueret edidit, ne mirum ſit in baptiſmo ſi aquæ animare nouerunt, &c. Iam tunc etiam ipſo habitu prænotabatur, ad baptiſmi figuram, Dei ſpiritum qui ab initio ſuperuectabatur, ſuper aquas intinctorum moraturum, &c. Ita de ſancto ſanctificata natura aquarum & ipſa ſanctificare

Eccli. 48.14.

4.Reg. 13.21.

Tertul. lib.de Baptiſ. cap. 3. Gen. 1. 2.

Digitized by Google

concepit.» Quid in etiam, vt Chriſto baptizato, fluenta Iordanis vim viuificandæ animæ de Chriſti corpore ebiberunt; ſic terra, ex eodem corpore inſeparabiliter Verbo vitæ coniuncto, vim corpora omnia viuificandi concepit. Vnde Chryſologus; « Sepultus eſt, inquit, vt ex illius ſemine corporis, omnis humanorum corporum ſatio vitalem ſurgeret & leuaretur ad meſſem.»

Chryſol. ſer. 59.

Et hæc quidem Pauli ratio, quâ efficaciſſimè probatur reſurrectio. « Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.» Aliter ſentientes & increduli bilem Tertulliano mouerunt, vt diceret: « diabolus validior in hominis iniuriam intelligitur, totum eum elidens: Deus infirmior renuntiabitur, non totum eum releuans? Atquin & Apoſtolus ſuggerit, vbi delictum abundauerit illic gratiam ſuperabundaſſe.» Aut malitia diaboli, diuinæ bonitati, aut infirmitas humana Dei potentiæ, aut Adæ præuaricatio, Chriſti gratiæ præualebit: qui ideo mortuus eſt, vt morte ſuâ vitam noſtram ab interitu redimeret ex mortuis rediuiuus. Vt, inquit Chryſologus: « quibus Adam puteus mortis extitit, his vitæ fons Chriſtus exiſtat.»

1. Cor. 15.21. — Tertul. lib. de reſur. cap. 34. — Rom. 5. 20. — Chryſol. ſer. 63.

SECVNDA PARS MORALIS

Prima Reflexio. Fidei firmæ, & indubiæ reſurrectionis mortuorum; cui etiam exempla naturæ, & omnis recta ratio pleniſſimè ſuffragatur. « Sine enim ex nihilo Deus molitus eſt cuncta, poterit & carnem in nihilum perductam

Tertul. lib. de reſur. cap. 11.

Digitized by Google

exprimere de nihilo: ſiue de materiâ modulatus eſt alia, poterit & carnem quocumque dehauſtam euocare de alio. Et vtique idoneus eſt reficere qui fecit. Quantò plus eſt feciſſe, quàm refeciſſe, initium dediſſe quàm reddidiſſe? Ita reſtitutionem carnis faciliorem credas inſtitutione.» Quis hoc negauerit? Sed & in omnibus creaturis mutuâ viciſſitudine morientibus & renaſcentibus reſurrectionis noſtræ myſterium edocemur. « Si Deo non credis, ſi non conſentis auditui, (fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti:) vel oculis tuis crede, vel elementis reſurrectionem tibi iugiter prædicantibus acquieſce» ait Chryſologus. Sed præceſſit ætate & pondere Tertullianus. « Conſidera teipſum homo, & fidem rei inuenies. Recogita quid fueris antequam eſſes. Vtique nihil. Meminiſſes enim ſi quid fuiſſes. Qui ergo nihil fueras priuſquam eſſes, idem nihil factus, (non crudè ſumendum, ſed intelligenda ſola diſſolutio compoſiti.) Cum eſſe deſieris, cur non poſſis rurſus eſſe de nihilo, eiuſdem ipſius Authoris voluntate, qui te voluit eſſe de nihilo? » Dehinc ſubiicit quotidiana exempla naturæ. « Lux, inquit, quotidie interfecta reſplendet, & tenebræ pari vice decedendo ſuccedunt. Sydera defuncta reuiuiſcunt. Tempora vbi finiuntur, incipiunt. Fructus conſumuntur, & redeunt. Certè ſemina non niſi corrupta & diſſoluta fœcundiùs ſurgunt. Omnia pereundo ſeruantur, omnia de interitu reformantur. » Fuſiùs adhuc eadem exempla naturæ proſequitur alibi quò remitto lectorem, ſolâ eius concluſione contentus. « Et vtique, inquit, ſi omnia homini reſurgunt, cui procurata ſunt, porro non homini, niſi & carni, (nec enim animæ lux ſyderum,

Chryſol. ſer. 118.

Tertul. Apoſt. cap. 48.

Tertul. Ibid.

Tertul. de reſurrect. cap. 12.

aut temporum viciſſitudo, vel fructus elementorum cæteráque reſurgunt) quale eſt, vt ipſa depereat in totum, propter quam, & cui nihil deperit? » Quia porro cætera vel propriè non reſurgunt, vel ſaltem non eadem numero, ſubiungit ſequenti capite exemplum Phœnicis quod &
Pſ. 91. 12. Pſaltes, & Iob ſaltem iuxta Hebr. retulit. Iuſtus
vt Phœnix florebit. Sicut Phœnix multiplicabo
Iob. 29. 18. dies meos: vt fabulam excludat quod veritas ap-
Iuxta Sanctē Pagn. ex Hebræo. probat. « Accipe, inquit, pleniſſimum atque firmiſſimum huius rei ſpecimen: ſiquidem animalis eſt res & vitæ obnoxia, & morti: illum dico alitem Orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum: qui ſemeti-
Tertul. de reſurrect. cap. 13. pſum lubenter funerans renouat, natali fine decedens atque ſuccedens iterum Phœnix, vbi iam nemo; iterum ipſe, qui non iam, alius idem. Quid expreſſius atque ſignatius in hanc cauſam? aut cui alij rei tale documentum? Deus etiam Scripturis
Pſ. 91. 12. ſuis, florebit enim, inquit, velut Phœnix; id eſt de morte, de funere: vti credas, de ignibus quoque ſubſtantiam corporis exigi poſſe. » Velut Phœnix de buſto aromatico ſepultus licet & redactus in cinerem, & vermiculum, cœli rore tinctum refloreſcit: ita planè iuxta Chryſologum Eſaïæ interpretem, Chriſti ſanguine, velut rore
Chryſol. ſer. 176. aſperſi humani cineres, vt Phœnices ſinguli reflorebunt. « Nemo, inquit, dubitet, diuino imbre tota arefacta mortalia membra poſſe reuiuiſcere; cùm videat paruâ Dominici ſputi guttâ, arentes cæcitate oculos ſic ſubitò ſuſcitatos in
Eſa. 26. 19. lucem. Exurgent, inquit Iſaïas, mortui, & reſurgent qui in monumentis ſunt, & lætabuntur qui
Iuxta 70. ſunt in terra. Quomodo? ros enim qui abs te eſt, ſanitas eſt illis. Quod eſt pluuia ſemini, hoc re-

ſurrecturis Dominicus imber. » Cum Tertulliano concludamus hanc reflexionem, & fide indubiâ nos reſurrecturos eſſe credamus. « Multis, inquit, paſſeribus antiſtare nos Dominus pronuntiauit; ſi non & Phœnicibus, nihil magnum. Sed homines ſemel interibunt, (abſque vllâ ſpe reſurrectionis;) auibus Arabiæ de reſurrectione ſecuris. » Tertul. de reſurrect. cap. 13. Matth. 10. 31.

Secvnda Reflexio. Sit plenæ, & lætæ ſpei, ac fiduciæ futuræ reſurrectionis. Siquidem teſte Paulo, & Magiſtro diſcimus « fidem eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum. » Hebr. 11. 1. Hinc rectè Tertullianus auſpicatur eximium ſuum de reſurrectione librum. « Fiducia, inquit, Chriſtianorum reſurrectio mortuorum. Illâ credentes ſumus, hoc credere veritas cogit, veritatem Deus aperit. » Et rurſum: « Opinor, inquit, Apoſtolus diſpoſitâ ad Corinthios omni diſtinctione Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſummam & ſui Euangelij, & fidei illorum, in Dominicæ mortis, & reſurrectionis demandatione concluſerat; vt & noſtræ ſpei regulam inde deduceret, vnde conſtaret. » Tertul. de reſurrect. cap. 1. & cap. 48. Conſtat autem in merito mortis, & exemplo reſurrectionis capitis noſtri. Si Chriſtus reſurrexit, « numquid qui dormit, non adiiciet vt reſurgat? » Pſ. 40. 9. Qui compatitur capiti, non conregnabit capiti? Adam quidem Princeps mortalium, primo vitæ ſuæ veſpere, viſo occumbente ſole, mundum ſepultum tenebris aſpiciens, iam ſe vitæ luce priuandum, mortiſque, cui fuerat addictus, ſententiam in ſe exequendâ extimuit: ſed ſequenti mane, in oriente reſurgentem aſpiciens, « rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum ſole, lucem eandem, & integram, & totam vniuerſo orbi reuiuiſcentem; interficientem mortem ſuam no- Tertul. de reſurrect. cap. 12.

ctem; reſcindentem ſepulturam ſuam tenebras; hæredem ſibimet exiſtentem; » ſpem quoque reſurgendi concepit. Et quis noſtrûm viſo Chriſto Sole iuſtitiæ, mortis in nocte, & totis ignominiæ tenebris conſepulto, ignominiam, aut mortem expaueſcat? quis rurſum reducem ab inferis, & toto ſplendore gloriæ coruſcantem, in reſurrectione conſpiciens, « amictum lumine ſicut veſtimento » ſpe conſimilis gloriæ non exultet?

Pſ. 103. 2.

Guillel. de Naugis. in hiſt.

Narrat hiſtoria, ſub Mauritio Pariſiorum Epiſcopo, Millenariorum hæreſim ſuſcitatam; quòd poſt mille annos à Chriſto, reſurrectionem, quam præſtolabantur Chriſtiani, non videntes impleri, ſpem omnem eius abiecerant. Hinc factum eſt, vt edicto eiuſdem Epiſcopi Pariſini cum tabellâ pectori appoſitâ ſepelirentur, in quâ ſcriptum erat: « expecto reſurrectionem mortuorum. » Alludebant ad finem ſancti Prophetæ Iob, Chriſtum in ſpiritu Redemptorem attendentis, ſeque cum eo reſurrecturum ſperantis, & poſt expreſſiſſima

Iob. 19. 25.

verba: « Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, &c. Quem viſurus ſum ego ipſe & non alius, &c » Concludentis: « repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. » In qua putas tabella ſcriptum fidei &

Ibid. 27.

ſpei ſuæ ſymbolum? Præmiſerat certè votum ſuum non atramento ſolo & chartâ, ſed materiâ perenni conſcribi. « Quis mihi tribuat, vt

Ibid. 23.

ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro? ſtylo ferreo, aut plumbi lamina: vel celte ſculpantur in ſilice. » Sanctes Pagninus

Sanct. Pagn. ex Heb.

ex Hebræo: « vtinam nunc ſcriberentur ſermones mei: vtinam in libro imprimerentur. In ſtylo ferreo & plumbeo, vt ſint in perpetuum. in petra ſculperentur. » Septuaginta verò, « quis enim

Iuxta. 70.

vtique det, vt ſcripta ſint verba mea, & ipſa poſita in libro in ſæculum, & in ſtylo ferreo, & plumbo, aut in petris inſculpta.» Vides nec in Hebræo, nec apud Septuagintá vllam de celte fieri mentionem. Vt nec in codice ſancti Dionyſij, & ſancti Germani;& Titelmanus aſſerit hanc lectionem, « corruptam indoctam, figmentum nouitium, & ſomnium dictionarij barbarorum, Hieronymo, Gregorio, Bonauenturæ, Thomæ, Lyrano incognitam.» Item Benedictus Arias Montanus antiquũ codicem manuſcriptũ ex Bibliotheca Hiſpacenſi, teſtamẽto legauit Bibliothecæ Regiæ Eſcurialis, in quo legitur,« celtè» ſicut in præmiſſis codicibus manuſcriptis. Gloſſa interlinearis,& ordinaria ſimiliter. Et Franciſcus Lucas in ſuis notationibus in hunc locum teſtatur ſe legiſſe tredecim manuſcripta authentica, in quibus legitur « certè.» Sed idem Author ſexdecim alia manuſcripta producit, in quibus habetur « celte. » Quid autem ſit « celte » & quod hoc loco omnino non ſignificet arborem, quam gallicè vocamus « aliſier» certiſſimum eſt. Primò quia nullus omnino interpretum hoc ſenſiſſe legitur. Secundò quia omnes illud accipiunt indeclinabile, cum arbor prædicta dicatur « celtis » in nominatiuo:& ſtultum ſit credere in ſilice lapide duriſſimo cælari & ſcalpi poſſe ligno. « Celte igitur indeclinabile eſt nomen, deſignans inſtrumentum cæmentarij, quo lapides ſculpantur duriſſimi » ait Albertus Magnus. Et lectio quidem Vaticana à Pontifice maximo cõfirmata, « celte » ſimiliter habet. Quod & confirmatur Epitaphio Sertij Polenſis Paraſiti inciſo in lapide, vbi inter cætera : « Neque hic attramentum vel papyrus, aut membrana vlla adhuc, ſed

Titel. in Iob. cap. 19.

Albert. Magn. hic citatus à Pineda.

Digitized by Google

malleolo, & celte litteratus ſilex, ſilens adhuc, &c. « Et originale Hebræum, pro « celte » habet « laghad. » Dictio autem « chad » frequens in ſcripturis, idem eſt quod iugiter in futurum, ad æternum: vnde & Chaldæus, « in perpetuum ſculpantur in ſilice. » Et Auguſtinus in hunc lo-
Aug. in Annot. in Iob. 19. 15.
cum: « In teſtimonium in petris ſcribantur. » Tanti erat momenti fides & ſpes huius myſterij, tamque profundè cælata in corde S. Iob. Quam Mauritius Epiſcopus Pariſienſis & Eccleſiæ Cathedralis exſtructor in ſua Diœceſi reſculpere ſategit.

Hanc ſpem B. etiam Caſſianus Martyr, de ſepulcro ſuo apud Eduos cõfirmauit. Cùm enim B. Germanus Altiſſiodorenſis Epiſcopus ibid. orãs, D. Caſſianum interrogaſſet, quid iſti ageret; clarâ voce reſpondit anima, inquit, mea Dei viſione fruitur; corpus hîc meum, frater Germane, quieſcit, donec extremo die reſurgat ad gloriam. » Cui Germanus, « quieſce frater, & pro
1. Io. 3. 3.
nobis ora. » Nos verò, ſi « habemus hanc ſpem, caſtificemus & ſanctificemus nos, ſicut & Chriſtus ſanctus eſt. » Membra capitis ſanctitati reſ-
Pſ. 125. 5.
pondeant. Seminent manus opera bona « in lachrymis, vt in exultatione metant; & veniant, & exultent cũ gaudio portãtes manipulos ſuos. Qui
Gal. 6. 8.
ſeminat in carne, de carne metet corruptionem; qui ſeminat in ſpiritu, & de ſpiritu metet vitam æternam » Quid non ſpes rerum terreſtrium du-
Chryſol. ſer. 118.
rum, ac difficile aggreditur? « Sic agricola, fructus vberes, & exſatiatas epulas cantat, vt imminentem vomeris laborem non ſentiat, & ſudorem. Sic nauta portus modulatur & lucra, ne vndarum ruinas, ne maris diſcrimina pertimeſcat. Sic miles ne vulnera metuat, vt gladios non extimeſcat,

extimeſcat, prædas perſonat, & triumphos. Vnde reſurrectionem mente, ore, oculis, ſpectet, cantet, cogitet Chriſtianus, vt totam mortis poſſit deſpicere & calcare formidinem.» Et Chriſtus ipſe quid? Quo intuitu, quâ ſpe viator adhuc in carne, qui comprehenſor in ſpiritu, « ſimul in vnum diues & pauper? propoſito gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.» Pſ. 48. 2. Hebr. 12. 2.

TERTIA REFLEXIO Sit, debitæ Chriſto mortuorum ſuſcitatori Charitatis: quam vt intimis fixam cordibus habeatis, aptam huic ſpeciei referam mutuæ inter Cleoſtratum, & Meneſtratum dilectionis hiſtoriam. Cùm Theſpianorum ciuitas ingenti dracone vaſtaretur, conſultum Iouis oraculum reſpondit, quotannis ſorte ei proiiciendum adoleſcentem. Quâ in Cleoſtratum ductâ, Meneſtratus ſe pro eo ſibi chariſſimo prædam deuouit; & totum armis ferreis aculeatis indutum in os beſtiæ hiantis immerſit; quâ pedibus, manibuſque confractâ, & dilaniatis viſceribus saluus emerſit, & amicum ſuum, ac populum impio, ac crudeli edicto mortis eripuit. Hæc, Chriſte, hominum amantiſſime, aliqua vmbratilis, tuæ in genus humanum, iuſtiſſimo Dei vindicis edicto, draconis, mortis, inferni, diaboli faucibus addictum, figura dilectionis, non ferro, ſed Verbi vitâ & potentiâ armatus, cum morte congreſſus es prophetiam implens Oſee: « O mors, ais, ero mors tua, & morſus tuus ô inferne! vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Sed vbi eſt anima mea cor tuum? vbi amor in Chriſtum, Auditores? « gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris, animam enim ſuam poſuit pro te.» Quid Regi, medico, amico, pro te obſide,

Nicolaus Leon. lib. 1. de Var. hiſt. cap. 15.

Oſee 13. 14.

Eccli. 29. 18.

& ſanguinem, & vitam, oppignerante rependes? offenſas forte, iuramenta, periuria,
Pſ. 117. 17. blaſphemias.« Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini; » opera vtique vitæ, verba vitæ cogitationes vitæ, vt rediuiuum ab inferis,
Pſ. 21. 31. nec vltra moriturum peccato, condecet. « Et anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi. Reliquum enim eſt, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſur-
Iudic. 13. 22. rexit. Moriemur planè peccato, quia vidimus
Rom. 4. 25. Dominum mortuum propter peccata noſtra, & reſurgentem propter iuſtificationem noſtram: » vt gratiæ reſurgentes in animâ, etiam in corpore reſurgere mereamur ad gloriam. Amen.

FERIA SECVNDA POST Paſcha.

Tu ſolùs Peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus.
Luc. 24. 18.

DIſcipulus ille quem Lucas in hodierno Euangelio Cleopham vocat, erraſſet, ſi abſolutè, & ſimpliciter Chriſtum ſolum inter homines Peregrinum æſtimaſſet. Sed rectè & prudenter per modum interrogantis, « tu ſolus, inquit, peregrinus es? &c. » Neque enim communem hominum ſortem, vt nec ſui vim nominis ignorabat, quod Hebræis, « congregationem

tranſeuntis ſonat. » Omnes enim, quotquot huius vitæ viam ingredimur, non ſtamus in ea permanſuri, ſed ambulamus ad patriam tranſituri. Hinc Paulus de Abrahæ poſteris loquens; « iuxta fidem defuncti ſunt omnes illi, non acceptis repromiſſionibus, à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. » Vbi Doctor Angelicus, « Loquitur, inquit, ſecundùm Chryſoſtomum, ad ſimilitudinem nautarum, qui cùm primò vident portum, prorumpunt in laudem & ſalutant ciuitatem ad quam vadunt. Ita ſancti Patres videntes per fidem Chriſtum venturum, & gloriam quam per Chriſtum conſecuturi erant, ſalutabant, id eſt venerabantur ipſum, dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et Chriſtus ipſe teſtatur; Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. Item commendat fidem ipſorum ex ſincera confeſſione. Iſti enim tres, (Abraham, Iſaac, & Iacob quos prænominauerat) vocauerunt ſe aduenas, & peregrinos. Abraham enim dixit, aduena ſum & peregrinus apud vos. Dicitur etiam à Domino ad Iſaac: quieſce in terra quam dixero tibi, & peregrinare in ea. Iacob etiam dicit: dies peregrinationis meæ, &c. Dicitur autem peregrinus, qui eſt in via tendendi ad alium locum. Sed aduena eſt ille qui habitat in terra aliena, licet non intendat vlterius ire. Iſti autem non ſolùm confitebantur ſe eſſe aduenas, ſed etiam peregrinos, ſic etiam ſanctus vir non facit manſionem ſuam in mundo, ſed ſemper ſatagit tendere ad cœlum. Inde Pſaltes: aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei. Nullus enim hoſpes eſt & peregrinus, niſi qui eſt

Hebr. 11. 13.

D. Th. lect. 4. in c. 11. Hebr.

Pſ. 117. 25.

Io. 8. 56.

Gen. 23. 4.

Gen. 26. 2. 3.

Gen. 47. 9.

extra patriam, & tendit in illam. Cùm ergo illi
Gal. 4. 26. confitentur ſe eſſe hoſpites, & peregrinos ſuper
terram, ſignificant ſe tendere ad patriam ſuam,
ſcilicet cœleſtem Ieruſalem, illam certè, quæ
ſurſum eſt mater noſtra libera. Et hoc eſt quod
dicit: qui enim hoc dicunt, ſignificant ſe patriam
Exod. 3. 6. inquirere. (Syr. propriam ciuitatem) & ſi qui-
dem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, ha-
bebant vtique tempus reuertendi. Nunc autem
meliorem appetunt, id eſt cœleſtem. Ideo non
confunditur Deus vocari eorum: (dicitur enim
Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob) pa-
rauit enim illis ciuitatem.» Scopus huius Ho-
Divisio. miliæ eſt, vt primò videamus verè ac propriè
Chriſtum ſuo modo dicendum eſſe peregrinum;
Secundò, quomodo nos boni peregrini eſſe poſſi-
mus. Sed, ſiue diluculo ſurgamus ad viam, tu
Virgo aurora conſurgens, ſiue noctu ambulemus,
tu pulchra vt Luna, ſed « vt Luna perfecta, in die-
Cant. 6. 9. bus tuis luces » ſiue diu, electa es vt Sol. Quod
ſi occurrant hoſtes, tu « terribilis es vt caſtrorum
Eccli. 58. 6. acies ordinata. » Comitem quidem viæ Raphae-
Cant. 6. 9. lem cum Tobia poſcimus, ſed Gabrielem laſſi vt
Dei fortitudinem imploramus, qui Verbum in te
habitum peregrini induendum, & primum hoſ-
pitium præcurſor notauit, dicens: Aue.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Quod Origenes & Auguſtinus eodem animati
ſpiritu, de Chriſto ſub hortulani ſpecie apparen-
te Magdalenæ; hoc ego de Domino ſub habitu
Orig. hom. de Magd. peregrini adſtante Cleophæ. « O quàm ſcienter
neſcit, & doctè errat! » inquit Origenes. Cui
Aug. ſuccinit Auguſtinus: « ſancta & ſimplex fœmina,

Digitized by Google

deuotione mentis , prophetat, & neſcit » Illa hortulanum exiſtimauit, qui verè & propriè omnia virtutum ſemina, plantat, rigat, dat incrementum, in cordibus hominum. Et adeo verè peregrinus, vt per emphaſim antonomaſticè hoc nomen poſſit vſurpare ſolus. Anatomiam totius ſentẽtiæ, per ſingula verba diſſecta faciamus. Tv. ſecundam perſonam indicat Trinitatis: non tempore quidem, vel naturâ ſecundam; quia nec genitor genito prior, nec genitus genitore poſterior: « Semper enim filium fuiſſe credas, ne Patrem ſemper non fuiſſe blaſphemes. Quod ſi Pater tempus non capit, Filius initium neſcit. Sed quàm miſerum, vt tu illum facias temporalem, qui te præſtitit ſempiternum, &c. Qui confeſſus eſt Patrem, confitetur & Filium: quia ſine Filio, Pater dici non poteſt. Et quia Deo augeri, Deo addi nihil poteſt; ſemper fuit Filius, quia fuit ſemper & Pater. Neſcit inchoari filius, quia deficere Pater neſcit: nec creſcit genitus, vbi genitor non ſeneſcit. » Sed qui ſecundus non eſt naturâ vel tempore, rectè dici poteſt ſecundus origine; qui tanquam ex ſuo principio, ab æterno proceſſit à Patre. « De Patre Filius proceſſit, non receſſit. Nec ſucceſſurus patri, prodiuit ex Patre; ſed prodiuit manſurus ſemper in Patre, audi Ioannem dicentem. Hoc erat in principio. Et alibi; quod fuit ab initio. Quod erat, vtique non acceſſit: quod fuit, apparet vtique non cœpiſſe. Ego ſum, inquit, primus, & ego nouiſſimus. Qui primus eſt, non eſt iſte poſt alterum: qui nouiſſimus, poſt ſe alterum non relinquit; ſed iſta cùm dicit, non excludit Patrem, ſed in ſe, & Patre vniuerſa concludit. »

Chryſol. ſer. 62.

Chryſol. ſer. 58.

Chryſ. ſer. 57. Io. 1. 1. 1. Io. 1. 1 Eſa. 44 6.

Solvs Sicut vnus Pater, vnus Spiritus, ſic vnicus Filius, qui vt vnicus Patris æterni, ſic & matris fœcunditatem exhaurit: « Quia etſi ſunt multi filij per gratiam, iſte vnus, & ſingularis eſt per naturam, &c. In ſe eſt vnicus filius, qui quod aliis per ſuam gratiam donat, ipſe ſibi poſſidet per naturam. » Vnicus item Dominus noſter: « hoc conuenit ad vtrumque, quia & vnicus Patris eſt, & vnicus Dominus noſter eſt: alij filij, alij Domini eſſe per gratiam perceperunt: ſolus Chriſtus eſſe Filius, eſſe Dominus habet & poſſidet per naturam. »

Chryſol. ſer. 57. & 59. & 60.

Sed tu ſolus Peregrinus. Solus enim miſſus à Patre induit peregrinam à ſe naturam humanam: « qui cùm in forma Dei eſſet, habitu eſt inuentus vt homo. Licet contexta per totum deſuper à Patre & Spiritu ſit veſte indutus, ſolus habitu mortali factus eſt peregrinus. Hic « peregrè proficiſcens abiit in regionem longinquam. » Quid enim à cœlo, à Deo, à Verbo, æterno, immenſo, immortali & inuiſibili tam longinquum, quam caro paruuli terrena, viſibilis, & mortalis, vt ſolum peregrinum intelligas filium, nec te opera indiuiſa Trinitatis ad extra morentur; « In ipſa imagine Dei, hoc eſt mente hominis, cogitatio quæ ex memoria naſcitur atque formatur, & rectè Verbum dicitur, ſolum corpoream vocem accipit, vt audiri corporeis auribus poſſit. Sic ergo in illa ſancta & diuina Trinitate, Solum Patris Verbum, quod eſt ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis Dei; ſplendor ſcilicet & figura ſubſtantiæ eius; cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.

Philip. 2. 6. Io. 19. 23. Luc. 19. 12. D. Fulg. cont. ſerm. Faſtidioſi Arriani cap. 17. Sap. 7. 26. Hebr. 1. 3. Philip. 2. 6.

Digitized by Google

Solus ergo filius accepit carnem, (Peregrini veſtem,) vt poſſet corporeis oculis videri, manibus contrectari: Solus humanam naturam ſic accepit, vt ſuam faceret, & per illam, diuinitatis quoque ſuæ notitiam miſericorditer infunderet. Qui tamen reuelans ſeipſum, vtique reuelauit & Patrem, &c. Sicut ſermocinator, dum veritatem quam meminit, loquitur, quod à ſe prolatum indicat, hoc intus in mente repoſitum monſtrat. Vox autem illa corporea qua ſpiritale verbum induitur, vt ad audientium notitiam proferatur, ſimul fit à memoria, & à cogitatione, & à voluntate: ſed à ſola cogitatione, id eſt, interiore ſuſcipitur verbo, vt ad corporeas circumſtantium aures, interioris cogitationis procedat augurio. Illud autem verbum, ſicut habitu corporeæ vocis accepto, totum ad audientes egreditur; ſic in corde totum, cum memoria, & voluntate ſpiritualiter inuenitur. Proinde quiſquis hanc imaginem in mente hominis conſpexerit, hæreticorum vaniloquia citius irridebit; qui carnaliter de ſpiritualibus ſentientes, nolunt credere, in illa ſancta Trinitate aliquid à tribus factum, quod ab vna perſona tantùm fuerit diuina diſpoſitione ſuſceptum: cùm illa humana natura, (illa peregrini veſtis,) totius quidem Trinitatis opere ſit facta, à ſolo tamen Filio fuerit in vnitatem perſonæ ſuſcepta, &c. Non ergo Patris, neque Spiritus ſancti, illa quæ ſolius Verbi eſt, caro: quia Deo Verbo non eſt cum Patre, & Spiritu ſancto, vnius perſonæ communio. Secundùm operationem quippe diuinitatis communem, in qua eſt Trinitas perſonarum, ſicut eam accepit filius, ſic accepit Pater, & Spiritus ſanctus, &c. D. Fulgent. Ibid. cap. 17.

In perſonis itaque diſcreta eſt Trinitas, quamuis in natura non ſit diuiſa vel ſeparata Trinitatis vna diuinitas. Ideo in ſolius Filii perſona, humanitas inuenitur aſſumpta. Propter naturam ergo, vna ſemper eſt ſanctæ Trinitatis operatio: propter perſonas autem, ſolius Filii eſt humana ſuſceptio.» Atque vt facilius capias, in illa natura diuina aliquid à tota Trinitate factum, quod non fuerit à tota Trinitate ſuſceptum; & poſſibile credatur, quòd peregrinam illam carnem, & veſtem, tota Trinitas fecerit, quam tamen ſola Filii perſona, vna ex Trinitate ſuſceperit. « Vniuſcuiuſque perſona viuentis hominis, ex anima rationali conſtat, & corpore: à quo tamen multa ita fiunt, vt quamuis ab anima & corpore ſimul fiant, ad ſolam tamen animam, aut ad ſolum corpus aliquando pertineant. Quis enim neſciat ſolum corpus cibo carnali refici, atque nutriri, in cuius comeſtione, communis eſt operatio carnis & animæ? &c. In illa itaque comeſtione, vna eſt animæ carniſque operatio, ſed ſolius eſt carnis acceptio, &c. Animæ autem refectio atque pinguedo, non in pane corporali, ſed in pane ſpiritali conſiſtit. Non enim in pane ſolo viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. In cuius tamen verbi perceptione, vt cibo ſuo anima paſcatur, caro illi in opere ſociatur: Hoc enim agitur quando aut aures corporales admouet anima verbis, vt audiat; aut oculos corporales admouet ſcripturis, vt legat. Ecce & in hoc ſimul eſt carnis, & animæ operatio, vbi eſt animæ ſolius acceptio. Iſta in creaturis videant Arriani, & non dubitent, ſanctæ Trinitatis vnam eſſe diuinam naturam, & fieri potuiſſe, imò factum eſſe,

Fulg. Ibid. cap. 19.

Math. 4. 4.

Digitized by Google

vt illa caro, (illa noſtri peregrini veſtis) totius Trinitatis vno atque inſeparabili opere fieret, & in Sacramento vero Incarnationis,ad ſolam perſonam Dei vnigeniti pertineret. » A tota igitur Trinitate, id eſt, à Patre, Verbo, & Spiritu ſancto, facta eſt illa caro (veſtis peregrini pellicea & carnea,) ſed ſolum Verbum factum eſt caro. Quid ſubtilius? quid doctius ab illo ſcienter neſciente Cleophadicipotuit aut cogitari, quàm vt Chriſtum interrogans diceret, & prophetaret; « Tu ſolus peregrinus?»

Et rectè quidem peregrini nomen ſortitus eſt Chriſtus, qui ab initio ad finem, vitam duxit peregrinam. Vix conceptus, inſpirauit matri, vt « abiret in montana Iudææ cum feſtinatione» vt iam ab vtero, pluſquam Salomonis baiulatus in ferculo, primam in domum Zachariæ peregrinationem ingrederetur. Edicto Cæſaris vrgente cùm deſcriberetur orbis, peregrè profectus in Bethleem, « non in parentum domo, ſed in via naſcitur,vt profecto oſtenderet, quia per humanitatem ſuam quam aſſumpſerat, quaſi in alieno naſcebatur. » An non perſequente Herode, Angeli monitu perrexit in Ægyptum? An non tota vita « ſicut peregrinus declinans ad manendum » proprio tecto caruit, & domo: vt diceret; « volucres cœli nidos habent, & vulpes foueas, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.» Et quid tam alienum & peregrinum à vita, quàm mors & ſepultura? Sic ſuſcitatus, in corpore glorioſo « per quadraginta dies, apparens Diſcipulis, & loquens de regno Dei » in terra iam alienigena verſabatur. Sic in cœlum aſcendit, & corpus illuc ſubſtantia terrenum propria virtute ſubuexit; hæc caro de terra ſumpta, « quaſi ad

Luc. 1. 39.
Cant. 3. 9.
Luc. 2. 1
Greg. homil. 8. in Euang.
Ier. 14. 8.
Matth. 8. 20.
Act. 1. 3.
Greg.

homil. 9. in Euang. peregrina ducitur, dum per Redemptorẽ noſtrũ in cœlo collocatur.» Et ſic impletur illud Apoſtoli: « qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit.» Deſcendit enim, & aſcendit peregrinus. « Solus itaq; filius iacuit in ſepulcro: ſed illa vnigeniti Dei natura potuit ſepeliri, quæ potuit mori. Secundùm naturam carnis, Dei vnigenitus iacuit ſepultus in lapide, ſecundùm quam clauis adfixus pependit in cruce Quomodo enim diuinitas eius poterat concludi ſepulcro, quæ nec terra poteſt concludi, nec cœlo? illam ergo paſſionem, illamque ſepulturam, vnitas perſonalis, vnam fecit eſſe diuinitatis & carnis: ſed proprietas vtriuſque in Chriſto ſubſtantiæ, fecit ſolam carnem Chriſti paſſioni & morti naturaliter ſubiacere, permanente impaſſibilitate atque immortalitate diuinæ incommutabiliſque ſubſtantiæ. Chriſtus itaque, qui non eſt Trinitas, ſed vna ex Trinitate perſona, ſic ſecundùm veritatem carnis, verè in cruce pependit, & in ſepulcro mortuus iacuit, &c. quæ omnia ſecundùm perſonæ vnitatem, totus Chriſtus pertulit: ſecundùm naturalem proprietatem, ad ſolam carnis pertinent veritatem. Ita ſecundùm ſolam animam ad infernum deſcendit:» quo peregrinari ad filios Adæ exules reuocandos in patriam indicibili pietate dignatus eſt. Et quid tam longinquum, & alienum ab anima beata quàm locus pœnarum. Hinc « Deus eum ſuſcitauit à mortuis, ſolutis doloribus inferni » ſeu pœnalibus tenebris, & purgatorii flammis; ſeu vinculis carceris, quo Patres in limbo tenebantur incluſi. Vnde mortis & diaboli triumphator, « aſcendens in altum captiuam captiuitatem abduxit.» Quid plura? « ſecundùm carnem ſic fuit in ſolo ſepulcro, vt ſecundùm animam, in ſolo

Epheſ. 4. 9.

D. Fulgent. cont. ſerm. Faſtidioſi cap. 20

Act. 2. 24.

Epheſ. 4. 8.

fuerit inferno: ſecundùm diuinitatem verò, quia Fulg.
nullo clauditur loco, ſed vbique totus ineffabi- Ibid.
liter inuenitur, (& quia quod ſemel aſſumpſit, ſupra.
numquã dimiſit,) ita carnẽ ſuam non dereliquit
in ſepulcro, neq; animam ſuam deſeruit in infer-
no, ſicut nec terræ poteſt aliquando deeſſe, nec Pſ. 15.
cœlo Idem quoque Dei Filius qui ſecundùm car- 10.
nem in ſepulcro iacuit, & ſecundùm ſolam ani-
mam in infernum deſcendit; quoniam dixerat Io. 10.
de anima ſua, poteſtatem habeo ponendi eam, & 18.
poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: poſtea-
quam poſuit animam, & reſumpſit, ſecundùm
totam humanitatem ſuam in cœlum aſcendit, &
in dextra ſedis Dei ſedet, ſicut Marcus Euangeli- Marc.
ſta teſtatur. Hæc autem omnia ſicut dignè refe- 16. 19.
runtur ad vnam quæ in Dei Filio eſt, diuinitati
humanitatiſque perſonam, ſic ad illius diuinam
nullatenus poſſunt referri ſubſtantiam. Ac per
hoc, nihil horum poteſt perſonæ Patris, vel ſan-
cti Spiritus deputari, quia non eſt vna perſona
Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.» Quapropter
doctè & eleganter à Cleophâ dictus eſt ſolus
peregrinus.

Sed prætereundum non eſt quod ſubiecit. In
Ieruſalem, in viſione pacis, in patria peregrinus,
quis niſi ipſe ſolus, qui quoad vixit, viator ſimul
fuit & comprehenſor, in illo Apocalypſis Ange-
lo delineatus, quem vidit Ioannes «fortem, deſ- Apoc.
cendentem de cœlo, amictum nube, & Iris in 10. 1.
capite eius, & facies eius erat vt Sol, & pedes
eius tanquam columnæ ignis; & habebat in ma-
nu ſua libellum apertum: & poſuit pedem ſuum
dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper ter-
ram.» Deſcendit enim de cœlo fortitudo & vir-

bat, neque permanere mortalem. Mortalis quippe factus eſt, non infirmata Verbi diuinitate, ſed carnis infirmitate ſuſcepta: non autem permanſit in ipſa carne mortalis, quam reſuſcitauit à mortuis, quoniam ipſe fructus eſt mediationis eius, vt nec ipſi propter quos liberandos mediator effectus eſt, in perpetua, vel carnis morte remanerent. Proinde mediatorem inter nos & Deum, & mortalitatem habere oportuit tranſeuntem, (quaſi peregrinam,) & beatitudinem permanentem; vt per id quod tranſit, congrueret morituris, & ad id quod permanet, transferret ex mortuis, &c. Beatus & beatificus Deus, factus particeps humanitatis noſtræ, compendium præbuit participandæ diuinitatis ſuæ, &c. Idem in inferioribus via vitæ, qui in ſuperioribus vita. » O verè ſolum peregrinum in Ieruſalem, qui « ſimul in vnum diues, & pauper » ſummus, & imus, via, & terminus, comprehenſor, & viator; qui vitæ huius mortalis, & peregrinationis noſtræ ſe ſocium dedit, & exemplum.

lib. 9. de ciu. cap. 15.

Pſ. 48. 2.

SECVNDA PARS MORALIS.

PRIMA REFLEXIO. Veteres Patres à Paulo memoratos imitemur, & nos in hoc vita, aduenas & peregrinos agnoſcamus. Et primum omnium Abel, non habentem hîc ciuitatem, potius quàm Caïn conditorem ciuitatis terrenæ ſectemur. « Natus eſt prior Caïn ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum ciuitatem: poſterior Abel ad ciuitatem Dei. Sicut enim in vno homine, quod dixit Apoſtolus, experimur? quia non primum quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, poſtea ſpiritale: vnde vnuſ-

D. Aug. lib. 15. de ciu. cap. 1.

1. Cor. 15. 46.

Digitized by Google

uitatem credimus, ſperamus, inquirimus. Quam gratiam pretio ſanguinis Chriſti accepimus; vt non caſu, ſed Dei conſilio, magni, inquam, illius figuli ex eadem maſſa vaſa honoris & contumeliæ facientis propoſito, pretium ſanguinis Chriſti, emendo agro figuli, in ſepulturam peregrinorum impenderetur. Sic enim ſubtiliter & piè meditatus eſt S. Pater Auguſtinus, vel vt alii volunt, D. Maximus Taurinenſis Epiſcopus « Prouidentia Dei factum puto, vt pretium Saluatoris, non peccatoribus ſumptum præbeat, ſed peregrinis requiem ſubminiſtret; non ſacrilegis ſit ad luxum, (aliàs luſum) ſed defunctis ſit ad ſepulchrum; vt iam inde Chriſtus, & viuos ſanguinis ſui paſſione redimat, & mortuos pretioſa poſſeſſione ſuſcipiat. Pretio ergo Dominici ſanguinis ager figuli comparatur, &c. Vide ergo quia illo non tam redempta ſit agri terrena fragilitas, quàm totius mundi incolumitas ſempiterna, &c. Vide ne pecunia illa non tam comparati ſit agri parua portio, quàm totius mundi copioſa poſſeſſio, &c. Ager ergo iſte mundus hic totus eſt, in quo nos diſperſi & diſſeminati, fructũ boni operis germinamus, &c. Sed quis figulus, qui mundi poſſit habere dominatum? Niſi fallor, ipſe eſt figulus qui vaſcula corporis noſtri fecit ex limo, &c. Ipſe eſt figulus, qui carnium noſtrarum cœnoſum lutum, vapore ſui ſpiritus animauit, & materiam fluidam atque terrenam igneo calore decoxit. Ipſe eſt figulus, qui nos per manus ſuas formauit ad vitam, per Chriſtum ſuum reformauit ad gloriam; vt qui à priore facturâ propriis vitiis corruimus, in ſecunda natiuitate, figuli eius miſericordia reparemur. Hoc eſt, qui per Adæ tranſgreſſionem in mortem cecidimus, per

D. Aug. ſer. 128. de tẽp. D. Maximus hom. de Iuda traditore.

Gen. 2. 7.

Digitized by Google

Rom. 9. 20. Saluatoris gratiam reſurgamus. Ipſe planè eſt figulus, de quo dicit Apoſtolus: Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, cur me feciſti ſic? Et iterum: Numquid non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Ex eodem enim luto corporis noſtri Deus, tamen pro meritis ſingulorum, alios cuſtodit ad regnum, alios reſeruat ad pœnam.» Sed cur tandem ager figuli pretio ſanguinis Domini in ſepulturam peregrinorum impenditur? & qui ſunt iſti peregrini?

Aug. Ibid. ſupra. « Iuſtè figuli ager Chriſti ſanguine emptus eſt peregrinis, qui erant ſine domo & patria, & his qui toto orbe exules iactabantur, requies Chriſti ſanguine prouidetur: & quibus non eſt in mundo poſſeſſio, his in Chriſto fit ſepultura: iſtos autem peregrinos quos eſſe dicimus niſi deuotiſſimos Chriſtianos, qui renuntiantes ſæculo, & nihil poſſidentes in mundo, in Chriſti ſanguine requieſcunt? Chriſtianus enim qui mundum non poſſidet, hic totum poſſidet Saluatorem. Ideo autem peregrinis Chriſti ſepultura promittitur, vt qui ſe à carnalibus vitiis tanquam peregrinum & alienum cuſtodierit, is Chriſti requiem mereatur. Sepultura enim Chriſti, quid eſt aliud niſi requies Chriſtiani? &c. Conſepulti enim ſumus, ſicut ait Apoſtolus, cum illo per

Rom. 6. 4. baptiſmum in mortem. Baptiſmus igitur Chriſti nobis eſt ſepultura, in quo peccatis morimur, criminibus ſepelimur, & veteris hominis conſcientia reſoluta, in alteram natiuitatem, rediuiuâ infantiâ reparamur.» Sic his qui per baptiſmum renati fideles ſe in hoc ſæculo peregrinos agnoſcunt, pretium ſanguinis Chriſti in peccatorum ſepulturam, in reſurrectionem vitæ, &

gratiæ

Digitized by Google

gratiæ applicatur. Magno enim & gratuito dono cum Paulo agnoſcimus, « dum ſumus in corpore, peregrinari nos à Domino. Non enim hoc dicit mundi ciuis, ſed fidelis cum Pſalte clamat ad Dominum, inquilinus ego ſum apud te & peregrinus ſicut omnes patres mei. Non ait ſicut omnes homines: ſed dicendo, ſicut omnes patres mei, iuſtos proculdubio vult intelligi, qui eum tempore præceſſerunt, & in hac peregrinatione, gemitu pio ſempiternæ patriæ ſuſpirarunt. De quibus ſcriptum eſt ad Hebræos; ſecundùm fidem mortui ſunt hi omnes, cum non accepiſſent promiſſiones, ſed longè eas videntes & ſalutantes, & confitentes quia hoſpites ſunt & peregrini ſuper terram, &c. Et illud quod legimus, quandiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: poteſt intelligi, hoc non eſſe omnium, ſed fidelium; non enim omnium eſt fides. Et videmus quid his verbis Apoſtolus iungat: cùm enim dixiſſet; quandiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, inquit, & non per ſpeciem. Vt intelligeremus eorum eſſe iſtam peregrinationem, qui ambulant per fidem. Infideles autem, quos Deus non præſciuit, nec prædeſtinauit conformes fieri imagini filii ſui (facti pro nobis peregrini,) non poſſunt veraciter dicere, ſe in terra peregrinos, quando ibi ſunt, vbi ſecundùm carnem nati ſunt. Non enim habent alibi ciuitatem: ac per hoc, non ſunt in terra alienigenæ, ſed terrigenæ. Vnde ait alia Scriptura de quodam: poſuit apud mortem domum ſuam, & apud inferos cum terrigenis axes ſuos. Sunt autem & ipſi peregrini & inquilini, non huic terræ, ſed populo Dei, à quo ſunt alienigenæ. Vnde & credentibus, & ſanctam ci-

Aug. in Pſ. 118. cõcione 8.
Pſ. 53.
Hebr. 11.
2. Cor. 5.
2. Theſ. 3.
Eſa. 28. 18.

Digitized by Google

uitatem quæ non eſt de hoc mundo, habere inci-
Epheſ. 2. 19. pientibus, Apoſtolus dicit. Igitur iam non eſtis peregrini, & inquilini, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei. Ipſi ergo ſunt ciues terreni, qui ſunt in Dei populo peregrini: qui verò ciues ſunt in populo Dei, ipſi ſunt in terra peregrini, quia totus idem populus (electorum cœtus) quandiu eſt in corpore, peregrinatur à Domino.»
1.Cor. 7. 31. Quicumque ergo verè fidelis eſt, « vtitur hoc mundo tanquam non vtatur » & cum Paulo dicit, prætereuntem huius mundi figuram, vt peregrinus præteriens: « non habemus hîc ciuitatem,
Hebr. 13.14. permanentem, ſed futuram inquirimus.»

Secvnda Reflexio. Recogita, peregrinum ſuæ patriæ viam, diligenter inquirere, inuentamque ſedulo tenere, & quantum poteſt, ab errore cauere, inter perplexas viarum ambages. Et quæ via ad patriam, via recta, via regia?
Luc. 10. 25. via mandatorum. Vnde quærenti, « Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo? » quaſi diceret, quâ viâ redibo ad patriam? « Si vis, inquit,
Matth. 19.17. ingredi in vitam, ſerua mandata. » Vnum hoc inſtanter à Domino cum Pſalte petendum: « Incola ego ſum in terra, non abſcondas à me man-
D. Aug. concio. 8. in Pſ.118. data tua.» Vbi D. Auguſtinus: « qui tandem ſunt, à quibus Deus abſcondit mandata ſua? Nonne illa vbique Deus voluit prædicari? vtinam
Matth. 22.37. quàm multis clara ſunt, tam multis chara ſint. Nam quid eſt clarius, quàm diliges Dominum Deum tuum? &c. Nempe & omnibus fidelibus, & plurimis infidelibus nota ſunt. Cur ergo poſcit fidelis, ne abſcondatur ſibi, quod nec infideli cernit abſcondi? An quia Deum noſſe difficile eſt? conſequens eſt vtique, vt diligas Dominum Deum tuum, difficile intelligatur, & inter-

Digitized by Google

rogetur, ne aliud pro alio diligatur, &c. Meritò, inquit, abſconduntur eis, qui non ſunt incolæ in terra. Hæc enim mandata, etſi audiunt, non ſapiunt, quia terrena ſapiunt. Quorum autem conuerſatio in cœlis eſt, in quantum hîc conuerſantur, profectò peregrinantur. Petunt itaque ne abſcondantur ab eis mandata Dei, per quæ ab hoc incolatu liberentur, diligendo Deum, cum quo in æternum erunt; & diligendo proximum vt illic ſit, vbi & ipſi erunt. » Quæ quidem mandata, niſi iuſto iudicio aliquibus abſconderet, & aliquibus miſericordiâ reuelaret, Chriſtus vtique non diceret: « Confiteor tibi Pater, Rex cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. » Et ſi in errorem & tentationem non induceret, gratiam & lumen ſubtrahendo, vel iuſtè negando indebitam, orare non docuiſſet, « Et ne nos inducas in tentationem: » & Prophetæ non iuberet: « excæca cor populi huius. » Et Dauid non diceret: « effuſa eſt contemptio ſuper principes eorum, & errare fecit in inuio, & non in via. » Vbi ſic Auguſtinus: « Reprobati, inquit, ſunt ab Eccleſia Dei, & magis quia principes eſſe voluerunt. Ideo contempti ſunt, & facti ſunt ſal infatuatum, proiectum foras. Ideo conculcatum ab hominibus. Et ſeduxit eos in inuio, & non in via. Illi deducti, non ſeducti, (electi ſcilicet.) Iſti autem in inuio ſeducti. Quid eſt, ſeduxit eos? Tradidit illos Deus in concupiſcentias cordis eorum. Hoc eſt enim, ſeduxit eos, donauit illos ſibi. Nam ſi propriè quæras, ipſi ſe ſeducunt. Qui enim putat ſe eſſe aliquid, cùm nihil ſit, ſeipſum ſeducit. Quid eſt ergo, ſeduxit eos? dimiſit eos in inuio. Quomodo enim in via homines, qui par-

Philip. 3.19.

Matth. 11.25.

Matth. 6.13.

Eſa. 6. 10.

Aug. in Pſ. 106.

Matth. 5.13.

Rom. 1. 24.

Gal. 6. 3.

tem tenent, & totum relinquunt? » De parte Donati intelligit, aliiſque Schiſmaticis; ego de quibuſcumque, vel à fide, vel à mandatis Dei aberrantibus, quorum viam ſine Dei gratia peregrini tenere non poſſunt, nec ſi aberrauerint viam corrigere; & ad rectam redire poſſunt. Cum Pſalte ergo dicamus:« In toto

Aug. concio. 5. in Pſ. 118. corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. Quid eſt enim à Deo repelli, niſi non adiuuari? Mandatis quippe eius rectis, atque arduis humana non contemperatur infirmitas, niſi præueniens eius adiuuet charitas. Quos autem non adiuuat, hos meritò perhibetur repellere; & tanquam flammeâ frameâ prohibeantur indigni,

Gen. 3. 24. ne manum extendant ad arborem vitæ. Quis eſt

Rom. 5. 12. autem dignus, ex quo per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt? Sed indebitâ Dei miſericordiâ, ſanatur debita noſtra miſeria. Nam iſte qui loquitur, & dicit, in toto corde meo exquiſiui te, & hoc vnde poſſet, niſi eum auerſum, ad ſe ipſe conuerteret, cui dicitur, Deus tu conuer-

Pſ. 84. 7. tens viuificabis nos: & ille perditum quæreret, & errantem ille reuocaret, qui dicit: quod perierat requiram, & quod errauerat, reuocabo. Inde eſt

Ezech. 34. 16. quod & corrigit viam ſuam in cuſtodiendo verba Dei, illo regente, illo faciente: neque enim per ſe ipſe poſſet, cùm Ieremias Propheta fateatur,

Ier. 10. 23. & dicat: Scio Domine quoniam non eſt hominis via eius, neque vir ibit, & corrigit viam ſuam. A Domino quippe hoc etiam iſte ſuperius optauit, vbi ait; vtinam dirigantur viæ meæ. Et hîc vbi addidit, in corde meo abſcondi eloquia tua,

Pſ. 118. vt non peccem tibi. Continuò diuinum quæſiuit

auxilium. Nam in corde eius Dei eloquia ſine fructu abſconderentur, niſi opera iuſtitiæ ſequerentur. Cùm enim hoc dixiſſet, adiunxit: Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas. Doce, dixit, quomodo eas diſcunt qui faciunt, non quomodo qui vt habeant quod loquantur, tantummodo meminerunt. » Vt nec ſatis eſt, peregrino viam noſſe, niſi & ducem ſequatur, & in via ſine offendiculo & deuio, perſeueranter ambulet, & ad patriam perueniat.

Tertia Reflexio. Electis peregrinis, ducem quem ſequerentur, & viam miſit Deus Filium ſuum; & viam quidem compendioſam, quæ fuit coniunctiſſima termino. Hinc ſe dixit veritatem docentem ſine fallacia, viam rectam ſine diuerticulo, & vitam ad quam tendimus, in qua poſt labores itineris beatè quieſcamus. « Quia ergo ipſe eſt apud patrem, veritas & vita, & non habebamus quà iremus ad veritatem, Filius Dei, qui ſemper in Patre veritas & vita eſt, aſſumendo hominem, factus eſt via. Ambula per hominem, & perueni ad Deum. Per ipſum vadis, ad ipſum vadis. Noli quærere quà ad illum peruenias, præter ipſum. Si enim via ipſe eſſe noluiſſet, ſemper erraremus. Factus ergo via eſt, qua venias. Non tibi dico quære viam. Ipſe via ad te venit, ſurge & ambula. Ambula moribus, non pedibus. Multi enim ambulant benè pedibus, & malè ambulant moribus. Aliquando enim ipſi benè ambulantes, præter viam currunt. Inuenies quippe homines benè viuentes (exterius, vt Gentiles, & hæreticos moratos) & non Chriſtianos, benè currunt, ſed in via non currunt. Quantò plus currunt, plus errant, quia à via re-

D. Aug. ſer. 55. de verbis Do.

Digitized by

cedunt, &c. Melius eſt in via claudicare, quàm præter viam fortiter ambulare, &c. Si autem perueniant ad viam, & teneant viam, ô quanta ſecuritas eſt, quia & benè ambulant, & non errant.»

QVARTA REFLEXIO. Nec ſatis eſt viam ſcire, nec ſatis in Chriſtum credere, niſi & det nobis per gratiam, vt poſſimus perfecti peregrini ambulare. Ad quam perfectionem multa ſunt neceſſaria viatori. Primò enim peregrinus ſe longè eſſe à patria contriſtatur, & viæ laboribus oppreſſus gemit « Vita iſta parua tribulatio eſt? Si non eſt tribulatio, non eſt peregrinatio. Si autem peregrinatio eſt, aut parum patriam diligis, aut ſine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur non ſe eſſe cum eo quod deſideret? Sed vnde tibi non videtur iſta tribulatio? quia non amas. Ama alteram vitam, & videbis quia iſta vita tribulatio eſt, quacumque proſperitate fulgeat, quibuſlibet delitiis abundet, atque circumfloreat. Quando nondum eſt illud gaudium ſine vlla tentatione certiſſimum, quod nobis in fine ſeruat Deus, ſine dubio tribulatio eſt.»

S. Aug. in Pſal. 137.

Secundò peregrinus ſpe patriæ, & eius recordatione in via progreditur lætus, & ſubleuandi laboris gratia interdum cantat & iubilat. « Delitiæ ſpiritus noſtri diuina Cantica, vbi & fletus ſine gaudio non eſt. Fideli homini, & peregrino in ſæculo, nulla eſt iucundior recordatio, quàm ciuitatis illius, vnde peregrinatur. Sed recordatio ciuitatis in peregrinatione, non eſt ſine dolore atque ſuſpirio. Spes tamen reditus noſtri certa, etiam peregrinando triſtes conſolatur & exhortatur, &c. Qui vt nobiſcum eſſet (in via peregrinus) deſcendit ad nos, faciat vt cum illo

S. Aug. in Pſ. 145.

poſſimus aſcendere ad ſe. Interim ipſe peregrinationem noſtram non faſtidiuit, quia nuſquam eſt peregrinus (diuinitate ſcilicet vbique præſens, nec nos deſerens in via) qui condidit omnia. » Et implet omnia præſentiâ ſuâ. Sed quia non videmus eum ſicuti eſt, peregrinantes à Domino, in fide & ſpe quaſi ſub columna nubis ambulamus. « Etenim ipſa ſpes peregrinationi neceſſaria eſt. Ipſa eſt quæ conſolatur in via. Viator enim quando laborat ambulando, ideo laborē tolerat, quia peruenire ſperat. Tolle illi ſpem perueniendi, continuò franguntur vires ambulandi. Ergo & ſpes quæ nunc eſt, ad iuſtitiam pertinet peregrinationis noſtræ, &c. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Si enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus, &c. Modò per fidem, tunc per ſpeciem. Modò per fidem quandiu in via, quandiu in peregrinatione. Quandiu enim ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem. Si hoc eſt fides, quid erit ſpecies? Audi quid erit, vt ſit Deus omnia in omnibus. Quid eſt omnia? quidquid hîc quærebas, quidquid hîc pro magno habebas, ipſe tibi erit: quidquid hîc volebas, quidquid hîc amabas, manducare & bibere, ipſe tibi erit cibus, ipſe tibi erit potus. Quidquid hîc volebas, ſanitatem corporis fragilem, tranſeuntem, ipſe tibi immortalitas erit. Quidquid hîc quærebas; diuitias amabas auare? Quid enim tibi ſufficit, ſi Deus ipſe non ſufficit? Sed quid amabas? gloriam? honores? Deus tibi erit gloria, cui & modò dicitur: gloria mea, & exaltans caput meum. Iam

S. Aug. ſerm. 16. de verb. Apoſt.

Rom. 8. 24.

2. Cor. 5. 6.

1. Cor. 15. 28.

Pſ. 3. 3. Epheſ. 5. 23.

Coloſſ. 1.17. Epheſ. 1.22. enim exaltauit caput meum. (Caput peregrinorum) caput noſtrum Chriſtus eſt. Sed quia miraris, quia caput, & cætera membra exaltabuntur. Tunc erit Deus omnia in omnibus. »

S. Aug. in pſal. 34. Tertiò, quia peregrini ſumus in hoc ſæculo, abſtinere debemus à carnalibus deſideriis, iter faciendo. « Ecce in anguſtiis tibi conſtituto, non ſubeſt quod quæris, ſed adeſt quem quæris. Et illum quære qui deeſſe numquam poteſt. Subtrahuntur quæ dedit, numquid ſubtrahitur qui dedit? Redduntur quæ dederat, numquid ipſæ ſunt diuitiæ, cùm reddita fuerint illa, & non ille qui ſubtraxerat probando, & reddidit conſolando? conſolatur enim, quando nobis iſta non deſunt, conſolatur tanquã in via: ſed ſi nos intelligamus viam, quia tota iſta vita, & omnia quibus vteris in hac vitâ, ſic tibi debent eſſe, tanquam ſtabulum viatori, non tanquam domus habitatori. »

1.Pet.2. 11. Ber.ſer. 7. in quadr. Hebr. 13.14. Num. 21.22. Deut.5. 32. Petrum audite fideles exhortantem: « Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſideriis. Fœlices qui ſe præſenti ſæculo nequam, aduenas & peregrinos exhibent, immaculatos ſe cuſtodientes ab eo. Neque enim habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Abſtineamus ergo à carnalibus deſideriis quæ militant aduerſus animam, tanquam aduenæ & peregrini. Peregrinus ſi quidem viâ Regiâ incedit, non declinat ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Si fortè iurgantes viderit (pro bonis, honoribus, delitiis contendentes) non attendit. Si nubentes, aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus tranſit, quia peregrinus eſt, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam ſuſpirat, ad patriam tendit; veſtitum, & victum habens, non vult aliis

Digitized by Google

onerari.» Imò verò ſi quid ſuperfluum, & graue habet, libenter in alium exonerat, viæ ſuæ comitem. Da ergo ſi quid tale habes proximo tecum ambulanti. « De ſtipendiis quidquid exuberat commilito pauper aſſumat: peſtilens effuſio nil perdat. In conflictu habebit auxilium, eſurientem ſocium qui cibabit.» Baiulum habes pauperem tecum in via vitæ peregrinum. Exonerabit te pondere peccatorum; ſi in eum exoneres pondus ſuperfluorum. « Ne cui fortè deeſſet euectio ad portãda illa quę dimittitis, angariatus eſt pauper. Ferunt pauperes onera noſtra, & volentes ferũt: quia non tali deprimuntur onere, ſed leuantur.»

Chryſol. ſer. 22.

Et ſer. 25.

Ad hæc, peregrinus non pretioſis per viã veſtibus induitur, nec cibis exquiſitis veſcitur; nec ſuperbas ædes, & palatia ſtratoſq; magnificè thoros expoſcit; ſed neceſſariis contentus, vt in hoſpitio vix vnius diei, vel noctis tantũmodo diuerſatur; tanquam tranſiturus, non permanſurus. Si fortè obdormiuit præ tædio vel laſſitudine itineris, tẽpus redimit, & greſſu ocyore feſtinat. Tandẽ Lucæ & Cleophę peregrinantibus in Emmaüs, ſe ſocium iungit. Lucas enim ex emphaſi nominis, ſignificat « conſurgentem » quo monetur cum Pſalte dicere, « exurgam diluculo.» Cleophas autem idem eſt, quod « congregatio feſtinans:» cœtus quippe fidelium, ſe mutuo feruore excitat dicens: « feſtinemus ingredi in illam requiem.» Emmaüs autem « interpretatur deſiderium conſilij. Deſiderabant enim amaritudinem titubationis ſuæ, ſalutari conſilio releuare, &c. Profectò ire deſiderant in Emmaüs caſtellum, quod ab Ieruſalem eſt in ſpatio ſtadiorum ſexaginta. Sexagenarius numerus ex denario conſtat, & ſenario; quia ſexties decem, vel decies ſex, faciunt

Pſ. 56. 9

Hebr. 4. 11.

Bern. Feria 2. poſt. paſcha.

ſexaginta. Stadium locus eſt, in quo curritur, denarius ſignificat decalogum, in quo decem mandatorum ſeries continetur. In ſenario verò figuratur ſæculi abrenuntiatio, abiectio propriæ voluntatis, & abiectio ſine fuco ſimulationis, cuſtodia cordis, & circumſpectio ſermonis. » Addam & ego, Emmaüs etiam ſignificare « matris feſtinantis, & augentis conſilium. » Quia Eccleſia mater noſtra quotidie creſcens numero electorum, conſulit nobis, vt in virtute creſcamus, & ſex diebus totius vitæ, ad Sabbathum quietis æternæ, ſine mora, per viam mandatorum Dei curramus. Emmaüs item quæ nunc eſt Nicopolis, vrbs victoriæ, « omnem gloriam » ſignificat, quia omnis gloria à victoria, & victoria à progreſſu quem facimus in mandatorum & conſiliorum viâ. Diſtat ab Ieruſalem ſexaginta ſtadiis, duabus circiter leucis Gallicis: id eſt duobus dilectionis Dei & proximi mandatis, quæ fideliter & perfectè decurrendo peregrini, perueniemus in viſionem pacis. « Semper ambula, ſemper proſice, noli in viâ remanere, noli retro redire, noli deuiare, remanet qui non proficit; retro redit, qui ad ea reuoluitur vnde iam abſceſſerat, &c. Ergo ſi & tu ambulas, ſi te extendis, ſi ea quæ ventura ſunt, cogitas, obliuiſcere præterita; noli in ea reſpicere, ne ibi remaneas, vbi reſpexeris. Mementote vxoris Loth, &c. Semper tibi diſpliceas quod es, ſi vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuiſti, ibi remanſiſti. Si autem dixeris ſufficit, & periiſti. Semper adde, ſemper ambula, ſemper proſice. » Nec ceſſa de præteritis pœnitere. Nam peregrini habitus pœnitentis eſt actus: « Peregrinationis tempus, pœnitentiæ ſpatium eſt; quod in cœlis à dextris Dei

Aug. ſerm. 15. de verb. Apoſt.

Luc. 17 32.

Hilar. Cano. 27. in Matth.

aſſidens, poteſtatem vniuerſo generi humano, fidei atque operationis Euangelicæ permiſit. » Peregrinos hortatur Ambroſius ad patriam repedantes, vt pericula viæ caueant, nec remiſſi ambulent. « Scripſit Moyſes profectiones eorum, & manſiones eorum per verbum Domini. Nec verò ſine cauſa Moyſi hoc à Domino ſcribere præceptum eſt, quia propter inſtructionem noſtrã, inquit Apoſtolus, omnia in figuris contingebant illis. Vt legentes & probantes nobis quãta in hac, ad terram viuentium profectione immineant diſcrimina, quantæ hoſtium inſidiæ, bellorum conflictationes ſpiritalium, marium, & fluminum, mundi, & voluptatum pericula, iter noſtrum non ſegniter, neque remiſsè capiamus, quò labente die, in medio deficiamus itinere, noctis tenebris obruti. Nocte enim primogenita Ægypti ab exterminatore percutiuntur: nocte auari anima diuitis, à dæmonibus repoſcitur. »

Ambr. de 42. mãſionibus fil. Iſra. in præfat.

1. Cor. 10.

Exod. 12.

Luc. 12.

QVINTA REFLEXIO. « Hoſpitales ſimus inuicem ſine murmuratione, egenos vagoſque inducamus in domum noſtram » & cum peregrinis hodiernis, Chriſtum in hoſpitium noſtrum, in peregrino latentem ingredi compellamus. « Ne mireris ſi vim patitur regnum cœlorum, quando & ipſe Dominus illorum. » Chriſtus tali coactione lætatur, & in ſuis membris ſuſcipi delectatur. « Quid nos ad hæc dicturi ſumus, fratres, vel quam excuſationem habere poterimus, qui amplas & ſpatioſas domus habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum, ignorantes, imò non credentes quod in omnibus peregrinis Chriſtus excipitur, ſicut ipſe dixit: hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. Et quandiu vni ex

1. Pet. 4. 9. Eſa. 58. 7.

Bern. Feria 2. poſt paſcha.

D. Aug. ſer. 62. de tẽp.

Matth. 25. 35.

Digitized by Google

minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis. Laborioſum, & faſtidioſum nobis eſt, in pauperibus recipere Chriſtum in patriam noſtram: timeo ne nobis ille vicem reddat in cœlo, & non nos recipiat in beatitudinem ſuam. Contemnimus illum in mundo; timeo ne nos ille iterum contemnat in cœlo.» Vultis vt hanc veritatem confirmemus exemplo? Gregorium magnum accipite, & poſt eius reflexionem abite. « Hoſpitalitatem, fratres chariſſimi, diligite, charitatis opera amate. Hinc enim per Paulum dicitur; charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis. Hinc Petrus ait, hoſpitales inuicem ſine murmuratione. Hinc ipſa veritas dicit, hoſpes fui & ſuſcepiſtis me. Opinata res eſt valde, & ſeniorum noſtrorum nobis relatione tradita. Quidam Paterfamilias, cùm tota domo ſua, magno hoſpitalitatis ſtudio ſeruiebat: cúmque quotidie ad menſam ſuam peregrinos ſuſciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios aduenit, ad menſam ductus eſt: dumque Paterfamilias ex humilitatis conſuetudine, aquam vellet in eius manibus fundere, conuerſus vrceum accepit: ſed repente eum in cuius manibus aquam fundere voluerat, non inuenit. Cúmque hoc factum ſecum ipſe miraretur, eâdem nocte ei Dominus per viſionem dixit, cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die, me in memetipſo ſuſcepiſti. Ecce in iudicium veniens dicet, quod vni ex minimis, &c. Ecce ante iudicium cùm per membra ſuſcipitur, ſuſceptores ſuos etiam per ſemetipſum requirit: & tamen nos ad hoſpitalitatis gratiam pigri ſumus. Penſate fratres, quanta hoſpitalitatis virtus

D. Gregor. hom. 23. in Euang.
Hebr. 13. 2.
1. Pet. 4. 7.
Matth. 25. 35.

Digitized by Google

ſit; ad menſas veſtras Chriſtum ſuſcipite, vt vos ab eo ſuſcipi ad conuiuia æterna valeatis. Præbete modò peregrino Chriſto hoſpitium, vt vos in iudicio non quaſi peregrinos neſciat, ſed vt proprios recipiat ad Regnum. Ipſo adiuuante, qui viuit & regnat in ſecula. Amen.

FERIA TERTIA POST Paſcha.

Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum? Luc. 24. 39.

ADerat cum cæteris Ioannes, & qui ſolus, vt ipſe refert, « vidit & teſtimonium perhibuit Io. 19.
quòd vnus militum lanceâ latus eius aperuit. 35.
Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, qui etiam Io. 21.
ſupra pectus eius in cœna recubuit: » poſt re- 20.
ſurrectionem idipſum latus, cæteraque vulnera palpaſſe, & contrectaſſe profitetur: 1. Io. 1.
« Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpe- 1.
ximus, & manus noſtræ contrectauerunt. »
Nec gemino teſtimonio contentus, ipſi & ſu- Apoc.
peradderet tertium. « Vidi, inquit, agnum 5. 6.
ſtantem tanquam occiſum. » Si ſtantem vidit, quomodo ſimul videre potuit tanquam occiſum? Si tanquam occiſum, quomodo ſtantem? Io. 19.
« Et ſtantem vidit, & tanquam occiſum. Et 35.
qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius. » Vidit ſtantem, quia aderat

cum cæteris, & vidit ſuſcitatum à mortuis, cùm
« ſtetit Ieſus in medio eorum, & dixit eis, Pax
vobis. » Et ipſemet Ioannes iiſdem quibus Lucas
Luc. 24 verbis, « venit Ieſus, & ſtetit in medio eorum, &
36. dixit eis, Pax vobis. Et cùm hoc dixiſſet, oſten-
Io. 20. 19. dit eis manus & latus. » Vidit & tanquam occi-
ſum, quia eadem vulnera, quibus occiſus, & mor-
tuus eſt transfixus, ex tumulo rediuiuus reporta-
uit. Vnde & ſtantem ſimul, & tanquam occiſum
congruentiſſimè ſe vidiſſe narrauit. Quod ſi vi-
Io. 20. ſis & contrectatis Domini vulneribus « gauiſi
20. ſunt diſcipuli viſo Domino: » quantò maiori læ-
titiâ cor B. Virginis exultaſſe credendum eſt,
Luc. 2. cuius « animam doloris gladius in eorumdem
35. vulnerum impreſſione pertranſierat? » An non
cum Pſalte viſo Filio glorioſo, Deo Patri cane-
Pſ. 29. bat: « conſcidiſti ſaccum meum, (carnem quâ
12. velut ſacco Filium meum pro humano genere
pœnitentiam acturum indueram,) & circumde-
Pſ. 93. diſti me lætitiâ, vt cantet tibi gloria mea, & non
19. compungar. » Et rurſum Filio ſibi nimiùm appa-
Cant. 2. renti. « Super multitudine dolorum meorum,
14. conſolationes tuæ lætificauerunt animam meã. »
Iuſtin. Et quid ei Filius ſua pandens vulnera glorioſa?
Dial. cont. « Veni columba mea in foraminibus petræ, in
Triph. cauerna maceriæ. » Hunc tu ouis Agnum, &
Orig. columba pullum, iuxta Patres, in foraminibus
lib. 10. petræ, & cauerna maceriæ Bethleemiticæ, ſine
contra Celſ. dolore peperiſti; quem cum gaudio de Spiritu
Epiph. ſancto concepiſti, cùm te Angelus gratiâ plenam
lib. 1. ſalutauit: Aue Maria.
Hær. 20.
Hiero. epiſt.

EXORDIVM.

18. ad Marcc.

Circa Reſurrectionem Chriſti, quærunt non

abs re Theologi cum Angelico Doctore, vtrum conueniens fuerit Chriſti corpus cum cicatricibus in paſſione ſua impreſſis à mortuis reſurgere. Nec vna & ſimplex eſt dubitandi ratio, ſed multiplex, primò quia Damaſcenus de reſurrectione Dominica tractans, ait quædam verè de Chriſto dici poſt reſurrectionem, quæ non habuit ſecundùm naturam, ſed ſecundùm diſpenſationem, vt certam fidem faceret, quod idipſum corpus ſuſcitatum fuerat à mortuis, quod cruci fuerat affixum. Et huiuſmodi ſunt manuum, pedum, lateriſque cicatrices. Eſto igitur quòd ſtatim poſt reſurrectionem, & toto eo quadragegenario, quo cum Apoſtolis conuerſatus eſt tempore, ad confirmandos eos in proprii corporis reſurrectionis fide, ſua vulnera ſeruauerit, vnde conſequitur, quod ea in perpetuum ſeruauerit, & in thronum gloriæ inuexerit cœlo; cum ſublatâ causâ, eius pariter ceſſare debeat effectus. Ex aduerſo quis credat Chriſtum in ſtatum immortalitatis, & proinde immutabilitatis ſuâ reſurrectione prouectum, aſſumpſiſſe vulnera ſtabiliendæ fidei Apoſtolorum nutanti neceſſaria, quæ perpetuò non ſeruaret, ſed coaleſcente diuiſione continui, vulnera de nouo repararet in immutabilitatis ſtatu tam notabili mutabilitati obnoxius, cui Propheta cecinerat: « Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient » videtur itaque dedecere; Chriſtum cum cicatricibus corpus ſuum reſumpſiſſe; Eſt & alia ratio dubitandi, in Apoſtolico verbo fundata, Paulus enim de corporum reſurrectione ad Corinthios ſcribens: « mortui, inquit, reſurgent incorrupti. » Quòd ſi impleri debet in membris, quantò magis id de omnium capite beatorum Chriſto Do-

D. Th. 3. p. q. 54. a. 4.

Damaſ. l. 4. fid. ortod. cap. 19.

Pſ. 101. 28.

1. Cor. 15.

Digitized by Google

mino ſentiendum? Quid autem corporis integritati & incorruptioni cum cicatricibus? integrum vis vt credam in quo aperta eſt ſolutio continui, & tanta ſolutio, vt & Thomæ iuſſum ſit à Domino, vt digitos in fixionem pedum ac manuum, & ipſam in profundum lateris vulnus manum immittat. Sufficiebant itaque ipſa vulnerum inſignia, quorum inſpectu, ſat ſuperque eiuſdem Chriſti corporis reſurrectio eſſet in diſcipulorum cordibus confirmata.

Sed vt breuiter, & paucis dubitationi reſpondeam à Damaſceno propoſitæ, Chriſtus in ſuo glorificato corpore, cicatrices nihilominus voluit remanere, non ſolùm vt dubiam Apoſtolorum fidem certam faceret, quæ cauſa, ſi ſola fuiſſet, impleto ſuo miniſterio, effectuque, ceſſaſſet, ſed cum propter multas alias magnique ponderis ac momēti rationes à Sanctis Patribus relatas, & inferiùs à nobis prolixiùs referendas, id præſtiterit Sapientiſſimus, ac prouidentiſſimus Dominus, paruum eſt ne dicam friuolum, ex Damaſceno extortum aduerſum veritatem fidei argumentum. Firmiter itaque aſſero vulnera remanſiſſe, idque cum Auguſtino conſentio reſpondente, quærenti. « Quæris nunc vtrum corpus Domini oſſa & ſanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta? Quid ſi adderes vtrum etiam veſtimenta, nonne augeretur quæſtio? Quâ cauſa? Niſi quia ea quæ in vſu vitæ huius noſtrę corruptibilia nouimus, ſine corruptione cogitare vix poſſumus, cùm diuinorum miraculorum quædam documenta iam data ſint, ex quibus liceat coniectare maiora. Nam ſi veſtis Iſraëlitarum per tot annos in eremo, ſine tritura eſſe potuit: ſi morticina pellis calciamentorum tam diu

Aug. epiſt. 146. ad cōſent.

Deut. 29. 5.

diu ſine labe durauit, poteſt vbique Deus quorumlibet corporum, per quantum voluerit tempus incorruptam protendere qualitatem. Ego proinde Domini corpus ita in cœlo eſſe credo, vt erat in terra, quando aſcendit in cœlum. Dixerat autem diſcipulis, vt in Euangelio legimus, Luc. 24
de ſua reſurrectione dubitantibus, & illud quod 41.
videbant, non corpus, ſed ſpiritum eſſe putantibus: videte manus meas & pedes, palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Sic eorum cum eſſet in terra, contrectatus eſt manibus, ſic eorum eſt, cùm iret in cœlum, deductus aſpectibus: ibi vox Angelica ſonuit, ſic veniet quemadmodum eum vidiſtis euntem in cœlum: fides adſit, & nulla quæſtio remanebit.»

Nulli itaque mutationi ſubiecta eſt reſuſcitata caro Chriſti, & quas Apoſtolis plagas oſtendit, in cœlum tulit, & ad iudicium reportabit. Hinc pulchrè Gregorius retexens quam habuerat cum Eutycio Conſtantinopolitano Epiſcopo, coram Tiberio Cæſare diſceptationem, verba Iob commentatus: « Et rurſum circumdabor pelle Iob. 19.
meâ. Redemptor noſter dubitantibus de ſua re- 26.
ſurrectione diſcipulis, oſtendit manus, & latus, Greg. lib. 14.
palpanda oſſa, carnemque præbuit, dicens: pal- Mor.
pate & videte, &c. Qui cum eodem Eutycio in cap. 29.
Conſtantinopolitata vrbe poſitus, hoc Euangelicæ veritatis teſtimonium protuliſſem, ait: id- Luc. 24
circo Dominus hoc fecit, vt dubitationem re- ſupra.
ſurrectionis ſuæ de diſcipulorum cordibus amoueret: : cui, inquam, mira eſt res valdè, quam aſtruis, vt inde nobis dubietas ſurgat, vnde diſcipulorum corda à dubietate ſanata ſunt, &c. Si enim hoc non habuiſſe aſtruitur, quod oſtendit,

Digitized by Google

vnde fides Diſcipulis eius confirmata eſt, inde noſtra deſtruitur. Qui adiungebat etiam dicens: corpus palbabile habuit, quod oſtendit, ſed poſt confirmata corda palpantium, omne illud in Domino quod palpari potuit, in ſubtilitatem eſt aliquam redactam. Ad hæc ipſe reſpondi di-
Rom. 6.9. cens: ſcriptum eſt, Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, &c. Si quid ergo in eius corpore poſt reſurrectionem potuit immutari; contra veridicam Pauli ſententiam, poſt reſurrectionem, Dominus rediit in mortem. » Et vbi
1. Cor. 15.53. & 52. rurſum illud Pauli: « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem? » & illud rurſum, « & nos immutabimur? » Hoc eſt, immutabiles erimus, factâ ſemel mutatione mortis in vitam, & corruptibilitatis in incoruptionem. Tantò ergo abeſt, vt illa ſolutio continui permanens aliquam inducat glorioſo Chriſti corpori corruptionem, aut defectum, quin potius, vt reſpon-
D. Th. ſup. in reſp. ad 1. det Doctor Angelicus. « Cicatrices illæ quæ in corpore Chriſti permanſerunt, non ad corruptionem vel defectum, ſed ad maiorem cumulum gloriæ, in quantum ſunt quædam virtutis inſignia, & in illis locis vulnerum, quidam ſpe-
Ibid. ad 1. cialis decor apparebit.» Et rurſum:« Dicendum, quòd illa apertura vulnerum, quamuis ſit cum quadam ſolutione continuitatis, totum tamen hoc recompenſatur per maiorem decorem gloriæ, vt corpus non ſit minus integrum, ſed magis perfectum » nullâ factâ diminutione ſubſtantiæ.

Divisio. Nobis igitur hodie primò tractandum eſt, & rationibus agendum, cur Chriſtus reſurgens ex mortuis eadem vulnera quæ exceperat in cruce, reſeruare voluerit in reſurrectione. Secundò aliis rationibus moralibus, reflexio-

Digitized by Google

nes congruas ex præmiſſis deducemus.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Nullo quidem gloriæ & pulchritudinis Domini detrimento, ſed magno eius incremento, inſculpta corpori eius vulnera remanſiſſe prophetica ſcriptura teſtatur. Recolite, quòd cum ageretur de reſtauratione templi ſub principe Zorobabel; & Ieſu Ioſedech Sacerdote magno, ad litterã, & myſticè iuxta Patres de Eccleſiæ ædificatione ex gentibus maximè congreganda, dicitur; « Audi Ieſu Sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes ſunt, (Hebr. viri ad portenta facienda ſunt apti, Septuaginta, viri portentorum ſpectatores ſunt.) Ecce enim ego adducam ſeruum meum orientem. Quia ecce lapis quem dedi coram Ieſu: ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt: ecce ego cælabo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitates terræ illius in die vna. » Et quâ die omnis terræ iniquitas ablata eſt, niſi die Dominicæ Paſſionis? Et quis lapis eo die cælatus, niſi Chriſtus, « lapis quem reprobauerunt ædificantes, in caput anguli factus? » Et à quo cælatus, niſi ab ipſo exercituum Domino, eo die contra peccata, mortem, Dæmonem præliante, & lapidem quo proſternendus erat Goliath, per ipſas carnificum manus, clauis & lanceâ velut inſtrumentis cælante ſculpturam, vel vt Septuaginta transferunt: « Ecce ego fodio foueam » Hieronymus, « Aperiam apertionem eius. » Alludens ad illud: « vnus militũ lanceâ latus eius aperuit. » Quod ad vulnus lateris cæteris profundius, indubiè refertur. Vi-

Zach. 3. 8.

Pſ. 117. 22.

Zach. 3. 8. iuxta 70.

Hier. in Zach. 3.

Amos 7. 7. dit & alter « in manu Dei adamantem, (vel vt vulgata habet, trullam cæmentariam:» ita nempe Dominus Deus exercituũ, illa die vna,« manu vna faciebat opus, & altera pugnabat» euertens Babylonem,& ædificans Hieruſalem. Quo lapide angulari? Seruo ſuo orienti, eo, inquam, ipſo Filio ſuo, cuius oriens nomen eius, cuius
Mich. 5.2. « egreſſus à diebus æternitatis: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualẽ
Philip. 2.6. Deo; ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis» in qua facta eſt cælatura eius, ab ipſo Patre, ſine quo nec Pilatus poteſtatem
Act. 4. 27. habuit, niſi deſuper. « Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta, aduerſus ſanctum puerum Ie-
Gen. 28 18. ſum, quem vnxiſti, (ſicut Iacob lapidem) Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Iſraël, (en ſculptores lapidis, & cælatores eius, inſtrumenta iuſtitiæ diuinæ,) facere quæ manus tua, (poteſtas tua) & conſilium tuum decreuerunt fieri.» Siue vt expreſſiùs habet Syriaca tranſlatio, « vt facerent quæcumque manus tua, & voluntas tua prius deſignauerat eſſe facienda.» Aduerte lector, quàm verè ſupra Zacharias dixerit Patris æterni perſonam repræ-
Zach. 3.9. ſentans;« & ecce ego cælabo ſculpturam eius.» Cùm ſine Dei nutu, nec Iudæi petitores ad necẽ, nec Pilatus Iudex, nec Gentiles milites carnifices, Chriſtũ crucifigere potuiſſent. Atenim putas & malleis, & clauis, & lanceâ contritũ, deformatum, deturpatum lapidem? Certè dum cõſpueretur, dum alapis cæderetur dum flagellis ſupra
2.Cor. 11.24. numerum vulnerum, non iam ciui Romano, vt Paulo quadragena vna minus diuerberato, ſed cœleſtis Hieruſalem Domino adderetur, & dor-

Digitized by Google

ſum eius innocuum (peccatoribus ſuper illud Pſ. 128.
fabricantibus » flagellorum ſulcis araretur, dum 3.
manus, pedes, latus, clauis & lanceâ foderentur,
« vidimus eum, & non erat aſpectus, neque de- Eſa. 53.
cor » quanquam & hæc leproſi tum Chriſti de- 2.
formitas, ſine decore non fuit, quæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ nigredinem dealbauit, formamque eius
in melius reparauit. Vnde Auguſtinus: « Spon- Aug. in
ſus eſt ille, quo nihil eſt pulchrius, qui quaſi fœ- Pſ. 127.
dus apparuit inter manus perſequentium, de Eſa. 53.
quo dicebat Eſaïas, vidimus eum, & non habe- 2.
bat ſpeciem, neque decorem. Ergo ſponſus noſter fœdus eſt? Abſit, quomodo enim illum virgines amarent, quæ in terra maritos non quæſierunt. Ergo perſequentibus fœdus apparuit; & niſi eum fœdum putarent, non inſilirent, (iam enim ex ſudore ſanguineo, & extrema agoniæ triſtitia, vultus eius deturpatus erat,) non flagellis cæderent, non ſpinis coronarent, non ſputis inhoneſtarent, &c. Nam vt noueritis, quia pul-
cher eſt Chriſtus qui amatur: audi Prophetam: Pſ. 44.
ſpecioſus forma præ filiis hominum. Omnes ho- 3.
mines ſuperat illius pulchritudo. Quam rem amamus in Chriſto? Membra crucifixa? Latus perforatum? An charitatem? Quando audimus, quia paſſus eſt pro nobis, Chriſtus amatur. » De Chriſti pulchritudine Eccleſiam ſuo decore
decorante idem Auguſtinus: « Vnus Apoſtolus Aug. in
Paulus Prophetam vtrumque coniungit, (Pſal- Pſ. 103.
tem, & Eſaïam.) Ibi habeo ſpecioſum forma præ Philip.
filiis hominum, qui cum in forma Dei eſſet, &c. 2. 6.
Ibi dixit, quod dixit & alius: non habentem ſpe- Eſa. 53.
ciem neque decorem: quia ſemetipſum exinani- 2.
uit, formam ſerui accipiens, &c. vſque ad mortem, mortem autem crucis. O quibus diſplicet,

Digitized by Google

quia non habebat ſpeciem, neque decorem! ô agitantes caput ante crucem, & non figentes caput in capite, quod pendebat in cruce! (caput autem mulieris vir, & Eccleſiæ Chriſtus, & Chriſti Deus.) Meritò nutat inſultantium caput, donec ſit eorum caput ille ipſe cui inſultabatur. Ecce reſumit decorem, & magnum decorem. Ecce quod dicis tu, minus eſt, quàm quod fecit. Dicis tu, ſi Filius Dei eſt, deſcendat de cruce. Ecce de cruce non deſcendit, ſed de ſepulchro reſurrexit. (Plagæ iſtæ, quas Pater per carnificum manus, benè vtens malâ illorum voluntate, inflixit pedibus, manibus, & lateri Filij, cælauerunt ſculpturam eius, & multò quàm priùs ſplendidiorem & formoſiorem gemmam corporis eius reddiderunt.) Ergo tu Eccleſia habes decorem; dicitur & tibi in Canticis Canticorum: ô decora inter mulieres! dicitur & de te. Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata? illuminata. Non dealbata ſicut fucata, quemadmodum ſe dealbant fœminæ, quæ volunt videri quod non ſunt, &c. Foris tectorium, intus lutum. Non ergo illa ſic dealbata, ſed dealbata, illuminata, quia non per ſe alba, &c. Primò nigra fuiſti, ſed facta es alba ex gratia ipſius. (Vnde dealbata? Ex ſanguine Agni, ex vulneribus ſponſi, ex priori deformitate pulcherrimi.) Attende quis ſit ille, qui pro ea factus eſt non habens ſpeciẽ, neq; decorẽ, & intelligis huius claritatis honorem. Si miraris illius humilitatẽ propter hanc, noli mirari huius celſitudinem propter illum. Quantæ fœlicitatis eſt iſta dealbata, vt & cum eſſet nigra, pulchrum ad ſe deponeret, qui pro impiis moreretur.»

Epheſ. 5. 23. 1. Cor. 11. 3.

Cant. 1. 7. Cant. 8. 5. iuxta 70.

Tantæ porro pulchritudinis forma refulſit ex ipſa lapidis noſtri cælatura, vt Propheta ſubdi-

derit: « ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt.» Zach. 3. 9.
Et cum ſeptem cœli planetæ, & ſeptenarius numerus ſit vniuerſitatis, omnes Angeli, & totus pariter orbis in attonito fuerit in ſculptura lapidis, pari admiratione ſuſpenſus in reſurrectione exclamauit: « Dominus regnauit decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem & præcinxit ſe. » Vbi Auguſtinus penſitans titulum Pſalmi,« Laus Cantici ipſius Dauid, in die ante ſabbathum, quando fundata eſt terra. Ipſo, inquit, die fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinē ſuā. Sicut ergo ſexto die fecit Deus hominem ad imaginem,&c. Sic inuenimus ſexto ſæculo veniſſe Dominum Ieſum Chriſtum, vt reformaretur homo ad imaginem Dei. (Et ſextâ die ante ſabbathum deformatus eſt plagis & vulneribus, adeo vt non homo, ſed vermis attritus appareret, vt hominem peccato deformem reformaret.) Chriſtus venit vt fundaret terram. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. (Lapis electus, probatus, à Patre cælatus.) De illo ergo cantat Pſalmus: Dominus regnauit, decorem indutus eſt, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. Videmus quia duas res induit, fortitudinem,& decorem. (Vt pariter Eccleſiam ſponſam ſuam mulierem fortem indueret, de qua Sapiens: Fortitudo & decor indumentum eius.) Vt quid autem? vt fundaret terram. Sequitur enim: etenim confirmauit orbem terræ. Vnde confirmauit? Quia decorem induit. Non confirmaret, ſi ſolum decorem indueret & non fortitudinem. Quare ergo decorem? quare fortitudinem? vtrumque enim dixit. Ad eos quibus placebat, decorem induit; ad eos

Pſ. 92. 1.
Aug. Ibid.
1. Cor. 3. 11.
Prou. 31. 25.

quibus diſplicebat, fortitudinem induit.» Hîc
Bern. ſer. 45. in Cant. lubeat exclamare cum Bernardo. « Quàm pulcher es Angelis tuis Domine Ieſu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, ſplendor & figura ſubſtantiæ Patris. (En ſeptem oculi, ideſt omnes Angeli defixi ſuper lapidem vnum deſtinatum in fundamentum) Quàm mihi decorus es Domine mi in ipſa tui huius poſitione decoris. (In ipſa deformi vulnerum cælatura, & ſeruilium ſtigmatum. Etenim vbi te exinaniuiſti, vbi naturalibus radiis lumen indeficiens exuiſti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulſit, ibi ampliùs
Num. 24.17. gratia radiauit. Quàm clara mihi oriris ſtella ex
Luc. 1. 78. Iacob! Quam iucundum lumen in tenebris, viſitaſti me oriens ex alto! (En oriens noſter de quo
Eſa. 11. 1. ſupra Zacharias.) Quàm lucidus flos de radice Ieſſe egrederis. Quàm ſpectabilis & ſtupendus etiam virtutibus ſupernis, in conceptu de Spiritu ſancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruſcatione miraculorum, in reuelationibus ſacramentorum! quàm denique rutilans poſt occaſum Sol iuſtitiæ de corde terræ reſurgis! quàm formoſus in ſtola tua demum Rex gloriæ in alta cœlorum te recipis! quomodo non pro his omnibus, omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi.»

Pſ. 34. 10. Præter decoris indumentum ex ipſis vulneribus aſſumpti, alias Doctor Angelicus vulnerum
D. Th 3. p. q. 54. art. 4. in corp. ſeruatorum conglobat rationes. « Dicendum, inquit, quod conueniens fuit, animam Chriſti in reſurrectione corpus cum cicatricibus reſumere. Primò quidem propter gloriam ipſius Chriſti. Dicit enim Beda, quòd non ex impotentia
Beda in cap. vlt. Lucæ. curandi, cicatrices ſeruauit, ſed vt perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum. Vnde &

Digitized by Google

Auguſtinus dicit, quòd fortaſſis in illo regno in corporibus Martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt: non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam, quamuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit. Secundò ad confirmandum corda diſcipulorum circa fidem ſuæ reſurrectionis. Tertiò vt Patri pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, ſemper oſtendat. Quartò vt ſuâ morte redemptis, quàm miſericorditer ſint adiuti, propoſitis eiuſdem mortis indiciis inſinuet. Poſtremò, vt in iudicio quàm iuſtè damnentur ibidem denuntiet. » Eaſdem rationes inculcat in opuſculis: « Notandum, inquit, quòd licet Chriſtus haberet corpus glorioſum, tamen cicatrices in corpore ſuo reſeruauit. Quod quidem conueniens fuit, primò in ſignum victoriæ. (Et refert vt ſupra Auguſtinum & Bedam.) Secundò vt diſcipulos in fide reſurrectionis ſolidaret. Vnde Dominus ad Thomam: Infer digitum tuum huc. Qui priùs infidelis erat, poſt lateris tactum, optimum ſe Theologum oſtendit. Nam duplicem naturam, vnicamque hypoſtaſim Chriſti diſſeruit: dicendo enim Dominus meus, humanam naturam; dicendo Deus meus, diuinam confeſſus eſt, & vnum & eundem dicendo Deũ, & Dominum. Tertiò vt pro nobis apud Patrem oſtenſis vulnerum cicatricibus aduocaret. Vnde Paulus: Ieſus Chriſtus qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Vbi gloſſa, non voce, ſed miſeratione, & repræſentatione humanitatis: dum quotidie hominem quem aſſumpſit, & graue genus mortis, quod pro nobis ſuſtinuit,

Aug. 22. de ciuit. cap. 20.

D. Th. opuſc. 60. art. 22.

Io. 20. 27.

Rom. 8. 34.

vultui paterno offerat, vt noſtri miſereatur: cuius poſtulatio, cùm tantus ſit, non poteſt contemni.
Greg. lib. 1. in Ezech. hom. 1. in f. Sed notandum eſt, vt dicit Gregorius, quod iuſtus aduocatus, iniuſtas cauſas non ſuſcipit, neque dare verba pro iniuſtis ſentit: vnde oportet nos iuſtè viuere, ſi volumus eum patronum habere. Quartò vt ſuâ morte redemptis, quàm miſericorditer ſint adiuti, propoſitis eiuſdem mortis inſinuet ſignis. Poſtremò vt in iudicio quàm iuſtè damnentur annuntient. Vnde videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.»
Apoc. 1. 7. Subiicit & locum Auguſtini, inferiùs citandum à nobis, quo Chriſtum inducit reprobis ſua vulnera improperantem. Nos rationes à Doctore Angelico perſtrictas paulò fuſiùs explicemus. Et quidem, quoad primam quâ iuxta Bedam dixerat non ex infirmitate, vt Gentiles poſſent obijcere, ſeruaſſe vulnera quæ penitus abolere non
Pſ. 87. 6. poterat, vt ea lubens ac volens ſuſcepit, « inter mortuos liber» ea ſeruare voluit, qui prorſus poterat, vt & mortem ipſam ita delere, vt nec leuia quædam cicatricum veſtigia apparerent. Licet enim Auguſtinus videatur non vulnera, ſed ſolas vulnerum cicatrices in Chriſti corpore glorificato relictas, de vulneribus intelligendus eſt, quæ defectum aliquem, deformitatem aut dolorem induerent. Se enim perbellè expoſuit in eo quod dixerat. « Cicatrices, non vulnera demonſtraſſe dubitantibus. » Sic enim reſpondet primæ quæſtioni propoſitæ à Presbytero dicto
Aug. ep. 49. Deo-gratias. « Si poſt reſurrectionem ſtatus beatus futurus eſt, nulla corporis iniuria, nulla neceſſitas famis; quid ſibi vult Chriſtum cibatum fuiſſe, & vulnera monſtrauiſſe. Si propter Incredulum fecit, finxit: ſi autem verum oſten-

Digitized by Google

dit, ergo in reſurrectione accepta futura ſunt vulnera, &c. (Cui obiectioni reſpondet, quomodo, inquit, contrarium eſt & Chriſtum poſt reſurrectionem cibatum, & in reſurrectione quæ promittitur, ciborum indigentiam non futuram: cum & Angelos legamus eiuſdem modi eſcas, eodemque modo ſumpſiſſe, non ficto & inani Phantaſmate, (ideſt tractabili corpore aſſumpto, licet non informato, & cibum verum ſumente, licet non digerendum, ſed in auras vel aliud pro libito Angelorum tranſeuntem:) ſed manifeſtiſſimâ veritate: nec tamen neceſſitate, ſed poteſtate. Aliter enim abſorbet terra aquam ſitiens, aliter ſolis radius candens: illa indigentiâ, iſte potentiâ, futuræ ergo reſurrectionis corpus imperfectæ fœlicitatis erit, ſi cibos ſumere non potuerit, imperfectæ fœlicitatis ſi cibis eguerit, &c. Sciat ſane qui has propoſuit quæſtiones, Chriſtum poſt reſurrectionem cicatrices non vulnera demonſtraſſe dubitantibus, propter quos etiam cibum ac potum ſumere voluit, non ſemel, ſed ſępius; ne illud non corpus, ſed ſpiritum eſſe arbitrarentur, & ſibi non ſolidè, ſed imaginaliter apparere. Tunc autem aut illæ falſæ cicatrices fuiſſent, ſi nulla vulnera præceſſiſſent: & tamen nec ipſæ eſſent, ſi eas eſſe noluiſſet; voluit autem certæ diſpenſationis gratiâ, vt eis quos ædificabat in fide non ficta, non aliud pro alio, ſed hoc quod crucifixum viderant, reſurrexiſſe monſtraret. Quid eſt ergo quod dicitur, ſi propter incredulum fecit, finxit: quaſi verò ſi quiſquam vir fortis pro patria dimicans multa aduerſa vulnera exciperet, & peritiſſimo medico qui hæc ita curare valeret, vt cicatrices nullæ apparerent, ipſe potius diceret ſic ſe velle ſana-

ri, vt magis eſſent in corpore ſuo veſtigia vulnerum, tanquam tituli gloriarum; ideo ille medicus cicatrices finxiſſe diceretur, quia cum per artem efficere potuerit vt non eſſent, certâ exiſtente causâ per artem effecit potiùs vt eſſent quæ vno ſolo modo falsò conuincerentur, ſi nulla vulnera ſanarentur. »

Cæterùm de vulneribus Chriſti, videtur aliqua dubitatio ſuboriri poſſe, vtrum ea ſic perfectè obducta ſint, vtroque hinc inde labio coaleſcente, vt nullâ remanente fiſſura & vacuo, nuda & ſimplex cicatrix in ſuperficie cutis apparuerit: an vero hiulcum vulnus & patens fuerit in plagis prout à clauis & lancea infixæ ſunt. Toſtatus hanc dubitationem ſoluit, « Si quis, inquit, aſtruat vulnera Domini Ieſu poſt reſurrectionem ſic fuiſſe concluſa, ac ſi nulla ei vnquam illata forent, dicendum eſt ſtare non poſſe. Nam poſt ſanctiſſimam reſurrectionem, vulnera ſuſcepta patentia vt in reſurrectione fuerant permanſerunt. Hoc autem patet ex eo quod Chriſtus ad Thomam Diſcipulum in ſeipſo manifeſtauit: nam cum Thomas de Reſurrectione Domini Ieſu dubitaſſet, & niſi vulnerum loca tetigiſſet, crediturum ſe diffitebatur: Chriſtus hæc quæ petierat, in corpore ſuo monſtrauit. De hoc dicitur: Dixerunt ergo alij diſcipuli, vidimus Dominum, ille autem dixit, niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam: & poſt hoc dixit Ieſus Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus ſed fidelis. Hoc autem Thomas, vt Chriſtus iuſſerat tetigit. Chriſtus autem non ſolùm in corpore ſuo

Toſtat. in Parad. 5. cap. 25.

Io. 20. 25.

Digitized by Google

vulnerum habuit cicatrices, & aliqua illatorum vulnerum ſtigmata, ſiue profundas cauaturas, ſicut in vulneratis hominibus poſt curationem relinqui ſolent, ſed patentes vulnerum hiatus habuit, ſicut eâ die quâ ei plagas impreſſere Iudæi. Et vulnus benedicto lateri eius lanceâ impreſſum, interiora carnis, ad viam cordis penetrans, vſque ad intima patebat. Plagæ quoque manibus, (vt & pedibus) in fixura clauorum impoſitæ, totam ſubſtantiam penetrantes, tunc quoque ab oppoſito in oppoſitũ perueniebant. Sic enim adhuc in eo profundæ manebant fixuræ, vt per eas intuentibus lux, & rerum ſpecies viderentur, nullâ carnis ſubſtantiâ interpoſitâ. Hoc autem in Chriſto admirabile erat, cæteriſque admirabilius in lateris fixura patebat; in ipſo namque profundus hiatus carnis ſubſtantiam penetrans, vſque ad præcordia viam faciebat intuenti. Ex his tamen nullum, aut mortis, aut nocumenti, (aut deformitatis) Chriſto incentiuum erat, nec ex hac magna corporis apertura ſanguineus vllus deffluebat humor, &c. Quoniam corpora glorificata incorruptibilia, atque penitus impaſſibilia ſunt. » Et hoc ſenſu Auguſtinus cicatrices tantum, & non vulnera remanſiſſe dixit, prout ſcilicet ſunt corruptionis inductiua. Nec putandum eſt in hoc vacuo concludi debere, Chriſtum omnem carnem non reſumpſiſſe. Nihil enim carnis aut ſanguinis ad corporis integritatem pertinens non reſumpſit, ſed diuiſionem & ſolutionem continui à clauis & lancea factam reliquit. Fundamentum autem inexpugnabile ex verbis expreſſis Euangelij capite ſequenti deducit Abulenſis: « Infer digitum tuum huc, (reſpondens exquirenti mittere digitos in

Io. 20. 27. Toſtat. Ibid. cap. 26.

loca clauorum,) & vide manus meas , & affer manum tuam,& mitte in latus meum,&c. Latus ergo patens erat: alioquin manum mitti impoſſibile foret; ſed dumtaxat ſuper latus manus ponere,in cicatrice autem lateris mittere non poſſet. Idem de fixuris manuum & pedum conſtat: quoniam in præallegatis dicitur , & mitte digitum tuum in loca clauorum : quo infertur adhuc ibi manere loca clauorum , ſcilicet fixuras. Nam ſi curatis concluſiſque vulneribus , ſolæ vulnerum cicatrices relictæ fuiſſent , non dixiſſet in loca clauorum. Quoniam fixuræ erant loca clauorum,quia ibi claui extiterant: cicatrices autem vulnerum clauorum loca non erant,quia in eis claui nulli fuerant , ſed loco clauorum ligna. »

Neque verò , vt perperam aliqui, Chriſtum poſt reſurrectionem veſtitum cenſeamus. « Nec Chriſtum in terra viuentium, nec cæteros qui in vtroque homine aliquando futuri ibidem ſunt, veſtibus quibuſdam tegi. » Si enim in ſtatu innocentiæ primi parentes nudi erant,& non confundebantur , donec per peccatum exſpoliati iuſtitiæ originalis veſtimento de rebellione carnis erubeſcentes ſibi perizomata conſuerunt, & tunicas pelliceas ab eo receperunt : quanto minus Chriſtus, & beati in ſtatu gloriæ nudi ſine veſtimento ſicut ſol fulgebunt,vt mulier Apocalypſis amicta ſole, & Chriſtus « decorem induit amictus lumine ſicut veſtimento? » Non inficior tamen poſt reſurrectionem, vt Magdalenæ ſe in horto quærenti,& Diſcipulis Emmaüs congrueret; his in peregrini, illi autem in hortulani habitu apparuiſſe , & vel interpoſitis veſtibus per quadraginta dies apparens,vel ſubſtractione aut

Toſtat. Ibid. cap.23.

Matth. 13. 43. Apoc. 12. 1. Pſ. 103. 2.

Digitized by Google

moderatione claritatis ſui corporis glorioſi mortalibus adhuc,& infirmis diſcipulorum oculis, tantum attemperaſſe fulgorem. Ridiculum autem cum Abulenſi puto eorum ſenſum, qui Chriſtum veſtitum exiſtimant, ad ſua vulnera contegenda,maximè autem lateris, quæ expreſsè ſeruauerat, vt monſtraret, & ſe ex eis in propria carne reſurrexiſſe conuinceret: multominus vt contractam ex eis aliquam deformitatem aut dedecus obuelaret, ſpecialis quippe decor lucis & gloriæ ex vulneribus radiabat.

Secunda enim ratio ex plagis petitur, ex eo quòd in eis victoriæ ſuæ triumphum extolleret Dominus. Integrum referam hîc Auguſtini locum à D. Thoma præciſum. « Neſcio, inquit, quomodo ſic afficimur amore Martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices,quæ pro Chriſti nomine pertulerunt, & fortaſſe videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam, quamuis in corpore, non corporis ſed virtutis, (magnanimitatis & fortitudinis, & amoris in Chriſtum,) pulchritudo fulgebit. Nec ideo tamen ſi aliqua Martyribus amputata & ablata ſunt membra, ſine ipſis membris erunt in reſurrectione mortuorum, quibus dictum eſt, capillus capitis veſtri non peribit. Sed ſi hoc decebit in illo nouo ſæculo, vt indicia glorioſorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, vbi membra, vt præciderentur, percuſſa vel ſecta ſunt, ibi cicatrices, ſed tamen eiſdem membris redditis, non perditis, apparebunt. Quamuis itaque omnia quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt: non ſunt tamen deputanda, vel appellanda vitia, virtutis indicia. » Quantò magis

Aug. lib. 22. de ciu. cap. 20.

Luc. 21. 18.

Digitized by Google

Chriſtus omnium Martyrum dux & caput, æternam virtutis ſuæ gloriam ex ſuis vulneribus comparauit. De qua præcedenti capite præmiſerat: « Quæ claritas in Chriſti corpore cum reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe, quàm defuiſſe credenda eſt: non enim eam ferret humanus atque infirmus aſpectus, quando ille à ſuis ita deberet attendi, vt poſſet agnoſci. Quò pertinùit etiam vt contrectantibus oſtenderet ſuorum vulnerum cicatrices, vt etiam cibum potumque ſumeret, non alimentorum indigẽtiâ, ſed eâ quâ & hoc poterat poteſtate. Nõ ergo infirmitatis, ſed poteſtatis & victoriæ triumphati Diaboli facta ſunt inſignia hæc vulnera ſplendida. Vnde & Beda: « Qui regna mortis deſtruxit, ſigna mortis obliterare noluit. » Ambroſius exponens illud Pſalmi, « Dominus opem ferat illi ſupra lectum doloris eius, vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Quid eſt, inquit, lectus doloris, niſi caro infirmitatis, &c. Stratum omnem verſat Dominus in infirmitate languentis, cui adeſſe dignatur, quod verſatur, ſtatum mutat: aut ex ſanitate in ægritudinem, aut ex ægritudine ad ſanitatem. Hic ergo qui ægrotat, verſat ſe ad remedium ſanitatis. Sic ergo Dominus Ieſus, etſi vulneratus eſt propter peccata noſtra, tamen non in illa infirmitate permanſit, ſed ſeipſe verſauit in melius ad vniuerſorum ſalutem. Itaque paſſione infirmitas eſt ſoluta, mors reſurrectione. Sicut ergo ſeipſe verſauit ad populorum redemptionem, nec ſenſit aculeum mortis (ſtimulus autem mortis peccatum eſt, aut ex morte corruptio, & vtroque inter mortuos liber Chriſtus extitit.) Aut vulneris infirmitatem. (Licet vulnera remanſerint

Aug. Ibid. cap. 19.

Beda in Luc. 24.

Ambr. in Pſ. 40.

Eſa. 53. 5.

1. Cor. 15. 56.

Pſ. 87. 6.

rint, nulla remanſit infirmitas.) Sic eum qui in ſe credit etſi grauiter ægrotantem, vt à morte liberet, verſat ad vitam. Omnem ergo ſtratum, hoc eſt vniuerſorum hominum infirmitatem, in ſua infirmitate verſauit. Suſcepit enim infirmitates omnium in ſua carne, erexit ſe in crucem, (tanquam in lectum & ſtratum doloris.) Et verſauit omnium infirmitates in ſui corporis infirmitate. Vnde dicit Eſaïas, liuore eius nos ſanati ſumus. Habent hoc luctatores, vt ſe ſubiicientes iis quibus congrediuntur, atque luctantur, vt opprimi poſſe videantur; & ſubitò cùm æſtimantur eliſi, quadam arte ſe verſant, vt effundant ſuperiorem. Cadit qui portabatur, & is qui portabat ſuperior inuenitur, vt ſternat vrgentem. Spiritali itaque palæſtra Dominus Ieſus onera noſtra ſuſcipiens, in illa ſe paſſionis ſuæ congreſſione ſubiecit, & in infirmitatis ſpecie, vt eum aduerſarius hominem parem cæteris iudicaret, quem facilè poſſet opprimere, diuinitatis arma depoſuit, humanitatis tegmen aſſumpſit. Securus victoriæ propiùs tentator acceſſit. In coſta eum telo militis voluit vulnerare, reputans & hunc ſicut Adam, per coſtam poſſe proſterni, (ſicut ille per Euam.) Sed vulneratus latere Dominus Ieſus, vitam produxit vulnere, euacuauit omne peccatum, deiecit aduerſarium, cui mortem latronis eripuit; & in illa morte, in illa ſui corporis ſepultura, cùm æſtimaretur eliſus, ſuâ ſe virtute verſauit, cecidit aduerſarius, Dominus reſurrexit.» Et cùm poſſet etiam veſtigia vulnerum abolere, ea perpetuò ſeruauit, tanquam ſuæ inſignia victoriæ. «Talem ſibi Pater ad dexteram locat, trophæum noſtræ ſalutis amplectens.» Optimè omnium Maximus, Thau-

Eſa. 53. 5.

Ambr. li. 10. in Luc. 24.

Maximus

homil. 1. in paſcha. rinenſis Epiſcopus, Iudæos propriis armis & ſcripturis circa Chriſti crucifixi gloriam conuincit, & Chriſtum mortis triumphatorem per ipſa vulnera mortalia, & mortis inſtrumenta triumphaſſe demonſtrat. « Validis, inquit, abſque dubio nititur priuilegiis, qui cauſam de aduerſariis aſſerit inſtrumentis. Speciosa victoria eſt, contrariam partem Chartulis ſuis, velut propriis laqueis irretire, & teſtimoniorum ſuorum vocibus confutare, & æmulum telis ſuis euincere, vt pugnatoris tui argumenta tuis probentur vtilitatibus militare. Itaque in Domini noſtri perſona, dum ex Adæ primi hominis coſta mater cunctorum viuentium Eua producitur, ex huius ſacro latere, ac ſalutari vulnere Eccleſia omnium fidelium parens reparanda monſtratur. (Subijcit & de ariete pro Iſaac inter vepres hærente immolato, quo gloria & honore coronatum, poſt ſpinas Chriſtum extollat:) Requiramus, inquit, quæ iſta ſit nouitas. Inter vepres, ideſt in multitudine circumſtantium peccatorum: hærentem cornibus, id eſt ad crucis cornua clauorum confixione pendentem, ſicut in alio loco legimus, cornua in manibus eius ſunt. (Miror quod non addiderit quod ſequitur: ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Quinque enim plagis in cruce ſuſceptis, ceu quinque lapidibus Dauid noſter aggreſſus eſt Goliath, & proprio eum mucrone iugulauit: vnde & eadem vulnera vt ſuæ fortitudinis inſignia perpetuò ſeruauit.) Hoc ideo, quia venerandas manus patibuli brachia ſuſceperunt. Inter ſpinas autem deputatus eſt, quando ſpineo ſerto innocentiæ, & iuſtitiæ author illuſus eſt, &c. (Chriſtum rurſum in Heliſæo mortis debellatorem prædicat.) Hoc quo-

Habac. 3. 4. ibid. 5.

Digitized by Google

que Dominicæ paſſionis præfigurabant inſignia, quod legimus Beatum Heliſæum ſepulchro conditum, ingeſto à latrunculis cadauere, intra tumulum ſuum, corpus extincti tactu ſacri corporis ſuſcitaſſe. (Aduerte in nulla verſione reperiri, à latrunculis ſepultum, ſed ab aliis qui viſis latrunculis corpus illud ſepelierunt. Suppoſito autem ſenſu ſancti Maximi; qui latrones, niſi Iudæi & milites, qui crudelibus plagis confectum Chriſtum morti & tumulo tradiderunt? Sed vt terram ipſe contigit, triduo ſepultus, mortuos omnes ſuſcitaturus, multa interim Sanctorum corpora ad vitam excitauit.) Quis hîc alius præfiguratur, niſi noſter Ieſus Chriſtus, qui reſurrectionem de morte largitur, & vitam ſepultus operatur? (Quid ni ergo ipſa vulnera reportet excitatus ex mortuis, quibus de morte fortis & potens in prælio, Dominus gloriæ triumphauit. Pergit & contra Iudæos Ionæ exēplum referre, cuius verba ponit in ore Chriſti.) Dicit Ionas in oratione ſua, Tolle Domine animam meam, quia mihi melior eſt mors quam vita, dicat hoc rebus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quia melior eſt mihi mors quam vita, id eſt, viuens vnam Iudæorum Gentem ſaluare non potui, moriar vt vniuerſus mundus vna morte ſaluetur. Ionam cetus piſcis excepit immerſum, ſed non contigit deuoratum: & quem malitia hominum perdidit, beſtia eſuriens cuſtodiuit. Plenis viſceribus famem patitur, & in prædam quam abſorbuit, nihil ſibi licere miratur. Quis eſt iſte, qui intra auidos rictus aſſumi poteſt, conſumi non poteſt? cibus eſt, corruptio non eſt. Traditur perditionis profundo, & ſeruatur ipſius mortis obſequio. Quis eſt iſte qui

4. Reg. 13. 21.

Pſ. 23. 8.

Ion. 4. 3.

Digitized by Google

vaſtiſſimos ſinus periculorum tutus ingreditur, & ſub altitudine immenſa concluſus, atque mortifera, vitali aëre paſcitur, & demiſſus in alienam rerum naturam, in vitæ exilium, cum vita peregrinatur, & mortis ſuperſtes, annuntiat venturam mundi ſalutem? Puto quòd hic Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem ſæua mors, inexplebilis bellua in eſcam ſuam rapuit, & prædam ſuam captiua contremuit. Contremuit, inquam. Nam ſi nouerat crucifixum, (quinque vulneribus perforatum, ſepulchro concluſum, vt ventre ceti,) tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam non facit pœna ſed cauſa. Quaſi ſolitum cibum, perditum in mundi origine, hominem deuorauit, ſed magnam eſcæ cibi ipſius dignitatem præfocata cognouit. Atque ideo diuinus ſermo commemorat, & præcepit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam. Præcepit ergo beſtiæ, præcepit morti ſemper eſurienti, præcepit abyſſis & inferno, vt mundo reſtituant Saluatorem. Euomuit autem. Hoc debemus accipere, (quod crudam, immo viuam eſcam, ob Verbum vitæ coniunctum carni) quod ex imis viſceribus mortis victrix vita remeauerit, atque eam ex imis præcordiis inferni, perditio exulcerata reddiderit. Videmus itaque in Prophetæ afflictionibus apertiſſimè præfiguratam, & mortem pariter, & reſurrectionem. Quapropter quod impletum cernis in ſeruo; credere non cuncteris in Domino. » Qui ſigna quidem mortis vulnera reportauit ex tumulo, ſed & ſimul inſignia victoriæ de morte & Diabolo. Vnde & Bernardus Chriſtum comparat duci fortiſſimo, clypeum ſuum, oſtentanti, hoc eſt humanitatem,

Ion.2. 11.

Digitized by Google

in qua pro populo ſuo pugnauit, & multa accepit vulnera; vbi ſic breuiter fortem & potentem in prælio declarat. « In ſpiritu fortitudinis ianuis clauſis intrauit, oſtendens manus & latus, ſicut ſolent in ſignum virtutis clypeorum foramina demonſtrari. » Ob multas alias rationes cum iiſdem vulneribus reſurrexit, quas vt moralitati congruentiores ſequenti tractatus parte morali deducemus. Bern. ſer. 3. in Paſch.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. In hoc clypeo, qui litteris aureis gloriam Domini victoris exaratam repræſentat, ſcutum habemus inexpugnabile, fidei reſurrectionis, & Dominicæ pariter & noſtræ. Si enim Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus. Hinc Hilarius Arelatenſis: « Spoliata eſt fragilitas, exinanita mortalitas; ſola in cicatricibus permanēt reuerendę teſtimonia Paſſionis Nimirum reſurrectio, vnde erat credenda, non abſtulit » Quid enim efficacius retundendis omnis dubitationis à Diabolo ſuggeſtæ iaculis, quā vulnerā in corpore Chriſti rediuiuo ſeruata? « Oſtendit eis manus & latus. Claui enim manus fixerant, lancea latus eius aperuerat, vbi ad dubitantium corda ſananda, vulnerum ſunt ſeruata veſtigia. » Hinc & Diuus Leo. « Apoſtolorū frequenter oculis manifeſtus apparuit, non ſolum loquens cum eis, ſed habitans, atque conueſcens, & pertractari ſe diligenti, curioſoque contactu ab eis, quos dubitatio perſtringebat admittens. Ideo enim & clauſis ad diſcipulos oſtijs introibat, & flatu ſuo dabat ſpiritum, & dato intelligentiæ lumine ſanctarum ſcripturarum

1. Cor. 15. 12. Hilar. hom. 8. Aug. tract. 121. in Io. 20. D. Leo. ſerm. 1. de reſurrect.

Digitized by Google

bus, nec ipſum corpus perire in morientibus. Tenuerunt eos vulnera, firmauerunt cicatrices, poſſet Dominus Ieſus Chriſtus ſine vlla cicatrice reſurgere. Quid enim illi poteſtati magnum erat, ad tantam integritatem compagem corporis reuocare, vt nullum omnino veſtigium præteriti vulneris appareret? Habebat poteſtatem, vnde illud etiam ſine cicatrice ſanaret, ſed habere voluit, vnde nutantes columnas firmaret.»

Secvnda Relexio. Atque vt « fides ſubſtantia eſt rerum ſperandarum » firmum eſt nobis in plagis Chriſti reſurrectionis noſtræ futuræ fundamentum. « Ex hoc initium nobis factum eſt reſurrectionis in Chriſto, ex quo in eo qui pro omnibus mortuus eſt, totius ſpei noſtræ forma præceſſit. Non hæſitamus diffidentiâ, nec incertâ expectatione ſuſpendimur, ſed accepto promiſſionis exordio fidei oculis quæ ſunt futura iam cernimus; & naturæ prouectione gaudentes, (id eſt naturâ noſtrâ à Chriſto ſuſceptâ, & in eo ſuſcitatâ,) quod credimus iam tenemus. Non ergo nos rerum temporalium occupent ſpecies, nec ad ſe contemplationem noſtram à cœleſtibus terrena deflectant. Pro tranſactis habeantur, quæ ex maxima parte iam non ſunt, & mens intenta manſuris, ibi deſiderium ſuum figat, vbi quod offertur æternum eſt. Quamuis enim ſpe ſalui facti ſimus, & corruptibilem adhuc carnem, mortalemque geſtemus, rectè tamen dicimur in carne non eſſe, ſi carnales nobis non dominentur affectus: & meritò eius rei deponimus nuncupationem, cuius non ſequimur voluntatem. Cum itaque Apoſtolus dicat: Carnis curam ne feceritis in deſideriis, non

Hebr. 11. 1.

D. Leo. ſerm. 1. de reſurrect.

ſcitis, læta victoria, quàm addicta captiuitas »

Tertia Reflexio. Et cur putatis cum ipſis vulneribus Chriſtum aſcendiſſe ad Patrem, niſi vt per ea noſter aduocatus exiſteret? Vbi ſimul & fidem reſurrectionis, & ſpem ex vulneribus concludit Ambroſius. « Quomodo non corpus, in quo manebant inſignia vulnerum, veſtigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit? In quo non ſolùm fidem firmat, ſed vt deuotionem acuit, quòd vulnera ſuſcepta pro nobis cœlo inferre maluit abolere noluit, vt Deo Patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet. » Suauiùs idipſum proſecutus eſt argumentum Cyprianus. « Per omnia, inquit, ſibi Pater in Filio complacuit, nec vlla in eo ſerpentis ſunt reperta veſtigia, nec Sacerdotij eius pœnituit Deum, (vt Sacerdotij Heli,) quoniam ſacrificium quod in cruce obtulit, ſic in beneplacito Dei conſtat acceptabile, & perpetuâ virtute conſiſtit, vt non minùs hodie in conſpectu Patris oblatio illa ſit efficax, quàm eâ die, qua de ſaucio latere ſanguis, & aqua exiuit: vt ſemper reſeruatæ in corpore plagæ, ſalutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donatiuum requirant. » Ad has itaque quinque plagas, velut quinque ciuitates refugij homicidis ſemper apertas, quid dico peccatoribus Deicidis patentes ſemper miſeri recurramus. Ideo enim « Præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, vt appareat vultui Dei pro nobis. » Si enim Pater æternus deleto diluuio mundo, ad ſacrificium Noë reſpiciens, « Arcum, inquit, meum ponam in nubibus, vt ſit ſignum fœderis inter me, & inter terram, vt non perdam vltra aquis diluuij omnem terram: » quantò magis Fi-

Ambr. lib. 10. in Luc. 24.

Cypr. lib. de Baptiſ. Chriſt.

Prou. 30. 19.

1. Reg.

Pſ. 109. 4.

Ioſue 21. 36.

Hebr. 6. 20.

Hebr. 9. 24.

Gen. 9. 13.

lium videns vulneratum pro nobis, & etiamnum manus eleuantem, vt olim in ſacrificio veſpertino crucis, pedes & latus offerentem, & memorem facientem diluuij ſanguinis Paſſionis, aquas tribulationum, & flagellorum ſuorum, & quas meruimus plagas amouebit à nobis, ſi illud Pſaltis toto corde dixerimus: « Reſpice in faciem Chriſti tui. » Si cum Bernardo quis contritus accedat ad crucem, velut arcam, ego, inquit, verè in peccatis totus vſque adhuc, nec dum potui mori vt viuam tibi. Sed tamen ex præcepto tuo, & dono tuo, ſto in petra fidei tuæ, fidei Chriſtianæ, in loco qui verè eſt penes te, in quo vt poſſum interim, fero patienter, & amplector, & deoſculor tegentem, & protegentem me dexteram tuam: & aliquoties contemplans, & videre geſtiens poſteriora videntis me, humilitatem ſcilicet pertranſeuntem diſpenſationis humanæ Chriſti Filij tui inſpicio, ſed cum accedere geſtio ad eum. Et vel ſicut Hæmoroïſſa illa infirmæ & miſeræ animæ meæ, à ſalutifero tactu, vel fimbriæ eius, quaſi furari geſtio ſanitatem: vel ſicut Thomas ille vir deſideriorum totum eum deſidero videre & tangere, & non ſolùm, ſed accedere ad ſacroſanctum lateris eius vulnus, oſtium arcæ quod factum eſt in latere: vt non tantùm mittam digitum, vel totam manum, ſed totus intrem vſque ad cor ipſum Ieſu, in ſanctum ſanctorum, in arcam teſtamenti, ad vrnam auream, noſtræ animam humanitatis, continentem intra ſe manna diuinitatis. Heu dicitur mihi, noli me tangere. Et illud de Apocalypſi, foris canes. Sicque condignis conſcientiæ meæ verberibus expulſus, & propulſus, improbitatis, & præſumptionis meæ pœnas cogor

Pſ 83. 10. Bern. in ſoliloq. cap. 4. Exod. 33. 21. Gen. 16 13. Gen. 6. 16. Hebr. 9. 4. Io. 20. 17. Apoc. 22. 15.

Digitized by Google

luere. Rurſumque in petram meam me recipiens, (in cælaturam, & plagas eius,) quò refugiũ eſt herinaceis, ſpinis peccatorum plenus, reamplector, & reoſculor tegentem & protegentem me dexteram tuam. Et ex eo quod vel leuiter ſenſi, vel vidi, magis accenſo deſiderio, vix patienter expecto, vt aliquando auferas manum tegentem, & infundas gratiam illuminantem; vt tandem aliquando ſecundùm reſponſum veritatis tuæ (quâ dixiſti, non videbit me homo & viuet,) mortuus mihi, & viuens tibi, reuelatâ facie ipſam tuam faciem incipiam videre, & affici tibi à viſione faciei tuæ. » Interea dum apparet ipſe vultui Dei pro nobis, ſingulos noſtrum cum ſponſa Canticorum inuitat his verbis: « Surge, propera amica mea, columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. » Quo loco Gregorius: « Propter fidem, Chriſtus Sponſam ſuam amicam vocat, columbam propter ſimplicitatem, formoſam propter operationem: quia dum præteritæ vitæ peccata per bona opera redimit, quaſi antiquam turpitudinem, aſſumptâ formâ meliori, ante ſponſæ oculos abſcondit, &c. Hæc itaque mens ſurgit & venit, quia & à corporis infirmitate, per compunctionem ſe erigit, & in ſanctis ſtudiis ſe exercens, ad æterna pedibus amoris currit. Per foramina autem petræ, vulnera manuum & pedum Chriſti in cruce pendentis libenter intellexerim: cauernam verò maceriæ, vulnus lateris, quod lanceâ factum eſt. Et benè columba in foraminibus petræ, & cauerna maceriæ eſſe dicitur, quia dum in crucis recordatione patientiam Chriſti imitatur, dum ipſa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quaſi columba in foraminibus, ſic

Pſ. 103. 18.

Exod. 33. 20.

Cant. 2. 14.
Greg. Ibid.

Digitized by Google

ſimplex anima in vulneribus nutrimentum quo conualeſcat inuenit. »

QVARTA REFLEXIO. Sed quàm verendum ne obliti vulnerum in iudicio cum impiis
Aug. ſer.180. de tēp. ab eis arguamur: « Vulnera portauit, ipſa iterum reportabit. Crucem retulit cum triumpho, ſignum filij hominis vobis parebit in cœlo. Sic veniet in ipſo corpore, in ipſa nube, in ipſa veritate, vobis in amore, impiis in tremore. » Et ſicut primò vulnera ſeruauit, vt tot ora ſuam prædicantia gloriam, ſic clamabunt in iudicio contra Iudæos, & impios quoſque vindictam.
Rup. lib.12. de vict. Verb. cap.28. « Plagarum cicatrices ideo in corpore ſuo retinuit, & reſeruauit, vt victorias ſuas ſemper loquatur illis, quaſi linguis. » Sed in iudicio præter victorias, ex plagis fulminabit in impios terribiles vindictas. Zeno de Iſaïa iuſſu Manaſſis
Zeno ſer.6. per medium ſecto. « Propheta, inquit, egregius & illuſtris, inter reſupinatos ſectores tamdiu immobili inconcuſſi corporis perdurauit ſtatu, quamdiu duo eſſe inciperent, qui figuras gentium, (id eſt Idola) cum ſuo perſecutore damnarent. » Chriſtus in Paſſione tacuit, «
Eſa.53.7. vt agnus coram tundente ſe obmutuit » immò clamauit, & pro crucifixoribus orauit. Sed qui « ad aſper-
Hebr. 12.24. ſionem ſanguinis meliùs clamantem quam Abel accedere noluerit, & aquas haurire cum gau-
Eſa.12.3. dio de fontibus Saluatoris; » audiet in iudicio contra ſe tot ora, quot vulnera: & de humanita-
Apoc. 4.5. tis « Throno procedent fulgura, & tonitrua. » Sic Cæſarius Arelatenſis: « Prima erit in reos in-
Cæſar Arelat. homil. 27. toleranda ſententia, reuerendarum præſentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi ſumus, quando contra illos crucifixi Domini liuores, notæ peccatorum noſtrorum, & maculæ li-

bidinum proferentur? Aut quo putas vultu reſpiciat redemptio noſtra perditionem noſtram? Tantò grauiora erunt humana delicta, quantò maiora ſe oſtenderint diuina beneficia. Verendum eſt autem nè illam vocem reſurrectionis pretioſæ crucis veſtigia proteſtantis, etiam in iudicio ſuo, ad vaſa iniquitatis prolaturus ſit, ſcilicet infer digitum tuum huc, & vide manus meas; affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnoſce, quæ pro te impio pietas diuina perpeſſa eſt.» « Sciebat Chriſtus quare cicatrices in ſuo corpore ſeruaret. Sicut enim demonſtrauit Thomæ non credenti niſi tangeret & videret; ita etiam inimicis vulnera demonſtraturus eſt ſua, vt conuincens eos veritas dicat, ecce hominem quem crucifixiſtis. Videtis vulnera quæ infixiſtis, agnoſcitis latus quod pupugiſtis: quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.» Maiorem mihi terrorem incutit Auguſtinus. « Qui, inquit, contemnit, quid faciet in illo metuendo iudicij die, cùm tremente mundo Dominus præcinentibus Angelorum buccinis, in illo maieſtatis ſuę throno circumdatus cœleſtis militiæ luce conſederit: ibique de terræ gremio, & antiquo puluere ſuſcitato humano genere, aſtante teſtimonio conſcientiæ ſingulorum, poſitis in conſpectu peccatorum pœnis, iuſtorumque præmiis, rationem vitæ cœperit poſtulare: & plus iam iuſtus quàm miſericors, ſeueritate iudicis contemptæ miſericordiæ reos cœperit accuſare, & dicere; ego te homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi ſpiritum, ego tibi imaginem noſtram, ſimilitudinemque conferre dignatus ſum: Ego te inter paradiſi delicias collo-

Aug. lib. 2. de Symb. cap. 8. Vide & Bed. c. 97. in Luc.

Aug. ſerm. 1. in Vig. Pent. in expoſ. Symb. qui eſt 181. de temp. circa m.

Digitized by Google

caui: tu vitalia mandata contemnens, deceptorem ſequi, quàm Deum maluiſti. Cum expulſus de paradiſo, iure peccati, mortis vinculis tenereris, virginalem vterum ſine diſpendio virginitatis pariendus introiui: in præſepio poſitus, & pannis inuolutus iacui: infantiæ contumelias, humanoſque dolores, quibus tibi ſimilis fierem, ad hoc ſcilicet vt te mihi ſimilem facerem pertuli: irridentium palmas & ſputa ſuſcepi: acetum cum felle bibi: flagellis cæſus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfoſſus vt tu eripereris morti, animam in tormentis dimiſi. En clauorum veſtigia, quibus affixus pependi. En perfoſſum vulneribus latus. (Neque enim ſolum latus, ſed & cor ipſum lancea transfixit. Vnde & ſanguis arterialis cum aqua in pericardio contenta profluxit ex corde amoris ſede.) Suſcepi dolores tuos, vt tibi gloriam darem. Suſcepi mortem, vt tu in æternum viueres. Conditus iacui in ſepulchro, vt tu regnares in cælo. Cur quod pro te pertuli, perdidiſti? Cur ingrate Redemptionis tuæ munera renuntiaſti? Non te ego de morte tua quæro; redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi. Redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indeſinenter occidiſti. Cur habitaculum quod mihi in te ſacraueram, luxuriæ ſordibus polluiſti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculaſti? Cur me grauiore criminum tuorum cruce quàm illa in qua quondam pependeram, afflixiſti? grauior enim apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua inuitus pendeo; quàm illa in qua tui miſertus mortem tuam occiſurus aſcendi. Cùm eſſem impaſſibilis, pro te pati dignatus ſum: ſed tu deſpexiſti in homine Deum,

in infirmo ſalutem: & quia poſt omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab auditu malo non mereberis liberari. Qui tunc erit ſtridor dentium, cum Sanctorum multitudine ad dexteram Regis, & ad gloriam ſegregatâ peccati populus in profundo tartaro, ſine vlla miſerationis ac veniæ ſpe demerſus, excludi ſe tenebris ſuis à beata ſanctorum luce viderit: & in profundi ſinum ſine fine deſcendens, vrgente os ſuum puteo, æterna ſupplicia, & perpetuam mortem non moriturus aſpexerit? »

Pſ. 111. 7.

Pſ. 68. 16.

QVINTA REFLEXIO. Ad has fratres plagas dum tempus eſt, non iam ad terroris ſed amoris inſignia recurramus. « Videant impij in quem transfixerunt. » Et cum deſperatione « aſpiciant in eum quem pupugerunt. » Nos vt columbæ geminis ſpei & charitatis alis, ad foramina petræ, & cauernam maceriæ euolemus. Primò quidem « Timendus eſt, etiam quia pius eſt. » Et timendus, tantam pietatem negligentibus. « Ipſi qui eum pupugerunt, velint nolint, videre compellentur, impij videlicet Iudæi qui eum crucifixerunt, vt ſciant quem irriſerunt, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio: videbunt in quem transfixerunt. » Sed nos fideles & filij « qui aduentum eius diligimus; » ad ciuitates refugij cum ſpe & dilectione recurramus. « Nunquam magis quantâ clementiâ, quantâque potentiâ Redemptor noſter abundaret apparuit, quàm cùm myſterij huius aggreſſus officium eſt, vt ſuſcipiendo noſtram ſubſtantiam, & patibulum, & tumuli iura ſuſciperet. Noſtris ergo proſperis aduerſa ei impenſa ſunt; & diuina atque humana natura in Redemptoris noſtri

Io. 19. 37. & Zach. 12. 10. Apoc. 1. 7. Apoc. 15. 4. Ambr. in Apoc. 1.

Io. 19. 37. 2. Tim. 4. 8. Ambr. tract. de Symb. Apoſt. cap 15.

perſona quoddam inter ſe ſacrum iniere commercium : vt teſtimonium ab humanitate diuinitas, præmiũ à diuinitate ferret humanitas: hoc eſt, vt ſui vulneribus corporis, magnitudinem erga nos Deus amoris oſtenderet, & conſortio diuinitatis, recompenſari ſibi obedientiæ gratiam, & animus noſter, & corpus agnoſceret. » Pſaltem itaque iam inde ſpiritu ſacris vulneribus incuruatum imitemur,& cum eo & Ambroſio dicamus. « Miſeriis afflictus, & curuatus ſum vſque in finem. Vſque in quem finem? In finem ſcilicet pœnitentiæ; vel vt ampliùs & myſticè intelligas, vſque in finem, hoc eſt vſque ad Chriſtum,qui finis legis eſt, qui ſe paſſus eſt verberari, paſſus eſt corpus ſuum mortuum vulnerari, ſed nullum fœtorem pœnitentiæ, odorem verò omnem gratiæ vulnera illa redolebant. Denique non tabes mortis de vulnere eius ſicut hominum cæterorum, ſed fons vitæ ſcaturiuit æternæ, vt Scriptura nos edocet dicens, & ſaliet aqua de fontibus Saluatoris. Exiuit ergo de vulnere aqua, vt nos biberemus ſalutem. Bibent omnes peccatores terræ,vt peccata deponant. Vide ſingula. Miſeriis afflictus eſt Chriſtus,vt beatos faceret homines qui erant in miſeriis conſtituti, &c. Curuatus eſt ille, vt nos erigeremur. Contriſtatus eſt ille, vt nos lætificaret,&c. Curuemur vſque in finem, id eſt non ſolùm Chriſto fidem, ſed etiam paſſionum noſtrarum perſeuerantiam deferentes; & gaudeamus in paſſionibus noſtris, ſicut Chriſtus gaudebat in paſſionibus ſuis: quas ille ſuſcipiebat pro ſeruulis, nos ſubeamus pro Domino. Hic ergo finis; vt adimpleam quæ deſunt tribulationum Chriſti in carne mea. » Hic finis,vt ſicut

Ambr. in pſal. 37.

Rom. 10.4.

Eſa.12. 3.

Pſ.74. 10.

Coloſſ. 1.24.

ſicut ille nos dilexit in finem, vt finem non poneret amori, niſi amore & dilectione morte ipſa fortiore, quas viuus & mortuus plagas acceperat, in perpetuum amoris ſui memoriale ſeruauit; ſic & ego cum Paulo in nullo niſi in cruce glorier Domini, & cum eodem & Auguſtino eius interprete dicam. « De cætero laborem nemo mihi præſtet; ego enim ſtigmata Domini Ieſu Chriſti in corpore meo porto, ideſt, habeo alios conflictus, & certamina cum carne mea, &c. Stigmata dicuntur notæ quædam pœnarum ſeruilium, &c. Et ideo in iure manumiſſionis inferioris eſt ordinis ſeruus. Propter culpam enim perſecutionis quâ perſecutus erat Eccleſias Chriſti, hæc ſibi retribui cognouerat, &c. Verumtamen propter remiſſionem peccatorum, in qua baptizatus erat, omnes illæ tribulationes non ei valebant ad perniciem, ſed ad coronam victoriæ proficiebant. » Dicamus & nos vulnera vulneribus, & amorem amori rependentes, & vtinam cum ſponſa dicamus: « vulnerata charitate ego ſum. » Et ſi clauos, & lanceam, pedibus, manibus, lateri non inferat perſecutor, mortificationis ſaltem, & omnium bonorum operibus manus apertas habeamus, & pedes in curſum mandatorum Dei alacres explicemus. Cor præ cæteris pandamus amori. Cor noſtrum ardenti amoris fornaci apertè, hoc eſt Chriſti lateri inferamus. « Patet quâ intres. Chriſtus eſt ianua, & tibi eſt oſtium apertum, quando eſt latus eius lancea perforatum. Quid enim manauit recole, & elige quâ poſſis intrare. De latere Domini pendentis, & morientis in ligno, poſteaquam eſt lanceâ perforatum, aqua ſanguiſque profluxit. In vno eſt mundatio tua. In

Io. 13.

Aug. in epiſt. ad Gal. 6.

Cant. 2. 5. iuxta 70.

Aug. in ſuppl. P. 1. ſer. 115.

Digitized by Google

altero Redemptio tua.» In vtroque ſingulare inſigne amoris. Vt te nigram dealbaret, fudit
Zach. 13. 6. aquam, vt te regiâ purpurâ donaret, effudit ſanguinem. Interroga Redemptorem tuum. « Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicit, his plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me. » Intelligo Domine in domo Patriarcharum, in familia Iſraëlitarum, qui te vtique diligebant. Sed heu degeneres filij verſi in genimina viperarum foderunt manus tuas &
Eſa. 49. 16. pedes tuos, in quibus « deſcripſiſti me, vt me ſemper haberes in oculis, & tua pro me Patri vulnera offerres. Sit mihi quoque tantæ dilectionis æterna memoria. « Manus tuæ Domine
Pſ. 118. 73. fecerunt me & plaſmauerunt me. Manus, inquam, illæ quæ affixæ ſunt clauis pro me.
Aug. Solil. cap. 2. Opus manuum tuarum Domine ne deſpicias, vulnera manuum tuarum precor vt aſpicias. Ecce in manibus tuis Domine Deus deſ-
Pſ. 137. 8. cripſiſti me: lege ipſam ſcripturam & ſalua me. » O amator meus, « Amore veniſti Deus
Aug. man. cap. 21. ad homines, veniſti in homines, factus es homo. Amore Deus inuiſibilis ſeruis ſuis factus eſt ſimilis. Amore vulneratus eſt propter delicta noſtra. Tuta & firma requies eſt infirmis & peccatoribus, in vulneribus Saluatoris. Securus hîc habito. Patent mihi viſcera per vulnera. Quidquid ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex vulneribus Domini mei, quoniam miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis: patet magnum pietatis Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus vi-
Luc. 1. 78. ſitauit nos oriens ex alto, &c. Per has rimas licet mihi guſtare quam ſuauis eſt Dominus Deus

Digitized by Google

meus, quoniam reuera ſuauis & mitis, & multæ Pſ. 33.
miſericordiæ eſt omnibus inuocantibus eum in 9.
veritate.» Ex his plagis fluat mihi gratia de fon- Pſ. 85.
tibus Saluatoris, vt per eam fiat aqua ſaliens in 5.
vitam æternam. Amen. Io. 4. 14.

IN FESTO S. MARCI Euangeliſtæ.

Facies Leonis à dextris ipſorum quatuor. Ezech. 1. 10.

MArcus Barbaricus Venetorum Reipublicæ Dux 73. ſapientiſſimus, & humillimus, patrono ſuo D. Marco eiuſque Symbolo addictiſſimus; in emblemate, vel nummo cælari curauit Dauidem, Leonem ſuffocantem, cum Epigraphe,«Non mihi Domine, ſed nomini tuo da gloriam.» Etquidem non ſibi, ſed Deo Paſtor Hebræus de edomito Leone, acceptum retulit. « Paſcebat, inquit, ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi conſurgebant aduersùm me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. Nam & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.» Et ne ſuæ fortitudini id Rex Saül imputaret, & debitam Deo gloriam ſurripuiſſe videretur; ſtatim ſubiecit textus: & ait Dauid,

Tipotius in Hierograph. Ducum Venet.

1. Reg. 17. 35. & ſeq.

Pſ.17.1. « Dominus qui eripuit me de manu leonis, &
Pſ. 27. de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Phili-
8. & Pſ. ſtæi huius. » Et nil frequentius in Pſalmis:
59.14.
Pſ. 17. « Dominus fortitudo mea, Dominus firmāmen-
35. tum meum, Dominus fortitudo plebis ſuæ. In
Pſ. 113. Deo faciemus virtutem. Poſuiſti vt arcum æreū
9. brachia mea. » Et tandem, vnde deductum Mar-
ci Veneti Ducis Symbolum: « Non nobis Do-
mine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam. »
Quod hîc pia humilitas, & humilis pietas huius
Ducis, de Turca, tanquam leone gregem Do-
minicum inuadente triumphantis, Deo cum
Pſalte canit; hoc longè melius S. Marcus, de
prædâ faucibus inferni leonis ereptâ, in Alexan-
drinis ad Chriſtum conuerſis, Chriſto cecinit,
cuius virtute & gratiâ de diabolo triumphauit,
Pſ. 16. qui « tanquam leo paratus ad prædam, & ſicut
12. catulus leonis habitans in abditis » vel ſicut Ma-
1. Pet. 5. giſter Marci D. Petrus, « tanquam leo rugiens
8. circuit quærens quem deuoret: » cui Marcus re-
Luc. 11. ſtitit in fide, & fortior ſuperueniens, arma &
22. ſpolia forti detraxit; multò digniùs Hercule,
Ezech. leonis exuuio induendus. Vnde & « facies leo-
1. 10. nis à dextris ipſorum quatuor » Marco tribui-
Apoc. tur inter cæteros Euangeliſtas generoſo leoni,
5. 5. qui non ſibi, ſed Chriſto Domino, victori leo-
Pſ. 113. ni de tribu Iuda & Dauid radici, cum ipſo dicit:
8. « Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, &
S. Aug. rupem in fontes aquarum. Non nobis Domine,
Ibid. non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Gratia
1. Cor. quippe iſta erumpentis aquæ de petrâ, petra au-
10. 4. tem erat Chriſtus; non quaſi ex operibus præ-
cedentibus data eſt, ſed miſerante illo qui iuſti-
Rom. ficat impium. Etenim Chriſtus pro impiis mor-
4. 5. & 5. 6. tuus eſt, ne vllam ſuam homines, ſed nominis

Dei quærerent gloriam: » qui licet ſit de radice Dauid ſecundùm carnem, radix eſt Dauid ſecundùm diuinitatem. De Marco eius Euangeliſtâ & Diſcipulo faciem leonis habente, eiuſque excellentiâ primò dicemus; deinde reflexiones morales colligemus. Tu verò, Virgo virga de radice Ieſſe, & Regia leæna, « catuli leonis Iuda » mater, omnem gloriam à prole tuâ decerptam, omnium gratiſſima eidem retuliſti. « Semel edi partum, lacerato vnguium acie vtero in enixu, vulgum credidiſſe video; Ariſtoteles diuerſa tradit. » Tu vnicum ediſti vtero virginali ſaluo, quem de Spiritu ſancto concepiſti, Angelo nuntiante, & dicente: Auė.

DIVISIO.

Gen. 49. 9.

Plin. l. 8. cap. 16. de Leæna.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Eccleſia Spiritus ſapientiæ ductum ſequens in omnibus, aptiſſimè Euangelium hodiernum D. Marci ſolemnitati applicari præcepit; in quo legitur; « Deſignauit Dominus & alios Septuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipſe venturus. » Cùm enim S. Marcus Euangeliſta, non fuerit de numero duodecim Apoſtolorum, inter Diſcipulos eſt recenſendus, quibus hoc Euangelium congruè applicatur. Et Epiphanius quidem non recipitur, eum computans inter Septuaginta duos, quos ipſe Chriſtus miſit, quo erat venturus, dum viueret: Chriſtum enim nuſquam vidiſſe, Papias, Hieronymus, & Theodoretus conteſtantur: ſed & Beda ſcribit Marcum Hebræum natione, Sacerdotali genere natum, num ex illis Sacerdotibus extitiſſe, qui poſt vſcenſionem Chriſti, in eum crediderunt, de

Luc. 10. 1.

Baron. Ann. Chriſt. 45.

Apud Euſeb. 3. hiſt. vlt.

Hier. in Iſa. 65. & de

ſcripto. quibus Lucas in Actis: « multa, inquit, turba
Eccli. Sacerdotum obediebat fidei.» Vt vt ſit, Diſcipu-
Theod. lus Chriſti fuit, qui Chriſti fidem cum cæteris te-
præfat. nuit, docuitque præ cæteris. De numero autem
hiſt.SS. tam Apoſtolorum, quam Diſcipulorum, duplex
Patrũ. ratio aſſignatur. Quarum prima, implendæ figu-
Beda præf.in ræ propheticæ, à Tertulliano refertur, eoſque
Marc. etiã Apoſtolicâ dignitate, & nomine cenſendos
Act.6. arbitratur.« Adlegit, inquit, & alios Septuaginta
Tertul. Apoſtolos, (id eſt miſſos,) ſuper duodecim. Quò
4.cont. Marci. enim duodecim? ſecundùm totidem fontes in
24. Elim; ſi non & Septuaginta, ſecundùm totidem
Num. arbuſta palmarum.» Alteram myſticam huius
33. 9. & numeri rationẽ protulit Auguſtinus. « Sicut, in-
Exod. quit, vigintiquatuor horis totus orbis peragitur
15.27. atque à Sole luſtratur; ita myſterium illuſtrati or-
Aug. bis, per Euangelium Trinitatis, in 72. Diſcipulis
lib. 2. intimatur. Vigintiquatuor enim ter, in Septua-
qq. ginta duobus ponimus. Quod autẽ binos mittit,
Euang. Sacramentum eſt charitatis. Siue quia duo ſunt
qu 14. charitatis pręcepta, ſiue quia omnis charitas mi-
nùs quàm inter duos eſſe non poteſt.»

Numerus porro Septuagenarius ſecundus, in ora Pontificiæ veſtis, in figuram Diſcipulorum, mihi videtur adumbratus, in tintinnabulis aureis, malo granatis intertextis; quorum & meminit Eccleſiaſticus, licet numerum non expreſ-
Exod. ſerit. « Cinxit illum tintinnabulis aureis pluri-
28.34. mis in gyro, dare ſonitum in inceſſu ſuo, audi-
Eccli. tum facere ſonitum in templo, in memoriam fi-
45.10. liis gentis ſuæ.» Si enim Pontifex Chriſtum, & veſtis eius Eccleſiam, eiuſque præcipuas partes Apoſtolos, ex Patrum communi ſenſu ſignificant: malo granata Prouincias & regna mundi, pedibus Chriſti per Apoſtolos eorumque ſuc-

Digitized by Google

ceſſores eſſe ſubiecta; tintinnabulis, id eſt Diſcipulorũ prædicatione conuerſa intelligimus. Et granata quidem, iuxta numerum linguarum, in Babylonicâ confuſione diſperſarum, omnia regna pulcherrimè repreſentãt: vt ſicut ſub coronâ maligranati, multa grana vnita colliguntur, ſic quælibet regna, & populi ſub vnius Regis imperio coerceantur. Tintinnabula verò aurea permixta granatis, 72. Diſcipulos ſignificant qui aurei charitate, linguâ igneâ diſperſas linguas, & populos & regna, ſub vnius veſtis Chriſti, id eſt Eccleſiæ, & Pontificis imperio cõgregarent. De diuiſis linguis cum Pſalte D. Auguſtinus: « Submerge Domine & diuide linguas eorum. Submerge. Quare? quia ſe extulerunt. Diuide. Quare? quia in malum conſpirauerunt. Turrim illam recordare ſuperborum factam poſt diluuium, &c. Hinc facta eſt origo linguarum multarum. Antea enim vna lingua erat, ſed vna lingua concordibus proderat: vna lingua humilibus proderat. At vbi illa collectio in conſpirationem ſuperbię præcipitata eſt, pepercit illis Deus, vt diuideret linguas eorum, ne ſe intelligendo perniciosè facerent vnitatem. Per ſuperbos homines diuiſæ ſunt linguæ, per humiles Apoſtolos congregatæ ſunt linguæ. Spiritus ſuperbiæ diſperſit linguas, Spiritus ſanctus congregauit linguas. Quando enim Spiritus ſanctus venit ſuper Diſcipulos omnium linguis locuti ſunt, ab omnibus intellecti ſunt: linguæ diſperſæ in vnum cõgregatæ ſunt. Ergo ſi adhuc ſæuiunt, & Gentiles ſunt, expedit eis diuiſas habere linguas. Volunt vnam linguam? veniant ad Eccleſiam, quia & in diuerſitate linguarum carnis, vna eſt lingua in fide cordis. » Venerabilem Bedam de

Aug. in Pſ. 54.

Beda in gloſſ. Exod. 28. præfato 72. numero conſulamus. « Si Ioſephi verbis intendere volumus, qui dicit mala 72. fuiſſe, & eiuſdem numeri tintinnabula, congruit huic myſterio, vt Diſcipulorum 72. circa pedes numerum habeat ſignatum. Sicut enim duodenarius Apoſtolorum numerus, Epiſcopalis dignitatis gradum inchoauit: ſic Diſcipuli 72. qui & ipſi ad prædicandum miſſi ſunt, gradum minoris Sacerdotij, qui Preſbyteratus dicitur, ſignificant. Vnde horum numerus in vltimâ parte (extremâ orâ tunicæ) Sacerdotalis habitus, ille in primâ (rationali) figuratur. Si quis verò numeros vtriuſque ordinis myſticè velit interpretari, duodecim gemmas Aaron in pectore præferebat, vt ſignificaret tempus inſtare, quo fides Trinitatis in omnibus quadrati orbis partibus prædicaretur, &c. Tres enim dies & noctes, habent horas 72. quibus ſupra infraque luſtrando Sol tribus vicibus mundum circumit. Benè ergo hic numerus tintinnabulorum & malorum diuerſitate coloris tunicæ Pontificis indutus eſt, quia Sol iuſtitiæ Chriſtus vniuerſum orbem eſſet illuminaturus, & veram fidem, quæ eſt in agnitione Trinitatis & confeſſione daturus, & operationem bonam, quæ eſt in variarum ſplendore virtutum.» Et S. Gregorius, « hinc eſt, inquit, quòd tintinnabulis mala punica coniunguntur. Per mala enim punica fidei vnitas ſignificatur, quia ſicut in malo punico, vno cortice multa interius grana vniuntur, ita innumeros populos Eccleſiæ, vnitas fidei contegit, quos intus diuerſitas meritorum tenet.» Greg. in gloſſa ex 1. Regiſt.

Hanc vnitatem & pacem, velut tintinnabulũ aureum, & linguâ, & calamo præ cæteris Diſcipulis, S. Marcus inſonuit; pro parte ſuâ implens

illud Prophetæ. « Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.» Gladium ſtrinxerat Petrus, ſed eum à Chriſto iuſſus eſt conuertere in locum ſuum. Et quis locus eius? « factus eſt in pace locus eius. Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium & bellum.» Et quanta abundantia pacis, cùm gladij conflantur in vomeres? Conuerte itaque, Petre, gladium in vomerem, cum Apoſtolis, & Diſcipulis, vt toto orbe terram findens & exarans meſſem multam Domino præpares; & lanceam in falcem.

Eſa. 2. 4.

Pſ. 75. 3

Et vt de cæteris taceã, D. Marcus tintinnabulũ fuit aureum, qui & vomere linguæ, ſeu gladio in vomerem conflato, terram Ægypti proſcidit, & amplam meſſem Domino collegit. « Beati ſcilicet Apoſtolorum Principis, & in baptiſmate filius, & in doctrinâ Diſcipulus, ſicut eum referentem geſta Saluatoris audiuit, ita per inobliquam fidei relationis lineam, Romæ rogatus à fratribus Euangelium ſcripſit: ſicut & Clemens Alexandrinus, & Papias Hieropolitanus, Epiſcopus tradunt. Aſſumptoque mox Euangelio quod ipſe confecerat, impiger adiit Ægyptum, & Alexandriæ Chriſtum primus annuntians, iacit nouæ fidei fundamentum. Et dum ipſe ſcriptor, qui & prædicator extitit Euangelij, idem quodammodo faber, qui & agricola, ipſe ſibi vomerem fabricauit, quo videlicet ad ſpargenda ſacræ fidei ſemina, humani cordis arua proſcidit. »

Damia. ſer. 2. de S. Marco.

Interpretem Petri Irenæus & Hieronymus, Clemens quoque Alexandrinus appellant. Non quidem, quòd Apoſtoli linguis omnibus ſeipſos explicare non poſſent, ſed quòd cùm, verbi gratiâ, Græcis prædicarent, aderant ſimul im-

Iren. l. 3 cap. 1. Hiero. ep. 150. qu. 11. Clem.

Alex. Strom. 7. Baro. An. Christ. 45. periti Græci eloquij, quibus per interpretes exponebatur aliâ linguâ, quod ab Apoſtolis dicebatur Vel planius, & fuſiùs per Interpretes, obſcuriùs & ſtrictiùs dicta explicabantur. Marcus porro cùm in gratiam Romanorum Euangelium ſcripſerit, Latinè illud conſcripſiſſe credendum eſt, quod poſtea cùm Aquileïæ moraretur, miſſus à Petro, in Græcum tranſtulit, cuius authographum ibidem diutiùs aſſeruatum, Venetias demum eſt tranſlatum, & in eius ſcriniis theſauri inſtar pretioſiſſimi reconditum. Hoc Euangelio velut diuino ſemine ſata Roma primùm, dehinc Aquileïa, tum Alexandria, copioſiſſimam in ſegetem horreis Dominicis conuehendam excreuit « Nec mirùm ſi Eliam currus æthereus euexit ad cœlum, cum quotidie iſta Euangeliorum quadriga, hominum genus cœli perferat, & tranſmittat ad regnum. » Cui conſonat Auguſtinus: « Has, inquit, Domini ſanctas quadrigas, quibus per orbem vectus ſubigit populos leni ſuo iugo, & ſarcinæ leui, quidam vel impiâ vanitate, vel imperitâ temeritate calumniis appetunt, vt eis veracis narrationis derogent fidem, per quos Chriſtiana religio diſſeminata per mundum, tantâ fertilitate prouenit, vt homines infideles iam inter ſeipſos calumnias ſuas muſſitare vix audeant, compreſſi fide gentium & omnium deuotione populorum. » Superiùs autem aduerterat, D. Marcum & Lucam, licet poſteriores Apoſtolis, eiuſdem tamen authoritatis eſſe, ad veritatem fidei ſuadendam. « Inter diuinas, inquit, authoritates quæ ſanctis literis continentur, Euangelium meritò excellit. Quod enim lex & Prophetæ futurum eſſe prænuntiauerunt, hoc redditum, atque completum in

Chryſol. ſer. 92.

Aug. lib. 1. de conſen. cap. 7.

Aug. lib. 1. de conſen. cap. 1.

Digitized by Google

Euangelio demonſtratur, cuius primi prædicatores Apoſtoli fuerunt, qui Dominum ipſum Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum & iam præſentem in carne viderunt, qui non ſolùm ea quæ ex ore eius audita, vel ab illo ſub oculis ſuis operata, dicta & facta meminerant: verumetiam quæ priuſquam illi per Diſcipulatum adhæſerunt, in eius natiuitate, vel infantiâ, vel pueritiâ, diuinitus geſta, & digna memoriâ, ſiue ab ipſo, ſiue à parentibus eius, ſiue à quibuſlibet aliis certiſſimis indiciis, & fideliſſimis teſtimoniis requirere, & cognoſcere potuerunt, impoſito ſibi Euangelizandi munere, generi humano annuntiare curarunt. Quorum quidam, hoc eſt Mathæus, & Ioannes, etiam ſcripta, de illo, quæ ſcribenda viſa ſunt, libris ſingulis ediderunt. At ne putaretur, quod attinet ad percipiendum & prædicandum Euangelium intereſſe aliquid, vtrùm illi annuntient, qui eundem Dominum hîc in carne apparentem Diſcipulatu famulante ſecuti ſunt; an ij qui ex illis fideliter comperta crediderunt, diuinâ prouidentiâ procuratum eſt per Spiritum ſanctum, vt quibuſdam etiam ex illis qui primos Apoſtolos ſequebantur, non ſolùm annuntiandi, verùm etiam ſcribendi Euangelium tribueretur authoritas. Hi ſunt Marcus & Lucas. »

Vnum hîc quæro, cùm in fine capitis noni Lucas Chriſtum, induxiſſet dicentem: « nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. » Capite autem octauo de homine agricola, qui « exiit ſeminare ſemen ſuum. » Et infra, « ſemen eſt Verbum Dei. » Hîc autem vbi de miſſis in orbem Diſcipulis: « meſſis quidem multa, operarij autem pauci: »

Luc. 9. 61.
Luc. 8. 5. & 11.
Luc. 10. 2.

quæro, inquam, cùm de agriculturâ ſit ſermo,& bos quidem congruè Lucæ tribuatur, qui agriculturæ deputatur, & facies hominis Mathæo congruat, quia & homo huic miniſterio ſeruit; & Aquila Ioanni cæteris eminenti, quòd non verſetur in terra circa humanitatem Chriſti, ſed inſtar Aquilæ diuinitatem Verbi velut Solem fixo & immoto contempletur aſpectu: quid Leoni, cum Boue? & tamen Marcus vt leo, condiſcipulo Lucæ Euangeliſtæ copulatur, cui ſimilitudo bouis à Patribus tribuitur. Rem oſtentui ſimilem, iugo ſubigi leones prodidit Plinius. «Iugo ſubdidit eos, primuſque Romæ ad currum iunxit Marcus Antonius, & quidem ciuili bello cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus iugum ſubire prodigio ſignificante: nam quòd ita vectus eſt cum mimâ Cytheride, (id eſt Cleopatrâ ſuâ Venere) ſupra monſtra illarum calamitatum fuit.» Sed vti fuerat prophetatum, ſic fuit Dei virtute perfectum. «Vitulus, & leo ſimul morabuntur, &c. Et leo quaſi bos comedet paleas.» Difficultatem enodat Ezechiel, vbi conſenſum Euangeliſtarum dupliciter expreſſit: vbi ait de quatuor animalibus myſticis, & diuinâ quadrigâ in domo Domini ambulante cum conſenſu: «iunctæ erant pennæ alterius ad alterum, & planta pedis eorum, quaſi planta pedis vituli: & quòd quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.» Vnde Auguſtinus: «Non vos debet mouere quòd alius Euangeliſta dicit, ſi quid alius prætermittit, &c. Authoritas autem tanta eſt Euangelij ſancti, vt quia in eis loquebatur Spiritus vnus, verum etiam ſit, quod dixerit vnus.» Et de iiſdem rurſum Ezechiel:

Plin. lib. 8. cap. 16.

Eſa. 11. 6. & 7.

Ezech. 1. 9.

Aug. ſer. 149 de tẽp.

Digitized by Google

Vbi erat ſpiritus impetus, illuc gradiebantur. »
Sed eodem pede vituli ambulabant pariter, vt
eiuſdem ſpiritus impulſu, iiſdem alis eleuati,
eâdem quadruplici facie admirandi. De quibus
accipite D. Gregorium ſic fantem; & vni Chri-
ſto circa quem quatuor Euangeliſtarum pennæ
verſantur, quatuor vultus tribuentem. « Totum, Greg.
inquit, ſimul nobis eſt, quia & naſcendo homo, lib. 1.
& moriendo vitulus, & reſurgendo leo, & ad homil.
cœlos aſcendendo Aquila factus eſt. » De qua- 4. in
tuor autem Euangeliſtis pariter tam de eius hu- Ezech.
manitate, quàm diuinitate ſcribentibus: « Qua- Greg.
tuor, inquit, facies vni ſunt, quia notitia fidei lib. 1. in
quâ cognoſcuntur à Deo, ipſa eſt in vno, quæ eſt Ezech.
ſimul in quatuor. Quidquid enim in vno inue- hom. 3.
neris, hoc in omnibus ſimul quatuor cognoſces.
Et quatuor pennæ vni, quia Dei omnipotentis
filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſi-
mul omnes concorditer prædicant, & ad diuini-
tatem eius mentis oculos leuantes, pennâ con-
templationis volant, &c. Quia itaque vna eſt fi-
des Incarnationis eius in omnibus, & par con-
templatio diuinitatis eius in ſingulis, rectè nunc
dicitur: quatuor facies vni, & quatuor pennæ
vni. » Subdit præterea iuxta Prophetam: « quo- Ezech.
rum pennæ iunctæ ſunt alterius ad alterum, quia 1. 9.
omnis eorum virtus, omniſque ſapientia quâ
cæteros homines contemplationis ſuæ volatu
tranſcendunt, viciſſim ſibi in pace atque vnani-
mitate coniungunt. » Addit & Ezechiel de ſimi-
li omnium greſſu, « pedes eorum pedes recti, & Ezech.
planta* pedis eorum, quaſi planta pedis vituli. 1. 7.
Quæ enim, inquit, Gregorius, virtus eſſet, ſi fi-
dem atque contemplationem Domini habentes,
prædicatores illius, ſancta opera non haberent?

Digitized by Google

Quid per pedes, niſi greſſus actuum deſignantur? Quatuor ergo animalium pedes recti eſſe deſcribuntur, quia ſanctorum Euangeliſtarum, atque omnium perfectorum opera, ad ſequendam iniquitatem non ſunt retorta, &c. Vt verò in eiſdem ſanctis, vitæ grauitas, fortitudo, atque diſcretio monſtraretur; rectè ſubiungitur, planta pedis eorum, &c. Quia enim prædicatores ſancti, boum nomine deſignantur, docet Paulus legis teſtimonium exponens: non obturabis os boui trituranti (& in rem Euangelij de meſſe multa aptiſſimè, vbi plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis.) In ſanctis ergo prædicatoribus planta pedis eſt vituli, ſcilicet maturè incedens, & fortis, & diuiſa: quia vnuſquiſque prædicator & venerationem habet in maturitate, & fortitudinem in opere, & diuiſionem vngulæ in diſcretione. »

1. Cor. 9. Deut. 25. Prou. 14. 4.

Enimverò licet quatuor ſingulis, ſint facies, propter conſonantiam, « vnumquodque tamen animal coram facie ſuâ ambulabat » propter ſingularem vniuſcuiuſque proprietatem. « Quòd quatuor hæc animalia pennata ſanctos quatuor Euangeliſtas deſignent, ipſa vnuſcuiuſque libri Euangelici exordia teſtantur. Nam quia ab humanâ generatione cœpit, iure per hominem Mathæus: quia per clamorem in deſerto, rectè deſignatur per leonem Marcus: quia à Sacrificio exorſus eſt, benè per vitulum Lucas; quia verò à diuinitate Verbi cœpit, dignè per Aquilam ſignificatur Ioannes. » Non hìc prætereundum duco quod habet in laudem Marci Damianus, « Eoſdem, inquit, ſanctos Euangeliſtas quos Moyſes flumina per typicæ hiſtoriæ ſeriem narrat, Ezechiel Propheta, ſub diuerſorum anima-

Ezech. 1. 12. Greg. homil. 4. in Ezech. Damia ſerm. 1. de S. Marco.

Digitized by Google

lium ſpecie ſe vidiſſe pronuntiat: ſimilitudo, inquit, vultus eorum, &c. Inter quæ videlicet animalia beatus Marcus ſecundo loco poſitus inuenitur, quia Leonis faciem habere deſcribitur. Nam quia à clamore vocis in deſerto, ſuum incipit Euangelium, rectè leonis ſortitus eſt ſpeciem.» Multis deinde interpoſitis, eidem Euangeliſtæ dat primatum. «Honorem, inquit, quem in prædeſtinato ſortitus eſt ordine, ſeruat in Euangelicâ veritate. Num in Apocalypſi Ioannis, cùm ſanctorum animalium ordo deſcribitur, non iam ſecundus, ſed primus, hic in eorum catalogo reperitur. In medio Sedis, inquit, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante & retro. Moxq; ſubiungit, & animal primum ſimile leoni.» Sed & quia in eodem primo capite, cùm præcurſorem Angelum ſimul, & leonem in deſerto rugientem introduxiſſet, ſtatim Chriſtum induxit Leonem de tribu Iuda, cum leone inferi rugiente congreſſurum de quo Bernardus: «vicit Leo de tribu Iuda, occiſus eſt Agnus, ſed leo vicit. Leo rugiet, quis non pauebit? leo, inquam, fortiſſimus beſtiarum, qui ad nullius pauebit occurſum, &c. Radix Dauid, dicitur enim Dauid viſu deſiderabilis, vel manu fortis: & idem ait: ante te omne deſiderium meum: & fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Radix, inquit, Dauid, non Dauid radix eius: ſed ipſe radix Dauid; quia portat, & non portatur. Meritò, Dauid ſancte, filium tuum, vocas Dominum tuum: quia non tu radicem portas, ſed radix te. Radix fortitudinis tuæ, & deſiderij, radix deſiderabilis, radix fortis.» Vnde enim leonem manu fortis ſuffocauit, niſi quia «manus eius ad prælium & digitos eius ad bellum victor leo de tribu Iuda

Dam. Ibid. ſupra. Apoc. 4.6.

Marc. 1. 12. Bern. ſerm. 1. in die Paſch. Pſ. 37. 10.

Pſ. 109. 1.

Pſ. 144. Apoc. 5. 5.

Digitized by Google

radix Dauid edocuit?» Et de Marco leone & Angelo facto, leones & Angelos inducente, quid loquar? An non & ipſe vim ſui nominis implens, & in Angelum, & in leonem eſt transformatus?

Ibid. lib. 7. originum cap. 9. « Marcus excelſus mandato, vtique propter Euangelium Altiſſimi quod prædicauit » inquit Iſidorus. Maiori cum elogio Damianus « cùm, inquit, B. Marcus velut electa cœleſtis militiæ

Dam. ſerm. 2. de S. Marco. tubâ, vehementiſſimis clangoribus intonat, & mandata Dei, tantâ prædicationis arte diſpenſat, vt auditores ſuos protinus ad ſummæ perfectionis alta ſuſtollat, quid aliud quàm in Etymologiâ ſui nominis perſeuerat? Marcus enim, excelſus mandato interpretatur, & verè beatus hic vir, non erat excelſus animo, ſed mandato: quia dum mentem gereret humilem, vitam ſatagebat habere ſublimem: & qui cunctis ſeſe in humilitate ſubſtrauerat, per viam mandatorum cœleſtium ſublimiter incedebat.»

Quàm humilis, qui quòd durus inter eos quondam, qui durum in Chriſto ſermonem arguebant, carnem ſuam manducandam promittente; corde dixerat & incredulus ore, « quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad

Io. 6. 53. manducandum?» ad humilem ſuæ culpæ ſatisfactionem, & de huius Sacramenti myſterio ſcripſit digniſſimè, & quòd ſe indignum tanti myſterij iudicaret Antiſtitem, pluſquam leoninâ fortitudine, ne promoueretur ſibi ipſi dextrum præcidit pollicem, ſic Iſidorus. « Marcus

Ibid. de vita & morte Sanctorum cap. 84. Euangeliſta ſecundus, Petri Diſcipulus, eiuſque in baptiſmate filius, cuius quidem Euangelium nonnulli à Petro Romæ dictatum ferunt. Hic, ne ad Sacerdotium promoueretur, abſcidiſſe ſibi pollicem fertur. Primus tamen Alexandriæ cathedram

Digitized by Google

thedram tenuit, primuſque Eccleſiam Ægyptiorum fundauit. Tantis doctrinæ, & continentiæ virtutibus florens, vt omnes Diſcipuli Chriſti eius imitationem ſequerentur. » Amplius ei Hieronymus Iſidoro prior inſcripſit elogium. « Marcus, inquit, Euangeliſta Dei electus, & Petri in baptiſmate filius, atque in diuino ſermone Diſcipulus, Sacerdotium in Iſraël agens, ſecundùm carnem Leuita, ad fidem Chriſti conuerſus, Euangelium in Italiâ ſcripſit; oſtendens in eo, quid & generi ſuo deberet, & Chriſto. Nam initium principij in voce propheticæ exclamationis inſtituens, ordinem Leuiticæ electionis oſtendit, &c. Denique cùm perfecti Euangelij opus intrans, & à baptiſmo Domini prædicare Deum inchoans, non laborauit natiuitatem carnis, quam in prioribus viderat, dicere; ſed totius exprimens expoſitionem deſerti, ieiunii numerum, tentationem diaboli, congregationem beſtiarum, & miniſterium protulit Angelorum, &c. Amputaſſe ſibi poſt fidem pollicem dicitur, vt Sacerdotio reprobus haberetur: ſed tantùm conſentiens fidei prædeſtinata potuit electio, vt nec ſic in opere verbi perderet quod prius meruerat in genere: nam Alexandriæ Epiſcopus fuit, cuius per ſingula opus fuit ſcire, & Euangelii in ſe dicta diſponere, & diſciplinam legis in ſe agnoſcere, & diuinam in carne Domini intelligere naturam. » O verè « Marcum excelſum mandato » & humilem facto, quem non ſine causâ Petrus ſuum prærogatiuæ nomine filium præ cunctis fidelibus appellauit, quòd « diſciplinam patris ſui audiens » vt eius mandato pareret, munus Epiſcopi ſuſcepit, & Alexandrinam ſcripto, verbo, exemplo, funda-

Hier in prolog. Marci.

1. Pet. 5, 13.

Prou. 1. &

uit Eccleſiam; ſic eleuatus, vt Angeli ſimul & leonis ſtemmate dignus, fuerit Aquilæ Ioannis calamo deſcriptus. « Vidi, inquit, alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo, &c. Et habebat in manu ſuâ libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram: & clamauit voce magnâ, quemadmodum cum Leo rugit, &c. » Angelus dicitur, quia « Euangeliſta Dei electus » Angelicam vitam, vt de cœlo lapſus, agebat in terris: & quia Epiſcopi ſeptem Aſiæ, ab ipſo Ioanne Angeli vocitantur. Et quò Angeli per ſpecies vniuerſaliores, & pauciora intellectus verba, linguâ loquũtur Angelicâ, tantò ſublimioris ordinis eſſe cenſentur: Hinc libellum portat in manu; apertum quidem propter veritatis manifeſtationem; libellum autem propter breuitatem. Vnde & Auguſtinus eum vocat: « Mathæi breuiatorem. » Quod & prior illo Hieronymus: « Inſtituens, inquit, nos ad intelligendum, ſingula in breui compingens, ne authoritatem factæ rei demeret, & perficiendi operis plenitudinem non negaret. » Quod tamen non ſic intelligendum, vt Euangelium Mathæi Marcus redegerit in compendium; ſed quòd multa quæ à Mathæo fuerant fuſiùs enarrata, Marcus ſuccinctiùs ſcripſerit, quæ ex ore Petri exceperat. In quâ quidem breuitate recolo Zachariæ « volumen volans. » Vel vt legunt Sept. « falcem volantem. » Quid voluminí cum falce? ad meſſem Euangelicam aptiſſimè, vt qui mandato Petri, volumen Euangelij ſcripſit, & multam meſſem breui tempore, quaſi volans falce ſuâ meſſuerit. Sed voce magnâ tanquam leo rugiit, qui ab eodem Ioanne primum animal ſimile leoni dici-

Apoc. 10. 1.

Ieron. ſupra.

Apoc. 2.

Aug. lib. 1. de cõſenſu. cap. 2.

Hier. in prolog. Marci.

Zach. 5. 2.

Digitized by Google

tur, & rugitu ſuo Alexandrinos terruit, & ad pœnitentiam, vt Ioannes Baptiſta conuertit. Et quid eſt quòd altero pede terram, altero mare ſubigit? Niſi quia Alexandriam in terra Ægypti ſitam Chriſti imperio ſubiecit. Altero Venetiam in mari Adriatico extructam, contra Mahometanos ſuo protegit & tuetur vmbraculo. Vnde & proprium ſibi à D. Marco pro ſtemmate leonem accepit. De vtraque vrbe cui viuus imperauit & mortuus etiamnum præſidet, quædam obſeruatione digna perſtringamus.

« Iure laudetur in littore Ægyptii maris Alexandria à magno Alexandro condita. » Quæ primò dicta fuit Leontopolis, quòd Philippus Macedo ſomniaſſet vxorem ſuam leone grauidam quod Interpretes de prole omnium generoſiſſimâ implendum pronuntiarunt. Vnde ipſe Alexander paterni conſcius ſomnij, ſe interdum leonem appellari gaudebat, & vrbem à ſe fundatam Leontopolim dixit. Sed longè dignius hoc ſibi nomen à D. Marco impoſuit. Et quod in primis vrbis huius deſcribendis muris eueniſſe legimus, id in Eccleſiæ Alexandrinæ per Marcum fundatione perfectius impletum intelligimus. Cùm Architecti circuitum eius coram Alexandro delinearent, deficiente alterâ materiâ, farinam circumquaque ſparſerunt, ad quam vix effuſam ore carpendam, omnis generis volucres aduolarunt; quo territus eſt Alexander, vt omine ſiniſtro; Augures ad fertilitatem & abundantiam loci interpretati ſunt, ad quam exteræ nationes aliquando confluerent. Ego verò oſtentum hoc longe altiùs in D. Marci « mandato ſublimis » honorem expono: ipſe ſiquidem, vt præmiſimus, & ab Epiphanio didicimus, cum

Plin. lib. 5. cap. 10.

Epiph. hæreſi. 51.

Capharnaitis à Domino recedens durum eius
ſermonem reſpuerat, poſt modum à D. Petro
conuerſus & emollitus, miſſus eſt Leontopolim,
vt farinæ ſimul ac verbi ſemine Alexandrinam
fundaret Eccleſiam; vt iuxta Prophetam, poſito
in medio Ægypti altari Domini incruento ſacri-
ficio, & ſuauiſſimo Euchariſtiæ cibo, volucres,
id eſt fideles, & præcipuè Monachos, Antonios,
Paulos, Hilariones, Arſenios, Pammachios, Se-
Eſa.19. rapiones, & alios innumerabiles ineſcaret. « In
19. die illâ erit Altare Domini in medio terræ Ægy-
pti, & titulus Domini iuxta terminum eius. Erit
in ſignum & in teſtimonium Domino exerci-
tuum in terrâ Ægypti. Clamabunt enim ad Do-
minum à facie tribulantis, & mittet eis Salua-
torem & propugnatorem, qui liberet eos. Et co-
gnoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent
Ægyptii Dominum in die illâ, & colent eum in
hoſtiis, & in muneribus; & vota vouebunt Do-
mino, & ſoluent. » Quæ omnia ſub D. Marco
impleta ſunt. De duritie Marci conuersâ per Pe-
trum, congruè accipiam Auguſtini ſententiam:
« qui conuertit petram, &c. Seipſum, inquit, &
S.Aug. quandam ſuam duritiam liquefecit, ad irrigan-
concio. dos fideles ſuos, vt fieret in eis fons aquæ ſa-
1.in Pſ. «13. lientis in vitam æternam. Quia priùs cùm igno-
Io. 4. raretur, durus videbatur, inde illi turbati ſunt, &
14. non expectauerunt, donec ſcripturis apertis in-
flueret, atque inundaret in eos, qui dixerunt, du-
Io. 6. rus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? iſta
61. petra, iſta duritia conuerſa eſt in ſtagna aqua-
rum, & iſta rupes in fontes aquarum, cùm re-
Luc. ſurgens expoſuit eis, incipiens à Moyſe, per om-
24. nes Prophetas, quia ſic oportebat Chriſtum pa-
ti; & miſit Spiritum ſanctum, de quo dixit: Si

quis ſitit veniat & bibat. » Et Petrus vt petra ſtagnauit, & verba vitæ in Marci aures fudit, & duritiem cordis eius emolliuit, & ad ſpargendam hanc cœleſtem farinam, hunc frumenti adipem, in Alexandriam Ægypti miſit, quòd eſſet velut quoddam orbis theatrum ad quod ex Aſia, Africa & Europa, vniuerſæ fermè gentes concurrerent, quam idcirco Ammianus « verticem omnium ciuitatum » numcupat. Et primum ei locum poſt Romam Herodianus addixit; niſi quòd de ſecundâ palmâ cum eâ tradit certaſſe Carthaginem. Quod autem ab Auſonio poſponatur etiam Conſtantinopoli, Carthagini & Antiochiæ, id inde accidit iuxta Ammianum, quòd ſub Aureliano Imperatore, bellis ciuilibus penè eſſet exhauſta. Cùm verò ſub Petro floreret, & principem ſibi locum vendicaret, ex tot nationibus, ab Apoſtolorum principe electa fuit, vt à Marco Euangeliſtâ nobiliſſimæ poſt Romanam Eccleſiæ locum obtineret, licet Antiochenam priùs ipſe Petrus per ſe fundaſſet, & rexiſſet. Marci Cathedram D. Gregorius præcipuè extulit. « Eſt, inquit, aliquid quod nos erga Alexandrinam Eccleſiam quâdam peculiaritate conſtringit, & in eius amore proniores exiſtere ſpeciali quodammodo lege compellit. Nam ſicut omnibus liquet, quod beatus Euangeliſta Marcus à ſancto Petro Apoſtolo magiſtro ſuo Alexandriam ſit miſſus; ſic huius nos magiſtri & Diſcipuli vnitate conſtringimur, vt & ego ſedi Diſcipuli præſidere videar propter magiſtrum, & vos ſedi magiſtri, propter Diſcipulum. » Tum gratulatur Gregorio Eulogio Epiſcopo Alexandrino, cui hanc ſcripſit Epiſtolam: « Ad hanc autem vnitatem cordium etiam veſtræ

Baro. Ann. Chriſt. 45.

Ammi. lib 22.

Herod. lib. 7.

Auſon. de ord. nob. orig.

Gelaſius decreto de libris Apoch.

Greg. lib. 5. Indict. 14. ep. 60.

Greg. Ibid. ſupra.

ſanctitatis meritis ligamur, quos authoris ſui ſalubriter ſequi inſtituta cognoſcimus, & ſemper ad magiſtri ſui gremium, vnde illi prædicatio ſalutis exorta eſt, totâ ſe conferre deuotione ſentimus.»

In huius porro fundatione Eccleſiæ, familiarem Marco humilitatem Damianus aduertit. « Alexandrinam, inquit, fundauit Eccleſiam, eamque non ſuo, ſed magiſtri ſui nomine titulauit: vt ad honorem B. Petri ſedes Apoſtolica numcupetur, ad quam tamen Petrus acceſſiſſe non legitur. Tantâ igitur Magiſter atque Diſcipulus vnanimitate coniuncti, tam conſonâ ſancti Spiritus ſunt inſpiratione conflati, vt & Petrus manifeſtaret Euangelium Marco, & Marcus conſtrueret Eccleſiam Petro: quatenus dum quod ſuum erat, alter transferret in alterum, quod cuique erat proprium, commune eſſet amborum, & vtriuſlibet totum eſſet, quod vterque proprium poſſideret. Vnde B. Petrus eum quaſi ſpecialem & vnanimem præ cæteris filium vocat, cùm ſingulariter Romam nomine Babylonis appellans, ſalutat, inquit, vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus.»

Dam. ſerm. 2. de S. Marco.

1. Pet. 5. 13.

Nec par erat, vt qui filius erat Petri in Euangelio, leo generoſus non reſponderet ei martyrio. Anno itaque Chriſti 64. Marcus Euangeliſta primus Alexandriæ Epiſcopus, glorioſo Martyrio ex hac vitâ migrauit. Quod & Romanum Martyrologium, & vetus Græcorum Menologium exertè profitentur, quibus adſtipulatur Gelaſius Pontifex, Metaphraſtes, & Nicephorus, aliique recentiores referunt, eum Dominico die, dum Sacroſancta myſteria perageret,

Hier. de ſcript. Eccl. in Marco. Gelaſ. decret. de lib. Auth.

à Gentilibus apprehenſum, fune ad collum ligato, biduò per ſaxea, & prærupta loca diſtractum, ætate iam prope maturâ & ſemicanâ, die vigeſimâ quintâ menſis Aprilis, qui apud Ægyptios Pharmutus, ab Hebræis Niſan dicitur, martyrium conſummaſſe. De quo D. Gregorius in præfatione Deo gratulatur: « Cuius, inquit, gratia, B. Marcum in Sacerdotium elegit, doctrina ad prædicandum erudiit, potentia ad perſeuerandum confirmauit; vt per Sacerdotalem infulam perueniret ad Martyrii palmam; docenſque ſubditos, inſtruens viuendi exemplo, confirmans patiendo, ad te coronandus perueniret, qui perſecutorum minas intrepidus ſuperaſſet. » Et quid, præter Deum, « leo fortiſſimus animalium, ad nullius pauens accurſum » trepidaret? « Illud etiam, dilectiſſimi, vos ignorare non patiar, quoniam octauo Neroniani Imperij anno, triumphalem Martyrii palmam B. Marcus obtinuit, cui mox & Anianus in Alexandrinæ Sedis dignitate ſucceſſit. Et B. Petrus Apoſtolus Romæ ſeptennio ſuperuixit. Vnde supernâ diſponente clementia factum eſt, vt cùm Alexandriam priùs & ſplendoribus Euangelicæ prædicationis, & effuſione ſacroſancti ſanguinis illuſtraſſet, ad Italiam deinde quodam poſtliminio ſit reuerſus; vt eadem potiſſimum terra, in quâ ſibi datum eſt Euangelium ſcribere, ſacras mereretur eius reliquias poſſidere: & vbi ſibi conceſſum eſt Euangelicæ deſcriptionis iubar effundere, illic per glorioſæ glebæ ſuæ præſentiam, plurimis virtutum atque ſignorum radiis coruſcaret. »

Greg. lib. Sacram. ad ſept. Calendas Maij.

Prou. 30. 30.

Dam. ſerm. 2. de S. Marco.

Digitized by Google

SECVNDA PARS MORALIS.

PRIMA REFLEXIO Sit honoris tanto Euangeliſtæ Domini, Apoſtolorum Principis filio, primo Alexandrinæ Cathedræ fundatori, & glorioſo Chriſti Martyri, nobiliſſimæ Venetorum Reipublicæ protectori, debiti perſoluendi. Cuius corpus, cùm Sarraceni cunctas Ægypti Eccleſias ſpoliarent, ad palatium quoddam magnificè extruendum, mercatores Venetos, conſilio cum eiuſdem ſacratiſſimi depoſiti cuſtodibus inito, eorumdem conſenſu, clanculum pio furto ſubductum abſtulerunt, & Alexandriâ Venetias tranſtulerũt. Cùm priùs Heraclius Imperator ſedem eius ligneam eidem Reipublicæ, dono pretioſo miſiſſet; quòd eam Marci ſtudioſiſſimam eſſe non ignoraret, vtpote quæ gloriaretur ab eo ſanctum Euangelium accepiſſe, antequam Alexandriam mitteretur à B. Petro. Huius tranſlationis hiſtoriam prolixè relatam ſeruat Codex Vaticanus; in quo plura tum edita miracula referuntur, Leone Armeno Imperatore, & Iuſtiniano tum Venetiarum Duce. Cæterùm Veneti non ignari Francos, penes quos erat ſumma Imperii Occidentalis, ſanctorum corporum cupidiſſimos, quæ frequenter ex Italia in Gallias tranſueherent; ne quid huiuſmodi circa D. Marcum paterentur inuiti, ſumptuoſâ in eius honorem erectâ baſilicâ ſacra pignora collocarunt; ſic occulto loco, vt diu poſtea penitus vbi recondita eſſent, fuerit ignoratum: donec tandem Anno Chriſti 1094. vigeſimâ quintâ Iunij, vt veteres Annales Venetorum habent, precibus ſolemnibus, & magno miraculo ab ipſo

Baro. Ann. Chriſt. 820.

Baro. Ann. Chriſt. 1094.

Euangeliſtâ demonſtrata ſunt: quæ ritu ſolemni ſub maiori Arâ, ſunt collocata. Hoc autem magnum Dei beneficium annuâ celebratione perpetuâ renouandum eſſe, publicis Veneti ſanxere decretis.

« Sanctus itaque Euangeliſta Marcus de Alexandriâ tranſuectus eſt, Deo miſericorditer diſponente, Venetiam: vt qui tunc totum Orientem velut aureus Lucifer illuſtrauerat, nunc per plagas occidui climatis præſentiæ ſuæ radiis eniteſcat. Per Ægyptum quippe ſibi dedicat ortum, per Venetias tenet occaſum. Illic Alexandrinæ ſortitus eſt Eccleſiæ ſolum, hîc renaſcentis Aquileïæ nouum ſtatuit principatū. Eſt itaque velut ſidus aureum, toto orbe præclarum, ac celebre totius Eccleſiæ veneratione conſpicuum. » Ne ergo vnius Orientis terminis B. Marci gloriam coarctemus: « iſte nimirum cœleſtis tonitrui vehemens tuba terribiliter intonat, & velut vnus & paradiſi fluminibus raptim profluens, vniuerſam mundi latitudinem exuberantibus S. Euangelij fluentis inundat. Fœlix quidem Alexandria, quam hic Chriſti bellator inuictus, triumphalis martyrij ſui ſanguine purpurauit; ſed præcipuè tu fœlix es, & nimium beata Venetia, quam ad hoc, vt pretioſum corporis ſui theſaurum tibi commendaret, elegit. Plurima quidem diuitiarum copia ex diuerſis in te mundi partibus confluit, ſed hæc gemma cœleſtis, quæ in medio tui poſita eſt, in excelſum te gloria conſpicuæ dignitatis attollit. Incomparabilis enim iſte theſaurus omnia vibrantium metallorum ſupergreditur genera, cuncta gemmarum coruſcantium ſuperat ornamenta. Sicut enim B. Iob de Sapientia dicit; non adæquabi-

Dam. ſerm. 1. de S. Marco.

Dam. ſerm. 3. de S. Marco.

Iob 28.

Digitized by Google

tur ei aurum, vel vitrum; non commutabuntur pro eâ vaſa excelſa, & eminentia: non adæquabitur ei aurum de Æthyopiâ, nec tincturæ mundiſſimæ componetur, &c. Illas denique partes ingreſſus eſt, dum in corruptibili carne mortalis exiſteret; iſtas autem elegit, cùm iam in æternum victurus, in regni cœleſtis aulâ regnaret. Illos inuiſit, vt eos de tenebris infidelitatis, ad id quod ipſe iam mente conceperat, veræ fidei lumen educeret: ad iſtos autem transferri voluit, vt illos ad eum cum quo nunc eſt, ductorem luminis reuocaret. Gaude igitur, & exultans in Domino plaude Venetia, quia per illud pretioſi theſauri talentum, quod in te conſtat eſſe reconditum, facta es ſuperni Regis ærarium: & dum in tuo gremio virum Apoſtolicæ gratiæ ſuſcepiſti, & ipſa quodammodo Sedes Apoſtolica fieri meruiſti. Quamobrem ſicut mater vrbium Roma ſuper omnia Regna terrarum ſublimatur in Petro; ſic & tu velut inſignis filia per Marcum gloriaris in Chriſto. »

Secvnda Reflexio. Aduertamus nos, qui deſertâ militiâ ſæculari, accincti ſumus Clericali & Regulari; nos exemplo Marci, & verbo, cum Alexandrinis alitibus ad cœleſtem vocatos eſſe farinam, & ſanctum amplexatos, eo duce & magiſtro, propoſitum. Hic noſtri primus fundator inſtituti, pro ſanctitate colendus, pro vitæ cœleſtis exemplo ſectandus eſt. Hieronymus enim, iuxta Philonem, dicit Chriſtianorum Alexandrinorum ſub Marco inſtitutum, Eſſenis ſimile fuiſſe deſcriptum. « Ex quo, inquit, apparet, talem primam in Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur & cupiunt; vt nihil cuiuſquam pro-

Baro. Ann. Chriſt. 64. ex Hier. de ſcript. Eccl.

Digitized by Google

prium ſit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & Pſalmis, doctrinæ quoque, & continentiæ; quales & Lucas refert primùm Ieroſolymis fuiſſe credentes.» Epiphanius quoque, Philonem de Eſſæis, hoc eſt Ieſſęis, à Ieſſe, ex quo Ieſus ſecundùm carnem, dictis locutum eſſe inſinuat, qui erant Chriſtiani naſcentis Eccleſiæ. Caſſianus item, Sozomenus, & Cedrenus, Nicephorus, & Beda Monachos Ægyptios cenſent à D. Marco inſtitutos. Vnde & Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, cum vitâ Antonii, idipſum viuendi genus Romam inuexit; quod Auguſtinus propagauit in Africam. Suidas porro, Eſſæos idem eſſe autumat, quod « contemplantes; » quos & genus Rechabitarum fuiſſe putat. Philo autem cenſuit, « ſanctos » fuiſſe ex nominis proprietate; vt & Chryſoſtomus; quales naſcentis Eccleſiæ fideles, appellatos, nullus ignorat. Siue igitur ex Eſſenis, Iudæis ad Chriſtum conuerſis, ſiue quòd Eſſenorum vitam agerent; vel à contemplatione, vel à vitæ ſanctitate ſic dicti ſunt Marci Diſcipuli, & Religioſi anteceſſores noſtri. « Huic Deus omnipotens tantam verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prærogauit; vt omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam, ac totius ſanctæ conuerſationis inſtantiam, tanquam ad Monaſticæ perfectionis faſtigium peruolarent. Vnde & Philo diſertiſſimus Iudæorum, dum de primatu B. Marci apud Alexandrinam Eccleſiam ſcriptitat, in Chriſtianorum laude verſatus, eorum habitacula Monaſteria nuncupat, &c. talis ſub Marco Alexandrina fuit Eccleſia, qualis & Ieroſolymæ fuiſſe ſub

Epiph. hæreſi 92.
Caſſ. 2. inſtit. cœno. 5. Sozom. lib. 1. cap 12.
Nicepho. lib. 2. cap. 15.
Beda præfat. in Mar.
Suid. verbo Eſſæi.
Philo. li. quod lib. ſit probus.
Chryſoſtom. homil. 44. in Act.
Dam. ſerm. 2. de S. Marco.

Apoſtolicâ legitur diſciplinâ, vt neminem paupertatis indigentia premeret, nullus eorum diuitiis abundaret, &c. Eſſetq; inter eos inſeparabilis vnitas animorum, inter quos nulla poterat interuenire diuerſitas facultatũ.» Sed heu quàm longè non modò Chriſtiani, ſed & ipſi Regulares diſtant à primæuo illo flore virtutum, &c.

1 Pet. 2. 9. Ps. 131. 9. Beda in gloſſa Exod. 28.

Tertia Reflexio. Et nos cùm ſimus ſecundùm Petrum Marci magiſtrum, « gens ſancta genus electum, Regale Sacerdotium » ſimiliter vt Sacerdotes Dei induamur iuſtitiam. « Deorſum ad pedes tunicæ, fiunt quaſi mala punica, & tintinnabula per gyrum, quando ad tantam excellentiam deuotæ conuerſationis Sacerdos peruenerit, vt nihil in eo niſi ſplendor & gratia, floſque varius bonorum operum videatur; nihil aliud cùm os aperiet, quàm ſuauiſſimus horum ſonus audiatur. Quia enim in malo punico multa interiùs grana vno cortice teguntur, rectè per mala punica multifaria virtutum operatio, vno charitatis munimine vndique tecta ſignatur. Fit autem malorum effigies de hyacintho, purpurâ, coccoque bis tincto, & byſſo retortâ, quibus quatuor coloribus, quæ virtutum varietas ſignetur ſupra dictum eſt. (Dixerat byſſum terræ deputari, quia ex eâ gignitur, purpuram mari, quia ex eius cocleis tingitur, hyacinthum aëri propter coloris ſimilitudinẽ, coccum igni, &c. Vt tolerantia in purpurâ, caſtitas in byſſo, puritas intentionis ad cœleſtia, in cocco bis tincto Dei & proximi ſit charitas) his verò in medio tintinnabula permiſcentur, vt neque opus Sacerdotis ab eo quod loquitur diſcrepet, neq; à rectitudine operis, linguæ ſonus aberret, &c. aurea tintinnabula hyacinthinæ tunicæ in-

Digitized by Google

ſeruntur, & vndique circundantur, cùm omnis ſermo eius claritatem ſupernæ lucis reſonat, & inde ſonitus velut hyacinthinæ tunicæ firmæ infixus, operum quoque ipſius ſublimitate audientium mentibus commendatur. Fiuntque bina mala circa ſingula tintinnabula, cùm omnia quæ loquitur, bonis confirmantur actibus, & in Auditorum arctiùs corde figuntur: & vniuerſa quæ agit, quàm ſint rationabilia, diſcreto ſermonis ſonitu producuntur.» Caueant verboſi & nõ factores verbi, vel adulatores longè Marco diſſimiles, ne eos ſugillauerit Paulus eos induens & in ſe transfigurans, prurientes auribus: de tintinnabulo aureæ linguæ gloriantes, & à dato plauſu, reciprocum applauſum expectantes:« Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam; factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.» Non ſic Marcus, qui nec ipſi parenti & Magiſtro Petro pepercit amore veritatis, & eo ſic monente, quæ laudabilia erant ſubticuit, quæ verò vituperatione digna, fusè narrauit. Accipite à Damiano de magnificâ Petri laude, & traditis ei clauibus, à Mathæo fusè relatis, tacentem, & negationem Petri exaggerantem:« Cur, inquit, B. Marce tam egregio, tam inſigni præceptori tuo, quem animo deuotus vnicè diligis, ſtilo non parcis? vt & quæ laudibus ſint efferenda prætereas, & quæ reprehenſioni videantur apta deſcribas? &c. Ad magnum factum eſt noſtræ ædificationis exemplum, vt & ille de ſe non efferenda, ſed reprehendenda proferret, & iſte ſic per veritatis lineam rectus incederet, vt ne ad magiſtri quidem fauorem aliquatenus declinaret, &c. B. Euangeliſta noluit exhibere magiſtro, quod ipſe ſibi

Damia. ſer. 1. de S. Marco.

præberi nollet ab altero, &c. Hi planè libenter alios laudibus efferũt, qui laudẽ ab adulatoribus quærũt. Cæterùm qui recuſat accipere, dedignatur offerre, &c. Et Marcus qui non delectabatur ſuis laudibus, abſtinuit alienis.» Cum Pſalte di-
Pſ.140. 5.11. cẽs: «oleũ peccatoris nõ impinguet caput meũ.»

QVARTA REFLEXIO. B. Marcus qui Chriſtum leonem cum inferni leone luctantem induxerat, Magiſtrum Petrum quibus armis vincendus eſſet, habuit dicentem; «Fratres ſo-
1.Pet.5. 8. brij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.»
Plin.l. 8. cap. 16. «Hoc tale, tam ſæuum animal, rotarum orbes circumacti, curruſque inanes, & Gallinaceorum criſtæ, cantuſque etiam magis terrent, ſed maximè ignes.» Qui leonem inferi in fugam vertere voluerit, orbes ipſe eius auribus vtriuſque æternitatis, pœnæ, & gloriæ, quam ipſe ſuperbus amiſit, & incurrit, obiiciat; & animo ſuo, virtutibus vacuo, & merito, nihil de ſe præſumens circumuoluat, cum Pſalte canens: «cogi-
Pſ.76. 6. taui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.» Criſtam inde generoſus contra ſuperbum erigat, in Domino confidens, pariter pſallat; «In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.» Vbi Auguſtinus:
Pſ.59. 14. Aug. Ibid. Non, inquit, faciemus virtutem in gladio, non in equis, non in loricis, non in ſcutis, non in potentatu exercitus, non foris. Sed vbi? intus, vbi latemus. Vbi intus? in Deo faciemus virtutem.» Et rurſum: «quoniam gloria virtutis eo-
Pſ.88. Aug. Ibid. rum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum. Quia, inquit, tibi beneplacuit non quia nos digni ſumus. Quoniam Domini eſt ſuſ-

Digitized by Google

ceptio. Nam ego vt cumulus arenæ impulſus ſum vt caderē, & cecidiſſem, niſi Dominus ſuſcepiſſet me. Quoniā Domini eſt ſuſceptio, & S. Iſraël Regis noſtri, ipſe ſuſceptio, ipſe te illuminat, in eius lumine tutus es, in eius lumine ambulas, iuſtitiâ eius exaltaris. Ipſe te ſuſcipit, infirmitatē tuā ipſe cuſtodit, ipſe te facit robuſtū de ſe, non de te.» Cornu, & criſtam, in eo extollis contra leonem. Sed multi Marco leoni diſſimiles, infulas ambiunt, & diſpenſari in multis volunt; cùm ipſe dignus, fugerit principatum. «Per obtruncationem membri fœdauit corporis ſpeciem, ne contra Eccleſiæ regulam, Eccleſiaſticam conſcenderet dignitatem. Sed quod ille putauit patrocinium fugæ, profecit in titulum gloriæ. Nam vnde ſe indignum reddidit, dignior fuit, & quod fugiebat, coactus incurrit.» Herbam narrant, nomine « Adamantidam Armeniæ Cappadociæque alumnam. Hac admotâ leones reſupinari cum hiatu laxo.» Euertes cum Marco dæmonem, leonem illum ferum, ſi eius exemplo contra ſuperbum humilitati: adamantidam admoueris. Addunt: « nominis cauſam eſſe, quòd contineri nequeat.» Ab Adamante dicta, cuius «nomen indomita vis Græcâ interpretatione accepit.» Qui enim Deo verâ fide, & humilitate ſubiicitur, laudis & honoris refuga hic leonis victor euadit, quem Leo de tribu Iuda ſuperauit.« Hinc nimirum non modò manſuetudo oritur, cui draconis flatus non noceat, ſed etiam magnanimitas, quam rugitus leonis non terreat. Aduerſarius veſter tanquam leo rugiens, ait Petrus. Gratias magno illi Leoni de tribu Iuda: rugire iſte poteſt, ferire non poteſt. Rugiat quantùm vult, tantùm non fugiat ouis Chriſti,

Dam. ſerm. 1.

Plin. lib. 8. 24. c. 17

Plin. lib. 37. cap. 4.

Bern. ſer. 11. in Pſal. qui habitat.

1. Pet. 5.

&c. Nondum reſtitiſti vſque ad ſanguinem, ait
Hebr. 12. ſtrenuus ille Dux, qui leonis huius nouerat vanum
Iac. 4. eſſe rugitum. Et alius: reſiſtite, inquit, Diabolo & fugiet à vobis.» Mirum quod in Lybiâ homines inuadentibus leonibus, vno in monte crucifixo cęteri pauidi ſe in latebras abdiderunt. Cum Leone de tribu Iuda ſimul eſt Lucifer crucifixus & triumphatus, & ſimul Princeps mundi
Bern. ſerm. 1. in die Paſch. cum poteſtatibus & principibus eiectus eſt foras. « Leonem Ioannes audierat, & Agnum vidit. Agnus occiſus eſt, Agnus accepit librum, Agnus aperuit, & apparuit leo. Denique dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere fortitudinem, non manſuetudinem amittere, ſed accipere fortitudinem, vt & Agnus maneat & leo ſit, &c. Gaudeant qui induti ſunt confeſſione (de tribu Iuda, & ipſi leonis) quorum oſſa omnia dicunt, Domine quis ſimilis tibi?» Tandem & nos, arte leonis, aduerſarium noſtrum leonem eludere
Dam. opuſc. 52. c. 3. diſcamus « Caudam quippe per terram trahens, veſtigia ſua, dum graditur, operit: ſicque venatorum laqueos, ne capiatur euadit. Venatores
Gen. 49. 9. planè hominum, iniqui ſunt ſpiritus, &c. Sed quiſquis ad illum leonem pertinet, de quo per
1. Cor. 2. 11. Iacob dicitur, catulus leonis Iuda, venatoris odorem concipit, quia verſuti hoſtis inſidias deprehendit: cuius videlicet odorem argutè conceperat qui dicebat, non ignoramus aſtutias eius, &c. Hic veſtigia ſua, caudâ, quæ poſtrema pars eſt corporis, operit, qui vitæ veteris prauitatem, tegmine nouæ conuerſationis abſcondit, ſicut
Pſ. 31. 1. dicitur: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, &c. Leo apertis oculis dormit: & tu ſic quieſce ſopitus à mundo, vt peruigiles ſemper oculos habere perſeueres

in Do-

Digitized by Google

in Domino. Sic dicitur, ego dormio & cor meum vigilat. Te demum cœleſtis vita ab hoc mundo mortuum pariat, (vt leæna catulum,) cui Pater omnipotens (vt leo inſufflans) ſpiritum ſuæ viuificationis immittat; & hoc modo, qui catulum leonis de tribu Iuda die tertiâ ſuſcitauit, te quoque inter fidei, ſpei, & charitatis triduum, non mundo, ſed ſibi viuentem reddat, vt liberâ cum Apoſtolo valeas voce cantare : viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. » Id totum per merita D. Marci, eiuſque apud Deum efficacia ſuffragia, ſi fideliter, & deuotè poſtulauerimus, obtinebimus. Nili crementum, leonis ſigno tribuentes Ægyptij, quòd Sole in hac domo commorante, ſoleat exundare, ex quo tota Ægypti fertilitas manet; ora leonum ſuis fontibus apponunt: nos à Sole iuſtitiæ, nuſquam à D. Marco leone recedente, omnem fœcunditatem ſpiritualium maximè bonorum per os eius, & orationem expectemus. « Hoc ſydus, dilectiſſimi, præ oculis iugiter habeamus, huius imitemur exemplum, ſi inter ſpumoſos mundanæ voraginis fluctus, cupimus euitare naufragium, &c. Si ab hoc ſydere mentis aciem non auertimus, procellarum inundantium impetus non timemus. Ad hoc ſydus omne laboris noſtri remigium tendat, &c. Vt ad tutæ quietis portum & optatæ tranquillitatis, ſupernus nos gubernator impellat, vt ſicut B. Petrum de mari vocauit, & ne lapſus obrueretur erigendum continuit, ita nauigium noſtrum periculis ereptum ad ſinum « fœlicitatis æternæ perducat. »

Cant. 5. 2.

Gal. 2. 5.

Dam. ſer. 1. & 2.

Digitized by Google

IN FESTO S. EVTROPII Sanctonum Protomyſtæ, & Martyris.

Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.
Prouerb. 4. 18.

PAulus Gentium Apoſtolus, Epheſios à Gentilitate conuerſos, ad progreſſum in virtute faciendum, acriori ſtimulo non potuit incitare, quàm vt priores refricans tenebras, è quibus recenter emerſerant, lucemque nouam gratiæ acceptam ob oculos ponens, « vocatione quâ vo-
Epheſ. 4. 1. cati erant dignè ambulare » ſic hortatus eſt:
Epheſ. 5.8. « eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Vt filii lucis ambulate. » Rectè quidem in Chriſto renouatos, eius, & Eccleſiæ filios, lucis filios appellauit. Chriſtus enim de ſeipſo:
Io.8.12. « Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. » Et Ioannes de ipſo: «Erat lux
Io.1.9. vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Eius porro ſponſa omnium fidelium mater Eccleſia, quæ noſtrûm cruciatur in partu, in Ioannis Apoc. deſcribitur, amicta lumine ſicut veſtimento: « mulier ami-
Apoc. 12.1. cta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim: & in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur vt

pariat. » Et quis ex Patre & Matre tam fulgidis, niſi partus lucidus emergat? quòd ſi operari ſequitur eſſe; quis fructus, quod opus luminoſæ prolis, quis gradus, quis progreſſus? « vt filij lucis ambulate. Fructus autem lucis, eſt in omni bonitate, & iuſtitiâ, & veritate. » Inter prima naſcentis Eccleſiæ lucis genimina, vt fulgidum ſydus prioris æui fulſit S. Eutropius; cuius è tenebris Idololatriæ ad lumen fidei, in eadem veritate, ſicut & in bonitate & iuſtitia progreſſus hodie nobis ſpectabilis afflulget; qui inter cæteros iuſtos emicat; de quibus thema noſtrum ſic habet: « iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem. » De eius proceſſu ſiue aurorâ, tenebroſâ de erroris nocte ſurgente, inceſſu proficiente, conſummatâ tandem martyrio, virtute vt perfecto die dicturi, te primò Martyrum Reginam ſalutamus; quam ſtupuere Angeli tantâ ſub luce pauidi, exclamantes: « quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol? » præcinente Gabriele, & dicente: Aue Maria.

Epheſ. 5. 9.

Cant. 4 2.

EXORDIVM.

Quanquam, atteſtante Moyſe « Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia; » vt agens perfectiſſimum decet: non ſuam tamen ſimul & ſemel, ſed paulatim & quaſi gradatim erexit operando poteſtatem omnium, ſiue naturæ, ſiue gratiæ artificem. Ita ſenſit magnus ille Doctor Africæ Tertullianus; « Omnia, inquit, opera ſua Deus ordine conſummauit, incultis primò elementis depalans (ſenſim euol-

Deut. 32. 4.

Cont. Hermog. cap. 29.

uens & palam educens, vel rudiori Mineruâ de-
lineans) quodammodo mundum, dehinc exor-
natis velut dedicans. Nam & lumen non ſtatim
ſplendore ſolis impleuit, & tenebras non ſta-
tim ſolatio lunæ temperauit, & cœlum non ſta-
tim ſyderibus ſtellisque ſignauit, & maria non
ſtatim belluis frequentauit, & ipſam terram
non ſtatim variâ fœcunditate dotauit. Sed pri-
mò eſſe ei contulit, dehinc non in vacuum eſſe
ſuppleuit. » Haud aliter opera diuinæ gratiæ
De vel. Virg. cap.1. meditatur. « Quale eſt, inquit, vt Diabolo ſem-
per operante, & adiiciente quotidie ad iniqui-
tatis ingenia, opus Dei aut ceſſauerit, aut profi-
cere deſtiterit? Cùm propterea Paracletum mi-
ſerit Dominus, vt quoniam humana mediocri-
tas omnia ſimul capere non poterat, paulatim
dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum per-
duceretur diſciplina ab illo Vicario Domini
Spiritu ſancto. Adhuc, inquit, multa habeo lo-
qui vobis, ſed nondum poteſtis ea baiulare: cum
Io.16. 12. venerit ille Spiritus veritatis, deducet vos in om-
nem veritatem, &c. Nihil ſine ætate eſt, & om-
Eccle. 3.1. nia tempus expectant. Denique Eccleſiaſtes,
tempus, inquit, omni rei. Aſpice ipſam creatu-
ram paulatim ad fructum promoueri. Granum
eſt primò, & de grano frutex oritur, & de fruti-
ce arbuſcula enititur: deinde rami & frondes
inualeſcunt, & totum arboris nomen expandi-
tur: inde germinis tumor, & flos de germine ſol-
uitur, & de flore fructus aperitur; is quoque ru-
dis aliquandiu, & informis, paulatim ætatem
ſuam dirigens, eruditur in manſuetudinem ſa-
poris. Sic & iuſtitia: nam idem Deus iuſtitiæ &
creaturæ: primò fuit in rudimentis natura Deum
metuens: dehinc per legem & Prophetas pro-

mouit in infantiam; dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem. » Talis iuſti noſtri Eutropij ſemita, quaſi lux ſplendens proceſſit è nocte, creuit in virtute prædicationis Apoſtolicæ, peruenit tandem ad palmam & coronam Martyrij gloriæ. Hæc ordine deſcribamus in primâ huius tractatus parte, & in 2. reflexiones morales ex ea producamus. DIVISIO.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

A Dionyſio Areopagitâ didici rationem & modum, quo homines diuini luminis ſplendoribus, ab æterno Sole illuſtrantur, cuius radiis dies quidam intelligibilis, ſpiritualibus in eorum animis, ortu quodam, progreſſu, & meridie efficitur & perficitur. Vt enim ſolis huius viſibilis, ſuper hunc Megalocoſmum circumlatio, dies naturalis dicitur; ſic diuini Solis ſupra Microcoſmum circuitus, dies ſupernaturalis appellatur. Sic autem conceptum ſuum enuntiat his verbis; « dicendum eſt quomodo intelligibilis lux bonum ipſum dicitur, quòd omnem ſupercœleſtem ſpiritum ſpirituali impleat luce, omnemque ignorantiam pellat, erroremque abigat ex animabus, quibus ſe inſinuauerit, eiſque ſacræ lucis conſortia tradat, ſpiritualeſque illorum oculos purget, obductamque ignorantiæ caliginem tergat, tradatque illis primùm quidem exigui conſortia luminis: deinde vbi illæ deguſtauere lucem, maioreque eius tanguntur deſiderio, ſeſe eis magis infundat, & copiâ vberiore lucis infulgeat, quia dilexerunt multùm: ſemperque eas ad anteriora intendat, quantùm aſpirare ad ea pro captu ſuo poſſunt. » Sic

Lib. de diuin. nomin. cap. 4.

præclarè docet, quomodo iuſti ſemita, proceſſit ex tenebris, donec creſcendo peruenit ad perfectam diem. In quo quidem non modica gloriæ claritas acceſſit Eutropio, quòd Dionyſium ipſius Apoſtoli Gentium Diſcipulum, alterumque Galliarum Apoſtolum meruerit habere præconem. Et quicumque cum Vincentio Bellouacenſi, Petro de Natalibus, Petro Cluniacenſi, D. Antonino, de B. Eutropio ſcripſerunt, id omne ex Dionyſij fontibus hauſerunt, hauſtumque poſteris propinarunt. Is quippe ſuperſtes Eutropio, cum quo olim Româ profectus in Gallias, Euangelicæ prædicationis ſocius; cùm generoſum eius agonem pro Chriſto excepiſſet, vitam eius finemque ſanctiſſimum Græcè conſcriptum Clementi, vel, vt alij volunt, Anacleto tranſmiſit; vt eius acta, ſuis Athenas conſanguineis pro Chriſti nomine dura patientibus, huius glorioſi Martyris exemplo animos ad grauiora quæque fortiter ſubeunda conferret. Vnde in Eccleſiâ fluxit mos ille laudabilis acta Martyrum conſcribendi. Quæ quidem acta Calixtus Papa II. Conſtantinopoli in Græcorum Schola reperta ex Græco in Latinum transferri curauit, ita Antoninus ex Vincentio in ſpec. hiſt. lib. 10. c. 18.

Pet. de Nat. lib. 4. c. 105. Vincētius Bellou. tom. 4. Anton. 1. p. tit. 6. cap. 28. §. 3. Martyrolog. Gal. in Apparatu tom. 2

Vt à primâ filij huius lucis aurora exordiar, quanquam vt plurimùm, referente Paulo, « non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. » Vt ex vilibus inſtrumentis maior artifici gloria redundaret. Quo

1. Cor. 1. 26.

Digitized by Google

permotus Auguſtinus : « Ipſe, inquit, modus quo mundus credidit, ſi conſideretur, incredibilior inuenitur. Ineruditos liberalibus diſciplinis, & omnino, quantum ad iſtorum doctrinas attinet, impolitos; non peritos Grammaticâ, non armatos dialecticâ, non Rhetoricâ inflatos piſcatores cum retibus fidei ad mare huius ſæculi pauciſſimos miſit, atque ita ex omni genere tam multos piſces, & tantò mirabiliores, quantò rariores etiam ipſos Philoſophos cepit. » Tamen etiam interdum potentes, ſapientes, & nobiles vocatos ad fidem, ad prædicationis Euangelicæ munus aſſumpſit; nec Paulum Romanum ciuem, ad Gamalielis pedes eruditum; nec Dionyſium Senatus Areopagi præfectum, nec Eutropium Regali ſtirpe progenitum vtpotè Xerxis cognomento Admirandi Babylonij Regis & Guinæ filium, Nicanore Pedagogo, Chaldaïcis & Græcis literis à primâ pueritiâ inſtructum non dedignatus, tenebroſâ Idololatriæ de nocte ad veræ fidei lucem, Apoſtolicumque miniſterium creſcente in dies luce, ad ſummum vſque Martyrij diem feruoremque prouexit. Is vt erat acris & curioſi ingenij, acceptâ à Patre veniâ profectus in Galileam, & in curiâ exceptus Herodis, miraculorum Chriſti famâ permotus, « tanti Solis » iuxta Malachiam « ſanitatem in pennis habentis » videndi deſiderio æſtuans, dum abiret Ieſus trans mare Galilææ, innumera ſequente plebis multitudine, & ipſe ſecutus, magni illius ſpectator affuit prodigij, quo quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus quinque hominum millia ſatiauit. Iam tum ſub crepuſculum fidei, & ſub dubiâ adhuc luce, magnum quid de tanto

Lib. 22. de ciui. cap. 5.

Vincẽt. Bellou. cap. 19.

Malac. 4. 2.

Prophetâ augurabatur Eutropius, quod poſtea perfectè fidelis, à Salomone dictum intellexit,
Cant. 5. 14. manus Chriſti Thaumaturgas conſpicatus, cùm diceret: « manus eius tornatiles aureæ plenæ
Aug. in Pſ. 90. hyacintis : » & cum Auguſtino dicere potuit: « Quid magnum erat Domino Ieſu Chriſto de lapidibus panem facere, qui de quinque panibus tot millia ſatiauit? de nihilo fecit panem. Tanta enim fuerat multitudo eſcæ, quæ ſaturaret tot millia? vnde proceſſit? fontes panes erant in manibus Domini: non eſt mirum: nam ipſe fecit de quinque panibus multos panes, vnde ſaturaret tot millia, qui facit quotidie in terrâ de paucis granis meſſes ingentes. Ipſa enim ſunt miracula Domini, ſed aſſiduitate viluerunt. » Iam præmiſſa ſi lubet à Dionyſio retexamus. Videtis
De diuin. Nom. cap. 4. « vt lux illa intelligibilis ſpirituales oculos purget, obductamque ignorantiæ caliginem tergat, tradatque illis primùm exigui conſortia luminis: deinde vbi deguſtauere lucem, maiore eius tangantur deſiderio. » Babyloniam Eutropius regreſſus in Regiam, omnia de Chriſto viſa & audita patri narrauit, eiuſque animum Chriſti etiam videndi non modicâ cupidine incendit. Nec multò poſt obtentâ licentiâ rurſum ab eo, Ieroſolymam Deum in templum more etiam tum Gentili adorandi causâ regreſſus, cum decenti comitatu perrexit; & triumphali palmarum die, Chriſto cum plebe ramos de
Matth. 21. 8. arboribus præcidente, & veſtimenta in viâ ſternente, pueris hoſanna acclamantibus, & ipſe collectos flores triumphantis pedibus abiecit, ac ſparſit; purpuram etiam & coronam, ni timor aliquis ac reſpectus Nicanoris pedagogi Gentilis, impetum eius præpediſſet, proſtra-

Digitized by Google

turus, vt « Regi Regum, & Domino dominantium » occultè tamen ſe eius ſubduxit oculis, & iam Chriſti factus Diſcipulus, à Philippo quæſiuit, quomodo Ieſum videre poſſet, inter eos recenſendus, qui dixerunt Apoſtolo; « Domine volumus Ieſum videre: » Quem in locum Auguſtinus, aduertens Chriſtum ſtatim reſpondiſſe Philippo & Andrææ deſiderium Gentium nuntiantibus ſibi: « Venit hora, vt glorificetur filius hominis. Hîc, inquit, quiſquam fortaſſe putat, ideo ſe dixiſſe glorificatum, quia Gentiles eum volebant videre; non ita eſt: ſed videbat ipſos Gentiles poſt Paſſionem & Reſurrectionem ſuam in omnibus credituros: quia ſicut dicit Apoſtolus, cæcitas ex parte in Iſraël facta eſt, donec plenitudo Gentium intraret. Ex occaſione igitur iſtorum Gentilium qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudinem Gentium; & promittit iam iamque adeſſe horam glorificationis ſuæ; quâ factâ in cœlis, Gentes fuerant crediturae. » Magi Reges Orientis, Chriſti ortum ſtellâ duce, vt primitiæ Gentium agnouerunt: Eutropius Regis Orientis filius, Chriſtum ad occaſum properantem agnouit, & ipſe inter primitias Gentium. Quo potitus, ſummopere lætatus, reuerſus ad Patrem; auditâ Chriſti nece à Iudæis crucifixi, tanto in reos huius parricidalis criminis vlciſcendi zelo exarſit, vt omnes paternæ ditioni ſubditos Iudæos iuſſerit interimi. Poſt partitum inter Apoſtolos orbem terrarum, obtingente Simoni, & Iudæ, Perſidis ac Babyloniæ ſorte, eorum prædicatione & miraculis, nec minùs Eutropii exhortatione, Admirandus & Guina, cum plurimis Aulicis, multaque plebe ad

Vincet. Bellou. cap. 19.

Io. 12. 21.

Tract. 51. in Io. 12.

Rom. 11. 25.

fidem conuerſus, & ſalutaribus vndis in Chriſto tinctus, Apoſtolorum corda miro gaudio impleuit, qui nihil renitente Patre, Abdiæ Babyloniæ creato Antiſtiti, Eutropium Archidiaconum conſecratum tradiderunt, quorum Gentilium inſurgente perſecutione Martyrium, ipſe Græcis ac Chaldaïcis literis ſcripſiſſe refertur.

Vincẽt. Bellou. cap.20.

Nec parua quidem laus Eutropio, nec modica lux eius nomini accedit, quòd à Regalibus diuitiis, ad Chriſti paupertatem, vnà cum faſtu, deliciiſque proculcatis, ad crucem Domini baiulandam & « iugum eius ab adoleſcentiâ portandum » præpeti volatu accurrerit; vt quod de vitiis, cõculcatis Auguſt. pro de eorũ fomitibus, diuitiis voluptatibus, honoribus generosè contemptis ab Eutropio, diſſeramus: « Eleuabunt nos, inquit, ſi fuerint infra nos, de vitiis noſtris ſcalam nobis facimus ſi vitia ipſa calcamus.» Nec aliter Iconis aureæ, vel gemmeæ ſuppoſita baſis ex Saphiro aut Smaragdo, ſplendori eius cumulum præbet, quam pretioſa quæque mundi, tanquam purgamenta Eutropij pedibus conculcata. Martini certè Poſthumi Regis Aragoniæ & Siciliæ magnanimitatem, & mentis acumen anteuerterat, qui cùm regna ſua Ferdinando dimiſiſſet, pro ſtemmate pinxit Regem coronatum, vnâ manu laureum ramum, alterâ gubernaculum præferentem, globo ſupercœleſti impoſitum, cum hac Epigraphe: « non in tenebris. » ſupple regnare volo, ſed in luce Regni cœleſtis. Hæc iuſti noſtri Eutropij ſemita, hæc aurora, quaſi aura rorans, quod primo mane, ros ſtillat ab aëre; vel aurea hora, quâ lux prima, guttis velut aureis, frondes & flores, ac ſumma gramina videtur aſpergere: vel tandem aurea

Thren. 3.27.

Serm.3. de aſcenſ. in f.

Typotius in Hierograph. Regum Arago. & Sicil.

dictitatur hora, quòd fœlix, fortunataque ſit vita futura cuius ortus fuerit ſub aurorâ. O prorſus auream Eutropii in Christo naſcentis horam, quâ eius anima cœleſti gratiæ, & charitatis rore perfuſa, omnia deinceps opera æternæ gloriæ meritis inaurauit. « Chimicam compoſitionem » charitatem non abs re Laurentius Iuſtinianus appellat, ſiue Philoſophicum lapidem; cuius attactu prædiuite, cætera in aurum metalla conuertuntur. O Eutropi, te quidem charitate diuinâ percuſſum, ſpiritu præſago præuiderat ad Chriſtum in aurorâ adoleſcentiæ conuerſum Iſaïas, cum diceret: « ros lucis, ros tuus: & terram Gygantum detrahet in ruinam. » Cùm Gygantes illos Babylonicæ turris opifices, vel eorum ſucceſſores Idololatras, à ſuperſtitione Gentili ſubuerſos, ad lucem fidei conuertiſti: adeò vt & æternus Pater Filium alloquens: « in ſplendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum genui te: » & te futurum in ſplendore Sanctorum, vt radium ſub Sole, & membrum fulgidum ſub illuſtriſſimo electorum capite præſcierit: & tibi de erroris nocte, eius merito & vocationis gratiâ prodeunti blandiatur Hieronymi verſio: « ex vtero auroræ, tibi ros adoleſcentiæ tuæ. »

Iſa. 26. 19.

Pſ. 109. 4.

Sed progreſſum lucis, per horas ad meridiem vſque feruoremque Martyrij proſequamur, poſt impigram in Archidiaconi munere, cum indefeſſo virtutis omnigenæ ſtudio, nauatam operam; percrebreſcente Principis Apoſtolorum miraculorum famâ; non Ieroſolymam, vt olim Paulus, ſed Romam vſque; vbi tum ſedebat, videndi gratiâ Petri ſeceſſit, ibi aliquandiu commoratus, in Galliam apud Sanctonas Chriſti

Vinc. bellou. cap. 21.

Euangelium prædicandum ab eo miſſus, ſub vili tuguriolo, quondam aulicola, xerophagiis vi-
Luc. 6. 12. ctitans,& Chriſto conformis, vigiliis incubans, « pernoctans in oratione Dei » & totos dies
2. Tim. 4. 2. operi Apoſtolico vacans « opportunè, importunè, arguens, obſecrans, in omni patientiâ & doctrinâ, miniſterium implens » non impar Timotheo, Idololatras fidei luce fruſtra multis annis
Vinc. Bellou. Ibid. imbuere incredibili patientiâ tentauit, donec etiam facibus aduſtus & perticis, irruente in ſe turmatim plebe Gentili, foras abactus; cùm vix decem ad Chriſtum conuertiſſet, Romam repetens, Petro mortuo ſuffectum Clementem adiit; cui irritos in Sanctonum conuerſione labores ſuos, fruſtra in terram ſterilem & ingratam iactata verbi diuini ſemina; & toties in vacuum elementum feroſque piſces laxata retia, non ſi-
Petrus Galeſ. in Martyrol. prid. Cal. Maij. ne lacrymis conqueſtus humiliter, ad eoſdem Sanctonas, prænuntiatâ ei ſpiritu Prophetico Martyrij coronâ, in gradum Epiſcopalem cum Dionyſio Areopagitâ promotus remeauit in Galliam. Tum verò cum ſole proficiſcens, & proficiens, « exultauit vt gygas ad currendam
D. Antonin. 1. p. tit. 6. cap. 28. §. 3. Vinc. Bellou. cap. 21. viam. « Et diſcuſſis ignorantiæ nebulis, cæcos vtroque oculo, mentis & carnis orbos oculauit; & miraculorum digitis in ſurdorum auriculas miſſis, interiorem mentis auditum aperuit, claudis greſſum, & plenam ægris valetudinem contulit. Inter cæteros autem, ipſam Regis, ſiue Præfecti Sanctonum filiam Euſtellam nomine, baptizauit. Hanc Chriſto virginem conſecratam, iuxta ſuum tugurium magnâ ſanctitate viuentem, cùm eius pater Idololatrę ſuperſtitionis æmulator, ferre non poſſet; nec eam blanditiis aut minis à propoſito virginitatis & fidei deter-

rere; efferato animo, concitata Gentilium turba, nec non conducto argenti pretio carnificum ſatellitio, Eutropium primò lapidatum, dehinc fuſtibus, ac loris, plumbatiſque cæſum, ſecuri tandem ad caput illiſâ mactatum, Euſtella in eodem primo tugurio ſepeliuit; donec corpus eius ſanctiſſimum Palladius Epiſcopus in Baſilicam ſuperbam eius in honorem erectam tranſtulit & loco honorificentiſſimo collocauit. Quâ nocte S. Eutropius, duobus Abbatibus, qui dedicationi templi adfuerant, in ſomnis apparuit; & locum capitis, quo ſecuri percuſſus Martyrium conſummauerat, rubenti notatum ſtigmate indigitauit. O virum Apoſtolicum, ab Apoſtolis Simone & Iudâ baptizatum, à Petro primùm Apoſtolo, dehinc ab eius ſucceſſore Clemente, viro planè Apoſtolico Sanctonum Apoſtolum miſſum. Indefeſſum muneris Apoſtolici miniſtrum, Martyrum gloriâ clarum, & vnâ cum Apoſtolo & Euangeliſtâ Mathæo, vt fidei ſic & virginitatis tuendæ causâ geminâ caſtitatis, & fortitudinis palmâ, & roſæ ſimul ac lilii contextâ aureolâ donatum; ſicut ille Iphigeniæ Regis Æthyopum filiæ velatæ; ſic iſte Euſtellæ gratiâ, capite cæſus occubuit. Præluxerat eiſdem lucis exemplo, Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, contra Neronis ſpurcitias, pro Matronis, eius quondam amaſiis, in caſtitatis propoſito ſuſtinendis, exantlatum martyrium. Quot radiis ſolis huius cingendum eſt caput? quot gradibus in ſummum vſque hypſoma conſcendit, vt ad apogeum perfectæ diei perueniret? Legunt alij cum Aquila & Sancte Pagnino; « iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit, vſque ad paratum diem. » Perge ergo Eutropi, « per-

Greg. Turon. lib. 1. de gloria Mart. cap. 56.

Prou. 4. 18.
Matth. 25. 34.

cipe Regnum quod tibi paratum eſt ab origine mundi.» Rodolphus legit, « robur diei » Theodotion autem « ſtabilitatem diei. » Alii cum Caietano: « donec ſe corrigat dies. » Ab infirmis, malis, inſtabilibus diebus huius caducæ vitæ, ad robur diei, ad correctam diem, om-
Pſ. 35. 10. ni defectus humani labe purgatam, « in lumine viſurus lume[n] » aſcende. Donec in fine ſæculi anima tua beatiſſima è ſepulcri tenebris ad gloriæ æternæ conſortium, & participationem claritatis, ſuum corpus aſſumat, tot illuſtrandum radiis, quot olim percuſſum eſt plagis. « Neſcio
Lib. 22. de ciui. cap. 20. inquit Auguſtinus, quo modo ſic afficimur amore Martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt, & fortaſſe videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit: & quædam quamuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit, &c. Non ſunt deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia.» De impacto ſecuris ictu in caput Eutropii, deque cicatricis veſtigio apud Abbates captatâ gloriâ, ad Deum conuerſum me
Pſ. 20. 3. compellit dicere cum Pſalte; « poſuiſti Domine in capite eius coronam de lapide pretioſo : » vt « reſurgens in iudicio, in concilio iuſtorum (cum Paulo, ſuo perſecutori inſultans, ſuamque cicatricem omni luce ſplendidiorem oſtentans,
Gal. 6. 17. exclamet.) De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini mei in capite meo porto.»

SECVNDA PARS MORALIS.

PRIMA REFLEXIO. Martyrum gloriam multis proſecutus eſt Tertullianus, & Marty-

rium ab æui initio dedicatum euoluit; vt nos, ſicut olim ſui ſæculi fideles, ſaltem ad patientiæ Martyrium, exemplo Martyrum excitaret. « A primordio, inquit, iuſtitia vim patitur. Statim vt coli Deus cœpit, inuidiam religio ſortita eſt: qui Deo placuerat occiditur, « & quidem à fratre: quò procliuior impietas, alienum ſanguinem ſectaretur, à ſuo auſpicata eſt. Denique non modò iuſtorum, verum etiam & Prophetarum. Dauid exagitatur, Helias fugatur, Ieremias lapidatur, Eſaïas ſecatur, Zacharias inter altare & ædem trucidatur, perennes cruoris ſui maculas ſilicibus adſignans. Ipſe, clauſula legis & Prophetarum, nec Prophetes ſed Angelus dictus, contumelioſâ cæde truncatur in puellæ Pſalticæ lucar.» Nec minori eloquentiâ nouæ legis Martyres extulit. « Quòd Petrus cæditur, quòd Stephanus opprimitur, quòd Iacobus immolatur, quòd Paulus diſtrahitur, ipſorum ſanguine ſcripta ſunt. Et ſi fidem commentarii voluerit hæreticus, inſtrumenta imperii loquentur, vt lapides Ieruſalem. Vitas Cæſarum legimus; orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci adſtringitur. Tunc Paulus ciuitatis Romanæ conſequitur natiuitatem, cùm illic Martyrii renaſcitur generoſitate.» Ad hæc exempla tolerantiæ ſuæ, arma patientię Eutropius excudit, cui & cæteris nos in aduerſis conformari condeceret. Non imminet quidem ceruici noſtræ Tyranni mucro, non lapidum grando vel nimbus irruit; non faces incenduntur, non exacuuntur vngues ferrei ac pectines, vel equulei aptantur; ſed morbi, ægritudines, iacturæ bonorum, tentationes diaboli, inimico-

In Scorp. cap. 8.

Scorp. cap. 15.

rum iniuriæ, & tot huius ærumnoſę vitæ aduerſa circumſtant, vt ſors Chriſtiani patientis, poſſit quoquo modo cum Martyrum ęquanimitate
Act. 5. 41. pariari. « Ibant illi gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. » Nos ſi aliqua in iudicium vocat calumnia, ſi tantilla perſecutio premat, deiecto vultu, vt corde, in murmur contra Deum & proximum erumpimus; & ad primum quemque fluctum puſillanimes deſperatione mergimur, quaſi nil muneris aut coronæ nos maneret
Typotius in Ierograph. comitũ Aſpur. in cœlis. Recolite Humfredi Comitis Aſpurgenſis decimi emblema, in quo picta viſitur vna teſtudo mari ſupernatans, ad ſolem expanſa, cum elogio; « ſic immerſabilis. » Solent teſtudines, vt aduertunt naturæ genii, ad ſolem meridianum emergere ex mari. Et iuxta Plinium, Troglotidæ Æthyopes teſtudines adnatantes adorabant. Faceſſat procul Idololatrię ſuperſtitio; Eutropium, diuinum hominem, colimus, ſuſpicimuſque ſequaces eius; qui maturo prudentiæ gradu lentè feſtinant; ſed multo magis, qui ad ſolem tribulationis, & meridiem charitatis excocti, omnibus huius ſæculi vndis ſupernatant, & denſatâ patientię fornice, omnia etiam ignita inimici tela illęſi accipiunt & retundunt.

SECVNDA REFLEXIO. Quàm longè ſumus à ſemitâ iuſti, à profectu Eutropii! Hic cum luce & ſole profecit, nos vix teſtudineo greſſu adrepimus. Aduertite quæſo à quo termino proceſſit, quâ viâ inceſſit, quò peruenit. Quid reliquit, quid accepit. Iactas Petre,
Matth. 19. 27. nec quidem immeritò, « ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? »

Retia

Digitized by Google

Retia vilia, attritam nauiculam, caſulam ruinoſam. Ecce quæ dimiſiſti omnia. Sed multum planè dimiſiſti, qui nihil omnino tibi proprium reſeruaſti. Affectu quidem omnia, ſeu magè contemptu, re pauciſſima Eutropius Perſarum & Babylonium Regnum, regaleſque diuitias, aulæ delitias, & honores, parentes inſuper per calcatos, Chriſti ſe & Apoſtolorum eius Diſcipulus, humilis famulatui mancipauit. Sed ab imis ad ſumma, à terrenis ad cœleſtia perrexit. Nec iam contentus in viâ peccatorũ non ſtare, non ſedere in cathedrâ peſtilentiæ, ſed in lege Dei meditando die ac nocte, quaſi lux ſplendens in dieſque proficiens, progreſſus eſt vſque ad perfectam diem. Nos quid pro Chriſto relinquimus, quod punctum honoris, quem floſculum voluptatis, quam argenti Drachmam? pondere auaritiæ, ſpurci amoris glutino, vanæ gloriæ viſco, ſic hæremus terræ, vt vix in viâ Dei & virtutis greſſum figere, ſomnũ excutere, oculos luci aperire valeamus, quòd ſi tandem viam lucis ingredimur, vel lentè gradimur, vel retrouertimur, vix vnquam perſeueramus ad finem. Accipite Auguſtinum, « Via, inquit, noſtra, (Chriſtus ſcilicet qui dixit Ego ſum via) ambulantes quærit. Tria ſunt hominum genera quæ odit, remanentem, retrò redeuntem, aberrantem, &c. Excitandi ſunt ergo remanentes, retro redeuntes reuocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit remanſit in viâ: qui fortè à meliore propoſito declinat, ad id quod deterius reliquerat, reuerſus eſt retro; qui fidem deſerit, à viâ errauit, &c. Quis eſt qui non proficit? qui ſe putauerit eſſe ſapientem: qui dixerit, ſufficit

Pſ. 1. 2.

Tom. 9 Tract. 2. de Cant. nouo cap. 4.

Philip. 3. 18. mihi quod ſum: qui non attenderit eum qui dicit, quæ retrò oblitus, in ea quæ ante ſunt, extentus, ſecundùm intentionem ſequor ad palmam vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Currentem ſe dixit, ſequentem ſe dixit, non remanſit, non retroſpexit: abſit vt errauerit: quia viam ipſe docebat, qui & tenebat, & oſtendebat. Celeritatem autem eius vt imitaremur, ait, imitatores

1. Cor. 11. 1. mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, &c. Qui ſunt & retrò redeuntes? qui ex continentiâ reuertuntur in immunditiam: qui ex ſancto & ſingulari bono propoſito virginitatis, diuertuntur in turpitudines voluptatis, & corruptâ mente, corrumpunt ſimul & carnem. Hos increpat Apoſtolus Petrus

2. Pet. 2. 21. dicens; Meliùs illis erat non cognoſcere viam ſalutis, quàm cognoſcentes retrò reſpicere. O malum retrò reſpicere! Vxor enim Loth quæ liberata eſt à Sodomis, contra præceptum retro

Gen. 19. 26. aſpexit, quod euaſerat perdidit. Nec immeritò in ſtatuam ſalis repente conuerſa eſt, niſi vt fatuos ſuo etiam exemplo condiret. Qui ſunt & aberrantes? omnes hæretici, qui relictâ veritatis viâ, errando per deſertum latrocinantur, & animas captant in peccatis, præpediuntque, ne quis ad patriam valeat peruenire: effecti lupi ſemitarii, induti ouinâ pelle, cùm ſint intus lupi rapaces, prædicantes Chriſtum viam, & qui eos ſequuntur, ducentes ad mortem.» Et quot etiamnum ſeductores qui aberrantes ſecum in errorem abripiunt? &c.

Tertia Reflexio. Sit prædicatoribus omnibus in exemplum feruor & perſeuerantia

Matth. 13. 45. Eutropii, qui « ſimilis homini negotiatori quærenti bonas margaritas dedit omnia ſua vt compararet eas » & priùs Deo plenus, de ſuâ pleni-

Digitized by Google

tudine effundebat in auditores ſuos. « Sic man- Aug. in
duca, vt eructes; ſic accipe, vt des. » ait Augu- Pſ. 44.
ſtinus. « Pernoctabat in oratione Dei, accedens Luc. 6.
ad Deum vt illuminaretur, vt ſuo deinde ſplen- 12.
dore illuminaret ſedentes in tenebris, & in vm- Luc. 1.
bra mortis. » Omnia ſua planè relinquebat, 79.
ſomnum, cibum, &c. Vt animarum lucra capta-
ret. Et mirâ patientiâ multis annis parua piſcium
captura, ſemel atque iterum « in verbo Dei la- Luc. 5.
xauit rete, & cepit tandem piſcium multitudi- 5. & 6.
nem copioſam. » Multos hodie videas, non ho-
minum, ſed lucri, aut vanæ gloriæ aucupes,
« amantes primas cathedras, & ab hominibus Matth.
vocari Rabi, dilatantes Phylacteria, & magnifi- 23. 6.
cantes fimbrias, cauponantes verbum Dei; adul- 2. Cor.
teri, neſcientes quoniam amicitia huius mun- 2. 17.
di inimica eſt Dei. » Præ cæteris aduertat Ec- Iac. 4.
cleſiaſtes, quo zelo in ſe aliiſque ſectando Eu- 4.
tropium, circumpoſitis auditorum auribus
Chriſti ſpinis, immaculata debeat lilia ſeruare
caſtitatis, vt Salomonem audiens moneatur,
« ſæpire aures ſuas ſpinis: » & cum Eutropio de Eccli.
Euſtellâ inter medios aulæ ignes feruoremque 28. 28.
adoleſcentiæ inuſtâ; & inter ſpinas & carnis
ſtimulos illæsâ, de animâ fideli in propoſito
virginitatis & continentiæ firmatâ, dicat: « ſi- Cant. 2.
cut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter 2.
filias. » Tanti porrò eſt meriti, & in ſeipſo ſer-
uare continentiam, & ſuo in aliis verbo &
exemplo ſuadere caſtitatem, vt id Auguſtinus
Martyrum gloriæ coæquarit: « Si, inquit, caſti- Aug.
tas & veritas & iuſtitia Chriſtus eſt, ſic & ille ſer. 250.
qui eis inſidiatur perſecutor eſt; & ille qui & de tēp.
in aliis defendere & in ſe cuſtodire voluerit,
Martyr erit. » In deſertis Indiæ medios inter ar-

dores ſolis, mediiſque ſerpentibus, linum enaſcitur dictum abeſtinum, ex quo contextæ mappæ ſordes in igne deponunt, quo inuoluta in rogo corpora, illæſos & impermixtos cineres conſeruabant. Nec id tantùm: ſed etſi quod lino abeſtino corpus, cuiuſcumque materiæ inuolutum contundatur, nullum à circunſtantibus murmur ex ictibus auditur. Talis ô Eutropi conſtantiæ tuæ & caſtimoniæ vigor. Nullum abs te murmur in tot preſſuris & tunſionibus, nulla inter perſecutionum ignes corruptio, abeſtino virtutum omnium incorruptibilium lino veſtitus, ſi quas fortè humanâ fragilitate maculas contraxiſti, eas igne charitatis vt zelo martyrii abluiſti. Hanc quæſo ſuper nos veſtem tuæ protectionis expande, nos in ſemitam rectam dirige, fac prælucentem inſequi, vt de nocte ſurgentes, fiat via noſtra ſicut iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, & procedens & creſcens vſque ad perfectum æternitatis diem. Amen.

Plin. nat. hiſt. lib. 19. cap. 1. in f.

Digitized by Google

IN FESTO APOSTOLORVM, Iacobi & Philippi.

Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui; Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.
Rom. 8. 29.

OMnis quidem anima rationalis, « ſignato lumine diuini vultus » eſt naturaliter inſi- Pſ.4.7.
gnita: « fecit quippe Deus hominem ad imagi- Gen. 1.
nem ſuam » per naturam, « & ad ſimilitudinem » 26.
per gratiam. Et ſicut « inſufflauit in faciem eius
ſpiraculum vitæ, vt fieret in animam viuentem » Gen. 2.
vitâ rationali: ſic inſufflauit in Eccleſiam, eiuſque 7.
Apoſtolos; vt acciperet omnis anima fidelis Spi- Io. 20.
ritum ſanctificantem, « miſit enim Deus ſpiri- 22.
tum adoptionis filiorum, in quo clamamus Ab- Rom 8.
ba Pater; » ſed Spiritus huius primitias Apoſtoli 15. &
habuerunt. Licet enim fideles omnes, & præde- 23.
ſtinati maximè, eiuſdem ſint Spiritus participes,
« & præſciti, & prædeſtinati ſint, fieri conformes Rom. 8.
imagini Filij Dei: » maiorem tamen cum Chri- 29.
ſto ſimilitudinem, vt præcipui fratres, cum pri-
mogenito habuerunt; vtpote iure primitiarum
accepti ſpiritus, vocati fratres à « primogenito Apoc.
mortuorum, & prædeſtinato Dei Filio in Spiri- 1. 5.
tu ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum.
Ite (inquit, ſuſcitatus à mortuis) « dicite fratri-

Digitized by Google

bus meis, &c.» Vbi D. Auguſtinus ſubtiliter aduertit: « Secundùm id, inquit, quod vnigenitus eſt, non habet fratres; Secundùm id autem quod primogenitus eſt, fratres vocare dignatus eſt omnes, qui poſt eius, & per eius primatum, in Dei gratiam renaſcuntur, per adoptionem filiorum, ſicut Apoſtolica diſciplina commendat.» Verùm inter omnes fratres, ſpeciali prærogatiuâ dilectionis à Chriſto vocati ſunt Apoſtoli, pro quibus Paulus; « per quem, inquit, accepimus gratiam, & Apoſtolatum.» Sacroſancti huius collegii duos Senatores, & Principes, nobis hodie ſancta proponit Eccleſia, Iacobum, & Philippum; quorum primò conformitatem cum imagine Filii Dei contemplabimur, quam præ cæteris, in ipſis digitus Dei Spiritus ſanctus viſus eſt deſcripſiſſe; Secundò reflexiones morales ex vtriuſque imitatione colligemus. Tu verò Apoſtolorum Regina, non primitias tantùm, ſicut illi, ſed plenitudinem Spiritus accepiſti, quæ vnigenitum Dei, primogenitum in multis fratribus, fratrem noſtrum in ſimilitudinem hominum factum, & noſtræ imagini conformem de Spiritu ſancto concepiſti, cùm te Angelus eius gratiâ plenam ſalutauit, dicens: Aue.

Beda in Rom. 8. ex Aug. ſer. de Symb.

Rom. 1. 5.

DIVISIO.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Si electi & prædeſtinati omnes, ſecundùm Apoſtolum, ex Dei propoſito imagini Filii oporteat eſſe conformes, quia « in ipſo electi ante conſtitutionem mundi » velut capite membra concinnè decet aptari; haud dubiè, cùm Apoſtoli, velut præcipua, & proxima membra electa debuerunt ſuo capiti & principi, maiori ſimili-

Ephes. 1. 4.

Digitized by Google

tudine conformari. Hinc quidquid penè Chriſto virtutis & gloriæ, exceptâ propriâ & incommunicabili vnigeniti perſonâ, tribuitur, id omne in Apoſtolos diuinâ largitate effuſum in ſcripturâ legimus. « Meſſias dictus eſt, quod interpretatur miſſus: » & Apoſtoli ex emphaſi nominis à Meſſiâ miſſi ſunt, vt accepto Spiritu, toto terrarum orbe gloriam vnigeniti prædicarent. Et qui de ſeipſo teſtimonium perhibens dixerat: « Ego ſum lux mundi » idipſum « lux vera, quæ illuminat omnem hominem, vos, inquit, eſtis lux mundi. Ille oſtium ſe dixit ouium » qui duodecim Apoſtolos, totidem portas fecit eſſe regni cœlorum. Et ne per multa ne dicam innumera diffundar: qui Eccleſiæ fundamentum ſtatuitur à Paulo dicente: « aliud fundamentum ponere nemo poteſt, præter id quod poſitum eſt, Dominus Ieſus: » Etiam fidelibus gratulatur; quòd ſint: « ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum. » Pſaltem audite de vnico fundamento prophetantem. « Fundauit, inquit, terram ſuper ſtabilitatem ſuam. » Et quæ ſtabilitas eius, niſi Chriſtus Dominus? « Firmauit terram, intelligo Eccleſiam. Quæ eſt firmitas eius ſuper quam fundata eſt, niſi fundamentum eius? Quod eſt illud? fundamentum nemo poteſt ponere præterquàm quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Ibi ergo firmati ſumus meritò: quia ibi firmati, non inclinabimur in ſæculum ſæculi. Nihil enim firmius iſto fundamento. Infirmus tu eras, ſed firmum fundamentum te portat. In te firmus eſſe non poteras, firmus eris ſemper, ſi ab illo firmo fundamento non recedas. Non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Ipſa eſt prędeſtinata columna, & firmamentum ve-

Io. 1. 41.
Io. 8. 12.
Io. 1. 9.
Matth. 5. 14.
Io. 10. 7.
1. Cor. 3. 11.
Epheſ. 2. 20.
Pſ. 103. 5.
Aug. in Pſ. 103.

Digitized by Google

ritatis. Et ideo tali fundamento ſuffulta, quid
Pſ. 103. 5. meruit audire? Non inclinabitur in ſęculum ſęculi; firmauit terram ſuper firmitatem eius, id eſt firmauit Eccleſiam ſuper firmamentum Chriſtum. Nutabit Eccleſia, ſi nutauerit fundamentum.» Sed nunquid ſolus voluit eſſe fundamentum? Numquid duodecim lapides in Ioſue figuratus de medio torrentis alueo elegit? Et duodecim fundamenta Ieruſalem Apoſtolos collocauit? Et qui «fons ſapientiæ in excelſis, fons patens domui Dauid, duodecim fontes Elim» toto orbe manantes effudit? Et veſtem Eccleſiæ quid dico & ſuum ipſius rationale ſummus Pontifex duodecim lapidibus pretioſis exornauit, vt qui toties de ſe, ſic de Apoſtolis ſibi per omnia conformatis legem & Prophetas impleret? «Cur duodecim Apoſtolos elegit, & non alium quemlibet numerum? Næ & ex hoc meum Chriſtum interpretari poſſem, (& contra Marcionem eum ſibi arrogantem, legem & Prophetas reſpuenti vindicare) non tantùm vocibus Prophetarum, ſed & argumentis prædicatum. Huius enim numeri figuras, apud Creatorem deprehendo: duodecim fontes Elim; & duodecim gemmas in tunicâ Sacerdotali Aaronis; & duodecim lapides ab Ieſu (Ioſue ſiue Ieſu Naue) de Iordane electos, & in Arcam teſtamenti conditos. (Tabernaculum intellige.) Totidem enim Apoſtoli portendebantur; proinde vt fontes, & amnes, rigaturi aridum retro & deſertum à notitiâ (veri Dei) orbem nationum; ſicut & per Eſaïam; ponam in terrâ inaquoſâ flumina: Proinde vt gemmæ illuminaturi ſacram Eccleſiæ veſtem, quam induit Chriſtus Pontifex Patris. Proinde vt & lapides, ſolidi fide, quos de lauacro Iorda-

Ioſue 4. 3. Zach. 13. 1. Tertul. 4. cont. Marc. cap. 13. Num. 33. 9. Exod. 28. 17. Ioſue 4. 3. Eſa. 42. 20.

nis (baptiſmate) Ieſus verus elegit, & in ſacrarium Teſtamenti ſui recepit.» Et quodnam iſtud? Niſi de quo Pſaltes: «Introibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei in voce exultationis & confeſſionis, ſonus epulantis.» Et quid ſonat ſacrarium teſtamenti, niſi myſterium Euchariſtici conuiuii in quo Sacerdos in æternum, in ſuo ſanguine nouum inſtituens Teſtamentum, ad menſam ſuam duodecim Apoſtolos admiſit, quos vt Pontifex duodecim lapides pectori ſuo pretioſiſſimos rationali affixit.

Pſ. 46. 4.

1. Cor. 11. 25.

Sed vt ad duodecim fundamenta tabernaculi admirabilis redeam, in quibus poſt Chriſtum, & per Chriſtum inconcuſſa perſtat Eccleſia. «Vt noueritis quia & fundamentum Chriſtus, & primum & maximum fundamentum, inquit Apoſtolus, nemo poteſt ponere, præter id quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Quomodo ergo fundamenta Apoſtoli & Prophetæ? & quomodo fundamentũ Chriſtus Ieſus, quo vlterius nihil eſt? quomodo putamus, niſi quemadmodũ aptè dicitur ſanctus ſanctorum, ſic figuratè fundamẽtum fundamentorum? Si ergo Sacramenta cogites, Chriſtus ſanctus ſanctorum; ſi gregem ſubditum cogites, Chriſtus Paſtor Paſtorum: ſi fabricam cogites, Chriſtus fundamentum fundamentorum.» Sed qui ſanctus erat & «vnctus oleo lætitiæ præ participibus ſuis» vnctionis ſuæ, & Regalis Sacerdotii, Apoſtolos voluit habere participes; qui «Paſtorum Princeps» gregis ſui poſt ſe dedit eſſe Paſtores; qui fundamentum, ſuæ Eccleſiæ duodecim in Apoſtolis Ieruſalem myſticæ ſtatuit fundamenta: «ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Habes conſtitutio-

Aug. in Pſ. 86.

Pſ. 44. 9.

1 Pet. 5. 4.

Aug. Ibid. ſupra.

Digitized by Google

nem tantæ ciuitatis: ſed omnis iſta compages vbi innititur, vbi incumbit vt nuſquam cadat? ipſo, inquit, ſummo angulari lapide exiſtente Chriſto Ieſu, &c. In illo, duo parietes compaginantur. Neque enim angulum faciunt, niſi duo parietes, in vnum de diuerſo venientes. Sic & populi duo ex circumciſione, & ex præputio ad pacem Chriſtianam ſibimet connexuit, in vnâ fide, vnâ ſpe, vnâ charitate.» Similes proinde ſibique conformes lapides angulares attexuit, qui vtrumque populum in vnam Eccleſiam adunarent. Et vt cæteros taceam; ſicut Petrum Iudæis, Paulum Gentilibus, quaſi duobus parietibus coaptandis, ſic & Iacobum Iudæis, & Philippum gentibus colligendis, quaſi duos lapides angulares, & duo fundamenta, imagini ſuæ conformia deſtinauit. « Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum, &c. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata. (En altera conformitas cum primogenito fratrum de quo virgo apud Sapientem: melior eſt fructus meus auro & lapide pretioſo:) fundamentum primum Iaſpis, &c. Quintum Sardonix, nonum Topazius. » Et Sardonichem quidem Ioachimus Abbas D. Philippo, Topazium autem addixit Iacobo Minori. « Sardonix ex duorũ nominum ſocietate vocata eſt. Eſt enim ex Onychis candore, & Sardo, conſtat autem tribus coloribus, ſubteriùs nigro, medio candido, ſuperiùs minio.» De qua & Plinius: « Creditum, inquit, candido pingi, nec ſine quadam ſpecie purpuræ, candore in minium tranſeunte; radice nigrâ, &c. quædam in iis cœleſtis arcus anhelatio eſt.» Quid Philippo concinnius, radice nigrâ, & ob-

Apoc. 21. 14. Et verſu. 19.

Prou. 8. 19.

Iſidor. orig. cap. 8.

Plin. lib. 37. cap. 6.

Digitized by Google

ſcuro ignorantiæ principio, candore medio ſanctitatis, ſupremoque ſanguinis pro Chriſto magnanimiter effuſi purpureo. « Humilẽ porro efficit & pudicũ. » Et quid Philippo honeſtius, & humilius, perpetuo humilitatis & pudicitiæ cuſtode? Et de Topazio quid? Dicemus Iacobum imagini Filij Dei conformari, Iob teſtimonio repugnante? « Non adæquabitur ei Topazium de Æthyopiâ. Quid per Æthyopiam niſi præſentem mundum accipimus (quæ coloris nigredine ſignificat populum peccatorum, &c. Topazium verò pretioſus lapis eſt: & quia Græcâ linguâ, pan, omne dicitur, pro eo quod omni colore reſplendet, Topazium, quaſi Topandium vocatur, &c. » Et noſter Iacobus, quia omni virtutum genere iuſti nomen, Chriſto qui dicitur « iuſtus noſter » in quo multiformis gratia Spiritus ſancti & plenitudo diuinitatis fuit, licet conformis extiterit, tamen non ei debet adæquari. « Ne acceptis quiſquam virtutibus extollatur, à ſancto viro nunc dicitur: non adæquabitur ei Topazium de Æthyopiâ: ac ſi apertè dicat: nullus Sanctorum quibuſlibet virtutibus plenus, ex iſtâ tamen nigredine mundi collectus, æquari ei poteſt, de quo ſcriptum eſt: quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Nos quippe etſi ſancti efficimur, non tamen ſancti naſcimur: quia ipsâ naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Prophetâ dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. Ille autem ſolus, veraciter ſanctus natus eſt, qui vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ natus non eſt, &c. Aliud eſt enim natos homines gratiam adoptionis accipere: aliud vnum ſingulari-

Lyr. in Apoc. 21.

Greg. lib. 18. Mor. cap. 27. in Iob. 28.

Ierem. 23. 6.

Greg. ſupra.

Luc. 1. 35.

Pſ. 50. 6.

ter, per Diuinitatis potentiam, Deum ex ipſo conceptu prodiiſſe: nec æquari poteſt gloria
1.Tim. 2. 5. vnigeniti per naturam, aliis accepta per gratiam. Mediator quippe Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, non purus homo conceptus atque editus, poſt per meritum, vt Deus eſſet accepit: ſed nuntiante Angelo, & adueniente Spiritu, mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro, & manente incommutabili eſſentiâ, quæ ei eſt cum patre, & cum Sancto ſpiritu coæterna; vnde & impaſſibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante ſæcula, temporalis poſſet eſſe in fine ſæculorum: vt per ineffabile Sacramentum, conceptu ſancto, & partu inuiolabili, ſecundùm veritatem vtriuſque naturæ, eadem virgo & ancilla Domini eſſet, & mater, &c. Ipſe ante ſæcula de Patre ſine matre, ipſe in fine ſæculorum de Matre ſine patre: ipſe conditoris templum, ipſe conditor templi, ipſe author operis, ipſe opus authoris: manens vnus ex vtraque, & in vtraque naturâ, nec naturarum copulatione confuſus, nec naturarum diſtinctione geminatus.» Non eſt ergo quòd Iacobum incarnatæ Sapientiæ quantumuis Topazium, adæquemus, ſed iuxta lapidis proprietatem, radio Solis ſimillimum, & omnes animi motus componentem; vtpote ſi non conceptum ex virgine ſanctum, ſaltem in matris vtero ſanctificatum aſſeramus, præ omnibus Apoſtolis, in hoc priuilegio ſanctitatis totius Principi magè conformem. Sic enim de eo Ieremiæ, & Baptiſtæ pari, poſt Hegeſippum Hieronymus: «Frater Domini Iacobus, cognomento iuſtus. Hic de vtero matris ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit, numquam attonſus eſt,

Strabo de Gémmis in topazio.

Hieron Catal. ſcript. Eccl.

nec vnctus vnguento, nec vſus balneo. Huic ſoli licitum erat ingredi ſancta ſanctorum: ſiquidem veſtibus laneis non vtebatur, ſed lineis, ſoluſque ingrediebatur templum, & fixis genibus pro populo deprecabatur: in tantùm vt camelorum duritiem traxiſſe eius genua crederentur.» Ipſe enim velut camelus in genua, ad onus populi ſuis excipiendum humeris procumbebat: Chriſto per omnia ſimilis, « in quo Pater poſuit iniquitates omnium noſtrûm » quorum peccata portauit. « Nazaræus inter fratres ſuos pernoctans in oratione Dei, introiuit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inuentâ » non lanâ ex corruptibili carne, ſed lino ex terrâ virgine aſſumptâ Sacerdotali veſte. Quid pluribus moror, cùm omnem ſimilitudinem vno veluti penicilli ductu, vno calami tractu Paulus expreſſerit? « Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini. » Ex quo Hieronymus idem ipſi elogium inſcripſit: « Iacobus qui appellatur frater Domini, cognomento iuſtus, vt nonnulli exiſtimant Ioſeph ex alia vxore; vt autem mihi videtur, Mariæ ſororis Matris Domini Filius.» (Maria, inquam, Cleophæ, quæ ex Alphęo genuit Iacobum Minorem, Iudam, & Simonem, ex D. Thoma) cur autem Domini frater, niſi fere alter? « Dicitur autem frater Domini iſte Iacobus ſpecialiter inter alios ſuos conſobrinos: & hoc propter duo: primò propter ſimilitudinem effigiei: quia ſimilis erat Chriſto in facie, & propter ſimilitudinem vitæ, quia imitabatur Chriſtum in moribus. Vel quia Alphæus Pater eius fuit de cognatione Ioſeph. Et ideo quia Iudæi cognationis lineam texere ſolent à maribus, & Chriſtus putabatur filius Ioſeph;

Eſa. 53. 6.
Deut. 33. 16.
Luc. 6. 12.
Hebr. 9. 12.
Gal. 1. 19.
Hier. in Catal. ſcript. Eccl.
D. Th. lect. 5. in Gal. 1.
Luc. 3.

ideo ſpecialiter dictus eſt frater Domini, & non
Gen.13. 8. alii, qui ſolùm ex matre coniuncti erant ei. Accipitur autem hîc frater cognatione, ſicut omnes conſanguinei ſunt fratres. Dixit enim Abram ad Loth; ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim
Gen.11. 31. & 12. 5. ſumus. » Id eſt conſanguinei. Loth quippe filius erat Aram fratris Abrahæ, & proinde nepos eius.
Tom. 1. Bibl. ep.2. S. Ignat. Arch. Antioch. Io. ſancto Senior. Tanto æſtuabant primi fideles videndi Iacobi deſiderio, vt ſanctus Ignatius Martyr, ſic beato Ioanni Apoſtoli ſcripſerit: «Mihi ſi licitum eſt à te, ad Ieroſolymæ partes volo aſcendere, & videre fideles ſanctos qui ibi ſunt, præcipuè Mariam Ieſu, quam dicunt vniuerſis admirandam, & cunctis deſiderabilem. Quem enim non delectet videre eam & alloqui, quæ verum Deum de ſe peperit, ſi noſtræ ſit fidei & religionis amicus? » Quem verò poſt Virginem illam « Deiformem » iuxta Dionyſium, & Auguſtinum, præ omnibus ſanctis cernere, magnus hic ſanctus Antiochiæ Archiepiſcopus deperibat? « Simi-
Ignat. Ibid. liter, inquit, & illum Venerabilem Iacobum, qui cognominatur iuſtus, quem referunt Chriſto Ieſu ſimillimum (vt dixit Strabo, radio Solis eſſe Topazium) facie, & vitâ, & modo conuerſationis, ac ſi eiuſdem vteri frater eſſet gemellus. Quem dicunt, ſi videro, video ipſum, ſecundùm omnia corporis eius lineamenta, Chriſtum Ieſum. » Sic concludit alios omnes Iacobo poſtponens: præterea cæteros ſanctos,
Ignat. Ibid. & ſanctas. « Hæc quid moror? cur detineor? bone preceptor, properare me iubeas & valeas.» Proh quantus ardor! quanta Iacobi ſanctitas, quem poſt Virginem Deiparam, ſanctis omnibus anteponat! Pergat Paulus, Ieroſolymam

Digitized by Google

Petri videndi deſiderio ſuccenſus aſcendat: noſter Ignatius mirabilem illum Ieruſalem nouæ fundamentalem lapidem Topazium, Chriſtum per omnia referentem viſurus aſcendit.

Gal. 1. 18.

Nec ſine magnâ Dei prouidentiâ factus eſt primus Ieroſolymorum Antiſtes, qui tam illuſtrem fundaret Eccleſiam & Cathedram. « Nam Eccleſiæ Ieroſolymitanæ Iacobus præfuit. » Ait Auguſtinus; « Et à Petro totius orbis magiſtro præpoſitus eſt omnium primus Epiſcopus Ieroſolymorum Eccleſiæ » inquit Chryſoſtomus. Ab eodem Petro, ſecundùm Anacletum, vnà cum Ioanne, & Iacobo fratribus conſecratus. Vnde præſcripta eſt forma, vt non minùs quàm à tribus Epiſcopis electus Pontifex conſecretur. Idem ipſe fuit qui primus poſt Aſcenſionem Domini, præſentibus omnibus Apoſtolis Miſſæ ſolemnia celebrauit, miniſtrante ſibi Protomartyre Stephano; cui etiam vt vrbis Epiſcopo ipſe Petrus Chriſti Vicarius & ſummus Pontifex in hac celebratione ceſſit. Hunc honorem reliqui Apoſtoli S. Iacobo detulerunt, vt permiſerint primitias illum ſuas celebrare Ieroſolymis, quod inde fecit Petrus in Antiochenâ, & Marcus in Alexandrinâ Eccleſiâ.» Quid quòd & propriam Miſſam ipſe compoſuit quæ in magnâ patrum Bibliothecâ refertur, cuius & meminit 6. Synodus Generalis. « Iacobus frater Domini ſecundùm carnem, cui primùm credita eſt Ieroſolymitana Eccleſia, & Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus, quorum claritas per orbem fulſit, in Scripturis dederunt nobis Miſſę celebrationem. »

Aug. in Expoſ. ad Gal. 2. & lib. 2. contr. lit. Petil. Chryſoſt. homil. 87. in Io. Anacl. ep. ad Epiſc. Ital. Tom. 1. ep. Rom. Pontif, Ignat. ep. 13. ad Hero. diac. Eche. Tom. 3. de ſanctis. Tom. [illegible] Bibl. PP. & 6 Synod. canone 32.

Et magno certè myſterio, ſecundùm legem,

Digitized by Google

Iacobus Domini frater, Eccleſiæ Ieruſalem, vbi Synagogam viduam abſque liberis moriens Chriſtus deſeruerat, pro fratre defuncto ei nupſit, vt illi numeroſam filiorum ſpiritualium prolem generaret. « Quando fratres habitauerint ſimul, & vnus ex eis abſque liberis fuerit mortuus, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui.» Sic lex iubebat, vt, « ſi frater illiberis deceſſerit vt à fratre ipſius, & ex coſtâ ipſius, (vxore quæ primò educta eſt ex coſtâ viri:) ſupparetur ſemen illi.» Deſponſauerat ſibi Dominus Synagogam, cuius caput erat in Ieruſalem, & ob hanc coniugem vnicè dilectam, de cœlo deſcendens, patrem reliquerat, & in cruce propter hanc moriens, dimiſerat & matrem: & « paſtor bonus miſſus ad oues quæ perierant domus Iſraël » pro ipſis animam in cruce poſuerat, fruſtra fœcundum toties verbum, vt ſemen in agro Synagogæ ſterili ſeminauerat: « fecerat enim ſpinas ex quibus Dominum coronauerat, & non iuſtitiam, ſed clamorem, quo in crucem eum extorſerat.» Vipera potius dicenda quàm ſponſa. « Quæ conceptus ſui tempore, intra os ſuum receptum caput coniugis refertur abſcindere, vt per cruenta oſcula non fœtum concipiat illa, ſed crimen: ac ſic carnifices ſceleris ſui pariat filios, vindictæ ordine, non naturæ. Nam genimina patris cõcepta de cæde, ſanguinis, antequam lactis exigunt nutrimentum, & vltionem petunt: Matris namque vterum viperæ dicuntur exſcindere, & ſceleſtum conceptus ſui domicilium, adhuc immaturis viſceribus, maturo furore confringere: vt hoc ſit illis viuere, matrem quæ illos tales genuit, non videre.»

Deut. 25. 5.

Tertul. 4. cont. Marc. cap. 34.

Tertul. 5. cont. Marc. cap. 23.

Chryſol. ſer. 157.

Vultis id in Synagogâ cernere? « Ad hanc Chri- Io. 3.
ſtus affectu coniugis cùm veniſſet; dicente Ioan- 29.
ne; qui ſponſam habet, ſponſus eſt; inter amplexus & oſcula cruenta Iudæ, Chriſti caput eſt expetitum, & ore petitum, cùm dicitur, crucifige, crucifige. Vnde pignora ſanguine concepta, tantò mox ad matris armantur interitum, (vt Paulus de tribu Beniamin, ideo ſe dixerit abortiuum) vt diſrupto Synagogæ vtero, ad vocem Matth.
Ioannis concurrerent, (dicentis progenies vi- 3. 7.
perarum, &c.) & regenerarentur ad Dei progeniem. » Emortuo itaque Synagogæ ſponſo, & velut abſque liberis decedente, cui niſi Iacobo fratri Domini incumbebat ſemen fratri defuncto ſuſcitare, vt filii ei naſcerentur & creſcerent Iacobi ſuperſtitis curâ, cuius verbo, exemplo, & Epiſtolâ Canonicâ velut columnâ firmatiſſimâ, Iudaica fundaretur Eccleſia. Bernar- Ber. lib
dum huius myſterii conſcium proferam. « Ia- 2. de
cobus, inquit, qui videbatur columna Eccleſiæ, conſid.
vnâ contentus eſt Ieroſolymâ, Petro vniuerſi- cap. 8.
tatem cedens. Pulchrè verò ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille. Gal. 1.
Nam dictus eſt frater Domini.» 19.

Verum, vt hic frater Domini prædeſtinatus, facie, vitâ, moribus, Chriſto ſimilis, gloriæ martyrii eius debuit in exitu fieri conformis, vt in eâdem vrbe, ab eâdem Synagogâ, pro eâdem causâ, Chriſti ſcilicet audacter prædicatâ diuinitate, ſanguinem, & vitam, vt primogenitus, in Sacrificio veſpertino manus eleuans, pro perſecutoribus exorans, vt Stephanus, quem Diaconum etiam habuerat, effunderet. « Beatus Iaco- B. Ant.
bus Domini frater, Angelicam vitam in terris homil.
cùm vixiſſet, omnium ſuffragiis dici promeruit 72. to. 7. Bibl.

Vu

Digitized by Google

iuſtus. Nimirum per conuerſationem ſanctioris
Pſ.17. 8. vitæ. Hic talis munimentum erat populi. (Sicut Dominus fortitudo plebis ſuæ.) Feſtus igitur dies Paſchæ (quo & Chriſtus paſſus eſt) cùm illuxiſſet, inque templum multæ conueniſſent myriades Iudæorum, & hunc Beatum in pinnanaculum templi extuliſſent: Iuſte, te obſecramus, aiunt, vt dicas populo, ne in poſterum exerret poſt eum qui dicitur Ieſus, tibi enim omnes nos fidem habemus. Reſpondit Beatus: quid me interrogatis de filio hominis? en ipſe ſedet ad dexteram Dei in excelſis. Exleges illi, & iniqui Pontifices, ac Phariſæi acclamarunt: O, ô! etiam Iuſtus hic in errorem prolapſus eſt. Et dixerunt ad inuicem, malè fecimus, talem teſtem produximus qui teſtimonium proferret pro Ieſu. Ipſo enim audito, non pauci ex plebe crediderunt. Cæteri qui cum eo aſcenderant, è ſublimi præcipitarunt Sanctum: qui cùm in genua cecidiſſet, nec ſtatim mortem oppetiſſet, ſed oraret pro ipſis: vnus filiorum Rhecam propiùs cùm ſe illi admouiſſet, audiuit orantem, & dixit: quid facitis? En quoque pro vobis Iuſtus orat. Tunc vnuſquiſpiam arte fullo cùm accurriſſet, lignum intorſit in caluariam eius, quo quidem opifices illi ſordidas veſtes exprimunt, vitamque illi ademit.» Lapidatum præterea teſtatur Hieronymus. « Ananus, inquit, Pontifex adoleſcens, Anani filius, de genere Sacerdotali, acceptâ occaſione Anarchias (Albinus enim à Nerone miſſus ſucceſſor Feſti nondum ad prouinciam peruenerat,) Concilium congregauit, & compellẽs publicè Iacobum, vt Chriſtum Dei Filium denegaret, contradicentem lapidari iuſſit. Qui cùm præcipitatus de pinnâ templi, confractis

Hier.in Catal. ſcript. Eccl.

cruribus adhuc ſemiuiuus, tendens ad cœlum manus, diceret; Domine ignoſce eis: quod enim faciunt, neſciunt: fullonis fuſte, quo vda veſtimenta extorqueri ſolent, in cerebro percúſſus interiit.» Supererat vt ſicut verè ſecundùm Prophetas, Ieroſolyma propter Chriſti parricidium exſcindi debebat, iuxta Danielem id Tertulliano atteſtante: « Poſt aduentum eius ſecundùm Danielem, quòd ipſa ciuitas exterminari haberet, legimus, & ita factum recognoſcimus. Dicit enim Scriptura: ſic & ciuitatem, & Sanctum ſimul exterminari cum Duce; indubitatè qui de Bethleem, & de tribu Iuda eſſet proceſſurus. Vnde & manifeſtum eſt, quòd ciuitas ſimul eo tempore exterminari deberet, cùm ducator eius in eâ pati haberet.» Sic & iuxta Iudæorum ſenſum, propter Iacobi necem, idipſum excidium eueniſſe, teſtis eſt Hieronymus: « Tradit, inquit, Ioſephus, tantæ eum ſanctitatis fuiſſe, & celebritatis in populo, vt propter eius necem, creditum ſit ſubuerſam eſſe Hieroſolymam,» Ac ne quid memorabile ſilentio premam: Iacobus noſter in ſuo Martyrio, dictum Apoſtoli impleuit ad literam, ipſique præiuit opere, dicenti: « Adimpleo quæ deſunt paſſionum Chriſti in corpore meo, pro corpore eius quod eſt Eccleſia » ſponſa eius Synagoga Iudæorum. Tria quippe ſupplicii genera Chriſto à Iudæis intentata fruſtra, ſuo in corpore Iacobus impleuit. Primò enim ſæpius eum lapidare voluerunt: ſecundò « tulerunt eum in ſupercilium montis, vt inde præcipitarent eum, Ieſus autem tranſiens per medium illorum ibat.» Vbi hiſtoria Scholaſtica notat, rupem vltro ſe aperuiſſe, & iter peruium Chriſto dediſſe, & in tanti miraculi monumentum æter-

Tertul. cont. Iudæos cap. 13.

Dan. 9. 26.

Mich. 5. 2.

Hier. in Catal. ſcript. Eccl.

Coloſſ. 1. 24.

Luc. 4. 30.

num, veſtigia veſtimentorum eius ſaxo indelebiliter impreſſa adhæſiſſe. Tertiò carnifices cum veniſſent ad Ieſum Crucifixum vt eius frange-
Io.19. rent crura, « vt viderunt eum iam mortuum, non
33. fregerunt. » Hæc omnia tormenta vnus Iacobus impleuit, præcipitem enim eum ex pinnaculo dederunt: ex tantâ colliſione, ipſius crura confregerunt, eum deniq; lapidibus obruerunt. O Iacobe, verè dignus es qui frater Domini, pro corpore eius, pro ſponsâ eius, adimplens in tuo tot corpore ſupplicia; qui tanto videndi fratris ardebas deſiderio vt fame periſſes, niſi ſuſcitatum mox vidiſſes. Dignum eſt, iuſtum eſt, vt in cœ-
Pſ. 15. lum euolans, « adimpleat te lætitiâ cum vultu
11. ſuo. » Et ex prædictis liquet quàm iure conformem in omnibus dixi Iacobum imagini Filij Dei, quàm meritò fundamentum & topazium ſoli iuſtitiæ ſimillimum. Vt & ſuperaddam aliquid ex Euangelio diei Chriſti fratrem ferè alterum & ipſum in omnibus & præ omnibus referentem: nam ſicut conſorti eius in ſolemnitate Philippo Patrem oſtendi ſibi petenti, reſpondit Dominus: « Philippe qui videt me, videt & Patrem meum: » ita prorſus ſeipſum in Iacobo fratre conformem in ſolatium fidelium, reliquit imaginem: vt qui Ieſum videre vellet, Iacobum videre quæreret. Tanta quippe vtriuſque ſimilitudo erat, vt quantâlibet lampadum ac luminum copiâ accensâ ſatellites Iudæorum Chriſtum à Iacobo non potuiſſent diſcernere, niſi ſpeciali oſculi ſigno eum traditor deſignare ſpopōdiſſet, neſcius quos vel quantos ex diſcipulis ſecum poſt cœnam Euchariſticam abduxiſſet.

Hactenus de Iacobo Topaſio radio Solis ſimillimo. Nunc de Philippo altero Ieruſalem

myſticæ fundamento cum Sardonyche comparato, nec minùs pro ſua parte imagini Chriſti conformi; de quo & S. Iob, eodem quo ſupra capite, & ſenſu, Sapientiæ incarnatæ, vt totius ſanctitatis capiti, & lapidi angulari cedente. « Non conferetur tinctis Indiæ coloribus Quid enim per Indiam quæ nigrum populum mittit, niſi hic mundus accipitur, in quo vita hominum per culpam obſcura generatur? Tincti autem colores Indiæ ſunt huius mundi ſapientes, qui quamuis per infidelitatem, & plerumque per actionem fœdi ſunt, ante humanos tamen oculos ſuperinductæ honeſtatis colore fucantur. Sed coæterna Dei Sapientia, tinctis Indiæ coloribus non confertur, quia quiſquis hanc veraciter intelligit, ab his hominibus, quos mundus ſapientes coluit, quàm longè diſtet agnoſcit. » Subiicit, « nec lapidi Sardonycho pretioſiſſimo (ſupple conferetur,) Sardonychus terræ rubræ ſimilitudinem tenet. Poſſunt ergo in Sardonycho per terram rubram homines deſignari. Nam cùm rubræ terræ ſpeciem lapis Sardonychus habeat, non immeritò hominem deſignat, quia & Adam qui primus eſt conditus, Latino ſermone terra rubra nominatur. Quid eſt ergo quod dicitur, quia hæc ſapientia lapidi Sardonycho, vel Sapphyro (coloris cœleſtis) nòn confertur; niſi quòd is qui eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, (& ſecundus Adam de cœlo cœleſtis,) mediator Dei ſcilicet & hominum homo Chriſtus Ieſus, tantâ magnitudine excellat omnia, vt ei nec in terrâ primi homines, nec in cœlo Angeli comparentur? Quia ex Deitate habet, quòd in humanitate quemquam ſimilem non habet. » Et tamen vt Iacobus, prædeſtinatus Philippus,

Greg. lib. 28. Mor. cap. 27. in Io. 28.

Sardonyx vt Topazius imagini filii Dei confor-mari debet. Nomen eius non caſu, ſed Dei nu-tu, ex proprietate impoſitum, os lampadis ſo-nat, quia Chriſto ſimilis lampadi omnem ho-minem illuminanti eſſe debebat, cuius os & lin-gua mentium infidelium tenebras illuſtrabat.

Ibid. de vita & morte Sanct. cap. 74

« Philippus à Bethſaïdâ ciuitate, vnde & Pe-trus, Galatis prædicat Chriſtum, barbaraſque Gentes, vicinaſque tenebris, & tumenti Ocea-no coniunctas, ad ſcientiæ lucem, fideique por-tum deducit. » De eius vocatione ſic Ioannes: « in craſtinum voluit exire in Galilæam, & in-uenit Philippum, & dicit Ieſus, ſequere me, erat autem Philippus à Bethſaïdâ ciuitate Andrææ, & Petri. » Vbi D. Thom. « Quæritur, inquit, qua-re Philippus ſtatim ad vnum verbum ſecutus eſt Chriſtum, cùm Andreas eum ſecutus fuerit au-diens à Ioanne de Chriſto, Petrus autem ab An-dreâ. Ad hoc triplex eſt reſponſio: vna quia Phi-lippus iam inſtructus erat à Ioanne. Erat enim ille alius qui cùm Andreâ ſecutus eſt Chriſtum. Alia ratio eſt, quia vox Chriſti virtutem quan-dam habebat, vt non ſolùm exteriùs, ſed etiam interiùs cor moueat. Vnde Ieremias, verba, in-quit, mea ſunt, quaſi ignis. Non enim vox Chri-ſti ſimiliter omnibus dicebatur, ſed fidelium in-teriora ad eius inflammabat amorem. Tertiò quia fortè Philippus iam de Chriſto fuerat in-ſtructus ab Andreâ, & Petro, quia erant de eâ-dem Bethſaïdâ ciuitate: & ſic congruit myſte-rio: Bethſaïda enim domus venatorum interpre-tatur: vt oſtendat quales tunc animo erant Phi-lippus, Petrus, & Andreas; & quia de domo ve-natorum, congruè venatores ad capiendas ani-mas ad vitam vocaret, vti Ieremias prophetarat:

D. Th. lect. 16. in Io. 1.

Ier. 23. 29.

Ier. 16. 16.

Digitized by Google

mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle & de cauernis petrarum.» Sed antequam ad cauernas Gentium mitteretur, in ſummo legis vertice Nathanaëlem venatus eſt Philippus. « Inuenit Philippus Nathanaël, & dixit ei: quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetis, inuenimus Ieſum filium Ioſeph. Inuenit Philippus Nathanaël quem forte quærebat, ſicut Andreas Petrum quæſierat, quod fuit ſignum perfectæ conuerſionis, (vt ſcilicet adductus adduceret, & venatus venaretur.) Nathanaël interpretatur donum Dei, & quòd aliquis ad Chriſtum conuertatur, ex dono Dei eſt. Annuntiat autem ei, omnes prophetias, & legem complementum habere, & deſideria ſanctorum Patrum non eſſe fruſtrata, &c. Philippus iam inſtructus de Chriſto, voluit Nathanaëlem ex ſibi notis, ſcilicet ex lege, & Prophetis inducere ad Chriſtum. Attende quòd tria dicit ad Chriſtum. Attende quòd tria dicit de Chriſto Philippus, (vt os lampadis verum lumen nuntians,) legi, & Prophetis conſona. Primò quidem nomen, vnde dicit, inuenimus Ieſum, (cuius nomen oleum effuſum ex lampadis ore;) & hoc conſonat Prophetis. Vnde Eſaïas: mittam eis Saluatorem. Et Habacuc: exultabo in Deo Ieſu meo. Secundò verò genus, vnde duxit originem humanam, cum dicit, filius Ioſeph, qui erat de domo Dauid & familiâ: & quamuis ex eo Chriſtus originem non duxerit, tamen ex virgine duxit, quæ erat de eâdem progenie cum Ioſeph. Et quia putabatur filius Ioſeph, cùm & mater eius diuinæ Incarnationis conſcia; ipſum eius filium diceret: pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Quia licet ſecun-

D. Th. Ibid. Io. 1. 45. Eſa. 19. 20. Habac. 3. 18. Luc. 3. 23. Luc. 2. 48.

Digitized by Google

dùm carnem Pater non eſſet, tamen eum nutri-
uerat, & ſponſus matris Virginis erat. Tertiò
commemorat patriam dicens, à Nazareth, quia
in eâ erat nutritus, & hic locus erat notior multis, vbi fuerat nutritus, quàm Bethleem, vbi natus. Et hoc item conſonat Iſaïæ dicenti, Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos, ſiue Nazaræus ſecundùm aliam literam, de radice eius aſcendet. » Nathanaël autem, reſpondit; & non inſtar feræ venaticæ doloſæ, ad ſtrophas ſe conuertit, eludens fallenſque venatorem; Nec interrogatoriè ſed abſolutè, & aſſertoriè dixit: A Nazareth poteſt boni aliquid eſſe. Neque enim Chriſtus illi teſtimonium perhibuiſſet; « vidit enim Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dixit de eo: Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. » Vbi Auguſtinus. « Qualis fuerit Nathanael iſte, in ſequentibus probamus. Audite qualis fuerit: Dominus ipſe perhibet teſtimonium. Magnus Dominus cognitus eſt teſtimonio Ioannis; beatus Nathanaël cognitus teſtimonio veritatis, &c. Quia veritatem non poterant capere homines, per lucernam, quærebant veritatem, & ideo Ioannes per quem Dominus oſtenderetur, miſſus eſt. » Et quidem ſi Ioannes lucerna Chriſto parata eſt; eidem Philippus tanquam os lampadis, ad Nathanaëlem conuertendum fuit præmiſſus. « Audi Dominum Nathanaëli teſtimonium perhibentem: Ecce verè Iſraëlita. Magnum teſtimonium. hoc, nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum eſt de Nathanaële, &c. Iſte ergo doctiſſimus legis cùm audiſſet Philippum dicentem, inuenimus Ieſum, &c. Ille qui optimè Scripturas nouerat, audito nomine Nazareth, erectus eſt in ſpem, & dixit, A Nazareth

Iſa. 11. 1.

Io. 1. 47.

D. Aug. tract. 7. in Io. 1.

Digitized by Google

poteſt boni aliquid eſſe. » Magna vtique in tanto viro, Philippi venatio; ſed non ſibi, ſed Chriſto venabatur. Vnde, « dicit ei Philippus; veni, & vide. » Vbi Doctor Angelicus: « Tu dicis, quia à Nazaret poteſt boni aliquid eſſe; ſed ego dico, quia illud bonum quod tibi annuntio, tantum & tam magnificum eſt, quòd ego exprimere non valeo. Et ideo dicit, veni, & vide. Interrogatiuè autem legitur ſic: tu admirando dicis; à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? reputans hoc eſſe impoſſibile ſecundùm Scripturas: (quæ exiturum ducem de Bethleem Iudæ prænuntiant:) ſed ſi experiri volueris, quæ ego expertus ſum, intelliges vera eſſe quæ dico. Et ideo; veni, & vide. Trahit quidem Philippus Nathanaëlem ad Chriſtum, eius interrogationibus non fractus; quia ſcit de reliquo eum non contradicturum, ſi verba & doctrinam Chriſti guſtauerit. Et in hoc Philippus Chriſtum ſecutus eſt, (& proinde conformis factus imagini Filij Dei) qui ſuperius interrogantibus eum de habitaculo ſuo, (& dicentibus, Magiſter vbi habitas?) reſpondit venite & videte. Præmonente Prophetâ: accedite ad eum & illuminamini. » O verè os lampadis, os Chriſto conforme. An non « loquitur quaſi ſermones Dei? Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Conuertentur ipſi ad te. » Quid terrâ vilius, & peccato? Quid animâ Chriſti ſanguine redemptâ pretioſius? Os Domini Chriſtus imago Patris quid in hunc mundum facturus venit, niſi pretioſum à vili ſeparaturus? Et ex vilibus vmbris & ceremoniis veteris legis, veritatem Euangelicæ lucis educturus? An non ergo Philippus os lampadis, quaſi « os Dei & eius imagini conformis, quaſi os Domini

D.Th. lect. 16. in Io. 1.

Io. 1. 38.

Pſ. 33. 5.
Ier. 16. 19.

locutum eſt » cùm Nathanaëli diceret, veni & vide? Veni ab vmbris ad lucem, à lege, ad gratiam: à Moyſe, ad Chriſtum. Et « vide mirabi-
Luc. 5. 26. lia hodie, Verbum caro factum eſt. » Nec quæ-
Io. 1. 14. ras « vbi habitet: habitauit enim in nobis. »

Neque verò ſolum hunc verum Iſraëlitam, quaſi « os lampadis, ſicut os Dei » eduxit è tenebris: ſed Chriſto conformi prædeſtinato Gentium Apoſtolo parum fuerat, vt Iacobo, colum-
Luc. 2. 32. nam fieri Iudæorum, niſi & fieret lampas & « lumen ad illuminationem & reuelationem Gen-
Pſ. 2. 8. tium: » cui, vt Chriſto diceretur: « dabo tibi gentes hæreditatem tuam. » Quod & iam in Ga-
Io. 12. 21. lilæâ auſpicatus eſt. « Erant autem quidam Gentiles ex his qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum qui erat à Bethſaidâ Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine volumus Ieſum videre. (Syr. vellemus.) Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rurſum, & Philippus dixerunt Ieſu. Ieſus autem reſpondit eis dicens: venit hora, vt clarificetur filius hominis. » Quâ lampade mediâ? Philippo, qui os lampadis congruè nomi-
Rom. 5. 2. natur: vt ſicut de Ieſu Paulus: « per quem ha-
Io. 10. 7. bemus acceſſum ad Patrem: quia ipſe eſt oſtium omnium. » Sic per Philippum, quaſi lampadem præuiam, & portam Ieruſalem, ſicut & fundamentum, habeant acceſſum Gentiles ad Ieſum; vt cum Iudæis coeant duo parietes in vnum Ec-
D. Th. lect. 4. in Io. 12. cleſiæ templum. « Iſti autem Gentiles ex deuotione quam habebant ad templum aſcenderant, in quo præfigurabatur conuerſio Gentilium ad fidem. » De quâ rurſum Doctor Angelicus, à nobis præmiſſa confirmans: « Iam, inquit, præ-

ſagiebatur, in quantùm Gentiles Chriſtum videre volentes, non venerunt immediatè ad eum, ſed ad vnum ex Diſcipulis eius, ſcilicet ad Philippum. Et hoc congruenter, quia ipſe primus prædicauit his qui erant extra ritum Iudæorum, ſcilicet Samaritanis: vt habetur in Actis: Philippus autem Dei deſcendit in ciuitatem Samariæ, Act. 8. 5.
& prædicabat illis Chriſtum, & hoc conuenit illi, ſecundùm nominis interpretationem. Philippus enim interpretatur os lampadis. Prædicatores autem ſunt os Chriſti. Si ſeparaueris, &c. Quaſi os meum eris. Chriſtus autem lampas eſt, de quâ Eſaïas; dedi te in lucem Gentium.» Eſa. 42. 6.
Cuius nominis expoſitioni ſuperaddidit Iſidorus nomina omnium Apoſtolorum interpretans: S. Iſid. lib. 7. Orig. cap. 9.
« Philippus os lampadarum, vel os manuum.» Quod non vni populo, ſed vtrique præluxerit: nec ſolo ore & verbo, ſed vtrâque manu, « à dextris, & ſiniſtris, per ignominiam, & bonam famam » opere & exemplo, virtutum omnium praxi, & miraculo, verbum confirmarit. Atque vt Chriſtus accenſa à patre lucerna, in candelabro crucis poſitus, maiori luce, Solem ipſum in paſſione obſcurauit: ſic Philippus, cum « mollitis ſermonibus ſuper oleum » quos pleno ore vt lampas de plenitudine cordis eructabat, Barbaros & Scythas illuminans: cùm pro Domino exercituum & forti bellatore Dux inuictiſſimus pugnans, etiam ſtatuam Martis euertiſſet; « in Hieropoli, Phrygiæ prouinciæ Vrbe Crucifixus, lapidatuſque obiit.» Sic fuit conformis imaginis filij, « complantatus ſimilitudini mortis eius.» De quo & Euſebius: « Philippus, inquit, Chriſti Apoſtolus apud Hierapolim, Aſiæ ciuitatem dum Euangelium populo nuntiaret, Cruci

2. Cor. 6. 8.
Pſ. 54. 22.
Valderama de eodem.
Iſid. De vita & obitu Sanct. cap. 74

Euſeb. in Chr. affixus, lapidibus opprimitur. » Sed lapides iſti in gemmas pretioſiſſimas transformati, martyrij eius crucem & patibulum exornarunt. Quod in emblemate Emmanuelis Philiberti Ducis Sabaudiæ, pulcherrimè Typotius expreſſit, vbi crux vnionibus cincta cernitur, in qua vox Hebræa

Typotius in hierographia Duc. Sabau. « El » ſcripta eſt, Deum, vel iudicem ſignificans, cum coronâ ſuper Crucem eminente, & Symbolo: « Quis dicere laudes? » Supple valeat. Quis D. Philippi Chriſti crucifixi imagini conformis merita, laudeſque recenſere, quis Gentilium conuerſorum animas, velut gemmas Chriſti Cruci per eum appoſitas; quis coronam pulchritudinis ſuper caput eius à Chriſto, impoſitam dicere; quis mercedem gloriæ à iuſto iudice repoſitam, niſi Deus ipſe & Iudex ſufficienter valeat enumerare? Hoc vnum cum Pſalte de vtroque noſtro Apoſtolo Iacobo & Phi-

Pſ. 138. 17. Rom. 8. 29. lippo poſſumus cum admiratione cantare: « nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. quos præſciuiſti & prædeſtinaſti præ cæteris conformes fieri imagini filii tui. »

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Cùm tanti ſint apud

Sur. 1. Maij. Deum meriti, quantâ eos debemus nos pietate ac reuerentiâ proſequi? « Tanta erat Iacobi vitæ ſanctitas, vt fimbriam veſtimenti eius certatim homines cuperent attingere » Ne quid deeſſet Chriſti conformitati, de quo ſcriptum eſt:

Luc. 6. 19. Matth. 9. 21. « quòd omnis turba quærebat eum tangere quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. » Vnde & hæmoroïſſa: « ſi tetigero, inquit, fimbriam

Digitized by Google

veſtimenti eius, ſalua erô.» Accedâmus & nos cum fiduciâ, & ad pedes vtriuſque Apoſtoli prouoluti, Dei miſericordiam, per eorum merita imploremus. Iacobus quidem «pro incredibili continentiâ, & ſummâ iuſtitiâ, appellatus eſt iuſtus, & Oblias, quod eſt munimentum populi, & iuſtitia.» Et de Philippo narratur, «contra Eugenium pugnanti Theodoſio, exorto cœlitus in hoſtium facies vento, cuncta tela ab eis miſſa in eoſdem retorta, immenſam pulueris copiam oculos eorum obcæcante, mirabilem B. Ioannis Euangeliſtæ, & Philippi Apoſtoli viſione, & redintegrandi ſecundâ die prælii admonitione, partam victoriam. Cuius extat nobile antiquitatis monumentum, prægrande numiſma aureum, ex alterâ parte repræſentans effigiem Theodoſii, ex alterâ verò ſanctorum Ioannis & Philippi tonſurâ clericali, & Sacerdotali antiquo ornatorum habitu; iiſdemque dextrâ manu volumen Euangelii, ſiniſtrâ crucem apponens. Quaſi his armis ſuperaſſent confidentem Diis exercitum Gentium. Et quid mirum ſi Philippus Crucifixus, cruce quam Euangelizauerat Gentibus, ſtatuæ Martis euerſor, Martias Eugenii copias, pro fideli principe pugnans victor euertit? Nos ſub eius labaro, contra peccata, dæmoneſque pugnantes, haud dubiè triumphabimus.

Surius Ibid.

Theodor. lib. 5. cap. 24. Baro. Ann. Chriſt. 394.

SECVNDA REFLEXIO. Medios Apoſtolos apud Chriſtum mediatorem adhibeamus, cùm Gentiles Philippum, Iudæi Iacobum, medios ſibi ad captandam Dei gratiam aſſumpſerint; & oleum effuſum ex ore lampadis, ſecuri hauriemus. Scitè Bernardus; «Vocabitur, inquit, nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus for-

Eſa. 9. 6.

tis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Primum, tertium, quartum, maieſtatem ſonant, reliqua pietatem. Quod horum ergo effunditur? profe-
Bern. ſer. 15. Cant. ctò maieſtatis ac potentiæ nomen, in id quod eſt pietatis & gratiæ quodammodo transfunditur, ipſumque effunditur abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, &c. Oleum effuſum nomen tuum. Vnum ſcio, ſi Philippum & Andream habuerimus oſtiarios, repulſam omnino non patiemur, quicumque oleum petimus, quicumque volumus Ieſum videre. Incunctanter Philippus dicet Andreæ; Andreas autem & Philippus dicet Ieſu: Ieſus autem quid? Profectò quod Ieſus.» Id eſt Saluator dicet, animæ noſtrę,
Bern. Ibid. ſalus tua ego ſum. « O nomen benedictum! ô oleum vſquequaque effuſum! quouſque? De cœlo in Iudæam, (per Iacobum) & inde (per Philippum & cæteros,) in omnem terram excurrit, & de toto ore clamat Eccleſia: oleum effuſum nomen tuum. Effuſum planè quia non
Philip. 2. 10. ſolùm cœlos terraſque perfudit, ſed aſperſit & inferos, adeo vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, &c. Ecce Chriſtus, Ecce Ieſus vtrumque infuſum Angelis, vtrumque effuſum in homines, & in illos homines qui, computruerunt tan-
Pſ. 35. 7. quam iumenta in ſtercore ſuo, homines & iumenta ſaluans, quemadmodum multiplicauit miſericordiam ſuam Deus. Quàm carum, quàm vile! Vile, ſed ſalubre. Si vile non eſſet, non mihi effunderetur! Si ſalubre non eſſet, non me lucraretur. Particeps nominis ſum, ſum & hæreditatis. Chriſtianus ſum, (nec Iacobo fratri Domini inuideo,) frater Chriſti ſum. Si ſum quod dicor, hæres ſum Dei, cohæres autem Chriſti: » oleum regni accipies

per os lampadis, & manus Phillipi.

Tertia Reflexio. Sed ſi « habeo ſpem hanc, caſtifico & ſanctifico meipſum, ſicut & ille ſanctus eſt: quia quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filii ſui. » Caſtitati igitur, orationi & virtuti cum Apoſtolis inſtemus omnes, ſi Chriſti fratres, & cohæredes eſſe non fruſtra ſperamus: nec de nobis, ſed de Domino præſumamus. Dum nos ipſos ſanctificamus. « Videte quemadmodum non abſtulit liberum arbitrium, vt diceret, caſtificat ſeipſum. Quis nos caſtificat niſi Deus? Sed Deus te nolentem non caſtificat. Ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, caſtificas teipſum. Caſtificas te, non de te, ſed de illo qui venit vt habitet in te. »

1. Io. 3. 3. Rom. 8. 29. D. Aug. tract. 4. in 1. Io. 3.

Qvarta Reflexio. Zelum Apoſtolorum imitemur, in venandis & adducendis Chriſto fratribus; dicentes eis, « venite, & videte. » Quod ſi aberrent à Ieſu & viâ ſalutis, cum Paulo dicamus: « æmulor enim vos Dei æmulatione. Dicendo ęmulor vos, quid niſi æmulationem demonſtrat ſuam? Sed quia dixit Dei, id eſt, non ſibi, ſed Deo. Hanc quippe ſuo ſpiritu fidelibus ſuis inſpirat Deus: amoris enim eſt, non liuoris. Nam quæ fuit cauſa, vt hoc Apoſtolus diceret? Aptaui enim vos, inquit, vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit verſutiâ ſuâ, ſic & veſtræ mentes corrumpantur à ſimplicitate & caſtitate, quæ eſt in Chriſto. Comedebat eum zelus domus Dei, quam tamen zelabat Chriſto, non ſibi. Sponſus enim ſibi zelat ſponſam ſuam, amicus autem ſponſi, non eam ſibi zelare debet, ſed ſponſo. » Hoc zelo ardebat S. Auguſtinus, cùm

2. Cor. 11. Aug. Conc. 28. in Pſ. 118.

Digitized by Google

D. Aug. tract. 10. in Io. 2. diceret: « Vnuſquiſque Chriſtianus, in membris Chriſti zelo Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? qui omnia quæ fortè vbi videt peruerſa, ſatagit emendare, cupit corrigere, non quieſcit. Si emendare non poteſt, tolerat, gemit, &c. Vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contriſtare, ſi zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere, & inebriari velle, & hoc velle in locis ſanctis, quod nuſquam decet, prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quieſcere: tamen ſi amicus eſt admoneatur leniter: vxor eſt, ſeueriſſimè refrenetur. Ancilla eſt, verberibus etiam compeſcatur. Fac quidquid Pſ. 68. potes pro perſonâ quam portas; & perficis, zelus domus tuæ comedit me. »

Qvinta Reflexio. Diſcamus à Iacobo, ſicut à Stephano, pro perſecutoribus orare. Hæc enim inimicorum dilectio, Dei filio prædeſtinatos verè facit eſſe conformes. Atque vt referente B. Ignatio Stephanus B. Iacobi Diaconus extitit, quem Heroni Diacono propoſuit imitandum: « Nihil, inquit, ſine Epiſcopis facito. Sacerdotes enim ſunt, tu verò Sacerdotum miniſter: baptizant, ſacrificant, eligunt, manus imponunt: tu verò illis miniſtras, vt ſanctus ille Stephanus Iacobo, & Preſbyteris, qui erant Hieroſolymis. » Ita & Diuus Antiochus, Iacobi ſimul & Stephani ſacrificium miſericordiæ, ipſius Chriſti Iudicio omnibus victimis præferendum, poſuit in templum. « Similem, inquit, in modum B. Stephanus in medio conſiſtens iniquorum, exclamauit: Ecce

D. Ignatius epiſt. 14. ad Hiero. Diac. Antiochiæ.

video

Digitized by Google

video cœlos apertos, & Filium Dei ſtantem à dextris ipſius. Cúmque rapuiſſent eum, eiecerunt extra ciuitatem, & lapidabant inuocantem & dicentem, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Ecce igitur ipſi perſpicimus, pro ſuis etiamnum inimicis oraſſe ad vſque mortem ſanctos. Iure quidem: nam qui pro ſe afficientibus iniuriâ quapiam effundit precem, illidit quidem & deturbat dæmones, ſe autem hoc ipſo opere declarat hæredem eſſe regni cœlorum. Admonet præterea Apoſtolus; vt pro omni hominum oremus genere. Vtique cùm ait, pro omnibus; per hoc indicat, nos non pro amicis ſolùm, ſed & pro inimicis oportere orare. » Hoc & ante ipſum eâdem lance penſitauerat S. Hilarius. « Diligi, inquit, inimicos fides præcipit, & petulantes humanarum mentium motus publicæ charitatis frangit affectu: non ſolùm iram ab vltione depellens, ſed etiam in amorem mitigans iniurioſi: quia gentium ſit amantes amare, & commune ſit, diligere diligentes. Vocat igitur nos, in Dei vt hæreditatem, ita & imitationem, (ô conformitatem, cum Patre miſericordiarum, cum Filio pro crucifixoribus orante, cum Spiritu ſancto peccata remittente in quo ingemiſcimus, & clamamus Abba Pater) bonis & iniuſtis, Chriſti ſui aduentu, in baptiſmi, & ſpiritus Sacramentis, (Confirmatione ſcilicet, & Ordine, cæteriſque viuorum Sacramentis) & ſolem tribuentis, & pluuiam: Ita nos ad perfectam vitam, per hanc publicæ bonitatis concordiam, quâ nobis in cœlo perfectus Pater ſit imitandus, inſtituit. » Aduerte quod dixit, « fides præcipit » neque

D. Antiochus homil. 72.

Act. 7. 59.

1. Tim. 2.1.

S. Hilar in Matth. Can. 5.

Digitized by Google

enim ſecundùm S. Auguſtinum inimicorum dilectio tantùm conſulitur, ſed exertè præcipitur. « Omnes, inquit, homines, non ſolùm malos, ſed etiam impios, & originali peccato mortuos in animâ Chriſtus inuenit, & tamen etiam cùm tales eſſemus, dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis, & per hoc, amauit etiam non amantes: ſicut & Paulus Apoſtolus dicit, Chriſtus pro impiis mortuus eſt: ac ſic pro ineffabili pietate, vniuerſo humano generi hoc exemplum dedit dicens, diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, quoniam & B. Petrus in Epiſtolâ ſuâ ſimiliter præcipit, dicens: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Quod exemplum Domini ſecuturi ſumus? Numquid vt mortuos ſuſcitemus? Numquid vt ſupra mare pedibus ambulemus? Non vtique, ſed vt ſimus mites & humiles corde, & non ſolùm amicos, ſed etiam inimicos toto animo diligamus. Dixit hoc etiam B. Euangeliſta Ioannes: qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ambulauit, & ipſe ambulare. Quomodo enim Chriſtus in cruce fixus erat, & tamen per viam charitatis currebat, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: & nos ergo cùm patimur ab inimicis hoc clamare debemus, quia neſciunt quid faciunt: Phrenetici enim ſunt, & à contrario ſpiritu poſſidentur; & vt nos perſequantur, maiorem perſecutionem à diabolo patiuntur: & ideo magis vt liberentur, quàm damnentur, orare debemus. Sic fecit B. Stephanus, qui glorioſiſſimè primus Chriſti veſtigia eſt ſecutus. Cùm enim duris ſaxo-

Aug. ſer. 61. de tēp.

Rom. 5. 6.

Matth. 11. 29.

1. Pet. 2. 21.

1. Io. 2. 6.

Luc. 23. 34.

Digitized by Google

rum imbribus cæderetur, ſtans orauit, & pro inimicis ſuis poſitis in terrâ genibus, totis viribus clamauit, & dixit: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Si ergo putamus nos non poſſe imitari Dominum noſtrum, imitemur talem conſeruum noſtrum. Imitemur quoque B. Iacobum, qui cùm à Iudæis lapidaretur, flexis genibus pro impiis perſecutoribus ſupplicauit. » Quod autem de hoc non iam conſilium ſuaſumſit, ſed præceptum impoſitum, ſic proſequitur. « Dominus quoque in Euangelio, vt inimicos diligere debeamus, non dedit conſilium, ſed præceptum. Aliud eſt conſilium, aliud præceptum. Conſilium datur, vt virginitas conſeruetur, vt à vino & à carnibus abſtineatur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur; præceptum verò datur, vt iuſtitia cuſtodiatur, & omnis homo diuertat à malo, & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur, qui poteſt capere, capiat: de iuſtitiâ verò non dicitur, qui poteſt facere faciat: ſed, omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Conſilium qui libenter audierit & fecerit, maiorem habebit gloriam: præceptum qui non impleuerit, niſi pœnitentia ſubuenerit, euadere pœnam non poterit. Sic enim præcepit Dominus: diligite inimicos veſtros, &c. Et ſi quæris quam mercedem accipies; audi quod ſequitur: vt ſitis filii patris veſtri. Aduertite, quia ſi inimicos non diligimus, filij Dei eſſe non poſſumus. Et quâ fronte dicimus in oratione: Pater noſter qui es in cœlis? Aut quâ conſcientiâ dicere poterimus, dimitte nobis debita noſtra? &c. » Et

Act. 7. 59.

D. Aug. Ibid.

Matth. 5.

Matth. 19. 12.

Matth. 7. 19.

Mat. 5. 44.

quomodo conformes erimus imagini filii eius?

Sexta Reflexio. Quicumque Philippum & Iacobum, Stephanum, omneſque conformes prædeſtinatorum capiti, in dilectione inimicorum facti fuerint, vt verè prædeſtinati, non fruſtra cum ijſdem Chriſti diuinitatem, & glorioſam humanitatem videre optabunt: « Dominus cùm dediſſet ſyndonem ſeruo Sacerdotis, iuit ad Iacobum & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus, ſe non comeſturum panem ab illâ horâ quâ biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis. Poſt paululùm; afferte ait Dominus menſam & panem. Et tulit panem, & benedixit ac fregit, & dedit Iacobo iuſto, & dixit ei: frater mi, comede panem tuum, quia reſurrexit filius hominis à dormientibus. » Et de Philippo diuinitatem eius in patre videre cupiente Auguſtinus, « Si quod non videmus, ſperamus; per patientiam expectamus, quoadvſque Rex in accubitu ſuo eſt. Tunc erit quod ſcriptum eſt, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo. Illâ lætitiâ nihil amplius requiretur, quia nec erit quod amplius requiratur. Oſtendetur enim Pater, & ſufficiet nobis. Quod benè intellexerat Philippus, vt diceret Domino: oſtende nobis Patrem, &c. Sed nondum intellexerat eo quoque modo ipſum ſe potuiſſe dicere: Domine oſtende nobis te, & ſufficit nobis. Vt enim hoc intelligeret, reſponſum ei à Domino eſt: Philippe qui videt me, videt & patrem. Sed quia volebat eum & fide viuere, antequam illud poſſet videre, ſecutus eſt, & ait, non credis quia ego in patre, & pater in me eſt? &c. Si-

Hier. in Catal. ſcript. Eccl. Iuxta Origenem ex Euang. Hebr.
Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 8.
Rom. 8. 25.
Pſ. 15. 10.
Io. 14. 8.

Digitized by Google

ue ergo audiamus, oſtende nobis filium, ſiue
audiamus, oſtende nobis patrem, (& idem
probat inferiùs de Spiritu ſancto, an fortè pu-
tabitur, manſionem in dilectore ſuo facienti-
bus patre & Filio, excluſus eſſe ab hac man-
ſione Spiritus ſancti ?) tantundem valet, quia
neuter ſine altero poteſt oſtendi. Et quia hæc
eſt vita æterna, dicit Deus in pſalmo : longi-
tudine dierum replebo eum, & oſtendam illi
ſalutare meum. » Sic ſancti omnes videndi Dei
amore flagrabant. « Talis erat Moyſes qui au- Ber. ſer.
debat dicere Deo ; ſi inueni gratiam in oculis 32. in
tuis, oſtende mihi teipſum. Talis Philippus Cant.
qui ſibi & ſuis condiſcipulis patrem flagitabat Exod.
oſtendi. Talis quoque Dauid, qui & ipſe di- 33. Pſ. 26.
cebat Deo : tibi dixit cor meum, exquiſiuit te
facies mea, faciem tuam Domine requiram:
qui fraudati non ſunt à deſiderio ſuo. » Deſi-
deremus & nos, & veſtigia Apoſtolorum ſe-
quentes, per eorum merita & ſuffragia, & ipſi Pſ. 41.
tranſibimus in locum tabernaculi admirabilis 4.
vſque ad domum Dei. Amen.

Digitized by

IN FESTO S. MATRIS Monicæ.

Vna eſt columba mea, perfecta mea.
Cant. 6. 8.

QVi Paulæ merita dignè ſcribere volet, ſacrum Hieronymi calamum mutuetur : qui Monicæ viuentis elogia mellito recenſere eloquio, Ambroſij mellifluі linguam exerat : qui emortuæ merita celebrare, de Martini quinti Summi Pontificis, in eiuſdem tranſlatione mirificâ, panegyri, ſententias excerpat. Mihi quidem fuit in votis, vt ſaltem aliquis de ordine Prælatorum, partes quas hîc indignus ſubeo, ſuſcepiſſet ; quòd condignè ſaltem tantæ tot Præſulum, poſt filium, Ordinis noſtri, Matris laudes, coram honorificentiſſimo hoc cœtu depromeret. Et quis Matre Facundâ natam, & Auguſtini facundiſſimi matrem, ſine facundia; quis vnicæ columbæ, immaculatæ & perfectæ gloriam, niſi omnibus Spiritus ſancti ſponſi eius donis ornatus aggredi, ſine auſu temerario præſumat? Nudum ſanè me & implumem pennis deargentatis & verſicoloribus eloquentiæ & vario amictu donorum agnoſco ; intellectu, conſilio, ſcientiâ, ſapientiâ, fortitudine deſti-
Pſ. 67. 14. tutum fateor; nec quicquam mihi præter « poſteriora dorſi eius in pallore auri » ſupereſſe

Digitized by

profiteor; aut « duo minuta æris in gazophylacium » pro timore, & pietate matri viduæ debita perſoluo. Sed vt pietas impellit, & vela rapit in immenſum pelagus meritorum; timoris remora in ipſo portu & procinctu iam moratur; niſi tu Virgo, columba prælecta, donis Spiritus ſancti pleniſſima, de « diffusâ in labiis tuis gratiâ » arentia mea labia perfundas, per Angelum exorata, qui te Spiritu columbino obumbrandam nuntiauit, cùm te gratiâ plenam ſalutauit: Aue Maria.

Marc. 12.24.

Pſ. 44. 3.

EXORDIVM.

Miror incredulos veræ Phœnicis Hiſtoriæ aduerſantes, cùm præter Naturaliſtas, veteres etiam Patres in Scripturâ fundati, & verſionem 70. Interpretum ſecuti, eandem vnanimiter veritatem amplectantur; & vel Chriſti ſine maſculo nati, vel corporum beatorum reſurrectionis, hinc Symbolum adſtruant. Ego verò etiam abſque Phœnicis exemplo, & ſemotâ huius auis Arabicæ ſingularitate, nil toto orbe communius, nihil familiarius, quàm Phœnices aduerto, omnia ſiquidem naturæ, gratiæ, gloriæ opifex, in ſingulis admirabilis, ſingularia produxit. Quid enim ſol, niſi ſolus & vnicus fons luminis & oculus vniuerſi? quid Luna, quaſi vna? quid ſtellæ, quarum « multitudinem numerat Deus, & omnibus eis nomina vocat? » Quid tot tam diſtinctæ formâ hominum facies, vniones, & flores? Quid iuxta Doctorem Angelicum, tot myriades Angelorum, indiuiduâ ſpecie diuerſorum? quid ex Magiſtri Sententiarum opinione, duo non ſunt æquales in patriâ, nec per con-

Cypr. ſiue Ruf. in expoſ. Symb. Lact. carmine de Phœn. Ambr. 5 Hexã. cap. 23. Tertul. de Reſurrect. cap. 13. Aug. li. 4. de Anima cap. 20. Pſ. 91. 12. Iob. 29.18. Pſ. 146. 4.

Digitized by Google

ſequens, ſi infantes poſt baptiſmum ex hac vitâ migrantes excipias, meritis ſint æquales in viâ? An non tibi hæc in creaturis vnitas, apertum eſt ab vnitate principii impreſſum veſtigium? vnde Paulus ad vnitatem Spiritus hortatus: « Solliciti, inquit, ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vnâ ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. » Vna tandem Eccleſia columba. Sed ſi cui Eccleſiæ membro conuenit vnicæ columbæ nomen, certè noſtræ Monicæ; quam 1. videbimus in tribus ſtatibus, Virginis, nuptæ, & viduæ, columbam vnicam, & ſingulari virtute mirabilem, & 2. ſingulis hos ſtatus profitentibus imitabilem.

Epheſ. 4. 3. & ſeq.

Divisio.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Arcam Noë, diſruptis fontibus abyſſi magnæ, & cataractis cœli apertis immerſabilem, in quâ reliquiæ mundi ſaluæ factæ ſunt, firmitatis Eccleſiæ, inter medias hæreſeon & perſecutionum vndas fluctuantis, ſed numquam abſorptæ figuram fuiſſe nemo neſcit. Conteſtatur idipſum Scriptura per Petrum: « Expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in quâ pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam; quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma? &c. » In multis autem Eccleſiam repræſentauit hæc arca. Primò enim iuxta Auguſtinum, « In arca, inquit, Noë, quâ nemo noſtrum dubitat Eccleſiam eſſe figuratam, non includerentur omnia genera anima-

1. Pet. 3. 20.

Aug. concio. 3. de 2. parte Pſ. 103.

Digitized by Google

lium, niſi in illâ vnitate compaginis, omnes gentes ſignificarentur. » Secundò ex eodem: « Non fruſtra etiam de lignis quadratis ædificata eſt arca Noë, quæ nihilominus figuram geſtabat Eccleſiæ. Quid eſt enim quadratis? Attendite ſimilitudinem quadrati lapidis; ſimilis debet eſſe* Chriſtianus. In omni tentatione ſuâ Chriſtianus non cadit; & ſi impellitur, & ſi quâ vertitur, non cadit. Nam quadratum lapidem quacumque verteris, ſtat. » Stetit Eccleſia, ſtetere Martyres, ſtetit inter fluctus immota Monica, de lignis quadratis & imputribilibus à Deo fabrefacta. Sed tertiam adiicit Auguſtinus Eccleſiæ cum arca tricamerata ſimilitudinem. « Poſſunt, inquit, hæc intelligi & illa tria quæ commendat Apoſtolus, fides, ſpes, charitas. Poſſunt etiam multò conuenientiùs tres illæ vbertates Euangelicæ, tricena, ſexagena, centena: vt in infimo habitet pudicitia coniugalis, ſupra vidualis, atque hac ſuperior virginalis. » Arcam Noë ſic deſcribēs Auguſtinus, in eâ nobis tacitè matrem ſuam Monicam expreſſit, in tribus his ſtatibus planè perfectam. Quod abſque præiudicio beatiſſimæ Virginis Mariæ ſit dictū. De quâ idem Auguſtinus: « Ideo, inquit, omnes iſtos curſus naturæ Virgo Maria in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret. » Et tres ſtatus idem ipſe diuidens in cæteris, poſt Mariam in propriâ matre cognouit. « In Mariâ Chriſtum pia virginitas peperit, in Annâ Chriſtum viduitas paruum grandæua cognouit, in Elizabeth Chriſto coniugalis caſtitas & anilis fœcunditas militat. » Sunt qui in muliere amictâ ſole, luna ſub pedibus pedibus, capite ſtellis

Aug. in Pſ. 86.

Aug. lib. 15. de ciu. cap. 26.

Aug. ſer. 15. de tēp.

Aug. ſer. 16. de tēp.

Apoc. 12. 1.

Digitized by Google

duodecim coronato, tres caſtitatis gradus in Eccleſiâ recognoſcant; vt virginitas pura & ſancta in ſole reſplendeat; viduitas in nocte cum ſtellis ſplendeat; pudicitia coniugalis in Lunâ refulgeat: quòd vt illa quanto à Sole remotior, ſic vxor viro etiam recedente, ſit luce virtutis plenior. Sanctus Addhelmus Saxonum Occidentalium Epiſcopus, ſe Angelicâ reuelatione didiciſſe teſtatur; quòd cùm tres ſint in Eccleſiâ ſtatus, coniugium æri, cœlibatum argento, virginitatem auro comparandam. Coniugium paupertatem eſſe, cœlibatum mediocritatem, virginitatem opulentiam: primam captiuitatem, ſecundam redemptionem, tertiam pacem. Priorem ancillam, alteram dominam, poſtremam reginam. Primam tenebras, ſecundam lucernam, tertiam ſolem. In tribus his ſtatibus vna perfecta columba Monica. Quod vt faciam planiùs, ad arcam Noë regredior, ex quâ ſiue tres, ſiue ter vnam eandemque columbam emiſit. Prima, « cùm non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam. » Et ſic Monicam in ſtatu Virginis expreſſit, quæ cadaueribus & carnis immundiciis, & corruptionibus inquinari, Deo præueniente ſuâ gratiâ non potuit. « Expectatis autem vltra ſeptem diebus rurſum dimiſit columbam ex arca: at illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo. » Et hac vice delineauit Monicam, in mediis viri, & Socrus iurgiis, mirâ ſimplicitate & manſuetudine pacificam. « Expectauit nihilominùs Noë ſeptem alios dies, & emiſit columbam, quæ non eſt reuerſa vltra. » Viduam hîc Monicam intellige; terras & maria tranſuolantem, vt filium ad Chriſtum

Tom.8. Biblio. lib. de Laud. virg. cap.9.

Gen. 8. 9.

Ibid. verſu 10.

Ibid. verſ.12.

Digitized by Google

reduceret. Sed non eſt vltra reuerſa in Africam. Nec prætereundus ſeptenarius numerus, ſpiritui columbino, propter ſeptena eius dona, addictus, quem Noë iteratò ſeruauit; qui numerus quia indiuiſibilis eſt, Symbolum eſt quietis.

Sed longè ſublimori ſenſu, Paulus Virginem, ſolius Dei cui placet, ſolicitam, non diuiſam ſuppoſuit, qui nuptam diuiſam inuexit. O prodigium ſanctitatis; nec Virgo, nec vidua, nec quod amplius, nupta diuiſa; ſed vbique ſui ſimilis, indiuiſa Monica fuit; vt de eâ verum ſit dicere, «vna eſt columba mea, perfecta mea.» Impleto in eâ Abrahæ ſacrificio, in quo diuiſis altrinſecus tribus animalibus, turbatur & columba indiuiſa permanſit, «aues non diuiſit: quoniam carnales inter ſe diuiduntur, ſpiritales autem nullo modo; ſiue à negotiis & conuerſationibus hominum ſe remoueant, ſicut turtur: ſiue inter illos degant, ſicut columba.» 1. Cor. 7.33. Cant. 6. 8. Aug. lib. 16. de ciu. cap. 24.

Addam & aliquid ex Sancto Primaſio Epiſcopo Vticenſi S. P. Auguſtini Diſcipulo, ſubtile, & cauſæ noſtræ congruum; vbi de, α & ω. Initio, & fine Apocalypſis, repetito. «In α Verbi diuinitatem, in ω, ſuſceptam humanitatem aſſignans principium ſine termino, &c Vt vnius naturæ, tota Trinitas intimetur: (quæ eſt principium & finis omnium.) Nam & ipſa elementa Græci Alphabeti, ἀ & ω, eiuſdem numeri conficiunt ſummam, quam columbæ nomine in Græco nouimus comprehendi. Columba enim περιστερά dicitur, à quo nomine octingenteſimus & vnus numerus ſubſummatus, quem etiam α, & ω, adimplent. π. 80. ε. 5. ρ. 100. ι. 10. σ. 200. τ. 300. ε. 5. ρ. 100. α. 1. In columbæ autem ſpecie, rectè nobis ſancti Spiritus nouimus ſignificari Primaſius lib. 5. in Apoc. cap. 21. circa f.

Digitized by Google

perſonam: in cuius ſpecie deſcendens voluit apparere: vt ſcilicet Arrianorum, aliorumque hæreticorum fruſtraretur inſania, qui eum à Patris, & Filii naturâ aſſerunt alienum; cùm etiam per huius conuenientiam numeri, hîc quoque reuelatio cœleſtis, conſubſtantialem & coæternam Patri & Filio ſanctum Spiritum manifeſtet. »
Quia ergo filius in aſſumpto homine non ſolùm
Pſ. 8. 6. minor Patre, ſed & « paulò minùs ab Angelis imminutus » poterat à lippientibus hominum, vt Arrianorum oculis purus homo cenſeri propter formam ſerui: ideo ſeipſum æqualem Patri probauit, dum ſæpius ſe principium & finem, ſicut & Pater eſt, appellauit. Similiter, quia Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie apparuerat, ne creatura putaretur, voluit vt in græco columbæ nomine, eiuſdem numeri æqualitas cenſeretur, quòd in Trinitate eadem ſit naturæ & maieſtatis æqualitas. Octingenteſimus porro numerus ex centeno perfecto octies multiplicatus, qui ex Pythagorâ iuſtitiæ diſtributiuæ præfectus eſt numerus, quòd totus, & partes eius ſingulæ æqualiter diuidantur, perfectionem iuſtitiæ diſtributiuæ, & beatitudinis ſummam repræſentat. Vnitas autem principium numeri, totam Trinitatem, vnicum, & indiuiſum rerum omnium principium & finem, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, rectè ſapienti inſinuat. Quid hæc ad Monicam? Aptiſſimè. Spiritus ſanctus cum donorum ſuorum plenitudine Chriſto in Iordane baptizato illapſus, Monicam ſibi in Sponſam ab æterno prælectam, vnicam columbam, in ſui nominis, & donorum plenitudinem, & conſortium ad miſit; vt in omni ſtatu, & curſu vitæ, indiuiſum cum eâ Matrimonium contraheret. Sin-

Digitized by Google

gulos ſtatus decurramus. An non virguncula, « ſumpſit pennas diluculo » gemitumque columbæ? vix enim annum rationis attigit, cùm noctu ſurgens ad orationes Angelicas, quas à matre Facunda didicerat, deuotiſſimè recitandas, iam inde. « Spiritus pro eâ poſtulabat gemitibus inenarrabilibus: » id eſt, iuxta Auguſtinum, poſtulare faciebat? Paruula columbella in templi angulo aſpectum hominum fugiens, « audiens quid loqueretur in eâ Dominus » cum ſponsâ Canticorum dicebat tacita: « Vox dilecti: veni columba mea, in foraminibus petræ, in cauernâ maceriæ. Fac me audire vocem tuam, oſtende mihi faciem tuam: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. » Et quidem ſi Ignatius Martyr, virgines Chriſti Sacerdotes vocat; & Hieronymus hoſtiam Chriſto conſecratam; hoſtiam certè ſanctam, & Deo benè placentem, tam orationibus, quàm ipsâ Angelicâ puritate iugiter immolabat? De Angelicâ eius familiâ in terris deputandâ, de quâ ſic Hieronymus: « Statim, inquit, vt filius ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit; vt qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos in terris. » Nec aliter domi, quàm in Eccleſiâ conuerſabatur Monica, aſpectum & contactum hominum fugiens, vt puritati lilii, & ſpeculi, leui halitu, tactuque fragili & marceſſibili conſulens, nuſquam niſi velata procedens, pudicitiæ virginalis æmulatrix, quam ſub oculo columbino intra velum deliteſcenti ſponſus magnificè extulit. « Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet. » Vel vt alij malunt: ex Hebræo, « intra velum tuum. » Quàm raræ puellæ, quæ noctu ad orationem & vigilias ſurgant, &

Pſ. 138. 9.
Rom. 8. 26.
Pſ. 84. 8.
Cant. 2. 14.
Ignat. ep. ad Tharſ.
Hier. 1. cont. Iouin. & ep. 22.
Cant. 4. 1.

non ad choreas & ludum! Quàm paucæ, quæ tacitæ in angulis Eccleſiæ ad orandum latitent, & domi, vel foris oculos velorum ſepto muniant, & formam ſuam adoleſcentum aſpectui ſubducant; quæ ornatum omnem vt inimicum virginitati, cum Monicâ auerſentur! Audiant totius pudoris Magiſtrum Tertullianum præſcribentem. « Ipſa, inquit, concupiſcentia non latendi, non eſt pudica. Patitur aliquid quod Virginis non ſit, ſtudium placendi vtique & viris. Quantum velis bonâ mente conetur, neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis; dum digitis demonſtrantium titillatur; dum nimium amatur; dum inter amplexus & oſcula aſſidua concaleſcit. Sic frons duratur, ſic pudor teritur, ſic ſoluitur: ſic diſcitur aliter (quam ex appetitu laudis formæ) iam placere deſiderare. Sed enim vera & tota & pura virginitas, nihil magis timet quàm ſemetipſam. Etiam fœminarum oculos pati non vult. Alios ipſa oculos habet. (Columbinos, virgineos, Angelicos.) Confugit ad velamen capitis quaſi ad galeam, quaſi ad Clypeum, qui bonum ſuum protegat aduersùs ictus tentationum, aduersùs iacula ſcandalorum, aduersùs ſuſpiciones & ſuſurros, & æmulationem, ipſum quoque liuorem. Nam eſt aliquid apud Ethnicos metuendum quod faſcinum vocant, infœliciorem laudis & gloriæ enormioris euentum. » Eſt & aliud in vnicâ noſtrâ imitabile virgunculis exemplum, quæ in tenerâ ætate à ſponſo ſuo Spiritu ſancto totius veritatis magiſtro edocta, iam tum miſericordiam ſupra ſacrificium orationis & hoſtiam caſtitatis reputans, partem prandij ſibi ipſi ſubtrahens, pauperibus

Tertul. de vel. Virg. cap. 14.

erogabat, cum S. Iob dicens: « Si comedi buccellam meam ſola, & non comedit pupillus ex eâ. » Sic in aptatâ virginitatis lampade chryſtallinâ, oleo miſericordiæ exundabat. Diſcant parentes, à teneris filias ſuas eleemoſynis aſſuefacere, & per earum manus innocuas pauperum neceſſitatibus communicare, « Manum ſuam aperire inopi, & palmas extendere ad pauperem. » Eſt vnicum, ſingulare ac mirabile, quod in columbâ noſtrâ notauit Auguſtinus: nempe quòd cùm vix parentes primò ſibi ſubiiciant & edoment filios, quos poſtmòdum Dei iugo, legique colla ſubacta facilius addicant: Monica « educata, inquit, pudicè ac ſobriè, (aduertant Matres, quæ nimio & impudico cultui corporis vacant, ſpeculo pluribus horis conſulto, ex adulterio vultus meditantes adulteria caſtitatis, & adhuc in lecto iacentes, iuſcula pinguia ad ſaginam corporis quotidie ſumentes, quam ſobrietatem & pudicitiam hinc hauriant puellæ.) potiuſque à te ſubdita parentibus, quàm à parentibus tibi. »

Iob. 31. 17. Prou. 31. 20. Aug. lib. 9. cõfeſſ. cap. 9.

Ad ſtatum nuptæ tranſeamus, quem immediatè poſt præfata aggreditur Auguſtinus. « Vbi, inquit, plenis annis nubilis facta eſt, tradita viro, ſeruiuit veluti Domino, & ſategit lucrari tibi, loquens te illi moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas, & reuerenter amabilem atque mirabilem viro. » Quàm hîc aberrant à ſcopo primò quidem parentes, qui cùm non iam ſint in penuriâ fidelium virorum queis filias nuptui collocent, vel dignitatis, vel diuitiarum ambitu, eas periculo ſubuerſionis, & ſanctam Eccleſiæ diſciplinam, eiuſque Sacramenta, hæreticorum ludibriis exponunt, Paulo aduerſantes,

Aug. lib. 9. cõfeſſ. cap. 9.

1. Cor. 7. 39. ſtrictè præcipienti: « Nubat qui volet, tantùm in Domino. » Et rurſum: « Sacramentum hoc magnum in Chriſto dico & in Eccleſiâ. » Audiant & Tertullianum: « Nuptura, inquit, in Domino habet nubere, id eſt, non Ethnico, ſed fratri; quia & vetus lex adimit coniugium allophylorum? » Cauſas prohibitionis idem ipſe congerit: « Non, inquit, adulterium eſt quod prohibitum eſt? non ſtuprum eſt? Extranei hominis admiſſio minùs templum Dei violat? minùs membra Chriſti cum membris adulteræ commiſcet? &c. quis dubitet obliterari quotidie fidem commercio infideli? bonos corrumpunt mores confabulationes malæ: quantò magis & conuictus, & indiuiduus vſus? Quæuis mulier fidelis Deum obſeruet neceſſe eſt, & quomodo poteſt duobus dominis deſeruire, Domino & marito, adde Gentili? (adde hæretico?) Gentilem enim obſeruando, Gentilia exhibebit. (Cibos vetitos diebus ieiunij,) formam, extructionem, munditias ſæculares, blanditias turpiores, ipſa etiam matrimonij ſecreta maculoſa, (immutato naturali vſu fœminæ,) non vt penes ſanctos, officia ſexus cum honore ipſius neceſſitatis, (vel ad fornicationẽ vitandam, vel habendã prolem,) tanquã ſub oculis Dei modeſtè & moderatè trãſigantur. » Tum de obſequio diuino in rebus ſacris per maritum fidelem impedito: « Viderit, inquit, qualiter viro officia pendat. Domino certè non poteſt pro diſciplinâ ſatisfacere, habens in latere diaboli ſeruum, procuratorem Domini ſui, ad impedienda fidelium ſtudia & officia; vt ſi Statio facienda eſt (in qua ieiunio, cineri, omni auſteritati vacabant,) maritus de die condicat ad balneas: ſi ieiunia obſeruanda ſunt,

Marginal notes: 1. Cor. 7. 39. — Epheſ. 5. 32. — Tertul. de Monog. cap. 7. — Exod. 34. 16. — Tertul. 2. ad Vxorẽ cap. 3. — 1. Cor. 15. 33. — Matth. 6. 24. — Tertul. Ibid. cap. 4.

Digitized by Google

ſunt, maritus eâdem die conuiuium exerceat. Si procedendum erit, numquam magis familiæ occupatio obueniat &c. Quis ſolemnibus Paſchæ abnoctantem ſecurus ſuſtinebit? quis ad conuiuium illud Dominicum quod infamant, ſine ſuâ ſuſpicione dimittet? &c. Nolite Margaritas veſtras porcis iactare, ne conculcent eas, vos quoque euertant. Margaritæ veſtræ ſunt, etiam quotidianæ conuerſationis inſignia. Quantò curaueris ea occultare, tantò ſuſpectiora feceris, & magis captanda curioſitati Gentili. Latebiſne tu, cùm lectulum, cùm corpuſculum tuum ſignas, cùm aliquid immundum flantis explodis, cùm etiam per noctem exurgis oratum? Non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? &c. Suſtinent quidã, ſed vt inculcent, vt inludant huiuſmodi fœminis, &c.» Alterum eſt, in quo multùm decipiuntur fœminæ, quæ maritos ſibi ex ornatu ſuperfluo & impudico conciliare præſumunt. Monicam attendant, ad eius ſpeculum ſe componant, ſiue hæreticos, ſiue immorigeros & feros ex eius imitatione cicurent, & Domino primum, inde ſibi lucrentur. Et de ornatu quidem ſcitè ſupra Auguſtinus: « Sategit eum lucrari tibi, loquens te moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas & reuerenter amabilem, atque mirabilem viro.» Cui præuius Tertullianus, nuptis præſcripſit verum ac placentem viris Chriſtianum ornatum. « Prodite vos medicamentis, (fucis) & ornamentis extructæ Prophetarum, & Apoſtolorum: ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitiâ ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & os taciturnitate: inſerentes in aures ſermones Dei, (murenulas vtique aureas vermiculatas argento,)

Matth. 7.6.

Aug. ſupra.

Tertul. 2. de cultu fœm. cap. 13.

Cant. 1. 10.

adnectentes ceruicibus iugum Chriſti: (collum tuum ſicut monilia) caput maritis ſubiicite, (velum porro ſubiectionis poteſtati mariti eſt ſignum,) & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate. (Vt mulier fortis, quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.) Pedes domi figite, & pluſquam in auro placebitis. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem.» De moribus porro mariti tolerandis, præluxit exemplo: nec vt multæ Zelotypæ, & quod peius impudicæ ſolent, maritis ad concubinas vel alienas vxores abeuntibus, ipſæ quoque adulteriis vacant. De eâ enim ſic ſubſcribit Auguſtinus: « Ita autem tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam ſimultatem. Expectabat enim miſericordiam tuam ſuper eum, vt in te credens caſtificaretur.» Non faſtu, non neglectu, non iurgio, vti ſolent indomitæ vxores, ſed patientiâ, modeſtiâ, orationum aſſiduitate pugnans vincebat. Et de viro iracundo placando, quid mulieres ſentiunt? Adeant Monicam, de eâ conſulant Auguſtinum, ſed audiant priùs de leone Reginæ Berenices manſuefacto, docentem Tertullianum. « Planè, inquit, obliuiſcetur feritatis Leo, manſuetudinis eruditione præuentus, & cum toto ſuggeſtu iubarum, delitium fiet Berenices alicuius Reginæ, lingua genas eius emaculans. Mores beſtiam relinquent.» An non ſapiens cum leonis fremitu Regem componit iratum? « ſicut fremitus leonis, ita & Regis ira: & ſicut ros ſuper herbam ita & hilaritas eius.»

Cant. 1. 9. Prou. 31. 13. Aug. lib. 9. cōfeſſ. cap. 9. Tertul. lib. de Anim. cap. 24. Prou. 19. 12.

Sanct. Pagn. ex Hebr. « Beneuolentia eius ? » [Eſther. 14. 13. & c. 15. 10.] Eſther item, cùm in additamento capitis deciminquinti, de Aſſuero dixiſſet « cùm eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, &c. » Subiecit; « conuertitque Deus [Verſu. 11.] ſpiritum Regis in manſuetudinem. » Priùs quippe capite præcedenti ſic orauerat ad Dominum: [Eſther. cap. 14. 12.] « Da mihi fiduciam Domine Rex deorum & vniuerſæ poteſtatis: tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis. » Quo etiam loco vtitur Auguſtinus, vt probet cor Regum, & voluntates hominum, in manu & poteſtate Dei eſſe flectentis ea quocumque voluerit. « Quid eſt, in- [Aug. lib. 1 ad Bonif. cap 20.] quit, quòd Heſter illa Regina orat, & dicit; da ſermonem concinnum in os meum, & verba mea clarifica in conſpectu leonis, & conuerte cor eius in odium impugnantis nos; vt quid iſta in oratione dicit Deo, ſi non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem? » Et rurſum, abſque violentâ coactione, & ipſis hominibus volentibus, hoc de ipſis præſtare Deum aſſerit: « Hoc, inquit, non facit niſi per ipſorum hominũ [Aug. lib. de correp. & grat. cap. 14.] voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem. » Non igitur ſit alius nuptæ recurſus, quàm par Monicæ, ad orationem frequentem ad Deum; quæ Patritium non ſolum infidelem & impudicum, ſed & leonem iracundiâ, frequenti oratione conuerti ad Deum procurauit. Teſte enim Auguſtino, « Denique, [Aug. lib. 9. cõfeſſ. cap. 9.] inquit, etiam virum ſuum iam in extremâ vitâ temporali eius lucrata eſt tibi, nec in eo iam fideli planxit, quod in nondum fideli tolerauerat. » Et quidem ſi de ſermone concinno & com-

poſito agitur, vt à ſapiente dictum eſt, « ſermo mollis, frangit iram: » ſic de eâ ab Augustino relatum eſt: « Erat, inquit, ille ſicut beneuolentiâ præcipuus, ita irâ feruidus. Sed nouerat hæc non reſiſtere, (vt plerumque faciunt imprudentes & ſtultæ mulieres, quæ flatu verborum iracundiam virorum accendunt:) irato viro, non tantùm facto, ſed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto, cùm oportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi fortè ille inconſideratiùs commotus fuerat. Denique cùm matronæ multæ, quarum viri manſuetiores erant, plagarum veſtigia, etiam dehoneſtatâ facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam veluti per iocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas quæ matrimoniales vocantur recitari audiſſent, tanquam inſtrumenta quibus ancillæ factæ eſſent, deputare debuiſſent: proinde memores conditionis, ſuperbire aduersùs dominos non debere. »

Aug. Ibid. ſupra.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

PRIMA REFLEXIO. Quid de eius conuerſatione loquar? « Hoc quoque illi bono mancipio tuo, in cuius vtero me creaſti, Deus meus, miſericordia mea, munus grande donaueras, quod inter diſſidentes atque diſcordes quaſlibet animas, vbi poterat, tam ſe præbebat pacificam, vt cum ab vtraque multa de inuicem audiret amariſſima, qualia ſolet eructare turgens atque indigeſta diſcordia, quando præſenti amicæ, de abſente inimicâ per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de alterâ

Aug. Ibid.

Digitized by Google

prodeꝛet, niſi quod ad eas reconciliandas valeret. » Tum ad mores corruptos multorum diſcordias excitantium conuerſus vnicæ columbæ ſingularem in hoc gratiam exaggerat, « Paruum, inquit, hoc bonum mihi videretur, niſi turbas innumerabiles triſtis experirer, neſcio quâ horrendâ peſtilentiâ latiſſimè peruagante, non ſolùm iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, ſed etiam quæ non dicta ſunt, addere: cùm contra humano parum eſſe debeat inimicitias hominum nec exagitare, nec augere malè loquendo: niſi eas etiam extinguere beneloquendo ſtuduerit. Qualis illa erat docente te magiſtro intimo in ſcholâ pectoris. » En columba noſtra pacifica ſemper & vbique oleæ virentis deargentata baiula. Quid plura? cum immodeſta, vultu, habitu, ſermone, vt plurimum ſit hodierna mulierum conuerſatio, vt toto habitu malignum quo plena eſt ſpiritum exhalet, mirum ac planè ſingulare de ſanctiſſimâ matris ſuæ conuerſatione adiicit Auguſtinus: « Erat etiam ſerua ſeruorum tuorum. Quiſquis enim eorum nouerat eam, multum in eâ laudabat, & honorabat, & diligebat te: quia ſentiebat præſentiam tuam in corde eius, ſanctæ conuerſationis fructibus teſtibus. » Vos verò, cultæ, expictæ mundo muliebri, quid oculis, linguâ, geſtu, totâ denique conuerſatione ſpiratis? quos fructus in cordibus, ſiue hominum, ſiue mulierum, ex tali ſemine metitis? dicite, quas pudet anteactæ vitæ, « quem fructum habuiſtis in his in quibus nunc erubeſcitis? » Vtinam vel tardè ad exempla Monicæ reuocatæ, columbam illam imitemini, quæ vt olim in conuiuiis balſamo delibuta ſuper conuiuas cir-

Aug. Ibid.

Aug. Ibid. circa.f.

Rom. 6. 21.

cumuolitans, eos odore ſuo reſpergebat;ſic Spiritus ſancti vnguento plenę odorem veſtrum vbique reſpergatis; « adeo vt quiſquis vos nouerit, multùm in vobis laudet & honoret,& diligat Deum, ſentiens præſentiam eius in corde veſtro, conuerſationis veſtræ ſanctæ fructibus teſtibus. »

Aug. ſupra.

Secvnda Reflexio. Supereſt, vt & eam proponam in ſpeculum curæ & educationis filiorum. Diadumeno in cunis agenti Macrini filio, die quo natus eſt, aquila in augurium imperij palumbum attulit. Quid adeo ſingulare Africa monſtrorum ferax protulit? O Monica vnica columba die quo Auguſtinum genuiſti, aquilam in cunis poſuiſti. Sed cuius vnguibus, & roſtro toties cor tuum dilaniabatur, quoties in Dei offenſam incurrebat. Sic enim de ſe & fratre Nauigio idem ipſe fatetur: « Nutrierat filios, totiens eos parturiens, quotiens abs te deuiare cernebat. » Quàm anxia foret ab infantiâ vt fidem ſugeret docuit. « Audieram ego adhuc puer de vitâ æternâ nobis promiſsâ per humilitatem Domini Dei noſtri deſcendentis ad ſuperbiam noſtram, & ſignabar iam ſigno crucis eius, & condiebar eius ſale iam inde ab vtero matris meæ, quæ multum ſperauit in te, &c. Sempiternam ſalutem meam cariùs parturiebat corde caſto in fide tuâ,&c. Iam credebam, & illa,& omnis domus, niſi Pater ſolus, qui tamen non euicit in me ius maternæ pietatis, quo minus in Chriſtum crederem, ſicut ille nondum crediderat. Nam illa ſatagebat vt tu mihi Pater eſſes, Deus meus, potiùs quàm ille: & in hoc adiuuabas eam vt ſuperaret virum, cui melior ſeruiebat, quia & in hoc tibi vtique id iubenti ſeruie-

Pier. in hierog. colũb.

Aug. Ibid. ſupra. Lib. 1. cõfeſſ. cap. 11.

bat.» De monitis autem piiſſimæ Matris,« Multorum, inquit, ciuium longè opulentiorum, nullum tale negotium pro liberis erat, &c. Illa quia non ſolum nullo detrimento, ſed etiam nonnullo adiumento ad te adipiſcendum profutura exiſtimabat vſitata illa ſtudia doctrinæ, &c. Et cuius erant niſi tua verba illa per matrem meam fidelem tuam, quæ cantaſti in aures meas?» Prætereo continuas lachrymas & preces iunctas ſalutaribus monitis quibus reparturiebat maiori dolore cordis quam ventris dolore primo produxerat, vt ab eâ parentes ediſcant ſibi ipſis & ſuæ negligentiæ filiorum prauitatem & malis præcipuè exemplis imputare. Dicant Matres cum Chananeâ malè à dæmonio vexatâ filiâ: « Miſerere mei fili Dauid » & miſeriam ſibi imputent conuerſationis corruptæ filiarum. Et quid quæſo miſerandi parentis filium dæmoniacum curaturus Chriſtus interrogauit Patrem à quo tempore in eum inimicus intraſſet; cui ille reſpondit, ab infantiâ? & hoc ipſum perpendit Chryſologus. « Requirit, inquit, paſſionis tempus author temporis, medicus paſſionis tempus requirit, non vt neſcius, ſed vt ſciens neſcientibus prodat. Denique interrogatione tali, tempus aperit, ætatem pandit, reuoluit infantiam, vt tanti mali cauſa non tangat ſobolem, ſed parentem: quia à Deo ſibi datum pignus, ad diaboli gratiam, dæmonum retulit ad honorem: dicente Scriptura, & obtulerunt filios ſuos & filias dæmoniis. Infantia, vt in ſe diabolo locum faceret, (præter originale in circumciſione deletum) quid criminis admiſerat? quid reatus? ſed replentur dæmone paruuli, quando à parentibus ſuis offeruntur diabolo, (vel cùm execratione vt

Aug. lib. 2. cōfeſſ. cap. 3.

Matth. 15. 22.

Chryſol. ſer. 51.

Pſ. 105. 37.

Digitized by Google

à ſſolet, diabolo deuouentur,) dæmonum ducuntur ad curam. (Ad magos & ſacrilegos.) Denique patris fide ſoluitur, quem « Patris infidelitas alligarat. » Sed mali mores parentum maximè redundant in filios; nec frequentius leprâ, podagrâ, calculo, aut aliquâ corporis labe laborans parens, ſuam in prolem naturali fluxu deriuat ægritudinem, ſicut iracundus, blaſphemus, ebrioſus, prodigus ambitioſus, lubricus, &c. Similem ſibi informat filium; & volatica, vana, verboſa, contentioſa, adultera mater, ſibi filiam aſſimilat, « vt tanti mali cauſa priùs parentem tangat quàm ſobolem. »

Chryſol. ſupra.

Tertia Reflexio. Virginibus & nuptis ſpeculũ propoſui Monicam, ſed præ cunctis ſtatibus illuſtriſſimũ extitit viduitatis exemplum. S. Ignatius viduas dixit altare Dei in quo ouicula & turtur immolatur. Et S. Polycarpus eaſdem ſacrarium Dei nuncupauit. Paulum vterque ſecutus eſt, de viduâ verâ ſcribentem. « Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in eum, & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die. » Quod perfectè impleuit Monica, vt & ſequentia; « quę fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorũ pedes lauit, ſi tribulationẽ patiẽtibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonũ ſubſecuta eſt. » Iactet Ambroſius Annam viduam. « Cuius diuerſoriũ erat in templo, colloquiũ in prece, vita in ieiunio. Hiero. Paulam ſic de luxu per incuriã expiãdo loquentẽ; « longus riſus perpeti cõpenſandus eſt luctu; &c. Quæ viro, & ſæculo placui, nunc Chriſto placere cõtendo. » Non riſum lacrymis, non luxum amictu lugubri, non Cyprium puluerem cinere, non conuiuia ieiunio

S. Ignatius ep. ad Tharſenſes S. Polycarp. in ep. ad Philip. 1. Tim. 5. 5. & 9.

Ambr. de vid.

Hier. in Epitap. Paulæ.

Digitized by Google

Monica compenſabat; ſed primos coniugij fle-ctus, lacrymis viduitatis cumulabat. Denique ſimplex vt columba, vno & ſimplici coniugio contenta. Vnde & Tertullianus columbam in Monogamiæ exemplar adducit. « Ad ſimplicitatem, inquit, columbæ prouocat, auis non tantum innocuæ, verùm & pudicæ, quam vnam vnus maſculus nouit. » Et de matre ſuâ teſtatur Auguſtinus, quòd « fuerat vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum ſuam piè tractauerat, in operibus bonis teſtimonium habebat, &c. Poſtremò nobis, Domine, omnibus, qui ex munere tuo ſinis loqui ſeruis tuis, qui ante dormitionem eius in te iam conſociati viuebamus, perceptâ gratiâ baptiſmi tui, ita curam geſſit, quaſi omnes genuiſſet, ita ſeruiuit, quaſi ab omnibus genita fuiſſet. » Apud Ægyptios, columba nigra in viduæ ſymbolum accepta fuit: Et nigrum colorem Auguſtinus Monialium, & viduarum proprium aſſerit; vnde arguit nuptam Ediciam, quòd viduæ habitum, vel Monialis inconſulto viro ſumpſiſſet. « Quid, inquit, abſurdius quàm mulierem de humili veſte viro ſuperbire, cui te potiùs expediret obtemperare candidis moribus, quàm nigellis veſtibus repugnare. » Monicæ noſtræ beatiſſima Virgo in pullo habitu zonâ coriaceâ ſuccincto, qualis & à D. Lucâ exſculpta Laureti viſitur, apparuit; & pariter cum filiabus ipſam veſtiri admonuit. Viduarum item perfectionem Mandragora repræſentat, & nigra maximè; duas enim ſpecies eius diſtinctas inuenio iuxta Plinium. « Duo, inquit, eius genera, candidus, qui & mas: niger, quæ fœmina exiſtimatur, &c. Vis ſomnifica pro viribus bibentium. Bibitur & contra ſerpentes, &

Tertul. lib. de Mono. cap. 8.

Aug. 9. cõfeſſ. cap. 9.

Aug. ep. 199.

Paulin. Berg.

Plin. lib. 25. cap. 13.

ante ſectiones, punctioneſque ne ſentiantur. »
Bibat vidua exempla Monicæ, & ſopiat carnis illecebras, & ſectiones quaſlibet, iniuriaſque æquanimiter feret; & mortiferum mundi virus non ſentiet. De Mandragoris ſcripſit Auguſtinus contra Fauſtum, vbi de Rachel ſterili, & curioſâ, à filio Liæ petente Mandragoras: « Rem, inquit, comperi pulchram, & ſuaueolentem, ſapore autem inſipido. » Aponius autem « Mandragora, inquit, herba eſt, cuius radix per omnia humanum deformat corpus abſque capite. Nauſeis medetur, iis qui nec appetunt, nec retinent cibos. O Vidua, Medicam hanc ex Apothecâ Monicæ radicem accipe; omnem deuotionis nauſeam curabit & ad verbi Dei, & Sacramenti, cuius altari imprætermiſsè ſeruiuit cibos appetendos, retinendoſque ſtomachum confortabit. In odorem curre huius Mandragoræ. Audi quid ſponſus in Canticis « Mandragoræ dederunt odorem ſuum in portis. » In quem locum ſic Gregorius: « Quid, inquit, per Mandragoras, herbam ſcilicet medicinalem & odoriferam, niſi virtus perfectorum intelligitur? &c. In portis Eccleſiæ veri Medici eſſe comprobantur; qui dum exempla bonorum operum circumquaque per ſanctam famam tribuant, quaſi odorem, quo ægroti ſanentur, aſpergunt. » Huc viduæ, magnâ ægritudine concupiſcentiæ mundi laborantes, huc graueolentes ebrietate, loquacitate, & garriendi pruritu circumuolaticæ; huc mortuæ, & putridæ, de quibus ſecundùm Paulum Auguſtinus, dum verſum Pſaltis exponeret: « qui exaltas me de portis mortis. » Tum enim exaltans in Monicâ, viduam verſam, Mandragoram ſuaueolentem, mundi deliciis addictas viduas tanquam

Aug. lib. 22. cont. Fauſt. cap. 56.
Apon. tom. 9. Bibliot. pag. 61. ex ſummariolo. Lucæ Abbatis.
Cant. 7. 13.
Greg. in Cát. cap. 7.
Aug. in Pſ. 9.

mortuas & fœtentes infamat. « Exaltatur, inquit, ab omnibus prauis cupiditatibus, quæ ſunt portæ mortis, quia per illas itur in mortem. Mors autem eſt iam ipſa lætitia in perfruendo, cùm quiſque adipiſcitur, quod perditè concupiuit. Radix eſt enim omnium malorum cupiditas. Et propterea porta mortis eſt, quia mortua eſt vidua quæ in deliciis viuit. Ad quas delicias per cupiditates, tanquam per portas mortis peruenitur. Sunt autem portæ filiæ Sion, omnia optima ſtudia, per quæ venitur ad viſionem pacis, in ſanctâ Eccleſiâ. Quid viduæ cum mundo? Quid Mandragoræ, capite, hoc eſt viro truncatæ, cui placere dum viueret, ſatagebat, cum fœtore mundi, & portis mortis, cui « viuere Chriſtus eſt, & mori » mundo & carni, lucrum. « An forte porte mortis ſunt corporales ſenſus & oculi, qui aperti ſunt homini cùm de ligno vetito guſtaſſet: à quibus exaltantur quibus dicitur vt quærant non quæ videntur, ſed quæ non videntur: quia quę videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt? Et portæ ſunt filiæ Sion Sacramenta, & initia fidei, quæ pulſantibus aperiuntur, vt perueniatur ad occulta filij. (Aduerte titulum Pſalmi 9. eſſe in finem pro occultis filij.) Non enim oculus vidit, nec auris audiuit, aut in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe. »

1 Tim. 6.10.

1. Tim. 5.6.

Philip. 1.21.

Aug. Ibid. ſupra.

2. Cor. 4. 18.

1. Cor. 2.9.

Pudet certè cum columbâ, vel Mandragorâ nigrâ Monicam contuliſſe: iniuriam facio, niſi ſermonis exordia repetens eam Phœnici comparem. Bonam de Sabaudia recolo, Duciſſam Mediolanenſem, quæ in emblemate Phœnicem iuſſit expingi, ſummâ in palmâ, nidulo ex lignis aromaticis intexto impoſitum, & ſolis

Typotius in hierog.

Digitized by Google

radiis expoſitum, cum ſymbolo: « ſola facta, ſolum Deum ſequor. » Sic prorſus Monica, vni Deo intenta, rore cœli, ſoliſque radiis, & lacrymis ſuis paſta, in virtutum aromatibus, amore maximè diuino ſuccenſa, poſt diuinum illud colloquium ab Auguſtino narratum, vt ſimul
Aug. 9. côfeſſ. cap. 10. « attigerunt regionem vbertatis indeficientis, modicè toto ictu cordis; & ſuſpirauimus, inquit, & reliquimus ibi religatas primitias ſpiritus, &c. Vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui ſuſpirauimus, &c. Tunc ait illa fili, quantùm ad me attinet, nullâ re iam delector in hac vitâ. Quid hîc faciam adhuc, & cur hîc ſim neſcio, iam conſumpta ſpe huius ſæculi. Vnum erat propter quod in hac vitâ aliquantùm immorari cupiebam, vt te Chriſtianum Catholicum viderem priuſquam morerer. Cumulatiùs hoc mihi Deus meus præſtitit, vt te contemptâ fœlicitate terrenâ, ſeruum eius videam. Quid hic facio? » O Phœnicem, ſingularem auem, tali priuilegio donatam vt ad tertium cum Paulo cœlum, ſaltem momento rapta cum filio, delicias paradiſi, anticipatâ beatitudine prælibauerit! Et de corpore quid? An ſecurior de Reſurrectione Phœnix, quàm noſtra Monica? Accipite Tertullianum. « Accipe, inquit,
Tertul. de Reſurrect. cap. 13. pleniſſimum atque firmiſſimum huius ſpei ſpecimen. Siquidem animalis eſt res, & vitæ obnoxia, & morti; illum dico orientis alitem peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum: qui ſemetipſum lubenter funerans renouat, natali fine decedens atque ſuccedens iterum Phœnix vbi iam nemo; iterum ipſe, qui non iam; alius idem, &c. Deus etiam Scripturis ſuis, & florebit, inquit, velut Phœnix;

Digitized by Google

id eſt de morte, de funere: vti credas, de ignibus Pſ.91.
quoque ſubſtantiam corporis exigi poſſe. Multis 12.
paſſeribus antiſtare nos Dominus pronuntiauit; Matth.
ſi non & Phœnicibus, nihil magnum. Sed homi- 10.31.
nes ſemel interibunt, auibus Arabiæ de reſurre-
ctione ſecuris? » O ſingularem Monicæ fidem ab
Auguſtino relatam? « Cum quibuſdam, inquit, Aug.
amicis meis maternâ fiduciâ loquebatur quo- lib. 9.
dam die de contemptu vitæ huius, & bono mor- cõfeſſ.
tis, vbi ipſe non aderam: illiſque ſtupentibus cap.11.
virtutem fœminæ quam tu dederas ei, quærenti-
bus vtrùm non formidaret tam longè à ſuâ ciui-
tate corpus relinquere: nihil, inquit, longè eſt
Deo, neque timendum ne ille non agnoſcat in
fine ſæculi vnde me reſuſcitet. » Et ibid. « Poni- Aug.
te hoc corpus vbicumque, nihil vos eius cura Ibid.
conturbet. Tantùm illud vos rogo, vt ad Domi-
ni Altare memineritis mei vbi fueritis, &c. » Et
paulò infra: « Imminente die reſolutionis ſuæ, Ibid.
non cogitauit ſuum corpus ſumptuosè contegi, cap. 13.
aut condiri aromatibus, aut monumentum ele-
ctum concupiuit, aut curauit ſepulcrum pa-
trium. Non iſta mandauit nobis, ſed tantummo-
do memoriam ſui ad Altare tuum fieri deſidera-
uit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat,
vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, quâ
deletum eſt chyrographum quod erat contrariũ
nobis, quâ triumphatus eſt hoſtis, computans
delicta noſtra, & quærens quid obiiciat, & nihil
inueniens in illo in quo vincimus. Quis ei reſti-
tuet pretium? quis & refundet innocentem ſan-
guinem, quo nos emit, vt nos auferat ei? Ad
cuius pretij noſtri Sacramentum, ligauit ancilla
tua animam ſuam vinculo fidei. » Ecce quomo-
do columba innocens & lacte lota, leuium ſibi

Digitized by Google

culparum conſcia, in Agni ſanguine leuium delictorum ſordes lauari inſtanter expetiit; quæ tot lacrymis totâ vitâ fuſis, quod humanâ fragilitate contraxerat, expiauerat. Vbi ſunt tam viri quam fœminæ, qui à pueritiâ, in coniugio, viduitate, tot criminum rei, vix vnâ contritionis veræ lacrymâ fusâ, de liberis, bonis, rebus ſæculi, pompâ ſepulturæ, vix de pœnitentiâ, Sacro Viatico, miſſis poſt obitum pro animæ ſalute indicendis cogitant? O exemplar Virginum, nuptarum forma, ſpeculum viduarum, Arca Noë myſtica triplici contignatione compacta, mulier amicta Sole, Lunæ mutabilitati impoſita, ſtellis coronata, vna, & columba perfecta. Secura iam ſedes in vitæ æternæ arbore, iuxta fluenta gloriæ pleniſſima: vides accipitrem inferni circumuolantem, vt nos rapiat cruentis vnguibus, & roſtro implacabili dilaniet; ſub vmbrâ alarum tuarum protege nos. Abſterſæ quidem ſunt lacrymæ tuæ, ſed fons perennis & inexhauſtus meritorum eorum fluxu perpetuo decurrit. O columba oleæ virentis pacifica gerula, pacem huic Regno, & toti orbi Chriſtiano, tuis precibus fac æternam. Quis dabit pennas nobis columbæ deargentatas, vt à laqueo culpæ, ad libertatem gratiæ, & ex eâ, & per eam, ad torrentem gloriæ euolemus: Amen.

IN CONVERSIONE S. P. Aũguſtini.

Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Pſalm. 22. 2.

HEſterno die vnicam columbam Monicam vidimus; hodie « oculos eius ſicut columbarum iuxta fluenta pleniſſima » lacrymarum aſpicimus, & ei Propheticâ voce gratulamur: « viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini & laudate qui habitatis in puluere, quia ros tuus; & terram gygantum detrahes in ruinam. » 70. Paulò aliter: « ros enim qui à te, ſanatio eis eſt. » An non Gygantes, & terrigenæ, potentes in reſiſtentiâ, & habitu longo peccati, mortui tui & interfecti mei, ô Monica, Patricius Gentilis coniux, & filius Manichæus? Sed « ros à te » à tuis columbinis decurrens oculis, ſanitas eis fuit & vita; quem, is qui eos prædeſtinauerat ad vitam, & medium ordinauerat, ad aquam refectionis, id eſt baptiſmi, promerendam. Et magnâ quidem congruentiâ, diuinæ pietati conſonâ; vt ſanctus Epiſcopus diceret: « vade à me, ita viuas, (vt verè vidua & deſolata inſtans orationibus & obſecrationibus die ac nocte:) impoſſibile eſt enim vt filius tantarum lacrymarum pereat. » ô « piſcinæ Heſebon » hoc eſt, mœroris cingulo, non abſimiles oculos, quin & probaticæ, cui Tertullianus ba-

Cant. 4. 1. & 5. 12. Eſa. 26. 19. Aug. 3. cõfeſſ. cap. 12. 1. Tim. 5. 5. Cant. 7. 4. Tertul. de bap. cap. 5.

ptiſmum prætulit; « Plus, inquit, Angelo, & aquis acceſſit, deletâ morte per ablutionem delictorum: exempto ſcilicet reatu, eximitur & pœna. » Angelus piſcinæ motu vnicum corpore ſanabat ægrotum: hîc baptiſmi miniſter Ambroſius, Auguſtinum originali peccato, & multis actualibus emortuum ſuſcitauit; & piſcem, aquilam, Solem, ex aquâ produxit; Primò de mirabilibus aquæ baptiſmi, ſiue refectionis, & gratiæ diuinæ, Auguſtinum, Apoſtolo Paulo in multis ſimilem facientis dicemus: Secundò Reflexiones huic argumento conſonas, deducemus. Sed tibi ô Virgo quotquot aquâ refecti ſunt, ſe tibi poſt filium gratiæ debitores agnoſcunt. De te, ô Virgo, fluxit aqua refectionis, quam de latere fudit Author Redemptionis. Spiritus in aquis gratiæ Delphinum, & Phœnicem paradiſi, tuo produxit ex vtero. Et ſi Ambroſius de tali matre gratulatus eſt Auguſtino; tibi applauſit Angelus vt matri filii Dei, quem tuo genuiſti ex vtero. Aue.

DIVISIO.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Deus ſimplex, actuſque puriſſimus, ſimplici ac puro elemento aquæ vti voluit, ad eluendam turpiſſimam peccati maculam; & reformandam rationalis animæ, fœditate deformi deformatam formam. Quæ vt ipſe loquitur Auguſtinus, « à formâ deformi, formoſam transfertur in formam. » Vti narrat D. Antoninus, Caſſiani Tartarorum Regis filium deformem, ac monſtruoſum, baptiſmo pulcherrimum euaſiſſe: quod & B. Ambroſius Senenſis, ex Prædicatorum Ordine, lauacro ſalutari fertur conſecutus. Quòd ſi ex

Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 9.

Aug. 15. de Trinit. cap. 8.

ſi ex Plinio, « in Faliſco omnis aqua pota, candidos boues facit: » Quidni baptiſmi aqua etiam nigellos dealbet Æthyopes? vt & raptus effectu proprio ſponſus exclamet, « quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata? » Hinc Tertullianus, in Quintillam, de Caiana hæreſi viperam geniminatam inuehitur, quòd baptiſmi ſimplicem materiam, ad tantum effectum ineptam reſpueret. « Optimè, inquit, norat piſciculos necare de aquâ auferens. » Paulò ante dixerat: « ſed nos piſciculi ſecundùm ἰχθὺν noſtrum Chriſtum in aquâ naſcimur, nec aliter quàm in aquâ permanendo, ſalui ſumus. » Id eſt in effectu aquæ, hoc eſt gratiâ perſeuerando, cum fide integrâ in baptiſmo ſuſceptâ. Tum verò ſtupendum baptiſmi hominem reformantis effectum ita proſequitur: « Nihil, inquit, adeò eſt, quod tam obduret mentes hominum, quam ſimplicitas diuinorum operum, quæ in actu videtur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur: vt hîc quoque, quoniam tantâ ſimplicitate, ſine pompâ, ſine apparatu nouo aliquo, denique ſine ſumptu, homo in aquâ demiſſus, & inter pauca verba tinctus; non multò, vel nihilò mundior reſurgit, eò incredibilis exiſtimetur conſecutio æternitatis. Mentior ſi non è contrario Idolorum ſolemnia, vel arcana, de ſuggeſtu, & apparatu, deque ſumptu, fidem & authoritatem ſibi extruunt. Proh miſera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates ſuas, ſimplicitatem, & poteſtatem! Quid ergo? Nonne mirandum, & lauacro dilui mortem? Atquin eò magis credendum, ſi quia mirandum eſt, idcirco non creditur. Qualia enim decet eſſe opera diuina, niſi ſuper omnem admirationem? nos quoque ipſi miramur, ſed

Plin. lib. 2. c 103.

Cant. 8.5. ex 70.

Tertul. lib. de bapt. cap. 2.

Digitized by Google

quia credimus. Cæterùm incredulitas miratur, non credit. Miratur enim ſimplicia, quaſi vana, magnifica, quaſi impoſſibilia, &c. Nihilominus quàm ſtultum & impoſſibile ſit aquâ reformari, tractemus. »

Et primò quidem authoritate ſcripturæ, deinde exemplo. Primum in themate, ſecundum in ipſo, de quo agimus, Auguſtino probemus. Aquam Baptiſmi, & ſimplicem, & ſine tumido & pompatico impetu,ſed leni, placido, ſimplici
Pſ. 22. 2. fluxu labentem, Pſaltes expreſſit, pro Auguſtino hoc die baptizato præloquens; « Super aquam refectionis educauit me. » Vbi Hebræi legunt, « ad aquas quietas deducit me. » Sunt enim aquæ baptiſmi lenes; ad quas ſuſcipiendas ne-
Iſa. 8. 6. mo cogitur, nemo nolens abripitur: « Aquæ Siloë, quæ vadunt cum ſilentio. » Vnde cæcus ille natus,genus humanum ſignificans,ad natatorium Siloë, id eſt, ipſo interprete Auguſtino, ad baptiſmum miſſus eſt,plùs mente, quàm carne
Aug. Tract. 48. in Io. 9. oculandus. « Siloë quippe interpretatur miſſus; niſi enim ille fuiſſet miſſus, nemo noſtrum eſſet ab iniquitate dimiſſus.» Sed magnificus effectus ſimplicis elementi notatur, tùm in eo quod legunt aliqui, « aquas quietum» quod iuſtitia & abundantia pacis animæ baptizatæ infunditur: tum in eo quod vulgata vertit: « ſuper aquam refectionis: » in quâ, iugo graui peccatorum excuſſo, reficitur & refocillatur anima à Chriſto dicente, & ad aquas quietum inuitante: « venite
Matth. 11. 28. ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos,&c.Inuenietis requiem animabus veſtris. » Cui conſonat & Tertullianus, de
Tertul. Reſurr. de c. 11. Reſurrectione multò magis animæ, quàm carnis explicandus: « & vtique idoneus eſt reficere qui

ſecit.» Et ipſe Auguſtinus « ipſe eſt factor, & refector, Creator & recreator.» Nec tamen ita baptiſma reficit, licet gratiam in Adamo perditam reparet, vt omnibus innocentiæ iuribus, hoc eſt tranquillitati & paci, ab omni fomitis & concupiſcentiæ rebellione immuni, ſit reddita, cuius ſtimulis nec Paulus ipſe trinâ petitione potuit liberari, Deo ſic melius pro nobis prouidente, vt « non ſicut delictum, ita & donum » ſed præualente dono delicto, « vbi abundauit delictum, ſuperabundaret & gratia: » Et qui priùs ſufficiens tantùm adiutorium gratiæ acceperat, quo poſſet, libertate ſuâ, vtens gratiâ, & ſeruare mandatũ, & vitare delictum; iam efficace gratiâ, liberum multò magis, vtpote à ſeruitute peccati liberatum, ſuauiter, & delectabiliter dirigente, & in bonũ inflectente, cui ſuapte ſanâ naturâ propendet arbitrium; & indeclinabiliter operaretur bonum, & inuariabiliter effugeret, & & inuincibiliter vinceret malum. Quod ſic eleganter expreſſit Auguſtinus: « Subuentum eſt, inquit, infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ, indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma non deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, vt voluntas hominis inualida & imbecilla, in bono adhuc paruo perſeueraret per virtutem Dei; (hoc eſt relicto ipſo libero arbitrio in languore ſuo) cùm & voluntas primi hominis fortis & ſana in bono ampliore non perſeuerauerit, habens virtutem liberi arbitrij, quamuis non defuturo adiutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeuerare ſi vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur vt vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere quod vellet: infir-

Aug. tract. 38. 20. in Io. 8.

Rom. 5. 15. & 20

Ibid.

Aug. lib. de correp. & gratia c. 12.

Digitized by Google

mis ſeruauit, vt ipſo donante, inuictiſſimè quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere inuictiſſimè nollent.» Et hanc victoriam ex gratiâ Dei, cum Paulo, conſecutus eſt Auguſtinus, qui voce
Pſ. 22. 2. Dauidicâ, dicere potuit: « Super aquam refectionis educauit me » non ſolùm abluit à peccatis, ſed & præter mellis & lactis ſocietatem & concordiam, quam ſuſcepti de lauacro prægustabant, cibo grandium, Euchariſtico dico cibo « educauit me, & animam meam conuertit » vt
Pſ.22. 3. nullâ voluptate, nullâ aduerſitate vinceret. « Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ » vel vt ex Hebræo Emphaticè legunt, « animam meam conuertit, retroegit » tanquam equum iniecto fræno, « deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ » vt præter gratiam baptiſmalem, præter iuſtitiam legis, etiam Euangelica conſilia ſequerer, « propter
Epheſ. 1.6. nomen ſuum » vel iuxta Paulum, « in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. »

Thema noſtrum, præter D. Paulinum, de baptiſmo expoſuit Chryſoſtomus, & Theodoretus. « Regenerationis aqua ſignificatur, quâ baptizatus, qui ad gratiam admittitur, & peccati vetuſtatem exuit, & pro eo qui ſenuerat, iuuenis redditur. Hæc mihi, inquit, largitus eſt, primùm me ab errore liberauit, deinde ad hoc inſtruxit, vt rectâ viâ ingrediar. Hæc autem omnia munificentiæ ipſius dona ſunt; non enim illis, propter noſtram potiti ſumus virtutem. » Breuiùs adhuc Auguſtinus: « Super aquam, inquit, baptiſmi, quo reficiuntur qui integritatem vireſque amiſerant, educauit me, animam meam conuertit, deduxit me in ſemitis iuſtitiæ, deduxit me in anguſtis itineribus, quà pauci ambulant, iuſtitiæ ſuæ: non propter meritum meum, ſed propter

(Paulinus ep. 9. Chryſoſt. & Theod. in Sch. Pſalter. falſo imputatis D. Baſil. Aug. in Pſ. 22.)

nomen ſuum. » O virum Apoſtolicum, ô Paulo, ſaluâ Apoſtolatus prærogatiuâ, in perfectâ conuerſione non imparem! Licet enim Doctor Angelicus, quem alibi retuli, nolit Sanctorum quempiam Apoſtolis coæquari, quòd primitias ſpiritus hauſerint; & Auguſtinus ipſe, cæteros Eccleſiæ Epiſcopos, & Doctores, filios dixerit, & Apoſtolos Patres, Pſalmiſtâ dicente, « pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Quid eſt, inquit, pro patribus tuis? &c. Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſiæ Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es, de prole tuâ tibi creauit paternitas, pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. » Licet, inquam, Epiſcopos paulòminus ab Apoſtolis minuat Auguſtinus, hunc tamen & ipſis exęquat Martinus V. Apoſtolicus: « Quid, inquit, ipſe charius habere poſſem, quàm inter cæteros ſanctos, vni beatiſſimo gratificari; cuius tanta, extant erga omnem Eccleſiam Catholicam beneficia, vt nulli penè, ita dicam, Sanctorum, maiora debita debeamus. Quidquid enim ſimul omnes Apoſtoli plantauerunt; quidquid Apollo, atque alij Apoſtolorum ſectatores rigauerunt, hic coronauit, hic tetendit, hic velut circumpoſito aggere materiam præbuit, quæ ex Deo fœliciora crementa ſuſciperet. » Poſt hæc, non verebor vni Paulo conferre Auguſtinum, cùm multa in eius fronte videam Dei digito expreſſa tanti

Aug. in Pſ. 44.

Mart. 5. in ſerm. habito Romæ apud S. Aug. in tranſl. B. Monicæ.

Apoſtoli, in Conuerſione quammaximè, lineamenta.

Cùm verò duo ſint in Conuerſione termini, vnde, quò: vnde ſit vterque reuerſus, quò fuerit pariter vterque conuerſus, curioſè pertractemus. Paulus ſectâ & hæreſi Phariſæus; Auguſtinus hæreticâ prauitate Manichæus. Paulus abundantiùs æmulator paternarum ſuarum traditionum; Auguſtinus defenſor pertinax ipſo nouennio hæreticarum & anilium fabularum. Paulus eruditus in lege ſuper omnes coætaneos ſuos in Iudaïſmo proficiens, & in vacuis elementis glorioſus: inani Philoſophiâ, & perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis tumens Auguſtinus. Eccleſiam gladio perſecutus eſt Paulus; eamdem linguæ gladio acuto inſectatus eſt Auguſtinus. Paulus Chriſti nomen oderat, & Deum incarnatum, & Regem Iudæorum in Crucem actum, Dominum agnoſcere, multo minùs adorare conſentiebat; Auguſtinus, vtpote Manichæus carnem malam auerſatus, « quid Sacramenti haberet Verbum caro factum nec ſuſpicari quidem poterat. » (Aug. lib. 7. cõfeſſ. cap. 19.)

Sed de vtroque dicendum eſt, quòd « vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. » (Rom 5. 20.) De Paulo dicitur, quòd « circumfulſit eum lux de cœlo: » (Act. 9. 3.) de Auguſtino apud ipſummet legitur, quòd « continuo infusâ luce ſecuritatis ab eo omnes dubietatis tenebræ diffugerunt. » (Aug. lib 8. cõfeſſ. cap. 12.) Paulum vox Chriſti de cœlo exterruit, intonans illud: « Saule, Saule, quid me perſequeris? » (Act. 9. 4.) Auguſtinum diu cunctantem, & contra ſtimulum calcitrantem, vox de cœlo perterrens excitauit dicens: « tolle lege, tolle lege. » (Aug. ſupra.) Hinc vterque

baptiſmo lumen recipit; & Dei gratiâ, hinc Stephani, inde Monicæ lachrymis & precibus vtente, quas Ambroſius appellat redemptrices; factum eſt, vt ſicut de Paulo ſcripſit Auguſtinus, « ſi Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet: » ita prorſus poſito decreto diuino, & Pontificis illius oraculo, qui prædixerat Monicæ importunis eius commendatitiis precibus fatigatus: « Vade, inquit, à me, ita viuas, fieri non poteſt vt filius tantarum lachrymarum pereat. » Sic ergo niſi Monica verè flens vidua non oraſſet, Eccleſia Auguſtinum non haberet; quod & ipſe teſtatur his verbis. « Legat qui volet, & interpretetur vt volet, & ſi peccatum inuenerit, fleuiſſe me matrem exiguâ parte horæ, matrem oculis meis interim mortuam, quæ me multos annos fleuerat, vt oculis tuis viuerem, non irrideat, ſed potiùs, ſi eſt grandis charitate, pro peccatis meis fleat, ipſe ad te patrem omnium fratrum Chriſti tui. » Et rurſum ei totam poſt Deum conuerſionem ſuam adſcribit: « Erant, inquit, in primis noſtra mater, cuius meriti credo eſſe omne quod viuo: Nauigius frater meus, Trigetius, & Licentius ciues & Diſcipuli mei. »

Aug. 3. cõfeſſ. cap. 12

Aug. lib. 9. cõfeſſ. cap. 13.

Aug. li. 1. de beata vita ante diſput. 1. diei.

Paulus de conuerſione ſuâ loquens; « Cùm, inquit, placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt Euangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquieui carni & ſanguini. » Quod ſic exponit Auguſtinus: « Segregatur, inquit, quodammodo de ventre matris, quiuiſuis à carnalium parentum conſuetudine cæcâ ſeparatur: acquieſcit autem carni & ſanguini, quiſquis carnalibus propinquis, & conſanguineis ſuis carnaliter ſuadentibus aſſen-

Gal. 1. 13. & ſeq.

Aug. Tom. 4. in expoſit. ad Gal.

Digitized by Google

titur. » Suadebant autem Paulo legi carnali adhærere, quibus non cõſenſit D. Thomas ad literam « qui me, inquit, fecit naſci ex ventre matris meæ, &c. Et ab hoc vtero ſegregatus eſt ad iuſtificationem: quia eiuſdem eſt iuſtificare, cuius eſt condere, &c. Vel ex vtero matris meæ, ſcilicet Synagogæ, cuius vterus eſt collegium Phariſæorum, qui nutriebant alios in Iudaiſmo, &c. Ex hoc ergo vtero eſt ſegregatus per Spiritum ſanctum ad fidem Euangelij. Segregatus in Euangelium Dei. Vel mater ſua, eſt Eccleſia Chriſti: vterus eius, collegium Apoſtolorum. Segregauit ergo Deus ipſum ab vtero Eccleſiæ, id eſt à collegio Apoſtolorum in officium Apoſtolatus & prædicationis ad Gentes: quando dixit Apoſtolis, Segregate mihi Paulum & Barnabam, &c. Modus autem ſuæ conuerſionis eſt perfectus, & quantùm ad effectum: Vnde dicitur, continuò non acquieui carni & ſanguini. Id eſt ſtatim ita perfectè fui conuerſus, quòd omnis carnalis affectus receſſit à me, &c. Sic Apoſtolus vitia ſuperauit & ſuos Iudæos contempſit. Item quantùm ad intellectum quia ita fuit inſtructus à Chriſto, quòd non fuit ei neceſſe inſtrui ab Apoſtolis. Et ideo dicit, nec veni Ieroſolymam, vt ſcilicet ab eis inſtruerer. » Quàm bellè hæc quadrant Auguſtino. Qui poſt vocem vocantis ſe & Pauli lectionem, non in cubilibus & impudicitiis, &c. qui priùs toti infixus limo profundi, hærens carni, mirabatur Ambroſium cœlibem, continuo non acquieuit carni & ſanguini. « Quàm ſubitò, inquit, mihi ſuaue factum eſt carere ſuauitatibus nugarum iſtarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Tu enim intrabas pro eis, in-

D. Th. lect. 4. in ep. Gal.

Rom. 1. 1.

Act. 13. 2.

Aug. 9. conf. cap. 1.

trabas & eiiciebas eas à me omni voluptate dulcior, &c. » Et rurſum ; « Conuertiſti, inquit, ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam ſpem ſæculi huius, & conuertiſti luctum eius (Matris Monicæ) in gaudium multò vberiùs, quàm voluerat, & multò chariùs, atque caſtiùs, quàm de nepotibus carnis meæ requirebat. » Quantùm autem ad intellectum, tanta in eo mutatio facta eſt, vt cum luce fidei, in baptiſmo, Theologiam infuſam acceperit, & Ambroſio magno, præ exultatione Te Deum laudamus, incipienti, alternis reſponderit verſibus; & nullo magiſtro principe, quàm Spiritu ſancto, obſcura quæque myſteria penetrauerit.

Aug. 9. cōfeſſ. cap. 12.

De Paulo ſtatim conuerſo ſcribitur in Actis: « Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damaſci, affirmans quia hic eſt Chriſtus: » Et Auguſtinus poſt baptiſmum ſtatim cum matre ſanctiſſimâ ac ſociis Romam petens ibique commodam nauigationem expectans totum annum exegit ibique ſcripſit & confudit Manichæos & tres libros de libero arbitrio inchoauit quos poſtmodum in Africa perfecit. « Iam (inquit) baptizatus cum Romæ eſſem, nec ferre tacitus poſſem Manichæorum iactantiam, de falsâ & fallaci continentiâ vel abſtinentiâ, quâ ſe ad imperitos decipiendos, veris Chriſtianis, quibus comparandi non ſunt, inſuper præferunt, ſcripſi duos libros, vnum de moribus Eccleſiæ Catholicæ, alterum de moribus Manichæorum. »

Act. 9. 22.

Aug. 1. retract. cap. 7.

Saulus qui & Paulus, id eſt ex Auguſtino paruulus, qui antea magnus & ſuperbus, & peccata ſua, humiliter confeſſus eſt & verbo vt conſtat in Actis, & ſcripto vt liquet ex Epiſtolis, retra-

Aug. ſer. 74. de tēp.

Gal.1. 13. ctationes fecit. « Audiſtis, inquit, conuerſationem meam aliquando in Iudaïſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaïſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum, &c. » Auguſtinus pariter magnus olim in oculis ſuis, ſic detumuit ab inflatione eloquentiæ & Philoſophiæ, vt præter Ieſum crucifixum ſcire ſe nil exiſtimans, & confeſſionum & retractationum libros ſcripſerit humillimus.

1. Tim. 2.13. Pulus ignorantiam ſuam liberè confeſſus, eſt Dei miſericordiam conſecutus: « quia, inquit, ignorans feci in incredulitate. » Et Auguſtinus ſimiliter, præter delicta iuuentutis, & ignorantias adoleſcentiæ communes, etiam in gratiæ, liberi arbitrij & prædeſtinationis, cauſâ errorem priſtinum agnoſcit, & infusâ ſcientiâ & reuelatione diuinâ, quid hac in cauſâ ſentiendum ſit, ſe diuinitus accepiſſe exertè declarat. Cùm enim poſtremum opus de dono perſeuerantiæ ſcriberet; « Propterea, inquit, nunc facio libros in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, vt nec meipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem, ſed proficiente me, exiſtimo Deo miſerante ſcripſiſſe, non tamen à perfectione cœpiſſe. » Quæ igitur hac in materiâ ſcripſerat retractanda correxit. Proſpero autem, & Hilario ex Epiſtolâ 49. quæſt. 2. & Propoſitione 60. & 61. ad Romanos, obiicientibus ſe dixiſſe, Deum prædeſtinaſſe quos præſcierat credituros. Ipſe reſpondet ſe conuictum teſtimonio Pauli à Cypriano relati. Quid habes quod non accepiſti, &c. Quo præcipuè, inquit, teſtimonio etiam

Aug. de dono perſeu. cap. 21.

Aug. li. de præ deſt. SS. cap. 3.

1. Cor. 4.

Cypr. lib. 3. ad Quirin. cap. 4.

ipſe conuictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem quâ in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis, eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo, &c. Vt autem prædicato nobis Euangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant ante Epiſcopatum meum ſcripta, &c. » Tum infra « Ecce, inquit, quare dixi ſuperiùs hoc Apoſtolico præcipuè teſtimonio etiam meipſum fuiſſe conuictum, cùm de hac re aliter ſaperem, quàm mihi Deus in hac quæſtione ſoluendâ, cùm ad Epiſcopum Simplicianum ſcriberem, REVELAVIT. » Sic meritus eſt humilis, illuminari diuinitus ab eo qui « ſapientiam præſtat, & intellectum dat paruulis. »

Aug. lib. de præd. ſanct. cap. 4.

Pſ. 18. 8.

In cuius humilitatis munus, vt Paulo proſternando Chriſtus apparuit, adeo vt præter relata in Apoſtolorum Actibus de Chriſti apparitione, ipſe idipſum retulerit, & ex apparitione Chriſti ſe reliquis Apoſtolis pariauerit. « Non ſum, inquit, liber? Non ſum Apoſtolus? nonne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi? » Et cùm de variis Chriſti apparitionibus dixiſſet « nouiſſimè autem omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, &c. » Sic Auguſtinus ille ſuo ſenſu minimus, qui ad gubernaculum Eccleſiæ aſſumptus, remo magis, quàm clauo tenendo ſe profeſſus idoneum, audire meruit in ſpecie peregrini Chriſto ſibi apparente: « Magne Auguſtine, hodie in carne meruiſti videre filium Dei, tibi commendo Eccleſiam meam. » Votis ſcilicet

1. Cor. 9. 1.

1. Cor. 15. 8.

Ferdin. de hiſp. ſer. 10. de S. Aug.

Digitized by Google

eius annuens, qui non tam Romæ triumphan-tis, & Pauli prædicantis, quàm Verbi incarna-
2. Cor. 11. 28 ti deſiderio tenebatur. Paulo fuit, « ſolicitudo omnium Eccleſiarum: » Auguſtino Chriſtus ſuam toto orbe diffuſam commendat Eccleſiam.
Philip. 1 21. Quid amorem vtriuſque in Chriſtum proſe-quar? « mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lu-
Philip. 3 8. crum. Omnia detrimentum feci & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, &c. » ait
Aug. Medit. cap. 39. Solilo. Paulus: « Ecce morior, & Ieſus non eſt mecum, melius eſt mihi mori quàm viuere ſine Ieſu; me-lius eſt mihi mori, quam viuere ſine vitâ. Di-xiſti Domine, non videbit me homo & viuet, eia
Philip. 1. 23. Domine, moriar vt te videam. Nolo viuere, vo-lo mori, diſſolui cupio, & eſſe cum Chriſto;» di-xit Auguſtinus.

Tandem quamuis multi de magnis peccatis eruti, & ad magnam ſanctitatem & gratiæ & gloriæ apicem prouecti ſint ſancti, nullius ta-men quàm Pauli & Auguſtini Conuerſionis diem celebrat, quòd præ cunctis Auguſtini poſt Pau-lum Conuerſione Eccleſia profecerit. Paulus
1. Cor. 15 10. gratiæ Dei quidquid fuit adſcripſit: « Gratiâ Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis, omnibus labo-raui, non ego ſed gratia Dei mecum. » Auguſti-nus item plus omnibus Eccleſiæ Doctoribus, ad confutandos pro Eccleſiâ Dei hæreticos labora-uit, & Arrianos, Manichæos, Donatiſtas, & Pe-lagianos maximè inuictiſſimè, debellauit. Vnde & ſuſcepit onus à Patribus Concilij Carthagi-
Aug. ep. 94. nenſis, & Mileuitani, vt hanc ille Hęreſim pe-nitus euerteret; ſicut ipſe teſtatur, & plurimis libris pro gratiâ Dei contra ſuperbos liberi arbi-trii defenſores depugnauit, vt non immeritè

Digitized by Google

poſt Paulum Doctor ac defenſor gratiæ ſit vocatus.

Mirabilem eius in his omnibus Conuerſionem, & cum magno Gentium Apoſtolo ſimilitudinem Pſalmographus expreſſit, vbi ait: « dixit Deus ex Baſan conuertam, conuertam in profundum maris. » Vbi Auguſtinus diuerſas lectiones ponit, conuertar & conuertam. Et in profundis, profundo, vel profundum maris; Baſan autem interpretari confuſionem & ſiccitatem. « Et rectè, inquit, intelligitur Dominus ex ſiccitate conuertere, id eſt inopiâ; nam qui ſibi videntur copioſi, cùm ſint famelici; & pleni, cùm ſint inaniſſimi, non conuertantur. Beati enim qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Ex iſtâ Dominus ſiccitate conuertit; de animâ quippe ſiccâ illi dicitur: extendi manus meas ad te, anima mea velut terra ſine aquâ tibi. Ibi illud quoque non abſurdè intelligitur, quod habent alij Codices: ex Baſan conuertar: conuertitur enim ad nos etiam ipſe qui dicit, conuertimini ad me & ego conuertar ad vos: & non niſi extra confuſionem, cùm peccatum noſtrum ante nos eſt ſemper: & extra ſiccitatem, quia eius deſideramus imbrem, qui pluuiam voluntariam ſegregauit hæreditati ſuę, &c. Si conuertam, quare in profundum maris? In ſeipſum quippe conuertit Dominus, cùm ſalubriter conuertit, &c. Sibi conuertit eos qui in profundo huius ſæculi iacent, demerſi pondere peccatorum, vbi conuerſus ille dicit: De profundis clamaui ad te Domine, &c. quia ſuâ miſericordiâ conuerteretur etiam in profundum maris, ad eos quoque liberandos, qui eſſent etiam deſperatiſſimi peccatores, &c. Et ita eos con-

Aug. in Pſ. 67.

Mat. 5. 6.

Pſ. 142. 6.

Zach. 1. 3.

Pſ. 129. 1.

uertit, vt intingatur pes tuus in ſanguine, id eſt, vt ipſi qui ad te conuertuntur, vel ad quos liberandos conuerteris, licet in profundo maris,
Rom. 5. 20. onere iniquitatis depreſſi fuerint, in tantùm tuâ gratiâ proficiant, quoniam vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia, vt fiant pes tuus, inter membra tua, ad annuntiandum Euangelium tuum, & pro nomine tuo diu ducentes martyrium, vſque ad ſanguinem certent, &c. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.
Phili. 3. 2. Etiam canes vocat, tanquam pro ſuo Domino latrantes; non illos canes de quibus dicit Apoſtolus; cauete canes: ſed illos qui edunt de micis
Matth. 15. 27. quæ cadunt de mensâ dominorum ſuorum, &c.
Iudic. 7. Nec eorum dentes, ſed lingua laudata eſt, &c. Nec ſine magno Sacramento Gedeon ſolos eos iuſſus eſt ducere, qui fluminis aquam ſicut canes lamberent, &c. Deinde veluti quærentibus vnde hoc illis tantum bonum, reſponſum eſt, ab eo: ſic enim legitur, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo: ipſius vtique dilectione, ipſius miſericordiâ, ipſius gratiâ. » Quam graphicè teipſum hîc Auguſtine deſcripſiſti, verè habitator eras Baſan, ſiue in mediâ confuſione & labyrintho Babylonis, in extremâ ſiccitate, & ardore libidinis, in profundo demerſus iniquitatis, ſed te ita Dei gratia, Dei dilectio, Dei miſericordia conuertit, vt & tu pes eius eſſes, Baſis Eccleſiæ, pro quâ & ſanguinem fundere paratus, & à Donatiſtis ſæpius inſidiantibus tuo ſanguini quæſitus ad mortem; lingua Chriſti factus, lambens
1. Cor. 7. 31. aquam, « vtens hoc mundo tanquam non vteretis » fideliſſimus Domino, & domus eius cuſtos, contra latrones, & hæreticos, & peccatores, impræter miſſo latratu clamitans; dignus planè

Digitized by Google

qui poſt micas de menſâ Domini collectas, iam in regno Dei integrum panem pleno ore comedas; & inebriatus ab vbertate domus Dei, ardorem ſitis in torrente voluptatis extinguas.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Diſcite quanti ſit faciendus Auguſtinus, & quo in pretio habenda ſit tam inſignis viri doctrina, & quàm remoti ſint ab omnium Patrum Antiquitatis venerandę ſenſu, qui eam contemnere, vel ei contradicere auſu temerario præſumunt. Non ſic magnus ille Doctor Eccleſiæ Hieronymus; « Abſit, inquit, à me vt quidquam de libris Beatitudinis tuæ attingere audeam: ſufficit enim mihi probare mea, & aliena non carpere. » Quin etiam pro tuendâ Chriſti gratiâ contra Pelagum eius inimicum, & iniquum aduersùs eam liberi arbitrij defenſorem ſcribere compulſus: fruſtra id oneris ſibi ſubeundum eſſe teſtatus eſt, quem Auguſtinus exhauſto in hanc rem omni diuinæ Scripturę ærario & ſanæ doctrinæ promptuario, quidquid acutè, profundè, verè dici poterat, ſcribendo, docendoque pręceſſiſſet. « Superſedendum, inquit, huic labori cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatij: in ſyluam ne ligna feras. Aut enim eadem dicemus ex ſuperfluo: aut ſi noua voluerimus dicere, à clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora. Alibi ſic in eius laudes erumpit. « Duobus libellis quos meo nomini dedicaſti, eruditiſſimis, & omni eloquentiæ ſplendore fulgentibus, reſpondere non potui. Non quòd quidquam in illis reprehendendum putem, ſed quia iuxta Apoſtolum, vnuſquiſque in ſuo ſenſu

Hiero. ep. 13. ad Aug.

Hier. in fine lib. 3. cont. Pelag.

Hier. ep. 30. ad Aug.

Rom. 14. 5.

abundet, alius quidem ſic, alius autem ſic. Certè quidquid dici potuit, & ſublimi ingenio de Scripturarum ſanctarum hauriri fontibus, à te poſitum, atque diſſertum eſt. Sed quæſo Reuerentiam tuam, parum perpatiaris me tuum laudare ingenium. » Sed adhuc exaggerantiùs in eius præconia extollitur breui, ſed cumulatiſſimâ laude Epiſtolâ, quam ſic inſcribit: « Domino ſancto, ac beatiſſimo Papæ (id eſt Patri & Epiſcopo) Auguſtino, Hieronymus. Omni quidem tempore Beatitudinem tuam eo quo decet honore veneratus ſum, & habitantem in te dilexi Dominum Saluatorem, ſed nunc, ſi fieri poteſt, aliquid addimus, & plena complemus; vt abſque tui nominis mentione ne vnam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei prẹſtitiſti, maluiſtique quantùm in te fuit, ſolus liberari de Sodomis, quàm cum pereuntibus commorari. Scit quid dicam prudentia tua. Macte virtute, in orbe celebraris; Catholici te CONDITOREM ANTIQVÆ RVRSVM FIDEI, venerantur atque ſuſpiciunt: & quod ſignum maioris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur, & me pari perſequuntur odio: vt quos gladiis nequeunt, voto interficiant. Incolumem, & mei memorem te Chriſti Domini clementia tueatur, Domine Venerande ac beatiſſime Papa. »

Hiero. ep. 25. ad Aug.

Quid de eo ſenſerint Summi Pontifices aduertite, de multis pauca decerpo. Et primùm Innocentium huius nominis primum induco his verbis eidem reſcribentem. « Multifariis, inquit, ad deſtruendum tale Magiſterium vti poſſemus exemplis, niſi ſciremus Sanctitatem veſtram ad plenum omnes Scripturas callere diuinas, præſertim

Innocentius I. in reſpõſ. ad ep.

ſertim cùm veſtra relatio tantis ac talibus teſtimoniis ſit referta, vt his ſolis valeat præſens dogma reſcindi. » Celeſtinus item primus ſic eius famam contra obtrectatores eius doctrinæ quoſdam Gallos inuehitur. « Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, pro vitâ ſuâ atque meritis in noſtrâ ſemper communione habuimus: nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit; quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter Magiſtros optimos à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, vtpote qui vbique cunctis fuerit amori & honori. Vnde reſiſtendum eſt talibus quos malè creſcere videmus. » Dehinc acerrimè corripit Preſbyteros Maſſilienſes, qui cùm extollerentur Catholico nomine, & profiterentur ea ſequi quæ ſancta Sedes Apoſtolica contra inimicos gratiæ Dei ſanxerat, Auguſtino tamen contradicere præſumerent. Et concludit: « Ergo corripiantur huiuſmodi; non ſit his liberum pro voluntate habere ſermonem. Deſinat nouitas inceſſere vetuſtatem: deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare. » Nec impar Hormiſdas Pontifex « De arbitrio, inquit, libero, & gratiâ Dei, quid Romana hoc eſt Catholica ſequatur & aſſeueret Eccleſia, licet in variis libris beati Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum poſſit cognoſci; tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur. » Eodem veridico calamo Ioannes ſecundus Epiſcopus Romanus. « Doctrinam, inquit, Auguſtini ſecundùm prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſeruat Eccleſia. » Clemens tandem octauus totam diſputationem de auxiliis ad huius ſanctiſſi-

nomine ſcrip. Aug. Celeſt. in ep. decret. ad omnes Epiſc. Gal. quæ habetur to. 3 Concil. p 2. in ep. decret. Greg. 7. c. 4.

Hormiſdas in ep. Synod. ad Poſſeſſorē inter opera. D. Fulgentij in f. Ioan. 2. lib. de duabus naturis in Chr.

Digitized by Google

cont. Eutyc. Clem. 8. in cong. de auxiliis.

mi Doctoris normam adſtrinxit, vbi ſic concludit: « cùm multi Pontifices prædeceſſores noſtri doctrinæ S. Auguſtini de gratiâ tam acres fuerint aſſertores ac vindices, vt quaſi hæreditario iure eam in Eccleſiâ relinqui voluerint, æquum non eſt vt patiar illa hac quaſi hæreditate priuari.»

Proſp. carmine de cap. 2.

Concil. Arauſ. in præfat.

Quintum Concil. generale.

Prætereo Africana Concilia quibus cæſa eſt Auguſtini gladio hæreſis Pelagiana. Epiſtolam item Synodicam Epiſcoporum Africæ in Sardinia à præfato Hormiſdâ memoratam: nec non Concilium Arauſicanum totum penè ad verbum ex libris Auguſtini decerptum, quod præ cunctis Doctrinam Catholicam de gratia Dei illuſtrauit. Duo tantum verba referam ex quintâ Synodo generali, & Concilio Florentino. « Sequimur per omnia S. Auguſtinum, & ſuſcipimus omnia quæ de rectâ fide, & condemnatione hæreticorum expoſuit. » Florentinum item? « Sanctorum Doctorum authoritates in medium afferamus, ac imprimis Auguſtini illuſtriſſimi Latinorum Doctoris, quem quinta Synodus conſecrauit.»

SECVNDA REFLEXIO. Ex dictis liquet quàm ſana ac vera ſit Auguſtini de gratiâ doctrina, quam à duodecim ſæculis, ab Auguſtino transfuſam in poſteros ſancta ſuſcepit Eccleſia; quam à limpidiſſimo veritatis fonte primitus hauſtam, Proſpero, Primaſio, Fulgentio, Gregorio magno, Iſidoro Hiſpalenſi, Venerabili Bedę, Anſelmo, Bernardo deuotiſſimo, Franconio Abbati Affliginenſi, Magiſtro Sententiarum, Thomæ Angelico; & noſtris, Ægidio Romano, & Ariminenſi Gregorio, traditam accepimus Ego quidem de ſanctiſſimi Patris noſtri doctrinâ

lubenter aſſeram, quod ipſe audacter de Euangelicâ. « Non crederem, inquit, Euangelio, niſi me Eccleſiæ commoueret Authoritas.» Nec ego Auguſtino crederem, niſi tot annorum lapſu vnanimis tantorum Pontificum, Conciliorum, proindeque totius Eccleſiæ Romanæ conſenſus moueret, atque Authoritas.

Aug. cont. ep. fundaméti Manichæi.

Tertia Reflexio. Exemplo Pauli & Auguſtini, diſcamus de nullo vnquam, licet obſtinatiſſimo peccatore deſperandum. « Quis enim deſperet vltra pro magnitudine cuiuſlibet criminis, quando Saulum audit adhuc ſpirantem minarum & cædis in Diſcipulos Domini, ſtatim factum vas electionis? quis dicat iniquitatis pondere preſſus, aſſurgere iam ad ſtudia meliora non valeo: quando in ipſo itinere, quo ſanguinem ſitiens Chriſtianum dirum toto pectore virus efflabat perſecutor crudeliſſimus, in fideliſſimum repente mutatus eſt prædicatorem? magnificè ſiquidem in hac vnâ conuerſione, & miſericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. » Et de Auguſtino adhuc carnem & ſanguinem ſpirante, ſubitoque conuerſo cœleſti voce pueri Ieſu, quid loquemur? « Viuus profectò eſt ſermo Dei & efficax & vox eius in magnificentiâ & virtute. Denique ipſe dixit & facta ſunt. Dixit fiat lux, & facta eſt lux. Dixit, conuertimini filii hominum, & conuerſi ſunt. Ita planè conuerſio animarum, opus diuinæ vocis eſt, non humanæ. Simon Ioannis piſcator hominum, in hoc ipſum vocatus & conſtitutus à Domino, incaſſum tamen & ipſe laborans, totâ nocte nihil capiat, donec in verbo Domini rete iactans, concludere poſſit multitudinem copioſam. Vtinam iactemus & nos hodie in hoc

Ber. in florib. cap. 46. ex Ser. 3. in eius conuer.

Ber. de Conuerſione ad Cleric. cap. I. Heb. 4 Pſalm. Pſ. 67.

Digitized by Google

verbo rete verbi, & experiamur quod ſcriptum eſt: Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, &c. Ad hanc interiorem vocem aures cordis erigi admonemus, vt loquentem Deum intus audire, quàm foris hominem ſtudeatis. Illa enim vox magnificentiæ & virtutis, deſerta concutiens, deſerta diſcutiens, torporem excutiens animarum.» O quam profundo in deſerto iacebat Auguſtinus, cùm eum inde magnifica vox excuſſit! ipſum audite: «Quis ego & qualis ego, & quid non mali ego? an facta mea, aut ſi non facta, dicta mea: aut ſi non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem Domine bonus & miſericors, & dextera tua reſpiciens profunditatem mortis meæ, & à fundo cordis mei exhauriens abyſſum corruptionis. Et hoc erat totum nolle quod volebas, & velle quod nolebas. (Quod Paulo dicente, non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum iſtud facio.) Sed vbi erat tam annoſo tempore, & de quo imo altoque ſecreto euocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem ceruicem leui iugo tuo, & humeros leui ſarcinæ tuæ, Chriſte Ieſu adiutor meus & Redemptor meus. Quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt carere ſuauitatibus nugarum & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me vera tu & ſumma ſuauitas: eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior, omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Iam liber erat, animus meus, (en vera libertas Chriſtiana, faceſſat procul Ariſtotelica) à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque ſcalpendi ſcabiem libidinum;

Aug. 9. cōfeſſ. cap. 1.

Digitized by Google

& garriebam tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & ſaluti meæ, Domino meo. » Quis poſt hæc, ruptis vinculis cupiditatum, in veram ſpiritus libertatem, adiutorio gratiæ non aſpiret, Deo interiùs totum hominem immutante & vnum ſecum ſpiritum faciente? Accipite Macarium Seniorem Ægyptium. « Mulier quando viro coniungitur, eſt vnum cum illo: ita ſe res habet in ſocietate Spiritus ſancti: euadunt in vnum ſpiritum. Qui enim adhæret Domino vnus ſpiritus eſt: quod fit cùm homo abſorbetur à gratiâ, &c. » Et poſt multa ſic de interiori gratiâ. « Quemadmodum apis ſecretò fauum conficit in alueo: ſic & gratia dilectionem ſuam ſecretò in cordibus exercet; & quod amarum eſt, mutat in dulce, quod autem aſperum, in planum. Et ſicut faber argentarius & ſculptor, quando diſcum inſculpit, aliquatenus operit varia illa quæ ſculpit animalia: vbi vero profecit, tum diſcum ſplendentem profert in lucem; ita Dominus qui verus eſt artifex, corda noſtra inſculpit, ac myſticè renouat, donec è corpore decedant, & tum eminet dignitas animæ. » O quale erit poſt mortem, & in extremo iudicio, animæ ad Deum conuerſæ gaudium, dum Iudex coram Angelis, tam præclaras virtutum imagines, cælatas ſuo, hoc eſt ſpiritus gratiæ digito, in vaſis honoris & miſericordiæ, in illo vniuerſi theatro, ad oſtendendos theſauros & diuitias benignitatis, propalabit?

Macar. tom. 4. Biblio. homil. 16.

QVARTA REFLEXIO. Audite Chriſtum ſingulos peccatores terribili comminatione ad conuerſionem compellentem; & præſertim à ſuperbiâ omnis peccati initio, duorum paruulorum & humilium exem-

plo deterrentem: Paulum, & Auguſtinum, Apoſtolorum & Doctorum ſuo ſenſu, minimos intelligite. « Niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. » Pudet peccata confiteri, pudet perperam dicta, vel ſcripta retractare. Erubeſcat humana ſuperbia confeſſiones & retractationes Pauli & Auguſtini lectitando. « Pleroſque hoc opus vt publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quàm ſalutis. Velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contractâ vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentiâ ſuâ pereunt. Intolerandum ſcilicet pudori Domino offenſo ſatisfacere, ſaluti prodactæ reformari. Næ tu verecundiâ bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò ſubducens. Ego rubori locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro. » Ait Tertullianus. Et quis tandem de ſalutis inimico pudore proſtrato fructus exurgit? Certè quam maximus. « Deus quippe ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam, ſapientiam præſtat paruulis, fontes emittit in conuallibus. » Attende quid de peccatrice humili deiectione conuersâ ſentiendum ad pedes Domini, ſiue ſtans, ſiue iacens & ſedens aſpicitur, humilis vbique cognoſcitur, & ab Auguſtino laudatur. « Sedebat, inquit, ad pedes capitis noſtri. Quantò humiliùs ſedebat, tantò ampliùs capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis. »

Matth. 18. 3.

Tertul. de pœnit. cap. 10.

Iac. 4. 6.

Pſ 103. 10.

Aug. ſer. 27. de verbis Do.

QVINTA REFLEXIO. Paulum & Auguſtinum in Conuerſionis firmitate, aſſiduè petito perſeuerantiæ dono, imitemur, nec miſsâ

Digitized by Google

ad aratrum manu reſpiciamus poſt tergum, & Luc. 9.
de Sodomis eruti illuc iterum cum vxore Loth 62.
infatuandum, retroflectamus aſpectum. « Dico Gen. 19.
ergo vobis, nihil eſt quod in tantum formidet 26.
quiſquis hoc beneficium ſemel acceperit, quàm
ne à gratiâ derelictus, neceſſe habeat denuo
egredi ad carnis conſolationes, imò deſolatio- Ber. ſer.
nes, rurſumque carnalium ſenſuum ſuſtinere 35. in
tumultus. Terribilis proinde & nimis formi- Cant.
doloſa comminatio, egredere. Si benè attendas,
vnde, quò egredi iubeatur. Vnde enim, quò pu-
tas, niſi de ſpiritu ad carnem, de bonis animi
ad ſæcularia deſideria, de internâ requie mentis
ad mundi ſtrepitum, & inquietudinem curarum
exteriorum, &c. Egredere & paſce hœdos tuos. Cant. 1.
Quod eſt indignum te noueris illâ tuâ familiari 7.
& ſuaui rerum contemplatione cœleſtium, in-
telligibilium, diuinarum. Quamobrem egrede-
re de Sanctuario meo, corde tuo, vbi ſecretos
ſacratoſque veritatis ac ſapientiæ ſenſus dulci-
ter haurire ſolebas: & magis tanquam vna de
ſæcularibus, paſcendis & oblectandis tuæ carnis
ſenſibus intricare. Hœdos quippe qui peccatum
ſignificant, & in iudicio collocandi ſunt à ſini-
ſtris, dicit vagos ac petulantes corporis ſen-
ſus, per quos peccatum tanquam mors per
feneſtras intrauit ad animam. Cui & benè con- Ier. 9.
gruit quod ſequitur in Scriptura, iuxta taber- 21.
nacula Paſtorum. Non enim ſupra, ſicut agni,
ſed iuxta tabernacula Paſtorum hœdi paſcun-
tur. Paſtores ſiquidem, qui verè Paſtores ſunt,
licet tabernacula habeant de terrâ, & in terrâ,
corpora videlicet ſua, his diebus quibus nunc Iob. 14.
militant, non tamen de terrâ, ſed de cœleſtibus 14.
paſcuis greges Dominicos paſcere conſuete-

runt. Neque enim ſuam eis, ſed Domini prædicant voluntatem. At hœdi, qui ſunt corporis ſenſus, cœleſtia non requirunt, ſed iuxta tabernacula paſtorum, in omnibus videlicet bonis ſenſibilibus huius mundi, quæ eſt regio corporum, ſumunt vnde ſua deſideria non tam ſatient, quàm irritent. Turpis mutatio ſtudiorum: vt cui ante ſtudii fuerat, peregrinantem & exulem animam ſuam ſacris meditationibus, tanquam cœleſtibus paſcere bonis: Dei beneplacitum, & myſteria voluntatis eius inquirere, penetrare deuotione cœlos, & mente ſupernas circuire manſiones, ſalutare Patres, atque Apoſtolos, & choros Prophetarum, Martyrumque admirari triumphos, ac ſtupere pulcherrimos ordines An-
1. Cor. gelorum: nunc omnibus his omiſſis turpi ſe
7. 31. mancipet corporis ſeruituti, ad obediendum carni, ad ſatisfaciendum ventri & gulæ, ad man-
Pſ. 118. ducandum in vniuerſâ terrâ vnde ex eâ quæ præ-
136. terit huius mundi figurâ, ſuam ſemper famelicam curioſitatem aliquatenus conſoletur. Exi-
Thren. tus aquarum deducunt oculi mei, ſuper huiuſ-
4. 5. modi animam, quæ cùm nutriretur croceis, demum amplexatur ſtercora.»

Pſ 72. Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 11. & cap. 12.

Dicamus potiùs cum Propheta: «mihi autem adhærere Deo bonum eſt.» Quod ſic luculenter exponit Auguſtinus, vbi ex Geneſi «poſuit hominem in paradiſo, operari eum, vt iuſtus eſſet, & cuſtodire vt tutus eſſet, &c.» Subiicit: «Neque, inquit, tale aliquid eſt homo factus vt deſerente eo qui fecit, poſſit aliquid agere benè tanquam ex ſeipſo: ſed tota eius actio bona eſt, conuerti ad eum à quo factus eſt, & ab eo iuſtus, pius, ſapiens beatúſque ſemper fieri: non fieri & recedere, ſicut à corporis medico ſanari & abi-

re: quia medicus corporis operarius fuit extrinſecus, ſeruiens naturæ intrinſecus operanti ſub Deo, qui operatur omnem ſalutem gemino illo opere prouidentiæ, de quâ ſupra locuti ſumus. Non ergo ita ſe debet homo ad Dominum conuertere, vt cùm ab eo factus fuerit iuſtus abſcedat ſed ita vt ab illo ſemper fiat. Eo quippe ipſo cùm ab illo non diſcedit, eius ipſe præſentiâ iuſtificatur & illuminatur, & beatificatur, operante Deo dum obedienti ſubiectóque dominatur. Neque enim vt dicebamus, ſicut operatur homo terram, vt culta atque fœcunda ſit qui cùm fuerit operatus, abſcedit, relinquens eam vel aratam vel ſatam vel rigatam, vel ſi quid aliud manente opere quod factum eſt, cùm operator abſceſſerit: ita Deus operatur hominem iuſtum, id eſt, iuſtificando eum, vt ſi abſceſſerit, maneat in abſente quod fecit: ſed potiùs ſicut aër præſente lumine non factus eſt lucidus, ſed fit: quia ſi factus eſſet, non fieret, ſed etiam abſente lumine lucidus maneret: ſic homo Deo ſibi præſente illuminatur, abſente autem continuo tenebratur, à quo non locorum interuallis, ſed voluntatis auerſione diſceditur. Ille itaque operetur hominem bonum atque cuſtodiat qui incommutabiliter bonus eſt: ſemper ab illo fieri, ſemperque perfici debemus inhærentes ei, & in eâ conuerſione quæ ad illum eſt permanentes, de quo dicitur, mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Et cui dicitur, fortitudinem meam ad
te cuſtodiam. Ipſius enim ſumus figmentum, non Pſ.72.
tantùm ad hoc vt homines ſimus, ſed ad hoc Epheſ.
etiam vt boni ſimus.» Dicamus ei cum eodem 2. 10.
Pſalte « Conuertere anima mea in requiem Pſ.114.
tuam, quia Dominus benefecit tibi. Super 7.

Pſ.22. 2. aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Fuimus & nos aliquando tenebræ, Epheſ. 5.8. nunc autem lux in Domino. Vox Domini in virtute concuſſit deſertum» excuſſit ſomnum, incuſ- Pſ. 28. ſit timorem, percuſſit tumorem, ingeſſit amorem. Adhære ſummo bono anima mea, & nullis ab eo diuellere moleſtiis, nullis abſtrahere deli- Cant.3. 4. tiis, « tenui eum nec dimittam, donec introibo Pſ. 41. 4. in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei. » Amen.

DE INVENTIONE S. Crucis.

Simile eſt regnum Cælorum Theſauro abſcondito in agro; quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius, vadit, & vendit vniuerſa quæ habet & emit agrum illum? Matth. 13. 44.

Dam. ſer. de Inuent. S. Crucis. « HOdie, fratres chariſſimi, quia Crucis Inuentionem colimus, quaſi reperto communi totius mundi theſauro, communiter in Chriſto gaudere debemus: & ſicut ille inuentâ Luc.15. 6. & 9. perditâ oue, vel drachmâ, conuocatis amicis, & vicinis congratulatus eſt: ita & nos inuento eo, non quod ipſe perdiderat, ſed quo nos perditos DIVISIO. acquiſierat, iuſtum eſt gloriari. » Primò de hoc theſauro abſcondito hodie inuento dicemus, & quidquid illuſtre ac magnificum, in eo latet

aperiemus; ſecundò, reflexionibus moralibus, de vſu huius theſauri dicemus. Sed in te Virgo primò velut agro totius mundi à Deo Patre abſconditus eſt theſaurus; & « ſicut per Crucem reuerſus eſt Chriſtus ad propria, ſic per te deſcendit ad noſtra. » Helenæ theſauri Crucis inuentrici hodie tota gratulatur Eccleſia: tibi totius inuentrici gratiæ, cum Archangelo Gabriele applaudit eadem Eccleſia; dicens: Aue. Dam. Ibid.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Theſaurum in agro abſconditum, magnum inuentori ſuo gaudium præſtitiſſe, refert Euangelica parabola: ſed longè maximum accidiſſe beatæ Helenæ, theſauri Crucis inuidiâ diaboli abſconditæ, inuentrici, narrat hiſtoria Eccleſiaſtica. Cùm enim Conſtantino eius filio, contra Maxentium pugnaturo, iam ſole in pomeridianum tempus paululum inclinante, tam ipſi quàm vniuerſo exercitui, ſignum Crucis ſoli imminens ex lucis ſplendore figuratum, apparuiſſet, cum inſcriptione: ἐν τούτῳ νίκα. In hoc vinces; hærenti de huius oſtenti ſignificatione dubio, nocte ſequenti cum eodem ſigno videndum ſe Chriſtus præbuit: præcepitque, vt exemplari ad huius ſigni imitationem fabricato, eo tanquam præſidio deinceps vteretur in prælio. Vnde accerſitis ſubito Chriſtianæ Religionis Antiſtitibus, & de Chriſto, eiuſque ſigno inſtructus pleniùs, idipſum auro, & gemmis ornatam curauit, & labarum ſeu vexillum, exercitui præferri mandauit. Vnde & poſtea factum eſt, vt ſub hoc ſigno glorioſè partâ victoriâ, creſcente in dies Imperatoris pietate, Helena ſancta eius

Baro. Ann. Chriſt. 312. Iuxta Euſeb. lib. 1. de vita Conſt. 22.

Digitized by Google

Baro. Ann. Chriſt. 316. mater, ſanctiſſimæ Crucis inueniendæ ardentiſſimo deſiderio flagrans loca ſancta reuiſeret; vbi diuinitus inſpirata, acceſſit ad Golgotham, & polluta Idolis ſacroſancta loca purgauit. « Nam Adrianus Imperator exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci iniuriâ peremptúrum, in loco Paſſionis ſimulacrum Iouis conſecrauit, & Bethlehem Adonidis fano prophanata eſt, vt quaſi radix & fundamentum Eccleſiæ tolleretur, ſi in iis locis Idola colerentur, in quibus Chriſtus natus vt pateretur; paſſus eſt, vt reſurgeret; ſurrexit, vt regnaret; iudicatus, vt iudicaret, &c. ſuper Crucem, ad quam orbe concuſſo, & ſole refugo, & diſſilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutauerat, ſtabat ſimulacrum dæmonis, & ara ſimulacri pecudum buſta fumabant, & Dei nomen deferebatur ſtatuis mortuorum; cùm ipſe viuorum Deus, qui reſurrectio mortuorum eſt, non ſolùm mortui, ſed & Crucifixi hominis blaſphemaretur opprobrio.

D.Paulinus epiſt. 11. ad Seuer. tom. 5 Bibliot.

Eſa.1.3. In Bethlehem quoque, vbi agnouerat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, principes hominum inficiati Saluatorem Deum, infames hominum amores morteſque coluerunt, &c. Vbi natum Saluatorem cum exercitu Angelorum concinentes cœleſti gaudio ſalutauerant illuſtratâ nocte paſtores: ibi Veneris amaſium, mixtæ ſemiuiris plangere meretrices, &c. Vbi ſacra nati Saluatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta fingentium laſciuis luctibus infamis ritus vlulabat: & vbi Virgo pepererat, adulteri colebantur. Manſit hoc ſæculi prioris nefas in tempora noſtris proxima Conſtantini, qui Princeps eſſe Principibus Chriſtianis non magis ſuâ, quàm matris Helenæ fide

meruit: quæ diuino, vt exitus docuit, inſpirata conſilio, cùm Ieroſolymam agnoſceret nomine, filium rogabat, vt ſibi facultatem daret, cuncta illic loca Dominicis impreſſa veſtigiis, & diuinorum erga nos operum ſignata monimentis purgare, atque deſtructis templis, & Idolis ab omni prophanæ impietatis contagio, religioni ſuæ redderet, vt Eccleſia tandem & in terrâ originis ſuæ celebraretur. Itaque prompto filij Imperatoris adſenſu, mater Auguſta patefactis ad opera ſancta theſauris, tota abuſa fiſco eſt. » Maximè verò vt abſconditum pretioſiſſimum Crucis theſaurum inueniret. Nam vt cæteras pręteream impenſas in condendis ſumptuosè Baſilicis: « Regina illa venerabilis, vt venit Ieroſolymam, diligenter & piè, locis ſcilicet omnibus, diuinorum curioſa inſignium, & oculis haurire geſtiens, fidem quam piis auribus literiſque perceperat, Crucem Domini ſtudioſiſſimè inquirere adorſa eſt. Sed quæ via vel ratio inueniendi ſubeſſet, cùm index idoneus inueniri nemo poſſet, vbi memoriam & curam religioſæ conſcientiæ, vel obſeruantiæ, & antiquitatis æui, & ſuperſtitionis impiæ diuturnitas aboleuiſſet. Verùm ipſo omnium, & terris, & animis opertorum conſcio & teſte Deo, fidelis mulier ſanctum Spiritum per affectum pium meruit. Quo aſpirante cùm rem ab humanâ conſcientiâ diuinitus remotam fruſtra diligens requiſiſſet de loco tantùm Paſſionis certior fieri ſtuduit. Itaque non ſolùm de Chriſtianis doctrinâ, & ſanctitate plenos viros, ſed & de Iudæis peritiſſimos, vt propriæ, quâ & miſeri gloriantur, impietatis indices exquiſiuit, & accitos Ieroſolymam congregauit. Tum omnium vnà de loco teſtifi-

S. Paul. Ibid. ſupra.

Digitized by Google

catione confirmatâ: (quod vbi reorum cadauera, illic & ſupplicij inſtrumenta, de more conderentur.) Vrgente ſine dubio conceptæ reuelationis inſtinctu, in ipſum locum operam foſſionis accingi, parataque mox ciuium pariter & militari manu, breui laborem iſtius molitionis hauſit; & contra ſpem omnium, ſed ſecundùm ipſius tantùm Reginæ fidem, alta egeſtione reſeratis terræ finibus, abditæ Crucis arcana patuerunt. Sed cùm tres pariter cruces, vt quondam fixæ Domino & latronibus ſteterant, repertæ fuiſſent, gratulatio repertarum cœpit anxiâ dubitatione confundi, iuſto piorum metu, ne forſitan aut pro Cruce Domini, patibulum latronis eligerent, aut ſalutare lignum pro ſtipite latronis abiiciendo violarent. Reſpexit pias fideliter æſtuantium curas Dominus, & ipſi potiſſimum quæ tam piæ ſolicitudinis Princeps erat, huius conſilij lumen infudit, vt aliquem recens mortuum inquiri & inferi iuberet. Nec mora, verbo factum, cadauer illatum eſt, deponitur, iacenti vna de Crucibus admouetur: ſed eorum ligna mors ſpreuit. Poſtremò Dominicam Crucem prodit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni tactum morte profugâ funus excuſſum, & corpus erectum eſt, tremefactiſque viuentibus, ſtetit mortuus, & funebribus, vt Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter ſpectatores ſuos rediuiuus inceſſit. Ergo Crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tempore Paſſionis abſcondita, neque gentibus in ædificatione fani terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus reuelata, nonne diuinâ manu latuit, vt nunc inueniretur, cùm religioſè quæreretur? Ita vt Crucem Chriſti decuit, experimento reſurre-

Digitized by Google

ctionis inuenta, & probata Crux Chriſti eſt, dignoque mox ambitu conſecratur, conditâ in Paſſionis loco Baſilicâ, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano poſitam ſacrario Crucem ſeruat, quam Epiſcopus vrbis eius, quotannis cùm Paſcha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipſe venerantium promit.» Sed & rem mirabilem & S. Crucis Inuentioni non incongruam referunt hiſtorici, Deum in miſericordia diuitem, largitatem Tiberij Imperatoris in pauperes, Inuentione theſauri compenſare voluiſſe. Cùm enim in marmore, Domini Crucem cælatam, iacere non pateretur, ſignum ſalutis, quo ſibi frontem & pectus munire conſueuerat, è pauiuento tolli, & loco honeſtiori imponi iuſſiſſet; alteram ſimiliter ſub primâ, & tertiam ſub ſecundâ latentem reperit, ſub eaque theſaurum centum mille aureorum defoſſum inuenit. Et quis theſaurus, cum ſanitate, & vitâ comparandus? ſub Domini Cruce à Deo defoſſi ſunt theſauri, vt Crux dicat: « qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino:» Crux boni, malique latronis, früſtra ægris aut mortuis applicatur; hoc miraculum, Cruci Domini ſalutiferæ, & viuificæ ſeruabatur.

Greg. Turon. lib. 5. hiſt. cap. 19. Paulus Diac. cap. 6. Baron. Anno Chriſt. 579.

Exultauit homo gaudio de inuento theſauro, & piâ lætitiâ Imperatrix exultauit de effoſſo Crucis Dominicæ longè pretioſiori depoſito. « Tantóque propenſiùs ſpiritualem exultationem alacri mente concepit, quantò non ignorauit, & ipſum humanæ ſalutis inimicum, amariùs de ſanctæ Crucis Inuentione ſuſpiraſſe. Gaudebat namque diabolus, ad euadẽdum ignimonioſæ ſuæ confuſionis opprobrium, quòd trium-

Dam. ſer. de Inuent. S. Crucis.

phale vexillum, ſub quo perdiderat, ſub quo proſtratus & captiuatus fuerat, eotenus maneret occultum, & ruinæ ſuæ dedecus, quod ſuccumbendo pertulerat, ſuppreſſo ſigno victoriæ, compenſabat. At vbi repertum eſt, vbi cum tantâ gloriâ Chriſtianæ deuotioni & pietati perpendit eſſe conſpicuum, erubeſcit ſe vbique iam videre proſtratum, quia vbique titulum diuinæ victoriæ cernit erectum. Vbicumque enim ſignum Crucis erigitur, illic proculdubio, & Chriſti victoria, & diaboli captiuitas denotatur.»

Porro vt per lignum ſerpens oſtenſum, mulierem deceptam aſtutiâ ſuâ & fraude ſeduxit: ſic per S. Fœminam lignum benedictum Crucis Deus tot annis ſepultum aperuit. « Quaſi effodientes theſaurum gaudent vehementer cùm inuenerint ſepulcrum; » quòd in ſepulcris ſolerent recondi theſauri: ita prorſus, inuento ſepulcro Domini, theſaurus Crucis abſconditus ingenti gaudio effoſſus eſt. Et licet variè Patres parabolam theſauri in agro abſconditi exponant, Hilarius quidem de Verbo incarnato, vbi ait: « Per ſimilitudinem, inquit, theſauri in agro, ſpei noſtræ opes intra ſe poſitas oſtendit, quia Deus in homine ſit repertus; in cuius pretium, omnes ſæculi vendendæ ſunt facultates, vt veſtitu, cibo, potuque indigentium, æternas cœleſtis theſauri diuitias comparemus, &c. Theſaurus in agro, Chriſtus intelligitur in carne, quem inueniſſe eſt gratuitum. Euangeliorum enim prædicatio in abſoluto eſt. (In aperto peruia omnibus, ſed non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus donatum eſt:) ſed vtendi & poſſidendi huius theſauri cum agro, poteſtas non poteſt eſſe ſine pretio: quia cœleſtes diuitiæ, non niſi damno

Iob. 3. 21.

Hilar. Canon. 13. in Matth.

Matth. 19. 11.

damno ſæculi poſſidentur.» Aduerte porro ſatis non eſſe agnouiſſe diuinitatem in carne latentem, niſi cum eo ſimul agnoſcamus agrum, id eſt, eius humanitatem. « Non rectè caro ſine diuinitate ſumitur, nec diuinitas ſine carne præſtatur. Vnde in Euangelio regnum cœlorum ſimile dicitur theſauro abſcondito in agro, &c. quia nec ager, corpus videlicet Chriſti, ſine theſauro, id eſt, diuinitate, nec theſaurus diuinitatis, ſine agro carnis iure comparatur.» Vnde & Hieronymus: « Theſaurus, inquit, ille in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, aut Deus Verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus: aut ſanctæ Scripturæ, in quibus repoſita eſt notitia Saluatoris: quem cùm quis in eis inuenerit, debet omnia iſtius mundi emolumenta contemnere, vt illum poſſit habere quem reperit.» Ego verò in S. Cruce theſauros omnes Scripturæ ſacræ, & Chriſti Dei, & hominis, diuitias, gloriam, maieſtatem abſconditam vobis hodie reuelabo. Et quidem ſi ſecundùm Auguſtinum, « Theſaurum in agro abſconditum dixit duo teſtamenta legis in Eccleſiâ, quæ quis cùm ex parte intellectus attigerit, ſentit illic magna latere, & vadit, & vendit omnia ſua, & emit illum: id eſt contemptu temporalium, comparat ſibi otium, vt ſit diues cognitione Dei;» In vtroque teſtamento mirabiles ſunt theſauri Crucis abſconditi per quam, neglectis temporalibus, quicumque vtiliter mecum otiari voluerit, diuinâ cognitione, & omnium attributorum Chriſti notitiâ diteſcet. « Sapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruantur: ſed loquimur Dei

Paſch. lib. de corpor. Chriſt. cap. 10.

Hier. to. 9. in Matth. 13. Coloſſ. 2. 3.

Aug. lib. 1. Euang. qq. q. 14.

1. Cor. 2. 6.

ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula, in gloriam noſtram: quam nemo principum huius ſæculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. » Capite præcedenti præmiſerat; « Verbum Crucis, pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalui fiunt id eſt nobis, Dei virtus eſt, &c. Nam quia in Dei ſapientiâ non cognouit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis, ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: Et quod eſt infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. » Et quidem, « Deum mundi quem cognoſcere debuerat, & Iudæus in ſapientiâ Scripturarum, & omnis gens in ſapientiâ operum: ideo Deus idem, qui in ſapientiâ ſuâ non erat agnitus, ſtatuit ſapientiam hominum ſtultitiâ repercutere, ſaluos faciendo credentes quoſque in ſtultam Crucis prædicationem. » Quid ſtultius viſum eſt ſapientibus mundi, quàm Deum maieſtatis infami patibulo affigi? quid infirmius, quàm Deum totius fortitudinis & gloriæ, morte turpiſſimâ condemnari? ſed ibi ſapientiæ, virtutis, potentiæ, maieſtatis theſauri ſunt abſconditi: quos iam ſingillatim in Inuentione S. Crucis effodere, & eruere de occultis, nobis incumbit. Præibit cæteris Auguſtinus, Chriſtum Dei ſapientiam in Cruce ſtulteſcentem magnificans voce Dauidicâ. « Omnia in

1. Cor. 1. 18.

Tertul. 5. cont. Marc. cap. 5.

D. Aug. in Pſal. 103.

ſapientiâ feciſti: ergo, inquit, in ſapientiâ, id eſt, in Chriſto feciſti. (Et in eâdem ſtultâ reputatâ, per Crucis ſapientiam refeciſti.) Ille contemptus, ille expalmatus, ille conſputus, ille ſpinis coronatus, ille crucifixus. Omnia in illo feciſti. Audi quid ex illo tuo milite (Paulo) nunties hominibus, quid illo præcone ſancto prædices gentibus, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Irrideant Iudæi Crucifixum Chriſtum, quia ſcandalum eſt eis: irrideant Pagani Crucifixum Chriſtum, quia ſtultitia eſt eis. Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, &c. » Et rurſum : « Serpentis ſapientiâ decepti ſumus: Dei ſtultitiâ liberamur. » Sed expreſſiùs cum Pſalte, Chriſtum ſic Patri loquentem inducit, de ſapientiâ Verbi, in ſtultitiâ Crucis occultatâ: « Deus tu ſcis imprudentiam meam. (Vulgata, inſipientiam) quæ imprudentia in Chriſto? Nonne ipſe eſt Dei virtus, & Dei ſapientia? An illam dicit imprudentiam ſuam, de quâ dicit Apoſtolus, ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus? imprudentiam, inquam, meam, hoc ipſum quod in me irriſerunt qui ſibi videntur eſſe ſapientes; tu ſcis quare fieret: tu ſcis imprudentiam meam. Quid enim tam ſimile imprudentiæ, quàm cùm haberet in poteſtate, vnâ voce ſuos perſecutores proſternere, vt pateretur ſe teneri, flagellari, conſpui, colaphizari, ſpinis coronari, ligno affigi? Imprudentiæ ſimile eſt, & ſtultum videtur. Sed ſtultum hoc ſuperat omnes ſapientes. Stultum quidem eſt. Sed & granum quando cadit in terram, ſi nemo ſcit conſuetudinem agricolarum, ſtultum videtur. Labore magno metitur, portatur ad aream, trituratur, ventilatur, poſt tanta pericula cœli, & tempeſtatum, & labores

Aug. de Doct. Chriſt. lib. 1. cap. 14.

D. Aug. in Pſ. 68.

Digitized by Google

Ruſticanorum, curamq; dominorum, mittitur in horreum frumentum purgatum. Venit hyems, & quod purgatum erat, profertur & proiicitur. Imprudentia videtur, ſed vt non ſit imprudentia, ſpes facit. Non ergo ille pepercit ſibi, quia & Pater illi non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et de ipſo, qui dilexit me, inquit Apoſtolus, & tradidit ſeipſum pro me. Quia granum niſi ceciderit in terram, vt moriatur, fructum, inquit, non reddet. Hæc eſt imprudentia; ſed tu noſti illam. Illi autem, ſi cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. »

Rom. 8. 32. Gal. 2. 20. Io. 12. 24. 1. Cor. 2. 8.

Vides vt in ſtultitiâ Crucis, abſcondita reuelatur medici noſtri ſapientia. Et vis medica piſcinæ ex ligno merſo, & latenti, de quo Crux Chriſti poſtea fabricata eſt, creditur emanaſſe. Sed fundato magis in Auguſtini doctrinâ argumento, in ſtultitiâ Crucis Sapientiam Chriſti medici latentem aperio. « Medicina, inquit, ſapientiæ per hominis (& Crucis) ſuſceptionem, noſtris eſt accommodata vulneribus, de quibuſdam contrariis curans, & de quibuſdam ſimilibus. Sicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, ſicut frigidum calido, vel humidum ſicco, vel quid aliud huiuſmodi. Adhibet etiam quædam ſimilia, ſicut linteolum vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturamque ipſam, non eandem membris omnibus, ſed ſimilem ſimilibus coaptat. Sic ſapientia Dei hominem curans, ſeipſam exhibuit ad ſanandum, ipſa medicus, ipſa medicina. Quia ergo per ſuperbiam homo lapſus eſt, humilitatem adhibuit ad ſanandum. Serpentis ſapientiâ decepti ſumus; Dei ſtultitiâ liberamur, &c. Nos immortalitate malè vſi ſu-

D. Aug. lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 14.

Digitized by Google

mus, vt moreremur; Chriſtus mortalitate benè vſus eſt, vt viueremus, &c. Ad eadem contraria pertinet, quòd etiam exemplo virtutum eius vitia noſtra curantur. Iam verò ſimilia quaſi ligamenta membris & vulneribus noſtris adhibita ſunt; quòd per fœminam deceptos, per fœminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos, (addo & ligno vulneratos in ligno vulneratus & Crucifixus) liberauit. » Hinc ſponſus à lethalibus morbis & morte per Crucem ſuam excitatam ſponſam alloquens. « Sub Greg.
arbore, inquit, malo ſuſcitaui te. Quid per ar- Magn.
borem malum, niſi ſancta Crux deſignatur? Quæ in ex-
malum illud ſuſtinuit, de quo eadem ſponſa in poſ.
ſuperioribus dicit: ſicut malus inter ligna ſylua- Cant.
rum, ſic dilectus meus inter filios. Sed ſponſam cap. 8.
ſuam Christus ſub arbore, ſuſcitauit, quia in Cant. 2. 1.
Cruce poſitus, ſubditam ſibi Eccleſiam ad vitam vocauit, vt à ſomno mortis reſurgeret, & cum ille ſe crucifigens, ad nouam reſurrectionem properaret, &c. Sed quia infidelitas Synagogæ Chriſtum crucifixit, ideo ſequitur, ibi corrupta eſt mater tua. Sub arbore malo mater Eccleſiæ corrupta eſſe dicitur, quia quando Saluatorem ſuum in ligno fixit, nefando ſcelere ſe corrupit. Cuius ſceleris magnitudinem inculcat, cùm Tertul.
idem replicat dicens, ibi violata eſt genitrix cont.
tua. » Vnde factum eſt, « vt quod perierat olim Iud.
per lignum in Adam, id reſtitueretur per lignum cap. 13.
Chriſti, &c. Et lignum, inquit, attulit fructum Ioel. 2. 22.
ſuum. Non illud lignum in paradiſo quod mor- Gen. 2.
tem dedit protoplaſtis, ſed lignum Paſſionis 17.
Chriſti, vnde vita pendens à vobis credita non Gen. 3.
eſt, hoc enim lignum tunc in Sacramento erat, 19. Deut.
quo Moyſes aquam amaram indulcauit; vnde 28. 66.

Digitized by

Exod. 15. 25. populus qui ſiti peribat in eremo, bibendo reuixit: ſicuti nos qui de ſæculi calamitatibus extracti, in quo commorabamur, ſiti pereuntes, id eſt, Diuini Verbi potu priuati, ligno Paſſionis Chriſti aquam edulcatam baptiſmatis potantes, fide quæ eſt in eum, reuiximus.»

Nec putes hîc exauſtas diuitias theſauri Crucis, ex quâ, velut virgâ Moyſi bis petram percutiente, non ſolùm aqua & ſanguis in lauacrum & poculum, ſed & cætera Sacramenta fluxere in vulnerum omnium medicinam. In Cruce itaque

Ier. 41. 8. «habemus theſauros in agro, frumenti, & hordei, & olei, & mellis.» Vnde nobis cum Cypriano dicendum: «In Cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit Sacramenta; ſine quo ſigno, nihil eſt ſanctum, neque aliqua conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exurgit ſublimitas, & profundum, & longè latéque plenitudo diffunditur gratiarum.» Et iterum confirmat idipſum. «Quicumque ſint Sacramentorum miniſtri; qualeſcumq; ſint manus, quæ vel mergunt accedentes ab baptiſmũ, vel vngunt; qualecumque pectus, de quo ſacra exeunt verba: operationis authoritas in figura Crucis omnibus Sacramentis largitur effectũ, & cuncta peragit nomen quod omnibus nominibus eminet, à Sacramentorum vicariis inuocatum, &c. Iam ſanguis tuus Domine lauat crimina, peccata condonat. Clamat ſanguis Abel, clamãt Sodomorum peccata, & parricidium, & libido, digna ſunt vltione. Tu olim vltionum Deus, modò misereris, & parcis his qui offenderunt; ſanas contritos corde, & alligas vulneratos; filio prodigo reuertenti non improperas luxum, mulieri adulteræ non oppo-

Cypr. de baptiſmo Chriſt.

Cypr. de Paſſione Chriſt.

Gen. 4. 10.

Pſ. 93. 1.

Luc. 15. 20.

Digitized by Google

nis proſtibulum; peccatricis publicæ non recuſas ſeruitium; debenti pecuniam dimittis depoſitum. Iudæis perfidis & dediſti gratiam, & dimiſiſti ſcelus ſcelerum, & peccatorum peccatum. De latere tuo (in Cruce percuſſo) fons egreditur in vitam æternam proſiliens; & de eâdem conſubſtantialique origine, diuiſis limitibus aqua & ſanguis emanant ad complementum perfectionemque totius iuſtitiæ, Sacramenta in perpetuum duratura; & fontis illius vbertas, perenni lapſu vniuerſam Eccleſiam irrigat, & fœcundat. » Cypriano ſubſcripſit Auguſtinus: « Quid eſt quòd omnes nouerunt ſignum Chriſti, niſi Crux Chriſti? Quod ſignum, niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ quâ regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni ſignificatur, quando per Crucem Chriſti quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum eius, bonum nobis omne ſignatur. » Aug. tract. 118. in Io. 19.

Habemus itaque ex ærario Crucis, vt indeficiente theſauro, & copioſa Chriſti Redemptione in eâ peractâ, vnde pro omnibus debitis noſtris, ipſi Deo creditori, in rigore iuſtitiæ, ſatisfacere poſſimus. « Primus ſcilicet homo, cùm manum ad arborem, diabolo ſuadente porrexit, tanquam ligneæ tabulæ chirographum dedititiæ ſeruitutis inſcripſit: ſecundus homo cùm in Cruce manus extendit, cautionem illam lethiferæ pactionis obliterando deleuit. Per lignum ergo ſerui facti, per lignum ſumus libertati priſtinæ reſtituti. Per lignum de paradiſo fueramus eiecti: per lignum ſumus ad patriam reuocati. Et Dam. ſer. de Inuent. S. Crucis.

Digitized by

Baro. Ann. Chriſt. 326. D. Paulinus epiſt. 11. ad Seuer. tom. 5. Bibliot.

mater, ſanctiſſimæ Crucis inueniendæ ardentiſſimo deſiderio flagrans loca ſancta reuiſeret; vbi diuinitus inſpirata, acceſſit ad Golgotham, & polluta Idolis ſacroſancta loca purgauit. « Nam Adrianus Imperator exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci iniuriâ peremptürum, in loco Paſſionis ſimulacrum Iouis conſecrauit, & Bethlehem Adonidis fano prophanata eſt, vt quaſi radix & fundamentum Eccleſiæ tolleretur, ſi in iis locis Idola colerentur, in quibus Chriſtus natus vt pateretur; paſſus eſt, vt reſurgeret; ſurrexit, vt regnaret; iudicatus, vt iudicaret, &c. ſuper Crucem, ad quam orbe concuſſo, & ſole refugo, & diſſilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutauerat, ſtabat ſimulacrum dæmonis, & ara ſimulacri pecudum buſta fumabant, & Dei nomen deferebatur ſtatuis mortuorum; cùm ipſe viuorum Deus, qui reſurrectio mortuorum eſt, non ſolùm mortui, ſed & Crucifixi hominis blaſphemaretur opprobrio.

Eſa. 1. 3.

In Bethlehem quoque, vbi agnouerat bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, principes hominum inficiati Saluatorem Deum, infames hominum amores morteſque coluerunt, &c. Vbi natum Saluatorem cum exercitu Angelorum concinentes cœleſti gaudio ſalutauerant illuſtratâ nocte paſtores: ibi Veneris amaſium, mixtæ ſemiuiris plangere meretrices, &c. Vbi ſacra nati Saluatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta fingentium laſciuis luctibus infamis ritus vlulabat: & vbi Virgo pepererat, adulteri colebantur. Manſit hoc ſæculi prioris nefas in tempora noſtris proxima Conſtantini, qui Princeps eſſe Principibus Chriſtianis non magis ſuâ, quàm matris Helenæ fide

meruit: quæ diuino, vt exitus docuit, inſpirata conſilio, cùm Ieroſolymam agnoſceret nomine, filium rogabat, vt ſibi facultatem daret, cuncta illic loca Dominicis impreſſa veſtigiis, & diuinorum erga nos operum ſignata monimentis purgare, atque deſtructis templis, & Idolis ab omni prophanæ impietatis contagio, religioni ſuæ redderet, vt Eccleſia tandem & in terrâ originis ſuæ celebraretur. Itaque prompto filij Imperatoris adſenſu, mater Auguſta patefactis ad opera ſancta theſauris, tota abuſa fiſco eſt. » Maximè verò vt abſconditum pretioſiſſimum Crucis theſaurum inueniret. Nam vt cæteras pretercam impenſas in condendis ſumptuosè Baſilicis: « Regina illa venerabilis, vt venit Ieroſolymam, diligenter & piè, locis ſcilicet omnibus, diuinorum curioſa inſignium, & oculis haurire geſtiens, fidem quam piis auribus literiſque perceperat, Crucem Domini ſtudioſiſſimè inquirere adorſa eſt. Sed quæ via vel ratio inueniendi ſubeſſet, cùm index idoneus inueniri nemo poſſet, vbi memoriam & curam religioſæ conſcientiæ, vel obſeruantiæ, & antiquitatis æui, & ſuperſtitionis impiæ diuturnitas aboleuiſſet. Verùm ipſo omnium, & terris, & animis opertorum conſcio & teſte Deo, fidelis mulier ſanctum Spiritum per affectum pium meruit. Quo aſpirante cùm rem ab humanâ conſcientiâ diuinitus remotam fruſtra diligens requiſiſſet de loco tantùm Paſſionis certior fieri ſtuduit. Itaque non ſolùm de Chriſtianis doctrinâ, & ſanctitate plenos viros, ſed & de Iudæis peritiſſimos, vt propriæ, quâ & miſeri gloriantur, impietatis indices exquiſiuit, & accitos Ieroſolymam congregauit. Tum omnium vnà de loco teſtifi-

S. Paul. Ibid. ſupra.

Digitized by Google

catione confirmatâ: (quod vbi reorum cadauera, illic & ſupplicij inſtrumenta, de more conderentur.) Vrgente ſine dubio conceptæ reuelationis inſtinctu, in ipſum locum operam foſſionis accingi, parataque mox ciuium pariter & militari manu, breui laborem iſtius molitionis hauſit; & contra ſpem omnium, ſed ſecundùm ipſius tantùm Reginæ fidem, alta egeſtione reſeratis terræ finibus, abditæ Crucis arcana patuerunt. Sed cùm tres pariter cruces, vt quondam fixæ Domino & latronibus ſteterant, repertæ fuiſſent, gratulatio repertarum cœpit anxiâ dubitatione confundi, iuſto piorum metu, ne forſitan aut pro Cruce Domini, patibulum latronis eligerent, aut ſalutare lignum pro ſtipite latronis abiiciendo violarent. Reſpexit pias fideliter æſtuantium curas Dominus, & ipſi potiſſimum quæ tam piæ ſolicitudinis Princeps erat, huius conſilij lumen infudit, vt aliquem recens mortuum inquiri & inferi iuberet. Nec mora, verbo factum, cadauer illatum eſt, deponitur, iacenti vna de Crucibus admouetur: ſed eorum ligna mors ſpreuit. Poſtremò Dominicam Crucem prodit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni tactum morte profugâ funus excuſſum, & corpus erectum eſt, tremefactiſque viuentibus, ſtetit mortuus, & funebribus, vt Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter ſpectatores ſuos rediuiuus inceſſit. Ergo Crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tempore Paſſionis abſcondita, neque gentibus in ædificatione fani terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus reuelata, nonne diuinâ manu latuit, vt nunc inueniretur, cùm religioſè quæreretur? Ita vt Crucem Chriſti decuit, experimento reſurre-
Digitized by Google

ctionis inuenta, & probata Crux Chriſti eſt, dignoque mox ambitu conſecratur, conditâ in Paſſionis loco Baſilicâ, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano poſitam ſacrario Crucem ſeruat, quam Epiſcopus vrbis eius, quotannis cùm Paſcha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipſe venerantium promit.» Sed & rem mirabilem & S. Crucis Inuentioni non incongruam referunt hiſtorici, Deum in miſericordia diuitem, largitatem Tiberij Imperatoris in pauperes, Inuentione theſauri compenſare voluiſſe. Cùm enim in marmore, Domini Crucem cælatam, iacere non pateretur, ſignum ſalutis, quo ſibi frontem & pectus munire conſueuerat, è pauiuento tolli, & loco honeſtiori imponi iuſſiſſet; alteram ſimiliter ſub primâ, & tertiam ſub ſecundâ latentem reperit, ſub eaque theſaurum centum mille aureorum defoſſum inuenit. Et quis theſaurus, cum ſanitate, & vitâ comparandus? ſub Domini Cruce à Deo defoſſi ſunt theſauri, vt Crux dicat: « qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino:» Crux boni, malique latronis, fruſtra ægris aut mortuis applicatur; hoc miraculum, Cruci Domini ſalutiferæ, & viuificæ ſeruabatur.

Greg. Turon. lib. 5. hiſt. cap. 19. Paulus Diac. cap. 6. Baron. Anno Chriſt. 579.

Exultauit homo gaudio de inuento theſauro, & piâ lætitiâ Imperatrix exultauit de effoſſo Crucis Dominicæ longè pretioſiori depoſito. « Tantóque propenſiùs ſpiritualem exultationem alacri mente concepit, quantò non ignorauit, & ipſum humanæ ſalutis inimicum, amariùs de ſanctæ Crucis Inuentione ſuſpiraſſe. Gaudebat namque diabolus, ad euadẽdum ignimonioſæ ſuæ confuſionis opprobrium, quòd trium-

Dam. ſer. de Inuent. S. Crucis.

phale vexillum, ſub quo perdiderat, ſub quo proſtratus & captiuatus fuerat, eotenus maneret occultum, & ruinæ ſuæ dedecus, quod ſuccumbendo pertulerat, ſuppreſſo ſigno victoriæ, compenſabat. At vbi repertum eſt, vbi cum tantâ gloriâ Chriſtianæ deuotioni & pietati perpendit eſſe conſpicuum, erubeſcit ſe vbique iam videre proſtratum, quia vbique titulum diuinæ victoriæ cernit erectum. Vbicumque enim ſignum Crucis erigitur, illic proculdubio, & Chriſti victoria, & diaboli captiuitas denotatur.» Porro vt per lignum ſerpens oſtenſum, mulierem deceptam aſtutiâ ſuâ & fraude ſeduxit: ſic per S. Fœminam lignum benedictum Crucis Deus tot annis ſepultum aperuit. « Quaſi effo-

Iob. 3. 21. dientes theſaurum gaudent vehementer cùm inuenerint ſepulcrum;» quòd in ſepulcris ſolerent recondi theſauri: ita prorſus, inuento ſepulcro Domini, theſaurus Crucis abſconditus ingenti gaudio effoſſus eſt. Et licet variè Patres parabolam theſauri in agro abſconditi exponant, Hilarius quidem de Verbo incarnato, vbi

Hilar. Canon. 13. in Matth. ait:« Per ſimilitudinem, inquit, theſauri in agro, ſpei noſtræ opes intra ſe poſitas oſtendit, quia Deus in homine ſit repertus; in cuius pretium, omnes ſæculi vendendæ ſunt facultates, vt veſtitu, cibo, potuque indigentium, æternas cœleſtis theſauri diuitias comparemus, &c. Theſaurus in agro, Chriſtus intelligitur in carne, quem inueniſſe eſt gratuitum. Euangeliorum enim

Matth. 19. 11. prædicatio in abſoluto eſt. (In aperto peruia omnibus, ſed non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus donatum eſt:) ſed vtendi & poſſidendi huius theſauri cum agro, poteſtas non poteſt eſſe ſine pretio: quia cœleſtes diuitiæ, non niſi

damno

Digitized by Google

damno ſæculi poſſidentur.» Aduerte porro ſatis non eſſe agnouiſſe diuinitatem in carne latentem, niſi cum eo ſimul agnoſcamus agrum, id eſt, eius humanitatem. « Non rectè caro ſine diuinitate ſumitur, nec diuinitas ſine carne præſtatur. Vnde in Euangelio regnum cœlorum ſimile dicitur theſauro abſcondito in agro, &c. quia nec ager, corpus videlicet Chriſti, ſine theſauro, id eſt, diuinitate, nec theſaurus diuinitatis, ſine agro carnis iure comparatur.» Vnde & Hieronymus: « Theſaurus, inquit, ille in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, aut Deus Verbum eſt, qui in carne Chriſti videtur abſconditus: aut ſanctæ Scripturæ, in quibus repoſita eſt notitia Saluatoris: quem cùm quis in eis inuenerit, debet omnia iſtius mundi emolumenta contemnere, vt illum poſſit habere quem reperit.» Ego verò in S. Cruce theſauros omnes Scripturæ ſacræ, & Chriſti Dei, & hominis, diuitias, gloriam, maieſtatem abſconditam vobis hodie reuelabo. Et quidem ſi ſecundùm Auguſtinum, « Theſaurum in agro abſconditum dixit duo teſtamenta legis in Eccleſiâ, quæ quis cùm ex parte intellectus attigerit, ſentit illic magna latere, & vadit, & vendit omnia ſua, & emit illum: id eſt contemptu temporalium, comparat ſibi otium, vt ſit diues cognitione Dei;» In vtroque teſtamento mirabiles ſunt theſauri Crucis abſconditi per quam, neglectis temporalibus, quicumque vtiliter mecum otiari voluerit, diuinâ cognitione, & omnium attributorum Chriſti notitiâ diteſcet. « Sapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruantur: ſed loquimur Dei

Paſch. lib. de corpor. Chriſt. cap. 10.

Hier. to. 9. in Matth. 13. Coloſſ. 2. 3.

Aug. lib. 1. Euang. qq. q. 14.

1. Cor. 2. 6.

Digitized by Google

ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula, in gloriam noſtram: quam nemo principum huius ſæculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent » Capite præce-
1.Cor. 1. 18. denti præmiſerat;« Verbum Crucis, pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalui fiunt id eſt nobis, Dei virtus eſt, &c. Nam quia in Dei ſapientiâ non cognouit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis, ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: Et quod eſt infirmum eſt Dei, fortius eſt
Tertul. 5. cont. Marc. cap. 5. hominibus.» Et quidem, « Deum mundi quem cognoſcere debuerat, & Iudæus in ſapientiâ Scripturarum, & omnis gens in ſapientiâ operum: ideo Deus idem, qui in ſapientiâ ſuâ non erat agnitus, ſtatuit ſapientiam hominum ſtultitiâ repercutere, ſaluos faciendo credentes quoſque in ſtultam Crucis prædicationem. » Quid ſtultius viſum eſt ſapientibus mundi, quàm Deum maieſtatis infami patibulo affigi? quid infirmius, quàm Deum totius fortitudinis & gloriæ, morte turpiſſimâ condemnari? ſed ibi ſapientiæ, virtutis, potentiæ, maieſtatis theſauri ſunt abſconditi: quos iam ſingillatim in Inuentione S. Crucis effodere, & eruere de occultis, nobis incumbit. Præibit cæteris Auguſti-
D. Aug. in Pſal. 103. nus, Chriſtum Dei ſapientiam in Cruce ſtulteſcentem magnificans voce Dauidicâ.« Omnia in

ſapientiâ feciſti: ergo, inquit, in ſapientiâ,id eſt, in Chriſto feciſti. (Et in eâdem ſtultâ reputatâ, per Crucis ſapientiam refeciſti.) Ille contemptus, ille expalmatus, ille conſputus, ille ſpinis coronatus, ille crucifixus. Omnia in illo feciſti. Audi quid ex illo tuo milite (Paulo) nunties hominibus, quid illo præcone ſancto prædices gentibus, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Irrideant Iudæi Crucifixum Chriſtum, quia ſcandalum eſt eis: irrideant Pagani Crucifixum Chriſtum, quia ſtultitia eſt eis. Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, &c. » Et rurſum: « Serpentis ſapientiâ decepti ſumus: Dei ſtultitiâ liberamur. » Sed expreſſiùs cum Pſalte, Chriſtum ſic Patri loquentem inducit, de ſapientiâ Verbi, in ſtultitiâ Crucis occultatâ: « Deus tu ſcis imprudentiam meam. (Vulgata, inſipientiam) quæ imprudentia in Chriſto? Nonne ipſe eſt Dei virtus, & Dei ſapientia? An illam dicit imprudentiam ſuam, de quâ dicit Apoſtolus, ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus? imprudentiam, inquam, meam, hoc ipſum quod in me irriſerunt qui ſibi videntur eſſe ſapientes; tu ſcis quare fieret: tu ſcis imprudentiam meam. Quid enim tam ſimile imprudentiæ, quàm cùm haberet in poteſtate, vnâ voce ſuos perſecutores proſternere, vt pateretur ſe teneri, flagellari, conſpui, colaphizari, ſpinis coronari, ligno affigi? Imprudentiæ ſimile eſt, & ſtultum videtur. Sed ſtultum hoc ſuperat omnes ſapientes. Stultum quidem eſt. Sed & granum quando cadit in terram, ſi nemo ſcit conſuetudinem agricolarum, ſtultum videtur. Labore magno metitur, portatur ad aream, trituratur, ventilatur, poſt tanta pericula cœli, & tempeſtatum, & labores

Aug. de Doct. Chriſt. lib. 1. cap. 14.

D. Aug. in Pſ. 68.

Ruſticanorum,curamq;dominorum, mittitur in horreum frumentum purgatum. Venit hyems,& quod purgatum erat, profertur & proiicitur. Imprudentia videtur, ſed vt non ſit imprudentia,ſpes facit. Non ergo ille pepercit ſibi, quia & Pater illi non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et de ipſo, qui dilexit me, inquit Apoſtolus, & tradidit ſeipſum pro me. Quia granum niſi ceciderit in terram, vt moriatur, fructum, inquit, non reddet. Hæc eſt imprudentia;ſed tu noſti illam. Illi autem, ſi cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. » Vides vt in ſtultitiâ Crucis, abſcondita reuelatur medici noſtri ſapientia. Et vis medica piſcinæ ex ligno merſo, & latenti, de quo Crux Chriſti poſtea fabricata eſt, creditur emanaſſe. Sed fundato magis in Auguſtini doctrinâ argumento, in ſtultitiâ Crucis Sapientiam Chriſti medici latentem aperio. « Medicina, inquit, ſapientiæ per hominis (& Crucis) ſuſceptionem, noſtris eſt accommodata vulneribus, de quibuſdam contrariis curans, & de quibuſdam ſimilibus. Sicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, ſicut frigidum calido, vel humidum ſicco, vel quid aliud huiuſmodi. Adhibet etiam quædam ſimilia, ſicut linteolum vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo,ligaturamque ipſam, non eandem membris omnibus, ſed ſimilem ſimilibus coaptat. Sic ſapientia Dei hominem curans, ſeipſam exhibuit ad ſanandum, ipſa medicus, ipſa medicina. Quia ergo per ſuperbiam homo lapſus eſt, humilitatem adhibuit ad ſanandum. Serpentis ſapientiâ decepti ſumus; Dei ſtultitiâ liberamur, &c. Nos immortalitate malè vſi ſu-

Rom. 8 32. Gal. 2. 20. Io. 12. 24. 1. Cor. 2. 8.

D. Aug. lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 14.

Digitized by Google

mus, vt moreremur; Chriſtus mortalitate benè vſus eſt, vt viueremus, &c. Ad eadem contraria pertinet, quòd etiam exemplo virtutum eius vitia noſtra curantur. Iam verò ſimilia quaſi ligamenta membris & vulneribus noſtris adhibita ſunt; quòd per fœminam deceptos, per fœminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos, (addo & ligno vulneratos in ligno vulneratus & Crucifixus) liberauit. » Hinc ſponſus à lethalibus morbis & morte per Crucem ſuam excitatam ſponſam alloquens. « Sub arbore, inquit, malo ſuſcitaui te. Quid per arborem malum, niſi ſancta Crux deſignatur? Quæ malum illud ſuſtinuit, de quo eadem ſponſa in ſuperioribus dicit: ſicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sed ſponſam ſuam Chriſtus ſub arbore, ſuſcitauit, quia in Cruce poſitus, ſubditam ſibi Eccleſiam ad vitam vocauit, vt à ſomno mortis reſurgeret, & cum ille ſe crucifigens, ad nouam reſurrectionem properaret, &c. Sed quia infidelitas Synagogæ Chriſtum crucifixit, ideo ſequitur, ibi corrupta eſt mater tua. Sub arbore malo mater Eccleſiæ corrupta eſſe dicitur, quia quando Saluatorem ſuum in ligno fixit, nefando ſcelere ſe corrupit. Cuius ſceleris magnitudinem inculcat, cùm idem replicat dicens, ibi violata eſt genitrix tua. » Vnde factum eſt, « vt quod perierat olim per lignum in Adam, id reſtitueretur per lignum Chriſti, &c. Et lignum, inquit, attulit fructum ſuum. Non illud lignum in paradiſo quod mortem dedit protoplaſtis, ſed lignum Paſſionis Chriſti, vnde vita pendens à vobis credita non eſt, hoc enim lignum tunc in Sacramento erat, quo Moyſes aquam amaram indulcauit; vnde

Greg. Magn. in expoſ. Cant. cap. 8. Cant. 2. 1.

Tertul. cont. Iud. cap. 13. Ioel. 2. 22. Gen. 2. 17. Gen. 3. 19. Deut. 28. 66.

Digitized by Google

nis proſtibulum; peccatricis publicæ non recuſas ſeruitium; debenti pecuniam dimittis depoſitum. Iudæis perfidis & dediſti gratiam, & dimiſiſti ſcelus ſcelerum, & peccatorum peccatum. De latere tuo (in Cruce percuſſo) fons egreditur in vitam æternam proſiliens; & de eâdem conſubſtantialique origine, diuiſis limitibus aqua & ſanguis emanant ad complementum perfectionemque totius iuſtitiæ, Sacramenta in perpetuum duratura; & fontis illius vbertas, perenni lapſu vniuerſam Eccleſiam irrigat, & fœcundat. » Cypriano ſubſcripſit Auguſtinus: «Quid eſt quòd omnes nouerunt ſignum Chriſti, niſi Crux Chriſti? Quod ſignum, niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ quâ regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni ſignificatur, quando per Crucem Chriſti quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum eius, bonum nobis omne ſignatur. » Aug. tract. 118. in Io. 19.

Habemus itaque ex ærario Crucis, vt indeficiente theſauro, & copioſa Chriſti Redemptione in eâ peractâ, vnde pro omnibus debitis noſtris, ipſi Deo creditori, in rigore iuſtitiæ, ſatisfacere poſſimus. « Primus ſcilicet homo, cùm manum ad arborem, diabolo ſuadente porrexit, tanquam ligneæ tabulæ chirographum dedititiæ ſeruitutis inſcripſit: ſecundus homo cùm in Cruce manus extendit, cautionem illam lethiferæ pactionis obliterando deleuit. Per lignum ergo ſerui facti, per lignum ſumus libertati priſtinæ reſtituti. Per lignum de paradiſo fueramus eiecti: per lignum ſumus ad patriam reuocati. Et Dam. ſer. de. Inuent. S. Crucis.

Digitized by Google

infernum, vt conterat & confringat ipſas tartari ianuas ære munitas & ferro. De latere fundit aquam, vt paradiſi viam temperet, (zonam torridam igneæ romphææ) ignem ex parte ſanctorum extinguat inferni, totum chirographum debiti diluat, & ſoluat antiquum, & patiendo hoc remittat ipſe, quod ipſe intulit imperando.» Debitum enim peccati contractum eſt ex tranſgreſſione mandati. Alludunt Patres præcitati ad illud Apoſtoli « Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta. (Id eſt propter delicta veſtra, & carnalis concupiſcentiæ in præputio ſignificatæ, quod pertinet ad originale peccatum,) delens quod aduersùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Et ipſum tulit de medio affigens illud Cruci: & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.» Vbi duos theſauros in Cruce abſconditos pandit Apoſtolus, vnum ex diuitiis miſericordiæ debita donantis, alterum potentiæ de diabolo triumphantis, & captiuos ex eius ſeruitute liberantis. « Decretum quidem factum eſt primo homini: de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. Sed huiuſmodi decretum eſt homo tranſgreſſus, & hoc chirographum eſt contrarium nobis, quod Chriſtus deleuit. Et quomodo? In Cruce, &c. Conſuetudo enim erat, quòd ſoluens omnia ad quæ quis tenebatur, ſcindebat chirographum. Homo autem erat in peccato, ſed Chriſtus ſoluit patiendo. Quæ non rapui, inquit, tunc exſoluebam, &c. Et ideo dicit, tulit de medio, id eſt, ſuſtulit de rerum naturâ: & hoc, affigens Cruci: per quam ſatisfaciens Deo,

Io. 19. 34.

Coloſſ. 2. 13.

D. Th. lect. 3. Ibid.

Gen. 2. 17.

Pſ. 68. 6.

Digitized by Google

tulit peccatum noſtrum. De ſecundo, cùm dicit expolians, &c. Oſtendit quomodo liberauit à ſeruitute peccati. Detur enim, quòd vſurarius propter cautionem teneat hominem captum: non ſufficeret deſtructio cautionis, niſi liberaretur. Sic & Chriſtus, & ideo dixit expolians, &c. Hæc expoliatio refertur ad ſanctos mortuos ante Paſſionem Chriſti; & ſic Chriſtus eos de
Zach. 9. 11. inferno expoliando liberauit, cui liberati dicunt: Tu verò in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti
Eſa. 49. 25. vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua. Quod & Eſaïas promiſerat: equidem & captiuitas à forti tolletur: & quod ablatum fuerit à robuſto, ſaluabitur. Vel de viuis intelligitur, quos à dæmonibus expoliauit, ipſo Chriſto di-
Luc. 11. 22. cente: Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Traduxit autem ipſos ſanctos confidenter, tanquam authoritatem habens, in cœlum; quantum ad mortuos, & viuos, in regnum gloriæ ſuæ; vel traduxit, id eſt extra duxit, expulit principatus ex homine. Palam autem id fecit, id eſt, euidenti iudicio. Vel palam, coram multitudine Angelorum. Et hoc in ſemetipſo, id eſt, in ſuâ virtute.
Philip. 3. 21. Secundum operationem quâ poſſit etiam ſubiicere. Alia litera ſic habet: Et exuens ſe carne (ſcilicet mortali, moriendo) principatus, & poteſtates exemplauit, fiducialiter triumphans. Id eſt in ſe exemplum præbuit, quomodo ſunt vincendi dæmones.» Deletum chirographum, & ſimul triumphatum diabolum agnouit Auguſtinus; cùm matris Monicæ æternæ ſaluti conſulens, dicit pro eius animâ oblatam hoſtiam ſalutarem. « Memoriam, inquit, ſui ad altare tuum

Digitized by Google

ſieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, quâ deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus eſt hoſtis, computans delicta noſtra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem ſanguinem? Quis ei reſtituet pretium, quo nos emit, vt nos auferat ei? Ad cuius pretij noſtri Sacramentum ligauit ancilla tua animam ſuam vinculo fidei.» Eidem expoſitioni ſuffragatur D. Leo: «Ibi, inquit, ſanguinis immaculati Agni, antiquæ præuaricationis pacta delebat. Ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur aduerſitas, & de elatione ſuperbiæ victrix humilitas triumphabat.» Et ſimiliter ante eũ S. Cyprianus: «Aduerſum nos, inquit, peccatorũ chirographa ſcripta ſunt: quia vt Propheta dicit, peccatis noſtris venundati ſumus. Pretium namque animæ ſuæ vnuſquiſque conſequitur, cùm concupiſcentiæ ſatisfecerit. Illud ergo vniuſcuiuſque chirographum ab illis rectoribus peſſimis tenebatur, quod Chriſtus detraxit aduenieus, & hac eos poteſtate nudauit; idque ſub ingenti myſterio Paulus indicat, cùm dicit de eo: delens quod aduerſum nos erat chirographum, & affigens illud Cruci ſuæ, &c.» Verùm totum hoc pretium de Crucis theſauro deprompſit, cui & fortem fortior ſuperueniens, expoliatum tanquam currui triumphali alligauit. «Veternoſus hoſtis per lignum primum hominem vicerat, omnemque illius progeniem per quinque millia ferè annorum, tanquam ſeruum ſub iugo ſuæ tyrannidis opprimebat: venit autem filius tanquam Gygas ad currendam viam, vt debellaret aëreas pote-

Aug. lib. 9. cõfeſſ. cap. 13.

Ser. 4. de paſſ.

S. Cypr. in expoſit. Symb.

Eſa. 52.

Dam. ſer. de Inuent. S. Crucis.

Pſ. 18. 6.

Digitized by Google

ſtates, & lignum ligno oppoſuit, dum per Crucis amaritudinem, expuit venenatam pomi illius vetiti voluptatem. » Prior id Damiano Tertullianus excogitauerat. « Sermo, inquit, Dei deſcendit in carnem, quæ ad lignum non incontinentiæ, ſed tolerantiæ accederet; quæ non dulce aliquid, ſed amarum aliquid inde guſtaret, quæ non ad inferos, ſed ad cœlum pertineret: (quia caro Chriſti de cœlo cœleſtis non vidit corruptionem) quæ non laſciuiæ frondibus, ſed ſanctimoniæ floribus præcingeretur. » Vbi alludit ad ficulneæ folia, quibus in rebellione carnis edomandâ, & nuditate tegendâ, ſe primi parentes ſuccinxerunt. « Venit ad ficum Chriſtus vt inueniret Adam, vt nudum tegeret pio ſui corporis indumento, cuius ficus non velabat, ſed ſtimulabat pudorem. Agnoſcite, fratres, lætamini fratres, poſt triumphum Chriſti, ſanctorum cuſtodiam diſſolutam (euerſum limbi patrum carcerem,) & in ſanctos vltra inferni nil deberi. » Perſoluta ſunt debita, deletum chirographum decreti affixum eſt Cruci, ſoluti ſunt vincti, captiuantes tyranni ſunt captiuati. Nec mireris: « Cornua in manibus eius, ibi abſcondita fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors: & egredietur diabolus ante pedes eius. » Et quænam ſunt hæc cornua, niſi iuxta Tertullianum, « Crucis extima? &c. Hac denique virtute Crucis, & hoc more cornutus » aëreas poteſtates ventilauit, & palam traducens triumphauit. In manibus autem eius cornua prophetantur; quia mors Crucis, non ex infirmitate, ſed electione, & poteſtate proceſſit. « Nemo, inquit, animam tollit à me, ſed ego pono eam. » Vel quia, non vt alij Reges, ab auro, argento, lapidibus pre-

Tertul. de Pud. cap. 6.

Chryſol. ſer. 106.

Et ſer. 123.

Habac. 3. 4.

Tertul. cont. Iud. cap. 10.

Io. 10. 18.

Digitized by Google

tioſis, quibus Regum theſauri cumulantur, ſed « Dominus fortis & potens regnauit à ligno. » Cornua in manibus eius, quia poteſtas & imperium, in manu eius. » Quàm aptè igitur, non theſauro ſolùm ſapientiæ, fortitudinis, & potentiæ, Crucem Domini comparauimus; ſed & ipſum regnum cœlorum argumentamur, quòd in ea velut throno maieſtatis, « Rex Regum, & Dominus dominantium, cui data eſt in cœlo & terrâ poteſtas » ſeſſurus ad dexteram Patris, voluit conſedere. « Age nunc, ſi legiſti penes Prophetam in Pſalmis, Deus regnauit à ligno, expecto quid intelligas, ne forte lignarium aliquem Regem ſignificari putetis, & non Chriſtum, qui exinde à Paſſione Chriſti, ſuperatâ morte regnauit. Proinde & Eſaïas: quoniam puer, inquit, natus eſt nobis. Quid nouum, ſi non de Filio Dei dicit? filius natus eſt nobis, cuius imperium factum eſt ſuper humerum ipſius. Quis omnino Regum, inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu ſceptrum, aut aliquam propriæ veſtis notam? Sed ſolus nouus Rex ſæculorum, Chriſtus Ieſus, nouæ gloriæ, & poteſtatem & ſublimitatem ſuam in humero extulit, Crucem ſcilicet, vt ſecundùm ſuperiorem Prophetiam, exinde Dominus regnaret à ligno. »

Pſ. 95. 10. Apoc. 19. 16. Matth. 28. 18. Tertul. ſupra. Pſalm. 95. 10. iuxta 70. Eſa. 9. 6.

SECVNDA PARS MORALIS.

PRIMA REFLEXIO. « Adeamus cum fiduciâ, (Syr. reuelato oculo) ad thronum gratiæ: vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. » Cùm enim Crux theſaurus ſit, & thronus gratiæ,

Hebr. 4. 16.

Digitized by Google

quis ad eam vereatur accedere quantumuis peccator & ſceleratus, quantumuis etiam decem millium talentorum debitis oneratus; cùm ex eâ, velut ærario inexhauſto, non aurum, vel argentum, aut lapides pretioſi, ſed indeficientes ſanguinis Agni immaculati meritorum fontes exuberent? « Inducit nos Apo-
D. Th. lect. 3. in c. 4. Hebr. ſtolus ad habendam fiduciam de ipſo; quaſi dicat: ex quo ſic poteſt compati, adeamus cum fiduciâ. Ecce Deus Saluator meus, fiducia-
Eſa. 12. 2. liter agam, & non timebo. Thronus autem dicitur ſedes Regis. Chriſtus autem Rex eſt, de quo
Ier. 23. 5. Ieremias; regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terrâ. Hic autem thronus duplicem habet ſtatum; vnum iuſtitiæ in futuro, de quo Pſaltes: ſediſti ſuper thronum
Pſ. 9. 4. qui iudicas iuſtitiam. Hoc erit in futuro: cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Eſt alius thronus, gratiæ ſcilicet in præſenti; quoniam
Pſ. 74. 2. eſt tempus miſerendi: ideo dixit, auxilio opportuno. » Quòd ſi tantam contemnamus gratiam, & theſaurum miſericordiæ in Cruce repoſitum negligamus, timendum certè nobis eſt, ne « diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis contemnentes, & ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducit: ſecundùm duritiam noſtram, & impœnitens cor, theſauri-
Rom. 2. 4. zemus nobis iram, in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius. » De hoc theſauro iræ, quem colligit negligens theſauri gratiæ, in die iudicii, quo ſignũ filij hominis parebit in cœlo, & ſuos contemptores æterno damnabit ſupplicio, Auguſti-
Aug. in Pſ. 102. nus: « Peccatur, inquit, & viuitur, accedunt peccata, augetur vita; blaſphematur quotidie, &

Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos. Matth.
Vocat vndique ad correctionem, vocat vndique 5. 45.
ad pœnitentiam. Vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus viuendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem: vocat per flagellum correctionis, vocat per miſericordiam conſolationis, longanimis & multæ miſericordiæ Deus. Malè
vtendo tu theſaurizas tibi quod ait Apoſtolus, Pſ.102.
iram in die iræ. Nam hoc ait Apoſtolus: an diui- 8.
tias bonitatis? &c. Quòd tibi parcit, putas quia
places ei? hæc feciſti & tacui: Suſpicatus es ini- Pſ.49.
quitatem, quia ero tibi ſimilis. Non mihi pla- 21.
cent peccata, ſed longanimitate quæro rectè facta. Si punirem peccatores, non inuenirem confeſſores. Ergo te Deus, longanimitate ſuâ, parcendo, ad pœnitentiam adducit. Tu autem cùm quotidie dicis, finitur hodiernus dies: & ſic ero & craſtino die: non enim cras erit vltimus: & tertio die: & ſubitò venit ira eius. Fratres non
tardetis conuerti ad Dominum. Sunt enim qui Eccli.
præparant conuerſionem, & differunt, & fit illis 5. 8.
vox coruina; cras, cras; coruus de arcâ miſſus, non eſt reuerſus. Non quærit Deus dilationem in
voce coruinâ, ſed confeſſionem in gemitu co- Gen. 8
lumbino. Miſſa columba reuerſa eſt. Quamdiu 7.
cras, cras? obſerua vltimum cras, quia ignoras quod ſit vltimum cras. Sufficiat, quia vixiſti vſque ad hodiernum peccator. Audiſti, ſæpè ſoles audire. Audiſti & hodie? quàm quotidie audis, tam quotidie non corrigeris. Tu enim ſe-
cundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens Rom.2.
theſaurizas tibi iram in die iræ, &c. Non ſic tibi 5.
videatur Deus miſericors, vt non videatur & iu- Pſ.102.
ſtus. Miſericors & miſerator Dominus. Audio, 8.

Digitized by Google

& gaudeo. Ita dicis: audi, & gaude. Adhuc addidit, longanimis & multùm miſericors. Et in extremo, & verax. Gaudes ad verba ſuperiora, ad vltimum treme. Sic miſericors & longanimis eſt, vt ſit & verax. Cùm tibi theſaurizaueris iram in die iræ, nonne experieris iuſtum, quem contempſiſti benignum? » Rurſum in theſauro, latentem intelligit diſpoſitionem iudicii diuini, iuxta reprobos. « Theſauros, inquit, hîc appellat occultas diſpoſitiones Dei, qui diſponit reddere vnicuique ſecundùm opera eius, &c. Apud quem enim ſibi theſaurizat iram cor impœnitens, niſi apud eum qui viuos eſt iudicaturus, & mortuos? dicit Apoſtolus exponens conſilium patientiæ Dei. Exiſtimas, inquit, qui talia agis, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias benignitatis, &c. Ille ergo auget longanimitatem, & tu auges iniquitatem. (Sicut hi de quibus Pſaltes, pro Chriſto dixit de crucifigentibus rurſum Chriſtum: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.) Erit illius theſaurus in ſempiternâ miſericordiâ, ſed in eos qui non contempſerunt miſericordiam: tuus autem theſaurus in irâ inuenitur. Et quod ponis quotidie per modicum, poſtea maſſam inuenturus es. Minutatim imponis, ſed cumulum inuenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana; de minutiſſimis guttis implentur flumina. »

Aug. cont. Aduerſ. legis & Proph. lib. 1. cap. 17.

Pſ. 128. 3.

Secvnda Reflexio. Qui theſaurum iræ, quem ſibi hactenus peccata multiplicando cumulauit, exhaurire voluerit, theſaurum miſericordiæ dei toties expertus, imitetur, in pauperes

Digitized by Google

peres miſericordiam effundens. « Quidquid enim homo facit modo, in theſaurum mittit. In theſaurum cœleſtem boni quod colligunt, ſciunt. Mali quod colligunt, neſciunt. Bonus enim ponit in theſauro cœleſti omnia opera miſericordiæ quæ fecit circa homines quibus ſubuenit. Et ſcit quia fidelis eſt cuſtos qui illi ſeruat omnia quæ reponit. Et non ea videt, ſed de theſauro ſuo certus eſt, quia neque aliquid à fure ſurripitur, neque ab hoſte inuaditur, neque ab inimico & improbo & potenti, quaſi è victo tollitur, ſed ſemper manebit, quia à Domino potentiſſimo cuſtoditur. Si enim homines pecunias fideli ſeruo commendant, & ſecuri ſunt; miſericordias ſuas commendant potenti Domino, & ſolliciti ſunt? Mali verò, & ipſi mittunt in theſaurum. Omnia mala opera ſua ſeruat illis Deus. Hoc eſt quod dixit Apoſtolus: theſaurizas tibi iram in die iræ iuſti iudicij Dei. Sed quoniam ſeruatur quidquid mali faciunt, neſciunt. Vbi venerit Deus noſter manifeſtus, & non ſilebit, conuocabit ad ſe omnes gentes, ſicut dicit Euangelium: & ſeparabit, quoſdam ponens ad dexteram, quoſdam ad ſiniſtram: & incipit iam tractare theſauros vtrorumque, quod quiſque poſuit, vt inueniat, &c. » Fœlix qui theſauros benignitatis & miſericordiæ per Crucem in ſe toties effuſos, Chriſto in pauperibus, quaſi in theſauro ſuo abſcondito latenti refuderit, vt in die iræ non vindictam ſentiat, ſed veniam conſequatur, & gloriam.

D. Aug. in verba Pſal. Deus manifeſtus veniet ſer. 220. de tẽp.

Pſ. 49. 3.

Matth. 25. 33.

Tertia Reflexio. Cùm ſupra iuxta Paulum Doctor Angelicus ex aliquâ verſione D. Th.

Digitized by Google

lect. 3. in Coloſſ. 2. dixerit « Chriſtum Principatus & poteſtates exemplaſſe & triumphaſſe confidenter, id eſt, exemplum dediſſe nobis in Cruce, quomodo triumphos de ipſis reportare valeamus » Crucem ſcilicet nos ſingulos ſuam baiulare docuit, Tertul. de orat. cap. 11. vt non ſolùm « orando expanſis manibus Dominicam Paſſionem modulemur » ſed & opere Gal. 5. 24. « carnem noſtram crucifigentes cum vitiis & concupiſcentiis» nos verè Chriſtianos & Cruciferos eſſe probemus; itaut tribulationem & dolorem inuenientes in agro, ſiue corporis, ſiue animi, tanquam de inuento theſauro pretioſiſſimo gaudeamus, quo & Chriſti gratiam, & diuinam gloriam meritiſſimè comparemus. Nec Cant. 4. 6. enim ſatis eſt Chriſtiano, cum ſponsâ ad collem thuris oraturo pergere: niſi & in montem myrrhæ cum Chriſto crucifigendus aſcendat. « Vt Tertul. cont. Iud. cap. 10. Exod. 17. 11. quid enim Moyſes tunc tantùm cùm Ieſus aduersùs Amalech præliabatur, expanſis manibus orabat reſidens; quando in rebus tam attonitis, magis vtique genibus poſitis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi volutatâ, orationem commendare debuiſſet? Niſi quia illic, vbi nomen Ieſu dimicabat, dimicaturi quandoque aduersùs diabolum, Crucis habitus quoque erat neceſſarius, per quam Ieſus victoriam eſſet relaturus. » Quid ergo mirum, ſi Conſtantino Crucis ſignum in cœlo micans certum victoriæ portendit auſpicium, quo & ſibi Ioannes tertius Rex Luſitaniæ & Indiarum Orientalium, cer- Typotius in Hierogl. Reg. Luſit. tam ſibi victoriam promiſit ex Symbolo, quo Crucem in nummo ſignauit erectam, cum hac Epigraphe: « in hoc ſigno vinces? » Et tu Chriſtiane, quos diaboli, carnis, mundi, ſub vexillo Crucis timebis inſultus? quas de viſibilibus, &

Digitized by Google

inuiſibilibus inimicis non referes palmas? quas de fugatis & proſtratis hoſtibus coronas, Crucifixi Domini virtute non obtinebis?

QVARTA REFLEXIO. Diſcamus à veteri traditione Eccleſiæ, & primæui temporis fidelium praxi, quodlibet aggreſſuri, nos contra aduerſarios omnes, vbique nobis inſidiantes, ſigno Crucis, vt munitiſſimo armamento tueri. « Ad omnem (inquit Tertullianus) progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum, ad calciatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina (cùm candela accenditur, vel primum diluculum illuceſcit,) ad cubilia, ad ſedilia quæcumque nos conuerſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus. » Quid ita? niſi quia hoc vnicum eſt ſignum Chriſtiani; hæc fidelis teſſera militaris, quâ & fortiter aduerſarios aggredi, & quæcumque aduerſa pro Chriſto Imperatore noſtro pati, nos paratos eſſe profitemur, non erubeſcentes Chriſtum Dominum confiteri. Ad Crucem pro Chriſto ferendam nos iam olim, eius, & ſanctorũ exemplo hortatus eſt Propheta: « Videte quomodo perit iuſtus, neque quiſquam excipit corde, & viri iuſti auferuntur, nec quiſquam animaduertit. A perſonâ enim iniuſtitiæ ſublatus eſt iuſtus. Quis niſi Chriſtus? venite, inquiunt, auferamus iuſtum, quia inutilis eſt nobis. Præmittens itaque & ſubiungens proinde paſſum etiam Chriſtum, æquè iuſtos eius eadem paſſuros, tam Apoſtolos, quàm & deinceps omnes fideles prophetauit, ſignatos illâ notâ ſcilicet, de quâ Ezechiel: dicit Dominus ad me, pertranſi medio portæ, in mediâ Ieruſalem, & da ſignum Tau in frontibus virorum. Ipſa eſt enim litera Tau Græcorum, noſtra autem T ſpe-

Tertul. de corona cap. 3.

Ezech. 9. 4. Tertul. lib. 3. cont. Marc. cap. 22.

cies Crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris apud veram, & Catholicam Ieruſalem. » Id eſt Eccleſiam vniuerſalem; quia nullo excepto, electi omnes, « omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. » Et quia vera per Crucem libertas, nobis de ſeruitute ereptis, captiuato per Crucem tyranno, per Chriſtum data eſt, liberâ fronte, libertatis noſtræ, & Regiæ ſeruitutis præferendum eſt ſignũ. Primus enim parens « ſerpentis aſtutiâ deprauatus, ſponte diuinæ legis præuaricator effectus eſt, & ideo ſecundùm quod & prædictum fuerat, iuſto iudicio Dei, mortis pœnâ damnatur, totuſque, id eſt, ſecundùm corpus, & ſecundùm animam, in deterius commutatus, amiſsâ libertate propriâ, (per lignum vetitum) ſub peccati ſeruitio mancipatur. Ex hoc nullus eſt hominum, qui non huius peccati vinculo naſcatur aſtrictus, præter eum, qui ad hoc vinculum peccati ſoluendum, nouo generationis modo natus eſt, mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Quid enim aliud potuit, aut poteſt naſci ex ſeruo, niſi ſeruus? Neque enim cùm liber eſſet Adam, filios procreauit, ſed poſtquàm ſeruus peccati factus eſt. Ideo ſicut omnis ab illo eſt; ita & omnis homo ſeruus peccati, per ipſum eſt. Hinc & Apoſtolus, ex vno, inquit, in omnes homines in condemnationem, &c. Ab hac igitur damnatione, & morte, nullus omnino liberatur, niſi gratiâ Redemptoris; (niſi merito Crucifixi.) Qui cùm eſſet Dominus, vtpote Deus, vt nos à ſeruitute perpetuâ, & poteſtate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem educeret, factus eſt ſeruus, accipiens formam ſerui. (Et ſerui flagellati, & Crucifixi.) Hinc

2. Tim. 3. 12.

Fulg. lib. de Incar. & gratia Chriſt. cap. 6.

Rom. 5. 18.

Io. 8. 36.

Digitized by Google

eſt quod dicit ad Iudæos: tunc verè liberi eritis, ſi vos filius liberauerit, &c. Sine hac igitur gratiâ, poteſt quidem homo cogitare, & deſiderare humana; non autem poteſt cogitare, aut velle, aut deſiderare diuina. Quorum primum eſt, & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo, ſiue omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum. Quod vtique non eſt ex naturalis arbitrij libertate, quia non hoc caro & ſanguis, ſed Pater cœleſtis reuelat, cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem, non violentâ neceſſitate, ſed infundendo ſuauitatem per Spiritum ſanctum, vt mox credentes dicamus: quia Dominus, eſt Ieſus; quod nemo per naturalem libertatem arbitrij poteſt dicere, niſi in Spiritu ſancto. » O Spiritus vbi es, ibi libertas eſt: quâ verè liberi per Crucem facti, confitemur Ieſum Dominum gloriæ Crucifixum noſtræ vindicem libertatis. O theſaurum Redemptionis abſconditum! Confiteor tibi Domine Rex cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Inueni quem diligit anima mea, ſcio Ieſum, & hunc Crucifixum, tenui eum, nec dimittam; ſequar quocumque ierit, feram Crucem meam, vt per eam theſaurum hîc gratiæ, & in cœlo gloriæ accipiam. Amen.

Matth. 16. 17.
1. Cor. 12. 3.
2. Cor. 3. 17.
Matth. 11. 25.
Cant. 3. 4.
1. Cor. 2. 2.

Digitized by Google

IN FESTO ASCENSIONIS.

Aſcendit ſuper Cœlum Cœli ad Orientem.
Pſalm. 67. 33.

CVm Pſalte Marcus de Aſcenſionis Dominicâ pulchrè concordat, cùm Chriſti Majeſtatem exaltatam ſuper omnia, titulo Dominatus honorat: « Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. » Pſaltes autem, Angelos compellans: « iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. » In quem locum Auguſtinus: « Aſcendit, inquit, ſuper occaſum, cùm reſurgendo, vicit corporis caſum. Dominus enim nomen eſt ei (cui data eſt hodie omnis poteſtas in cœlo & in terrâ) quod illi ſi cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. » Sed quid Orienti cum occaſu? Quomodo Pſaltes ipſe ſibi ipſi conſonat? vt in eodem Pſalmo dicat; « Accendit ſuper occaſum, & aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem? » Difficultatem ſoluet Carolj quinti nũmus. In quo, ſol in zodiaco ſculptus cernitur, cum Symbolo: « nondum in auge. » Id eſt apogeo, & maximo à terrâ receſſu, qui eſt circa gradum Cancri. Se forſitan Imperator hic, nondum omnia detexiſſe, quæ ſibi ſubiiceret, innuebat. Sed de Chriſto Sole iuſtitiæ dicam; dum à Prophetâ ſcribitur, ſuper occaſum aſcendiſſe, nondum omnia quæ

Marci. 16. 19.

Pſ. 67. 4.

D. Aug. Ibid.

1. Cor. 2. 8.

Typotius in Hierograph. Imper.

ſuis pedibus ſubiicere debebat, adhuc tranſcendiſſe, donec, « aſcendens in altum captiuam captiuitatem abduceret: vtrum quia vicit mortem, quæ captiuos tenebat, in quibus regnabat? An ipſos homines appellauit captiuitatem, qui captiui ſub diabolo tenebantur? &c. Captiuitas fœlix, &c. quia ſubiugati, ſub leue illud iugum miſſi; liberati à peccato, cuius ſerui erant, & iuſtitiæ ſerui facti, cuius liberi erant. » Sed in apogeum ſummum euectus eſt, cùm « aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem. In his verbis ille non intelligit Chriſtum, qui eius Reſurrectionem, Aſcenſionemque non credit. » Salomon autem Patri ſuo Dauidi reſpondens, ſub vno verſiculo, & ſolis ſymbolo, ortum, occaſum, Reſurrectionem, & Aſcenſionem Domini manifeſtè concluſit: « oritur, inquit, ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. » Vel vt legit Sanctes Pagninus ex Hebræo: « & ad locũ ſuum tranſit vbi oritur. » Vbi natum, mortuum, ſuſcitatum, aſſumptum in cœlum, ſub nomine ſolis breuiter expreſſit. Quaſi diceret: ille ſol, cuius egreſſiones à diebus æternitatis, qui vt Deus de Deo oritur, nec occidit, qui in terrâ natus ſol cognouit & approbauit occaſum ſuum, ſurrexit de tenebris mortis, & ad Patrem ſuum verum Orientem aſcendit. « Exiui, inquit, à Patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. » O Virgo fons ſolis quẽ retrogradum in horologio Achaz & Cancro vidiſti infra Angelos minoratum, virorum nouiſſimum, à gloriâ in opprobrium hominum, à vitâ in mortem, in mari rubro ſanguinis occumbentem, vidiſti victorem occaſus, ſuper mortem ad Patrem Orientem ſuum aſcendentem plaudenti-

Aug. Ibid. | Rom. 6.18. | Aug. Ibid. | Eccl. 1. 5. | Io. 16. 28.

quis ad eam vereatur accedere quantumuis peccator & ſceleratus, quantumuis etiam decem millium talentorum debitis oneratus; cùm ex eâ, velut ærario inexhauſto, non aurum, vel argentum, aut lapides pretioſi, ſed indeficientes ſanguinis Agni immaculati meritorum fontes exuberent? « Inducit nos Apo-
D. Th. lect. 3. in c. 4. Hebr. ſtolus ad habendam fiduciam de ipſo; quaſi dicat: ex quo ſic poteſt compati, adeamus cum fiduciâ. Ecce Deus Saluator meus, fiducia-
Eſa. 12. 2. liter agam, & non timebo. Thronus autem dicitur ſedes Regis. Chriſtus autem Rex eſt, de quo
Ier. 23. 5. Ieremias; regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terrâ. Hic autem thronus duplicem habet ſtatum; vnum iuſtitiæ in futuro, de quo Pſaltes: ſediſti ſuper thronum
Pſ. 9. 4. qui iudicas iuſtitiam. Hoc erit in futuro: cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. Eſt alius thronus, gratiæ ſcilicet in præſenti; quoniam
Pſ. 74. 2. eſt tempus miſerendi: ideo dixit, auxilio opportuno.» Quòd ſi tantam contemnamus gratiam, & theſaurum miſericordiæ in Cruce repoſitum negligamus, timendum certè nobis eſt, ne « diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis contemnentes, & ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducit: ſecundùm duritiam noſtram, & impœnitens cor, theſauri-
Rom. 2. 4. zemus nobis iram, in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius.» De hoc theſauro iræ, quem colligit negligens theſauri gratiæ, in die iudicii, quo ſignũ filij hominis parebit in cœlo, & ſuos contemptores æterno damnabit ſupplicio, Auguſti-
Aug. in Pſ. 102. nus: « Peccatur, inquit, & viuitur, accedunt peccata, augetur vita; blaſphematur quotidie, &

Digitized by Google

Solem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos. Matth.
Vocat vndique ad correctionem, vocat vndique 5. 45.
ad pœnitentiam. Vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus viuendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem: vocat per flagellum correctionis, vocat per miſericordiam conſolationis, longanimis & multæ miſericordiæ Deus. Malè
vtendo tu theſaurizas tibi quod ait Apoſtolus, Pſ.102.
iram in die iræ. Nam hoc ait Apoſtolus: an diui- 8.
tias bonitatis? &c. Quòd tibi parcit, putas quia
places ei? hæc feciſti & tacui: Suſpicatus es ini- Pſ.49.
quitatem, quia ero tibi ſimilis. Non mihi pla- 21.
cent peccata, ſed longanimitate quæro rectè facta. Si punirem peccatores, non inuenirem confeſſores. Ergo te Deus, longanimitate ſuâ, parcendo, ad pœnitentiam adducit. Tu autem cùm quotidie dicis, finitur hodiernus dies: & ſic ero & craſtino die: non enim cras erit vltimus: & tertio die: & ſubitò venit ira eius. Fratres non
tardetis conuerti ad Dominum. Sunt enim qui Eccli.
præparant conuerſionem, & differunt, & fit illis 5. 8.
vox coruina; cras, cras, coruus de arcâ miſſus, non eſt reuerſus. Non quærit Deus dilationem in
voce coruinâ, ſed confeſſionem in gemitu co- Gen. 8
lumbino. Miſſa columba reuerſa eſt. Quamdiu 7.
cras, cras? obſerua vltimum cras, quia ignoras quod ſit vltimum cras. Sufficiat, quia vixiſti vſque ad hodiernum peccator. Audiſti, ſæpè ſoles audire. Audiſti & hodie? quàm quotidie audis, tam quotidie non corrigeris. Tu enim ſe-
cundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens Rom.2.
theſaurizas tibi iram in die iræ, &c. Non ſic tibi 5.
videatur Deus miſericors, vt non videatur & iu-
ſtus. Miſericors & miſerator Dominus. Audio, Pſ.102. 8.

Digitized by Google

& gaudeo. Ita dicis: audi, & gaude. Adhuc addidit, longanimis & multùm miſericors. Et in extremo, & verax. Gaudes ad verba ſuperiora, ad vltimum treme. Sic miſericors & longanimis eſt, vt ſit & verax. Cùm tibi theſaurizaueris iram in die iræ, nonne experieris iuſtum, quem contempſiſti benignum?» Rurſum in theſauro, latentem intelligit diſpoſitionem iudicii diuini, iuxta reprobos. «Theſauros, inquit, hîc appellat occultas diſpoſitiones Dei, qui diſponit reddere vnicuique ſecundùm opera eius, &c. Apud quem enim ſibi theſaurizat iram cor impœnitens, niſi apud eum qui viuos eſt iudicaturus, & mortuos? dicit Apoſtolus exponens conſilium patientiæ Dei. Exiſtimas, inquit, qui talia agis, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias benignitatis, &c. Ille ergo auget longanimitatem, & tu auges iniquitatem. (Sicut hi de quibus Pſaltes, pro Chriſto dixit de crucifigentibus rurſum Chriſtum: Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.) Erit illius theſaurus in ſempiternâ miſericordiâ, ſed in eos qui non contempſerunt miſericordiam: tuus autem theſaurus in irâ inuenitur. Et quod ponis quotidie per modicum, poſtea maſſam inuenturus es. Minutatim imponis, ſed cumulum inuenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana; de minutiſſimis guttis implentur flumina.»

Aug. cont. Aduerſ. legis & Proph. lib. 1. cap. 17.

Pſ. 128. 3.

Secunda Reflexio. Qui theſaurum iræ, quem ſibi hactemus peccata multiplicando cumulauit, exhaurire voluerit, theſaurum miſericordiæ dei toties expertus, imitetur, in pauperes

peres

peres miſericordiam effundens. « Quidquid enim homo facit modo, in theſaurum mittit. In theſaurum cœleſtem boni quod colligunt, ſciunt. Mali quod colligunt, neſciunt. Bonus enim ponit in theſauro cœleſti omnia opera miſericordiæ quæ fecit circa homines quibus ſubuenit. Et ſcit quia fidelis eſt cuſtos qui illi ſeruat omnia quæ reponit. Et non ea videt, ſed de theſauro ſuo certus eſt, quia neque aliquid à fure ſurripitur, neque ab hoſte inuaditur, neque ab inimico & improbo & potenti, quaſi è victo tollitur, ſed ſemper manebit, quia à Domino potentiſſimo cuſtoditur. Si enim homines pecunias fideli ſeruo commendant, & ſecuri ſunt; miſericordias ſuas commendant potenti Domino, & ſolliciti ſunt? Mali verò, & ipſi mittunt in theſaurum. Omnia mala opera ſua ſeruat illis Deus. Hoc eſt quod dixit Apoſtolus: theſaurizas tibi iram in die iræ iuſti iudicij Dei. Sed quoniam ſeruatur quidquid mali faciunt, neſciunt. Vbi venerit Deus noſter manifeſtus, & non ſilebit, conuocabit ad ſe omnes gentes, ſicut dicit Euangelium: & ſeparabit, quoſdam ponens ad dexteram, quoſdam ad ſiniſtram: & incipit iam tractare theſauros vtrorumque, quod quiſque poſuit, vt inueniat, &c. » Fœlix qui theſauros benignitatis & miſericordiæ per Crucem in ſe toties effuſos, Chriſto in pauperibus, quaſi in theſauro ſuo abſcondito latenti refuderit, vt in die iræ non vindictam ſentiat, ſed veniam conſequatur, & gloriam.

D. Aug. in verba Pſal. Deus manifeſtus veniet ſer. 220. de tẽp.

Pſ. 49. 3.

Matth. 25. 33.

Tertia Reflexio. Cùm ſupra iuxta Paulum Doctor Angelicus ex aliquâ verſione D. Th.

Digitized by Google

lect. 3. in Coloſſ. 2. dixerit « Chriſtum Principatus & poteſtates exemplaſſe & triumphaſſe confidenter, id eſt, exemplum dediſſe nobis in Cruce, quomodo triumphos de ipſis reportare valeamus » Crucem ſcilicet nos ſingulos ſuam baiulare docuit, Tertul. de orat. cap. 11. vt non ſolùm « orando expanſis manibus Dominicam Paſſionem modulemur » ſed & opere Gal. 5. 24. « carnem noſtram crucifigentes cum vitiis & concupiſcentiis» nos verè Chriſtianos & Cruciferos eſſe probemus; itaut tribulationem & dolorem inuenientes in agro, ſiue corporis, ſiue animi, tanquam de inuento theſauro pretioſiſſimo gaudeamus, quo & Chriſti gratiam, & diuinam gloriam meritiſſimè comparemus. Nec Cant. 4. 6. enim ſatis eſt Chriſtiano, cum ſponsâ ad collem thuris oraturo pergere: niſi & in montem myr- Tertul. cont. Iud. cap. 10. rhæ cum Chriſto crucifigendus aſcendat. « Vt quid enim Moyſes tunc tantùm cùm Ieſus aduersùs Amalech præliabatur, expanſis manibus Exod. 17. 11. orabat reſidens; quando in rebus tam attonitis, magis vtique genibus poſitis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi volutatâ, orationem commendare debuiſſet? Niſi quia illic, vbi nomen Ieſu dimicabat, dimicaturi quandoque aduersùs diabolum, Crucis habitus quoque erat neceſſarius, per quam Ieſus victoriam eſſet relaturus. » Quid ergo mirum, ſi Conſtantino Crucis ſignum in cœlo micans certum victoriæ portendit auſpicium, quo & ſibi Ioannes tertius Rex Luſitaniæ & Indiarum Orientalium, cer- Typotius in Hierogr. Reg. Luſit. tam ſibi victoriam promiſit ex Symbolo, quo Crucem in nummo ſignauit erectam, cum hac Epigraphe: « in hoc ſigno vinces? » Et tu Chriſtiane, quos diaboli, carnis, mundi, ſub vexillo Crucis timebis inſultus? quas de viſibilibus, &

inuiſibilibus inimicis non referes palmas? quas de fugatis & proſtratis hoſtibus coronas, Crucifixi Domini virtute non obtinebis?

QVARTA REFLEXIO. Diſcamus à veteri traditione Eccleſiæ, & primæui temporis fidelium praxi, quodlibet aggreſſuri, nos contra aduerſarios omnes, vbique nobis inſidiantes, ſigno Crucis, vt munitiſſimo armamento tueri. « Ad omnem (inquit Tertullianus) progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum, ad calciatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina (cùm candela accenditur, vel primum diluculum illuceſcit,) ad cubilia, ad ſedilia quæcumque nos conuerſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus. » Quid ita? niſi quia hoc vnicum eſt ſignum Chriſtiani; hæc fidelis teſſera militaris, quâ & fortiter aduerſarios aggredi, & quæcumque aduerſa pro Chriſto Imperarore noſtro pati, nos paratos eſſe profitemur, non erubeſcentes Chriſtum Dominum confiteri. Ad Crucem pro Chriſto ferendam nos iam olim, eius, & ſanctorũ exemplo hortatus eſt Propheta: « Videte quomodo perit iuſtus, neque quiſquam excipit corde, & viri iuſti auferuntur, nec quiſquam animaduertit. A perſonâ enim iniuſtitiæ ſublatus eſt iuſtus. Quis niſi Chriſtus? venite, inquiunt, auferamus iuſtum, quia inutilis eſt nobis. Præmittens itaque & ſubiungens proinde paſſum etiam Chriſtum, æquè iuſtos eius eadem paſſuros, tam Apoſtolos, quàm & deinceps omnes fideles prophetauit, ſignatos illâ notâ ſcilicet, de quâ Ezechiel: dicit Dominus ad me, pertranſi medio portæ, in mediâ Ieruſalem, & da ſignum Tau in frontibus virorum. Ipſa eſt enim litera Tau Græcorum, noſtra autem T ſpe-

Tertul. de corona cap. 3.

Ezech. 9. 4. Tertul. lib. 3. cont. Marc. cap. 22.

Digitized by Google

cies Crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris apud veram, & Catholicam Ieruſalem. » Id eſt Eccleſiam vniuerſalem; quia nullo excepto, electi omnes, « omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. » Et quia vera per Crucem libertas, nobis de ſeruitute ereptis, captiuato per Crucem tyranno, per Chriſtum data eſt, liberâ fronte, libertatis noſtræ, & Regiæ ſeruitutis præferendum eſt ſignũ. Primus enim parens « ſerpentis aſtutiâ deprauatus, ſponte diuinæ legis præuaricator effectus eſt, & ideo ſecundùm quod & prædictum fuerat, iuſto iudicio Dei, mortis pœnâ damnatur, totuſque, id eſt, ſecundùm corpus, & ſecundùm animam, in deterius commutatus, amiſsâ libertate propriâ, (per lignum vetitum) ſub peccati ſeruitio mancipatur. Ex hoc nullus eſt hominum, qui non huius peccati vinculo naſcatur aſtrictus, præter eum, qui ad hoc vinculum peccati ſoluendum, nouo generationis modo natus eſt, mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Quid enim aliud potuit, aut poteſt naſci ex ſeruo, niſi ſeruus? Neque enim cùm liber eſſet Adam, filios procreauit, ſed poſtquàm ſeruus peccati factus eſt. Ideo ſicut omnis ab illo eſt; ita & omnis homo ſeruus peccati, per ipſum eſt. Hinc & Apoſtolus, ex vno, inquit, in omnes homines in condemnationem, &c. Ab hac igitur damnatione, & morte, nullus omnino liberatur, niſi gratiâ Redemptoris; (niſi merito Crucifixi.) Qui cùm eſſet Dominus, vtpote Deus, vt nos à ſeruitute perpetuâ, & poteſtate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem educeret, factus eſt ſeruus, accipiens formam ſerui. (Et ſerui flagellati, & Crucifixi.) Hinc

2. Tim. 3. 12.

Fulg. lib. de Incar. & gratia Chriſt. cap. 6.

Rom. 5. 18.

Io. 8. 36.

Digitized by Google

eſt quod dicit ad Iudæos: tunc verè liberi eritis, ſi vos filius liberauerit, &c. Sine hac igitur gratiâ, poteſt quidem homo cogitare, & deſiderare humana; non autem poteſt cogitare, aut velle, aut deſiderare diuina. Quorum primum eſt, & præcipuum fundamentum, & crepido quodammodo, ſiue omnium bonorum origo, credere in Dominum gloriæ crucifixum. Quod vtique non eſt ex naturalis arbitrij libertate, quia non hoc caro & ſanguis, ſed Pater cœleſtis reuelat, cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem, non violentâ neceſſitate, ſed infundendo ſuauitatem per Spiritum ſanctum, vt mox credentes dicamus: quia Dominus, eſt Ieſus; quod nemo per naturalem libertatem arbitrij poteſt dicere, niſi in Spiritu ſancto. » O Spiritus vbi es, ibi libertas eſt: quâ verè liberi per Crucem facti, confitemur Ieſum Dominum gloriæ Crucifixum noſtræ vindicem libertatis. O theſaurum Redemptionis abſconditum! Confiteor tibi Domine Rex cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Inueni quem diligit anima mea, ſcio Ieſum, & hunc Crucifixum, tenui eum, nec dimittam; ſequar quocumque ierit, feram Crucem meam, vt per eam theſaurum hîc gratiæ, & in cœlo gloriæ accipiam. Amen.

Matth. 16. 17.

1. Cor. 12. 3.

2. Cor. 3. 17.

Matth. 11. 25.

Cant. 3. 4.

1. Cor. 2. 2.

Digitized by Google

IN FESTO ASCENSIONIS.

Aſcendit ſuper Cœlum Cœli ad Orientem.
Pſalm. 67. 33.

CVm Pſalte Marcus de Aſcenſionis Dominicâ pulchrè concordat, cùm Chriſti Maieſtatem exaltatam ſuper omnia, titulo Dominatus honorat: « Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. » Pſaltes autem, Angelos compellans: « iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. » In quem locum Auguſtinus: « Aſcendit, inquit, ſuper occaſum, cùm reſurgendo, vicit corporis caſum. Dominus enim nomen eſt ei (cui data eſt hodie omnis poteſtas in cœlo & in terrâ) quod illi ſi cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. » Sed quid Orienti cum occaſu? Quomodo Pſaltes ipſe ſibi ipſi conſonat? vt in eodem Pſalmo dicat; « Accendit ſuper occaſum, & aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem? » Difficultatem ſoluet Carolj quinti nũmus. In quo, ſol in zodiaco ſculptus cernitur, cum Symbolo: « nondum in auge. » Id eſt apogeo, & maximo à terrâ receſſu, qui eſt circa gradum Cancri. Se forſitan Imperator hic, nondum omnia detexiſſe, quæ ſibi ſubiiceret, innuebat. Sed de Chriſto Sole iuſtitiæ dicam; dum à Prophetâ ſcribitur, ſuper occaſum aſcendiſſe, nondum omnia quæ

Marci. 16. 19.

Pſ. 67. 4.

D. Aug. Ibid.

1. Cor. 2. 8.

Typotius in Hierograph. Imper.

Digitized by

ſuis pedibus ſubiicere debebat, adhuc tranſcen- Aug.
diſſe, donec, « aſcendens in altum captiuam ca- Ibid.
ptiuitatem abduceret: vtrum quia vicit mortem, quæ captiuos tenebat, in quibus regnabat? An ipſos homines appellauit captiuitatem, qui captiui ſub diabolo tenebantur? &c. Captiuitas fœ- Rom.
lix, &c. quia ſubiugati, ſub leue illud iugum 6.18.
miſſi; liberati à peccato, cuius ſerui erant, & iuſtitiæ ſerui facti, cuius liberi erant. » Sed in apogeum ſummum euectus eſt, cùm « aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem. In his verbis il- Aug.
le non intelligit Chriſtum, qui eius Reſurrectio- Ibid.
nem, Aſcenſionemque non credit. » Salomon autem Patri ſuo Dauidi reſpondens, ſub vno verſiculo, & ſolis ſymbolo, ortum, occaſum, Reſurrectionem, & Aſcenſionem Domini manifeſtè concluſit: « oritur, inquit, ſol, & occi- Eccl. 1.
dit, & ad locum ſuum reuertitur. » Vel vt legit 5.
Sanctes Pagninus ex Hebræo: « & ad locũ ſuum tranſit vbi oritur. » Vbi natum, mortuum, ſuſcitatum, aſſumptum in cœlum, ſub nomine ſolis breuiter expreſſit. Quaſi diceret: ille ſol, cuius egreſſiones à diebus æternitatis, qui vt Deus de Deo oritur, nec occidit, qui in terrâ natus ſol cognouit & approbauit occaſum ſuum, ſurrexit de tenebris mortis, & ad Patrem ſuum verum Orientem aſcendit. « Exiui, inquit, à Patre & Io. 16.
veni in mundum, iterum relinquo mundum, & 28.
vado ad Patrem. » O Virgo fons ſolis quẽ retrogradum in horologio Achaz & Cancro vidiſti infra Angelos minoratum, virorum nouiſſimum, à gloriâ in opprobrium hominum, à vitâ in mortem, in mari rubro ſanguinis occumbentem, vidiſti victorem occaſus, ſuper mortem ad Patrem Orientem ſuum aſcendentem plaudenti-

Digitized by Google

bus Angelis quem Archangelo ſalutante concepiſti & dicente: Aue.

EXORDIVM.

Summum ac primum rerum omnium conditorum principium, & finis vltimus Deus, id cunctis creaturis indidit, vt naturâ duce ſuum principium & finem quærant: & qui « ſemper agens & quietus » indefeſsè laborat, & ſemper negotioſè quieſcit, hoc eis operoſæ ſuæ quietis veſtigium impreſſit, vt motu continuo centrum petant, & ad ſuos terminos & fines ſingula dirigantur. Vix lapis terminum motus violenter impacti attigit, cùm ſtatim ſuâ mole & pondere, præcipiti motu in terram proruit. Et cùm primùm ignis accenditur ſurſum proſilit: & acus magnete perfricata vt ſuſpenditur, irrequietâ motatione vertiginat, donec polo obuerſa velut infixa hæreat, vt riuulus ebullit è fonte, deor-
Eccl. 1. 6. ſum defluit, & iuxta Salomonem: « Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Omnia flumina intrant in mare; & mare non redundat: vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. » Sic & ipſe Raphael velut Orator & nuntius Apoſtolicus aut Regius, conſummatâ legatione ad Pontificem
Tob. 12. 20. Regem ve regreditur. « Tempus eſt, inquit, vt reuertar ad eum qui me miſit, vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. Et cùm hoc dixiſſet, ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltra eum videre non potuerunt. » Sic Chriſtus verè medicina Dei, & cæcorum lumen.
Ibid. 19. Diſſimilis quidem Raphaeli dicenti, videbar quidem vobiſcum manducare & bibere, ſed ego

cibo inuiſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, vtor: in multis argumentis per dies quadraginta apparens Apoſtolis,& loquens de Regno Dei, conueſcens præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, &c. Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.» Et perfectâ legatione ſuâ, qui miſſus exierat à Patre, hodie reuerſus eſt ad Patrem; & fluuius Diorix ad fontem, & lapis angularis ad Sion. Et qui à ſummo cœlo egreſſus fuerat, ad ſummum cœlum eſt regreſſus. Vt prophetias impleret: « A ſummo cœlo egreſſio eius,& occurſus eius vſque ad ſummum eius. Aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem. Oriens enim nomen illi.» De admirabili Aſcenſionis myſterio primò dicemus, ſecundò reflexiones congruas proponemus.

Act. 1. 3.

Pſ. 18. 6.

Pſ. 67. 33.

Zach. 6. 12.

DIVISIO

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Qui primo parenti plenitudinem infudit ſcientiæ, vt congrua ſingulis rebus nomina imponeret, ſapientiæ ſpiritum communi noſtræ matri dedit Eccleſiæ, vt omnibus ſalutis humanæ myſteriis conſona tribueret elogia. Et quidem meritò præteritis diebus, & Rogationum feriis, Chriſtum Dominum ac ſponſum ſuum, « per admirabilem Aſcenſionem ſuam» vt filios ſuos ab omni lapſu, & ruinâ peccati tueretur, quem propriâ virtute ad cœlos aſcendiſſe fide firmiſſimâ fatebatur orauit. Stupendum quippe præ cunctis, ſi attentè conſideremus, eſt Aſcenſionis myſterium, totius non ſolùm Apoſtolicæ, ſed etiam Angelicæ admirationis obiectum. Cùm voce Dauidicâ ſtupentes inquirant Angeli:

Digitized by Google

Aug. in Pſ.23. « quis eſt iſte Rex gloriæ? pauet admirans natura mortalis, & quærit, quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, quem tu infirmum, & oppreſſum putaſti. Dominus potens in bello. Contrecta cicatrices, & ſenties reparatas, & immortalitati redditam infirmitatem humanam. Perſoluta eſt quæ debebatur terris, vbi cum morte belligerata eſt claritas Domini. Tollite portas principes veſtras. Hinc iam pergatur in cœlum. Exclamet iterum prophetica tuba, &c. & introibit Rex gloriæ, vt ad dexteram Patris interpellet pro nobis. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Quid & tu Princeps poteſtatis aëris huius miraris, & quæris, quis eſt iſte Rex gloriæ? Iam viuificato corpore ſupra te pergit, ille tentatus, ſupra omnes Angelos tendit, ab angelo præuaricatore ille tentatus. » Neque verò ſolis angelis malis, ſed & beatis ſpiritibus ſuper omnes eorum choros aſcendens, eſt ſtupori. Sic
Eſ. 63. 1. enim inducit eos Eſaïas: « Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra. » Vtriuſque in rem noſtram teſtimonium protulit Da-
Dam. ſer. de Aſsũpt. Virg. mianus. « In ſpiritu, inquit, fortitudinis Saluator ad inferos deſcendens, contriuit portas
Pſ 106. 16. æreas, & vectes ferreos confregit, & gehennalis ollæ diſſipatis fragminibus, totum illud infœlix habitaculum ruinosâ concuſſione ſuccuſſit, conclamantibus Angelis: attollite portas, principes veſtras. Illi qui ſuperbiæ lapſu irremediabili corruerunt, ignoratione dedignatiuâ
Pſ.23. 8. retorquent: quis eſt iſte Rex gloriæ? hic eſt ille inſipiens, qui dixit in corde ſuo, non eſt Deus;
Exod. 5.2. &, neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. Angeli pacis confidenter ingeminant, Dominus fortis, &c. Fortis, ad veſtram fortitudinem infir-

mandam; potens, ad veſtram potentiam vacuandam; in prælio; illo vtique ſingulari, quo poteſtates aëreas ſingulariter debellauit; reſurgens ab inferis, & ſolemnis victoriæ vexilla reportans, hominem vnitum ſibi, quem numquam dimiſit, reſuſcitauit, & triumphatrici palmâ cœlis inuectus, Patri ouem centeſimam, quam perdiderat, repræſentans, audit ab Angelis, quis eſt iſte Rex gloriæ? &c. Clariſſimâ autem Aſcenſionis die, quando videntibus Diſcipulis eſt eleuatus in Cœlum; ſummum illud reuerendumque Collegium venit obuiam Redemptori, & omnis illa, tam aſſiſtentium, quàm miniſtrantium Angelorum authoritas cõcurrit ad Filium, & aſcendentem demirans, ait, quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Videntes enim eum ſanguinei ruboris vndâ perfuſum, mirantur eius patientiam, & ſæuitiam Iudæorum, qui non ſunt veriti Filium Dei Crucis ignominiâ condemnare. » Ad hæc, Diſcipulis hærentibus obtutu defixo, & mirantibus præ gaudio: « Cùm intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri (Angeli) aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? » Ex quibus patet, & Angelis, & hominibus, Aſcenſionem Domini fuiſſe mirabilem. Act. 1. 10.

Sed & in eo maximè mirabile ſentio Aſcenſionis myſterium, quòd ab ipſo Domino, cum ipſo fidei myſterio, & mirabilium ſuorum memoriali non confertur modò, ſed & eius arbitrio, præfertur. Scandalizatis enim, & quærentibus præ ſtupore: « quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Sciens Ieſus apud ſemetipſum quia murmurarent de Io. 6. 53. & 62.

hoc Diſcipuli eius, dixit eis: hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat priùs? » Quo loco D. Auguſti-
Aug. Ibid. nus: « Quid eſt hoc, inquit, hinc ſoluit illud quod ipſos mouerat, hinc aperuit vnde fuerant ſcandalizati: hinc planè, ſi intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus ſuum: (id eſt in partes diſtributurum.) Ille autem dixit ſe aſcenſurum in Cœlum, vtique integrum. Cùm videritis filium hominis aſcendentem vbi erat priùs, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, erogat corpus ſuum: certè vel tunc intelligetis, quia gratia eius non conſumitur morſibus.» Putatis ſcindendum in partes; & integrum aſcendere videbitis. Corpus magnum in minimo contineri, & ſe inuicem penetrare miramini: & corpus filij hominis cœlorum intima penetrabit. Hîc ſtupetis fieri in quantitate miraculum, illic videbitis in pondere & mole terreni corporis ſurſum aſcendentis admirabile portentum: quo ſtupefactus Augu-
Aug. ſer.178. de tép. ſtinus: « Aſcenſionis, inquit, Dominicæ inclytum & regale myſterium, quòd Chriſtus terram leuauit ad cœlum. Canit etiam totus mundus, & feſtis agit gaudiis triumphos Domini ſui, quia
Pſ. 112. 7. erexit à terrâ inopem, & de ſtercore exaltauit pauperem, eumque leuauit ad Patrem. Quis igitur illuc poteſt aſcendere, & aëreos dæmones tranſire, niſi ille ſolus qui peccatum non potuit habere, &c. Non ſepulcra, non inferi, victricem domuere carnem, expendit Deus pro homine quod decreuerat, & rapuit quem volebat, &c. Vident Regem carnis manubias reportare, atque hoſte debellato hominem in ſuperna conſcendere. Agnoſcunt in cicatricibus ſigna bellorum,
Digitized by Google

adorant in carne vulnera iam ſanata, vbi nihil peccati macula extinxerat, nec quidpiam ſuâ virulentiâ grauidus ille veneni draco vomuerat: ſerpens enim veſtigium in petrâ non figebat.» Prou. 30.19.
Quòd ſi iuxta Scholaſticos ſanctum Euchariſtię myſterium, finis eſt omnium Sacramentorum; ſecundùm Bernardum, Aſcenſionis myſterium. D. Ber. ſer.2. de Aſcenſ.
« Conſummatio & adimpletio eſt reliquarum ſolemnitatum, & fœlix clauſula itinerarij Filij Dei.» Vt aureus annuli circulus pretioſo adamante, vel carbunculo; pallium gloriæ fibulâ aureâ, vel gemmeâ concinnè clauditur. Ad hoc enim Verbum caro factum, vt habitans in nobis, animam ſanctificaret & carnem. Ad hoc carnem mortalem vt in eâ moreretur, accepit; ad hoc mortuus, vt morte triumphatâ reſurgeret; reſurgens, ſuper Cœlum Cœli, ad Orientem mirabiliter aſcenderet.

Et quidem ſi « bonum ex integrâ causâ » mirabile ex omni parte & perfectum eſt Aſcenſionis myſterium. Quis enim aſcendit, quomodò, quò, quando, vnde, quâ horâ, quâ causâ, ſingulari nobis attentione mirabiliter eſt penſandum. Quoad primum; ipſe Chriſtus quis eſſet aſcenſurus in cœlum Nicodemo dixit. « Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.» Obſtupeſcit hoc audiens D. Auguſtinus: « In terrâ, inquit, loquebatur, & in cœlo ſe eſſe dicebat, &c. Chriſtus vnus eſt, Verbum, Anima & caro: Vnus Chriſtus Filius Dei, & filius hominis: vnus Chriſtus, Filius Dei ſemper: filius hominis ex tempore: tamen vnus Chriſtus ſecundùm vnitatem perſonæ, in cœlo erat, quando in terrâ loquebatur. Sic erat filius hominis in Cœlo, quemadmodum Aug. tract. 27. in Io. 6.

Digitized by Google

Filius Dei erat in terrâ. Filius Dei in terrâ, in ſuſceptâ carne: filius hominis in Cœlo, in vnitate perſonæ.» Iam alibi præmiſerat de Colloquio Chriſti cum Nicodemo.« Ecce, inquit, hîc erat, & in Cœlo erat. Hîc erat in carne, & in cœlo erat diuinitate. Natus de matre, non recedens à Patre. Duæ natiuitates Chriſti intelliguntur, vna diuina, altera humana: vna per quam efficeremur, altera per quam reficeremur. Ambæ mirabiles. Illa ſine matre, iſta ſine patre.» Ita & Paulus ad Epheſios ſcribens. « Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit.» Quod ſic expendit Hilarius: « Numquid, inquit, ambigitur, quia Ieſus Chriſtus homo ex mortuis reſurgens, ſuper omnes Cœlos aſcendens, à dextris ſit? Numquid deſcendiſſe ad inferos corpus quod in ſepulcro iacuit, dicetur? ſi itaque qui deſcendit, ipſe & aſcendit, vt neque corpus ad inferos deſcendiſſe credatur. & reſurgens ex mortuis corpus aſcendiſſe in Cœlos non ambigatur: quæ hîc, præter occulti Sacramenti & incogniti mundo ac principibus ſæculi, fides relicta eſt, vt cùm idem atque vnus ſit deſcendens, vnus quoque nobis Ieſus Chriſtus ſit, & Dei Filius, & hominis filius, & Verbum Deus, & homo caro, & paſſus, & mortuus, & ſepultus, & reſurgens, & ad Cœlos receptus, & ſedens ad dexteram Dei: habens in ſe vno eodemque, per diſpenſationem, atque naturam, in Dei formâ, & in formâ ſeruij, ſine aliquâ ſui & partitione quod homo eſt, & diuiſione quod Deus eſt.» Breuiùs hæc attigit Chryſologus: « Aſcendit ad Cœlos per me, qui per ſe numquam defuit cœlo.» Supra dixerat: « hominē ferens illò vbi ſemper māſit.» Et rurſum: «non vt petēs, ſed vt repetens cœlos,

Aug. tract. 12. in Io.3.

Epheſ.

Hilar. lib. 10. de Trinit. circa f.

Diuus Chryſol. ſer. 62. & ſer. 61. ſer. 59.

Nemo aſcendit in cœlũ,inquit,niſi qui deſcẽdit de cœlo.» Neq;verò poterat vt Deus aſcendere, ſicut nec vt Deus potuit deſcendere: « Cœlum enim, inquit, & terram ego impleo.» Stat enim immobilis vbique præſens Diuina Majeſtas, & Verbi immenſitas, « attingens à fine vſque ad finem fortiter.» Et quia iuxta Philoſophum, « quod optimum eſt, poſſidet ſuum bonum ſine motu;» quem indidit Deus creaturis, vt paulatim ſuæ terminum perfectionis acquirant. Sed propter identitatem perſonæ, & communicationem Idiomatum, « qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit.»

Ier.23.24.

Sap.8.1.

Epheſ.4.9.

Sed quò aſcendit? Super Cœlos Cœlorum, ad Orientem. « Deſcendit quò inferiùs non decuit, aſcendit, quò altiùs non potuit. Chriſtus enim cùm per naturã diuinitatis non haberet quò creſceret, vel aſcenderet; quia vltra Deum nihil eſt; per deſcenſum, quomodo creſceret, inuenit; veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltauit illum; quia reſurrexit aſcendit, ſedet ad dexteram Dei.» Sed rogo: « quid eſt magis tremendum, quòd ſe dedit terris Deus, aut quòd dat vos cœlo? quòd ſocietatem carnis intrat ipſe, aut quòd vos facit conſortium diuinitatis intrare? Quòd mortem ſumit ipſe, aut quòd vos reſumit ex morte? Quòd ipſe in veſtram naſcitur ſeruitutem, aut quòd vos ſibi gignit in liberos? quòd ſuſcipit paupertatem veſtram, aut quòd vos ſibi facit hæredes, ſui vnici cohæredes? Eſt vtique terribilius, quòd terra transfertur in Cœlum; homo Deitate mutatur, ſeruitutis ſors, dominationis iura ſortitur.» Quid plura? « Recepit ſe intra velamina cum carne Maieſtas: didicit cœ-

Ber.ſer. de 2. Aſcenſ.

Chryſol. ſer. 67.

Aug ſer m 5. de Aſcenſ.

Digitized by Google

lum portare hominem, atque ſub pedibus Chri-
Pſ. 8. 6. ſti famulantia æthera iacuerunt, &c.» Parum
Pſ. 17. 11. eſſet, cœlos omnes, & aſtra ſub pedibus terere,
Aug. nisi « minutus ab Angelis, gloriâ & honore co-
Ibid. ronatus, ſuper Cherubim & Seraphim aſcende-
ret.» « Aſcendebat cruoris rubore perfuſus, à
trophæis victricibus laureatus. Viderunt cœlites
cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum, ſpolia
caſtris tyrannicis deportata, & admirantes ful-
gentia diuinæ virtutis vexilla, talibus concre-
Eſa. 53. 2. pant hymnis, educuntque lætantes: quis eſt, in-
quiunt, iſte Rex gloriæ? & aiunt; Dominus vir-
tutum ipſe eſt Rex gloriæ. Hic eſt ille candidus
& roſeus, compunctus à multitudine: hic eſt ille
qui non habuit ſpeciem neque decorem, infir-
mus in laqueo, fortis in ſpolio, vilis in cor-
puſculo, armatus in prælio, fœdus in morte,
pulcher in reſurrectione, candidus ex Virgine,
rubicundus in Cruce, fuſcus in opprobrio, clarus
Cypr. de Aſcenſ. Chriſt. in cœlo.» Qui nouiſſimus factus eſt hominum,
ab omnibus cœlitibus ſub ſe curuatis, agnitus eſt
Dominus dominantium: « Thronis & Domina-
tionibus parantibus Filio iuxta Patrem conſeſ-
ſum; Cherubim & Seraphim pedes pacificos
ambientibus, radiantibus vndique diuinis clari-
tatibus, & ſplendoribus ſupercœleſtibus, quos
nec ardor perſeuerans conſumit, nec turbinis
alicuius afflatus extinguit, nec interpolatio ca-
liginis alicuius abſcondit. Celebrat tanti trium-
phi magnificentiam lætabundus exercitus; & qui
deſcendenti corã paſtoribus Bethlehemiticis de-
Pſ. 8. 6. cantauerunt in ſublimi præconia, modò expreſ-
Philip. 2. 10. ſioribus conatibus, & intentioribus iubilis, re-
uertenti ad Patrem ſolemniora obſequia im-
pendebant, & feſtiuis affectibus venerabantur
hominem

Digitized by Google

hominem ſupra ſe ſublimatum, quem gloriâ & honore coronauerat Pater ad dexteram ſuam collocatum: Hoc dato ei priuilegio ſingulari, vt in nomine eius omne genu flecteretur, & ſuper omne nomen, eius nomen excellentiùs coleretur, &c. Inuiſibilem Deum, viſibilem Filium recepiſſe ad dexteram ſuam manifeſtum eſt: & humilitatem carnis noſtræ throno iudiciario honoratam paternæ complacuiſſe Altitudini.» Chriſtus itaque: «hic virtus Dei, hic ratio, hic ſapientia eius, hic gloria: hic Virginem illabitur, carnem Spiritu ſancto cooperante induitur, Deus cum homine miſcetur, hic Deus noſter, hic Chriſtus eſt, qui mediator duorum, hominem induit quem perducat ad Patrem. Quod homo eſt, eſſe Chriſtus voluit, vt & homo poſſit eſſe quod Chriſtus eſt, &c. In cœlum circumfusâ nube ſublatus eſt, vt hominem quem dilexit, quem induit, quem à morte protexit, ad Patrem victor imponeret, iam venturus è cœlo ad pœnam diaboli, & ad cenſuram generis humani, vltoris vigore, & iudicis poteſtate.» Cypr. de Idolorum vanit.

Et quoniam Paulus ideo aſcendiſſe dicit, «vt impleret omnia» quænam illa ſint, videamus. Et quidem primò prophetias impleuit, dum iuxta Pſaltem, ſuper Cœlum Cœli ad Orientem aſcendit. Mundum Spiritu, qui repleuit orbem terrarum. Dehinc «cùm ſe Dominum vniuerſorum, quæ ſunt in terrâ, & in mari, & in inferno probaſſet; non reſtabat, niſi vt aëris, & Cœlorum ſe eſſe Dominum argumentis ſimilibus, vel certè potioribus approbaret. Terra enim cognouit Dominum, quia ad vocem virtutis eius, cùm clamaſſet magnâ voce, Lazare veni foras, mortuum reddidit. Cognouit mare, quia ſolidum ſe Epheſ. 4. 10. Ber. ſer. 2. de Aſcenſ. Io. 11. 43.

præbuit ſub pedibus eius, itavt Apoſtoli putarent phantaſma eſſe. Cognouit infernus cuius ipſe portas æreas, & vectes ferreos confregit, vbi & ligauit illum inſatiabilem homicidam qui vocatur diabolus & ſatanas. Profectò qui mortuos ſuſcitauit, leproſos mundauit, cæcos illuminauit, claudos firmauit, & omnes exſufflauit infirmitates, Dominus omnium fuit, & eâdem manu quâ fecerat, quæ defecerant, reficiebat.
Matth. 17. 26. Sic & qui in ore piſcis cum ipſo piſce ſtaterem inueniri prædixit, patet proculdubiò quia maris, & omnium quæ in mari mouentur, Dominus
Coloſſ. 2. 15. fuit. Qui verò traduxit aëreas poteſtates, & affixit eas Cruci ſuæ, claret quia ſuper infernales officinas poteſtatem accepit, &c. Ad claudendam igitur tunicam tuam inconſutilem, Domine Ieſu, ad perficiendam fidei noſtræ integritatem, reſtat, vt videntibus Diſcipulis per medium aëris, ſis aëris Dominus, & aſcendas ſuper omnes
2. Machab. 14. 35. cœlos. Ex tunc probabitur, quia Dominus vniuerſorum tu es, quia omnia in omnibus adimpleſti.»

Si quæritis, quomodo conſcendit in cœlum? Non Pegaſo, non pennis Dædali, non talaribus Mercurij, non aquilâ rogi, non ſcalis mendacii,
Tertul. Apol. 21. & 4. cont. Marc. cap. 7. « circumfusâ nube in cœlum eſt ereptus, multò meliùs quàm apud vos aſſeuerare de Romulis, Proculi ſolent. Indignum denique vt Romulus quidem aſcenſus ſui in cœlum habuerit Proculum affirmatorem; Chriſtus verò Dei, deſcenſus de cœlo ſuo ſui non inuenerit annuntiatorem. Quaſi non ſic & ille aſcenderit iiſdem mendacij ſcalis, ſicut & iſte deſcendit.» Chriſtus ſcilicet Marcionis, nullo præcurſore vel Prophetâ prænuntio, ſubitus de cœlo deſcendens. Sed viden-

Digitized by Google

tibus Apoſtolis, comitantibus Angelis. Non vt Habacuc per capillum, Enoch vel Elias per Angelicum ferculum, ſed propriâ virtute, « aſcendit ſuper Cœlum Cœli ad Orientem. » Gregorius item notat: « quòd Elias legitur in curru igneo aſcendiſſe, vt videlicet apertè monſtraretur, quòd homo purus alieno indigebat auxilio. Redemptor autem noſter non in curru ab Angelis ſubleuatus legitur, quia qui fecerat omnia, ſuper omnia, virtute ſua ferebatur. » Vnde D. Thomas: « ad cuius, inquit, euidentiam eſt ſciendum, quòd in Chriſto duplex eſt natura, ſcilicet diuina, & humana. Vnde ſecundùm vtramque naturam, poteſt accipi propria virtus eius. Sed ſecundùm humanam naturam, vna quidem eſt naturalis, quæ procedit ex principiis naturæ, & tali virtute Chriſtus non aſcendit. Alia virtus in naturâ humanâ, eſt virtus gloriæ ſecundùm quam Chriſtus aſcendit, quæ quidem procedit ex parte animæ glorificatæ, ex cuius redundantiâ glorificabitur corpus, vt dicit Auguſtinus ad Dioſcorum. Erit tanta obedientia corporis glorioſi ad animam beatam, vt alibi dicit, vt vbi vult ſpiritus ibi erit corpus. Nec vult aliquid, quod nec ſpiritum poſſit dedecere, nec corpus. Decet autem corpus glorioſum & immortale eſſe in loco cœleſti: & ideo virtute animæ volentis, corpus Chriſti aſcendit in cœlum. Sicut autem corpus efficitur glorioſum ex redundantiâ animæ glorificatæ: ita, vt D. Auguſtinus dicit ſuper Ioannem, per participationem Dei, anima fit beata. Vnde prima origo Aſcenſionis in Cœlum, fuit virtus diuina. De tertio, ſcilicet loci eminentiâ, dicitur ad Epheſios: quòd aſcendit ſuper omnes cœlos,

Greg. hom. de Aſcenſ.

D. Th. opuſc. 60. cap. 23.

Aug. 21. de ciuit.

Epheſ. 4. 10.

Epheſ. 1. 21.

Digitized by Google

ex gloſsâ, loco, & dignitate. Et rurſum dicitur; quòd conſtituit eum ſuper omnem principatum, & poteſtatem,& ſuper omne nomen quod nominatur, ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro: quia tantò debetur alicui rei locus altior, quantò eſt nobilior. Corpus autem Chriſti, licet conſiderando conditionem naturæ corporeæ, ſit infrà ſpirituales ſubſtantias; conſiderando tamen vnionis dignitatem, quâ perſonaliter eſt Deo vnitum, excellit dignitatem omnium ſubſtantiarum ſpiritualium: & ideo ratione prædictæ congruentiæ, debetur ſibi locus altior, non ſolũ ſuper omnem creaturam corporalẽ verùm etiam ſpiritalem. Atque vt prophetiam Ieremiæ impleret: « quaſi leo aſcendet de ſuperbiâ Iordanis.

Ier. 49. 19.

(Hebr. de tumore, 70. de medio Iordanis,) ad pulchritudinem robuſtam. » Hoc eſt immarceſſibilem. Vt enim leo, ſicut ab Euſtratio antiquiſſimo Authore narratur, non ab aſtris, vt cætera animalia, ſed ab ipsâ naturâ vim ſuam depromit, ſic Chriſtus, vi ſuppoſiti, cum pompâ ſuperbè gradiens, qui priùs in terrâ iacebat humilis, iuſto iudicio, quòd Iordanis ſonat, aſcendit in Cœlum; qui iniquo iudicio exaltatus fuerat in patibulum. Et interrogantibus apud Eſaïam Angelis, « quis eſt iſte qui venit de Edom ? &c, »

Eſa. 63. 1.

Reſpondetur eis: « iſte formoſus in ſtolâ ſuâ, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. » Vel vt Pagninus, « feſtiuus in multitudine potentiæ ſuæ. » Vbi Damianus ſignanter aduertit: « non ſolùm in fortitudine, ſed etiam in multitudine fortitudinis: quia nulla fortitudo fortior fuit, quàm redimere ſeruum, & in diuinitatis dexterâ perpetuò collocare. » Et Bernardus penſitans Apoſtolorum dolorem, & infirmitatem, Chriſti fortitudinem in Cœlum aſcendere præualentis,

Dam. ſer. de Aſsũpt.

Ber. ſer. 2. de Aſcenſ.

Digitized by Google

inſequi non valentem: « quid, inquit, putatis, fratres, quantus dolor & timor irruperit Apoſtolica pectora, cùm eum viderent à ſe tolli, & attolli in aëra, non ſcalis adiutum, non ſubleuatum funibus; etſi angelico comitatum obſequio, non tamen fultum auxilio, ſed gradientem in multitudine fortitudinis ſuæ? Impletum eſt quod eis dixerat: quo ego vado, vos non poteſtis venire. Quocumque enim terrarum iiſſet, eum indiuiſibiliter ſequerentur: Mare, ſicut Petrus fecit aliquando, cum eo etiam ſubmergendi intrarent: ſed hàc ſequi non poterant: quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem. Dolor enim nimius erat, quia videbant illum propter quem omnia reliquerant à ſuis ſenſibus, & aſpectibus tolli: vt non poſſent, ablato à ſe ſponſo, filii ſponſi non lugere: timor, quia orphani relinquebantur in medio Iudæorum, nondum confirmati virtute ex alto. » Multitudinem fortitudinis prior aduerterat Cyprianus, cùm de hoc admirabili myſterio tractaret: « Eleuatis, inquit, manibus hæreditariam eis benedictionem relinquens, non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus Carpentis euectus eſt Chriſtus; ſed naturæ diuinæ, propriâ vſus virtute, carnem cœlo intulit, & corpus glorificatum Patris conſpectibus præſentauit. Non indiguit vectoribus Angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eũ in manibus; ſed præcedẽtes, & ſubſequentes applaudebant victori, & cõcinentes in iubilatione, modulabantur Canticũ nouũ, & implebat cœlos conſonantiæ illius harmonia » Succinctiùs D. Hilarius « non, inquit, eguit Chriſtus humanæ virtutis auxilio, vt ex illa bea-

Io. 8.

Sap. 9. 15.

Luc. 5. 35.

Cypr. de Aſcenſ. Chriſt.

Hilar. lib. 10. de Trinit. circa. f.

titudinis ſuæ ſede deſcendens, cuiuſquam è cœlo ope deduceretur in corpus. Non exterior poteſtas eum egit ad terras, &c. Libertas redeundi in cœlum, ex deſcendendi in terram libertate eſt. Ambigendi autem ſublata cunctatio eſt. Sapientia in fide eſt, ratio in virtute eſt, effectus in rebus eſt, cauſa in poteſtate eſt. » Alteram fortitudinis cauſam ſumo ex corporis eius nobiliſſimâ formâ, non aſſiſtente, ſicut cœlum mouet Angelus, aut quoduis aſſumptum corpus: alteram à qualitate glorioſi corporis propriâ, ſcilicet agilitate, quâ & beatorum corpora ſecundùm Paulum « rapientur obuiam Chriſto in aëra. » Et quidem ſi quò ſunt leuiora & nobiliora, ſublimiori debent loco reponi; ſi caput ſuper omnia membra collocari, debuit vtique Chriſti corpus excellentiſſimum omnium & cœlis omnibus incorruptione præcellens; debuit, inquam, ille « quem conſtituit Deus caput ſuper omnem Eccleſiam » & proinde etiam triumphantem, in multitudine fortitudinis ſuæ ſuper omnes Angelos exaltari. Accipite tandem Doctorem Angelicum, exaltationem humilitatis eius merito tribuentem. « Quia, inquit, ſecundùm Apoſtolum, exaltatio Chriſti præmium fuit humiliationis ipſius, conſequens fuit, vt duplici eius humiliationi duplex exaltatio reſponderet: humiliauerat namque ſe primò ſecundùm mortis paſſionem in carne paſſibili quam aſſumpſerat: ſecundò quantùm ad locum, corpore poſito in ſepulcro, & animâ ad inferos deſcendente. Primæ igitur humiliationi reſpondet exaltatio reſurrectionis, in quâ à morte ad vitam rediit immortalem: ſecundæ humiliationi reſpondet exaltatio aſcenſionis: vnde Apoſtolus

Epheſ. 1. 22.

D. Th. opuſc. 2. cap. 240.

Digitized by Google

dicit, qui aſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, &c. Conſiderandum eſt quòd ſolus Chriſtus propriâ virtute cœlos aſcendit. Locus enim ille debebatur ei, qui de cœlo deſcenderat, ratione ſuæ originis. (Secundus enim Adam de cœlo cœleſtis, &c.) Et ſicut aſcendere in cœlum conuenit Filio Dei ſecundùm humanam naturam; ita additur alterum, quod conuenit ei ſecundùm naturam diuinam, ſcilicet quòd ſedeat ad dextram Patris, &c. Quòd filius conſidet Patri , non in aliquo minoratus ſecundùm diuinam naturam, ſed omnino in eius æqualitate exiſtens. Poteſt tamen & hoc ipſum attribui ſecundùm humanam naturam; vt qui ſecundùm diuinam, in ipſo patre eſt, per eſſentiæ vnitatem, cum quo habet vnam ſedem regni, id eſt, poteſtatem eandem: quia ſolent Regibus aliqui aſſidere, quibus aliquid de regiâ poteſtate communicant; ille autem potiſſimus in regno eſſe videtur, quem Rex ad dexteram ſuam ponit, meritò Filius Dei etiam ſecundùm humanam naturam, dicitur ad dexteram Patris ſedere, quaſi ſuper omnem creaturam in dignitate cœleſtis regni exaltatus: vnde Apoſtolus: ad quem autem Angelorum dixit aliquando , ſede à dextris meis?» Alibi quoque de dexterâ iuxta Damaſcenum. « Dextram, inquit, Patris dicimus, gloriam & honorem diuinitatis, in quo Filius Dei extitit ante ſæcula, & Deus , & Patri conſubſtantialis. Sedere item ſecundùm Auguſtinum , idem eſt, quod habitare in dexterâ, & gloriâ Patris. Denique ipſam dextram intelligite ipſam poteſtatem, quam accepit ille homo à Deo ſuſceptus, vt veniat iudicaturus , qui priùs venerat iudicari. » Vndè Cyprianus: « Hoc, inquit , & duo Angeli

Epheſ. 4. 10.

Hebr. 1. 5.

D. Th. opuſc. 60. art. 23.

Cypr. de Aſcenſ.

Chriſto aſcendente teſtati ſunt: quia qui iudicatus abibat, iudex eſſet terribilis rediturus; & videret collecta in vnum generalitas hominum, quas foderat, manus, quod terebrauerat latus, faciem quam conſpuerat, & prolatâ in medium inflexibili ſententiâ, occurrentibus Saluatori electis, remaneant impii infinitis deputati tormentis.» O virorum nouiſſime, quantâ iuſtitiâ hodie aſcendis vt ſummus, & tantò magis exaltaris ſuper omnes choros Angelorum, quantò humiliatus es infra filios hominum?

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. «Quem (inquit Auguſtinus) honorem maiorem poterit accipere adoptatus, quàm quòd ibi ſit, vbi eſt vnigenitus?» Et Cyprianus: «Hæc merces obedientiæ Chriſti, hæc Crucis, & mortis ſtipendia, hoc Paſſionis labor promeruit, vt corpus humilitatis noſtræ fieret corpori claritatis Chriſti conforme, & mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: & fierent homines cum Chriſto in cœleſtibus Iudices, qui cum eo iudicia pertulerant malignorum, & extiterant vſque ad mortem tribulationum conſortes. Hac die primùm, inuecta eſt cœlis hæc nouitas inaudita; & gauiſus eſt Pater hæreditate amplificatâ, ſobole multiplicatâ, &c. De iudicio quippe & anguſtiâ Chriſto ſublato, ſupereſt poſt miſericordiæ tempora, quæ ad finem feſtinant, vt iuſtitiam comitetur iudicium, & habeant ſinguli quod merentur: & honoretur honore dignus, & contemptor confundatur inglorius.»

D. Th. opuſc. 60. art. 23. ex Aug. Cypr. de Aſcenſ. Chriſt. Philip. 3. 1. Cor. 15. 53.

Digitized by Google

Secunda Reflexio. Fruſtra poſt Chriſtum, & cum Chriſto præſumit aſcenſum, qui tanti capitis in hoc ſæculo dignum non efficitur membrum: « Eia itaque fratres, Deus voluit eſſe filius hominis, homines voluit eſſe filios Dei. Ipſe deſcendit propter nos, aſcendamus propter ipſum. Solus enim deſcendit, & aſcendit, qui hoc ait: nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo. Non ergo aſcenſuri ſunt in cœlum quos facit filios Dei? Aſcenſuri ſunt planè, hæc nobis promiſſio eſt, erunt æquales Angelis Dei. Quomodo ergo nemo aſcendit, niſi qui deſcendit? quia vnus deſcendit, & vnus aſcendit. De cæteris quid intelligendum, niſi quia membra eius erunt? &c. Si ergo nemo niſi ille qui deſcendit & aſcendit, quæ ſpes eſt cæteris? Et ſpes eſt cæteris, quia ille propterea deſcendit & aſcendit, vt in illo, & cum illo vnum eſſent, qui per illum aſcenſuri eſſent. Non dicit, & ſeminibus, ait Apoſtolus, quaſi in multis: ſed tanquam in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Et fidelibus ait; vos autem Chriſti, ſi autem Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis. Quod dixit vnum, hoc dixit omnes nos eſſe.» Attendamus ergo ſi vnum cum Chriſto virtute ſumus, cui in cœlum aſcendenti gratulantes concinimus: «Exaltare Domine in virtute tuâ: cantabimus & pſallemus virtutes tuas.» Et cum Apoſtolo quæro; « Quid eſt quod aſcendit, niſi quia & deſcendit in inferiores partes terræ? » Et cum Bernardo rogo; « vt per humilitatem, ad ſublimitatem aſcendatis, quia hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam, qui aliter vadit, cadit potiùs quàm aſcendit, quia ſola eſt humilitas quæ ducit ad vitam.» Tum exemplo Chriſti præcitato, concludit: » Vade, &

Aug. tract. 12. in Io. 3.

Matth. 22. 30.

Gal. 3. 16.

Pſ. 22. 14.

Ber. ſer. 2. de Aſcenſ.

Digitized by Google

tu fac ſimiliter. Neque enim aſcendere potes, niſi deſcenderis. Quia, vt æternâ lege fixum eſt, omnis qui ſe exaltat,&c. O peruerſitas, ô abuſio filiorum Adam! quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum, ipſi & leuiter aſcendunt, & difficiliùs deſcendunt, parati ad honores & celſitudines graduum Eccleſiaſticorum, ipſis etiam Angelicis humeris formidandos. Ad ſequendum autem te, Domine Ieſu, vix inueniuntur, qui vel trahi patiantur, qui velint duci per viam mandatorum tuorum.»

Matth. 23.12.

Accipite D. Auguſtinum breuiter nos ad humilitatem hortantem:«Deſcendit huc ipſa vita noſtra, & tulit mortem noſtram, & occidit eam de abundantiâ vitæ ſuæ, & tonuit clamans, vt redeamus hinc ad eum in illud ſecretum, vnde proceſſit ad nos, in ipſum primum virginalem vterum, vbi ei nupſit humana creatura caro mortalis, ne ſemper eſſet mortalis, & inde velut ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt gygas ad currendam viam. Non enim tardauit, ſed cucurrit, clamans dictis, factis, morte, vitâ, deſcenſu, aſcenſu, clamans, vt redeamus ad eum, & diſceſſit ab oculis, vt redeamus ad cor, & inueniamus eum. Abſceſſit enim, & ecce hîc eſt: noluit nobiſcum diu eſſe, & non reliquit nos. Illuc enim abſceſſit, vnde numquam receſſit, &c. Filii hominum, vſquequo graues corde? Numquid & poſt deſcenſum vitæ, non vultis aſcendere & viuere? ſed quò aſcenditis, quando in alto eſtis, & poſuiſtis in cœlum os veſtrum? Deſcendite, vt aſcendatis, & aſcendatis ad Deum. Cecidiſtis enim, aſcendendo contra eũ.»

Aug. 4. cõfeſſ. cap.12. — Pſ.18.5. — Pſ. 4.3. — Pſ.72. 9.

Tertia Reflexio. Quia ad cor redeundum monuit S. Auguſtinus, & Pſaltes do-

cuit cum Dei auxilio iuſtum « diſponere aſcenſiones in corde ſuo; » quatuor ex Bernardo gradus aſcenſionis propoſuit Doctor Angelicus. « Quatuor, inquit, eſſe dicimus gradus Aſcenſionis. Primus eſt ad cor, ſecundus in corde, tertius de corde, quartus ſupra cor. In primo timetur dominus: in ſecundo auditur conſiliarius: in tertio deſideratur ſponſus: in quarto videtur Deus. De quo ad Epheſios: reſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu. Nunc quidem in ſpe, vt dicit gloſſa: poſtea verò in re, ſecundùm illud ad Coloſſenſes; cùm apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloriâ. »

Pſ. 83. 6.

D. Th. opuſc. 60. art. 23.

Epheſ. 2. 6.

Coloſſ. 3. 4.

QVARTA REFLEXIO. Spem hanc fouet vox illa Iob Prophetæ: « Annuntiat de ea amico ſuo, (hoc eſt de luce gloriæ,) quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere. » In quem locum D. Gregorius: « Quid, inquit, difficilius quàm homini in terrâ edito, terrena & fragilia membra geſtanti, cœlorum alta conſcendere, supernorum ſpirituum arcana penetrare? Sed eorumdem ſpirituum ad nos conditor venit, ſeque hominem, etiam ſub ipſis exhibuit, ſicut de illo Patri per Prophetam dicitur: minuiſti eum, &c. Is ergo qui propter nos minor Angelis extitit, æquales nos Angelis virtute ſuæ minorationis fecit. Vnde & moriendo docuit mortem non metui, reſurgendo de vitâ confidi, aſcendendo, de cœleſtis Patriæ hæreditate gloriari; vt quo caput præiſſe conſpiciunt, illuc ſe ſubſequi, & membra gratulentur. Vnde benè ab eodem noſtro capite dicitur; vbicumque corpus fuerit, illuc congregabuntur & aquilæ. Vnde Petrus ait, hæreditatem incorruptibilem, & incon-

Greg. lib. 27. mor. cap. 8. in Iob. 36.

Pſ. 8. 6.

Matth. 24. 28.

1. Pet. 1. 4.

2. Cor. 5. 1.

Digitized by Google

taminatam, & immarceſſibilem conſeruatam in cœlis. Vnde Paulus dicit: ſcimus quoniam ſi terrena domus noſtra huius habitationis diſſoluitur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. Sed nos quoque in terrâ editi ſumus, cœlum conſcendimus, vbi eſt quod rurſum veritas dicit: nemo aſcendit in cœlum, &c. Cui nimirum ſententiæ ſtatim obuiat quod hæc eadem veritas dicit: Pater, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum. Omnes enim nos qui in eius fide nati ſumus, eius proculdubio corpus exiſtimus, &c. Nemo igitur aſcendit in cœlum, &c. Quia dum nos vnum cum illo iam facti ſumus, vnde ſolus venit in ſe, illuc ſolus redit etiam in nobis: & is qui in cœlo ſemper eſt, ad cœlum quotidie aſcendit: quia qui diuinitate ſuper omnia permanet, humanitatis ſuæ compage, ſeſe quotidie ad cœlos trahit. Ergo ſi deſperet humana fragilitas, vnigeniti ſanguinem conſideret, & in pretio ſuo conſpiciat quàm magna eſt, quæ tanti valet, &c. Speret ſupernam patriam, Angelorum ſe ſociam ſciat, atque in ſuo capite prælatam ſe etiam Angelis gaudeat, &c. Sed valde mira ſunt iſta, valde terribilia, quod homo in terrâ editus, atque à cœleſti patriâ exigentibus meritis longè damnatus, non ſolùm ad ſtatum conditionis reducitur, ſed etiam glorioſiùs exaltatur: vt qui paradiſum perdidit, cœlum recipiat, & non ſolùm hunc debiti ſui reatus non teneat, ſed huic poſt culpam dona cumulatiùs excreſcant; vt ille contemptor Dei, ille imitator diaboli, ſi ad fructum pœnitentiæ redeat, vſque ad celſi-

Io. 17. 24.

Digitized by Google

tudinem contemplandæ intimæ lucis aſcendat. » Tu itaque, « ſi vis aſcendere, eſto membrum Chriſti: ſi vis aſcendere, eſto in corpore Chriſti, &c. Quia omnes qui renaſcuntur, membra eius fiunt. » Oculi ſint pudici, ſimplices, columbini, aures obedientes, manus tornatiles, & ad bona opera promptæ & ad mandata dilecta leuatæ, pedes ad viam virtutis currendam expediti, &c. Si quæras « quis aſcendet in montem Domini, reſpondebo cum Pſalte, innocens manibus & mundo corde, &c. » Cor autem & manus per pœnitentiam emundari non dubito, & per hanc ſcalam in cœlum aſcendi confirmo. Apage Aceſi Epiſcope Eccleſiæ Nouatianæ. Hunc enim Conſtantinus Imperator arguit, affirmantem quòd contra Cornelium Papam aſſeruerat Nouatianus, poſt baptiſmum, peccantem ad mortem, non à ſacerdotibus, ſed à Deo ſolo poſſe abſolui. « Imperator accepto ſermone dixit: Erigito tibi ſcalam Aceſi, & tu ſolus in cœlum aſcendito. »

Aug. ſer. 14. de verb. Apoſt.

Pſ. 23. 3. Baron. ann. Chriſt. 325. iuxta Socrat. lib. 1. cap. 7. Et Sozom.

QVINTA REFLEXIO. Nec myſterio vacat, quod vt Adam poſt meridiem, de paradiſo eiectus eſt, ſic per Chriſtum in meridie cœlo eſt inuectus, & vt nos doceret, manſuetudine poſſideri terram cœli promiſſam, & operibus miſericordiæ in die iudicii munerandis, dum « oleum dexteræ clamabit » dum ad dextram poſitos, de monte Oliueti vocabit ad gloriam, qui oleum miſericordiæ in ſua membra effuderint: ideo & montem Oliueti, de quo aſcenderet, elegit; relictis nobis ad imitationem veſtigiis; & patente etiam templi inibi extructi faſtigio; vt peruium nobis iter ſignifi-

Prou. 27. 16.

Digitized by Google

S.Paul. ep.11. ad Seuerum.

caret ad cœlum. « Mirum verò inter hæc, quòd in Baſilica Aſcenſionis (regiâ Helenæ munificentiâ extructâ) locus ille tantum de quo in nube ſuſceptus aſcendit captiuam in ſuâ carne ducens captiuitatem noſtram, ita ſacratus diuinis veſtigiis dicitur, vt numquam tegi marmore, aut pauiri receperit, ſemper excuſſis, ſolo reſpuente, quæ manus adornandi ſtudio tentauit apponere. Itaque in toto Baſilicæ ſpatio ſolus in ſui ceſpitis ſpecie virens permanet, & impreſſam diuinorum pedum venerationem, calcati Deo pulueris, perſpicua ſimul, & attigua venerantibus arena conſeruat; vt verè dici poſſit: adorabimus, vbi ſteterunt pedes eius. » Chriſti veſtigia ſingula relegentis cuiuſdam militis, deuotionem deſcripſit D. Bernardinus Senenſis: « Hoc, inquit, percrebuit. Miles quidam, nobilis natura, nobilior gratiâ quo legitur, quòd ob deuotionem ſuam perrexit ad terram ſanctam, præmiſsâ humili confeſſione, & ſumptâ deuotiſſimè Sacra Communione, cœpit primò viſitare locum, in quo Chriſtus annuntiatus eſt, &c. Abiit ad præſepium Chriſti, &c. viſitat Iordanem, &c. Ingreditur deſertum ſolitudinis, &c. Aſcendit montem Thabor, &c. venit in montem Sion, &c. dehinc in hortum trans torrentem Cedron, &c. Caluariam conſcendit, &c. viſitat, amplexatur, lacrymis rigat Dominicam ſepulturam. Vltimò venit ad montem Oliueti, veſtigia pedum Domini deoſculatur, & ad cœlum erectâ facie; dulciſſime, inquit, mi Ieſu, neſcio vbi amplius quæram te, concede mihi quæſo ex dulcedine miſericordiæ tuæ, vt nunc veniam ad te. Et ſtatim his dictis anima eius ex amoris dulcedine expira-

Pſ.131. 7.

D. Bernardin. ſer. 4. qui eſt de Aſcenſ.

Digitized by Google

nit. Rogante medico, cuius conditionis eſſet, reſpondentibus famulis, dulcis, iucundæ ac ſeruidæ in amore Dei, tunc medicus propter exceſſum amoris & gaudij cor eius ſciſſum eſſe pronuntiauit. Aperto ſtatim latere, cor diuiſum repertum eſt, atque in eo ſcriptum: Amor meus Ieſus? Eia Domine moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea huic ſimilia. « Beatus qui vbique te ducem habet, Domine Ieſu, non illum refugam ſpiritum, qui ſtatim aſcendere voluit, & totâ diuinitatis dexterâ percuſſus eſt. Nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ, ſequamur te, per te, ad te: quia tu es via, veritas, & vita. Via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. Verba enim vitæ æternæ habes, &c. meum teſtor eſſe quod cecidiſti, vt meum ſit quod ſurrexiſti: meum teſtor eſſe quod iacuiſti intra tumulum, vt meum ſit quod aſcendiſti in cœlum.

D. Ber. ſer. 2. de Aſcenſ.

Pſalm.

Aug.

Digitized by Google

IN FESTO PENTECOSTES.

Ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Pſal. 17. 10.

Ber.ſer. 1. in Pent. « SI ſanctorum ſolemnia celebramus; quantò magis eius à quo habuerunt, vt ſancti eſſent, quotquot fuere ſancti? Si veneramur ſanctificatos, quantò magis ipſum ſanctificatorem conuenit honorari? » Et ſi Eccleſia ſingulorum filiorum feſta culta, & deuotione proſequitur; ſponſi ſui, Spiritus ſancti quo per aquam ſalutaris baptiſmi regenerat filios, longè maiori apparatu feſtum eam excolere condecet. Ego verò aptius huic feſto, & concinnius thema, ex veteri inſtrumento, noui myſteria adumbrante, depromere non potui; quo & ipſius Spiritus ſancti

Pſ. 17. 9. proceſſio, & effectus eius exprimitur. « Ignis à facie eius exarſit: » En diuina eius proceſſio. « Carbones ſuccenſi ſunt ab eo: » En Spiritus ſancti, circa Apoſtolos, cæteroſque poſtea fideles, conſummata perfectio. Quæ enim facies Patris eſt, de quâ hîc loquitur Pſaltes, niſi filius; « ex occurſu enim faciei vir dignoſcitur: » Et ex

Eccli. 19.26. Sap.7. 26. Hebr. 1.3. Filio, « qui eſt Imago Dei, & figura ſubſtantiæ eius, ſpeculum ſine maculâ Dei maieſtatis » Pater æternus agnuſcitur. « Ignis ergo à facie eius exarſit: » Spiritus ſanctus, qui à Patre Filioque procedit, hodie foràs in linguis ſupra

Diſcipulos

Diſcipulos diſpertitis apparuit. Et quo ſymbolo priores in eis ignorantiæ tenebræ, quâ notâ infidelitas, & incredulitas, ipſis à Domino proximè cœlum aſcenſuro exprobrata delineari potuit, quàm carbonum extinctorum nigredine depictâ? Sic eos deſcripſit Ieremias: « Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo: ſapphiro pulchriores: denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. » Poſtrema Pagninus ex Hebræo ſic legit: « obſcurata eſt præ nigredine forma eorum. » 70. exaggerant: « obtenebrata eſt ſuper fuliginem ſpecies eorum. » Sed hodie abſterſâ omni caligine, & nigredine ſuper niuem dealbatâ notitiâ, diſcuſſo timoris frigore, igne à facie Patris exardente, purgato intellectu, affectuque inflammato, « carbones ſuccenſi ſunt ab eo. » Id omne paucis extulit S. Auguſtinus: « A facie ignis exardeſcit; flagrantia charitatis poſt pœnitentiam eius inardeſcit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Qui iam mortui erant, deſerti ab igne boni deſiderii, ac luce iuſtitiæ, & frigidi tenebroſique remanſerant, rurſus accenſi & illuminati reuixerunt. » Tu verò, ô Virgo, ſola inconcuſſa luce fidei, inextinguibili feruore charitatis ſemper accenſa, præ omnibus Cherubim ſapientiæ luce radiata, charitatis ardoribus ſuper Seraphim ardentiſſima, effectus huius ignis ſuper omnes hodie, iam plena, ſuper plenitudinem, quam in nos refunderes, accepiſti. Tu verè carbunculus, igni congenito & concreato fulgurans; de quo Sapiens: « Non extinguetur in nocte lucerna eius: » cuius vel nomen pronuntiatum Seraphicos Spiritus valeat expurgare, quod cum Archangelo Gabriele

Thren. 4. 7.

D. Aug. in Pſal. 17.

Prou. 31. 18.

te ſponſam eiuſdem Spiritus ſalutante, ad eius ignis, & gratiæ participationem inuocamus; humiliter, & deuotè dicentes: Aue.

EXORDIVM.

Pſaltes ſuperno irradiatus lumine, futuri præſcius ſalutis humanæ myſterij, totam incarnationis Dominicæ Oeconomiamduobus complexus verſiculis; poſt conſummatam vitæ eius, Paſſionis, & mortis enarrationem, & reditum in cœlum, ipſam quoque Spiritus ſancti miſſionem, breui ſermone perſtringit. « Ipſe, inquit, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt gygas ad currendam viam; à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius, vſque ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. » Diuinum Regij Prophetæ interpretem Auguſtinum, hunc locum exponentem accipito. « Ipſe, inquit, tanquam ſponſus, cùm Verbum caro factum eſt: in vtero virginali thalamum inuenit, atque inde naturæ coniunctus humanæ, tanquam de caſtiſſimo procedens cubili, humilis miſericordiâ infra omnes; fortis maieſtate ſuper omnes. Hoc eſt enim, gygas exultauit ad currendam viam: natus eſt, creuit, docuit, paſſus eſt, reſurrexit, aſcendit. Cucurrit viam, non hæſit in viâ. Idem ipſe ergo ſponſus qui hæc fecit, ipſe poſuit in ſole, hoc eſt in manifeſtatione tabernaculum ſuum, hoc eſt ſanctam Eccleſiam ſuam. Quam autem viam citò cucurrit, vis audire? A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius, vſque ad ſummum eius. Poſtea verò quàm excurrit inde, & recurrendo remeauit, miſit Spiritum ſuum, viſæ ſunt illis ſuper quos venit,

Pſ.18.5.

Aug. in Pſ.18.

linguæ diuiſæ, velut ignis. Sicut ignis venit Spiritus ſanctus carnis fœnum conſumpturus, aurum coctutus, & purgaturus: ſicut ignis venit, & ideo ſequitur; & non eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Lex Domini immaculata conuertens animas. Hoc eſt Spiritus ſanctus. (Lex prima, recta regula agendorum, Spiritus ſapientiæ & intellectus. In manu Dei ignea lex.) Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis, non ſuperbis. Hoc eſt Spiritus ſanctus. Iuſtitiæ Domini rectę, non terrentes, ſed lætificantes corda. Hoc eſt Spiritus ſanctus. Præceptum Domini lucidum, (ignis enim qui exarſit à facie Dei, & calorẽ habet, de quo dixit non eſt qui ſe abſcondat à calore eius, quia repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: & lucem, quia ſubiicit:) illuminans oculos. Non hebetans: non carnis oculos, ſed cordis: non exterioris hominis ſed interioris. Hoc eſt Spiritus ſanctus. Timor Domini, non ſeruilis, ſed caſtus, gratis amans, non puniri timens, ab eo quem tremit, ſed ſeparari ab eo, quem diligit. Iſte eſt timor caſtus non quem conſummata charitas foràs mittit, ſed permanens in ſæculum ſæculi. Hoc eſt Spiritus ſanctus. Id eſt hunc donat, hunc confert, hunc inſerit Spiritus ſanctus. Iudicia Domini vera, iuſtificata in idipſum. Non ad rixas diuiſionis, ſed ad congregationem vnitatis. Hoc eſt enim in idipſum, hoc eſt Spiritus ſanctus. Ideo linguis omnium loqui fecit, in quos primò venit: quia linguis omnium Gentium in vnitatem ſe congregaturum eſſe nuntiauit. Quod tunc faciebat vnus homo, accepto Spiritu ſancto, vt vnus homo linguis omnibus loqueretur; hoc modò vnitas facit, linguis omnibus loquitur. Et modò

Pſ.18 6.
Deut. 33.2.
1. Io. 4. 18.

vnus homo in omnibus gentibus, linguis omnibus loquitur: vnus homo caput & corpus: vnus homo Chriſtus & Eccleſia: vir perfectus, ille ſponſus, illa ſponſa. Et erunt, inquit, duo in carne vnâ. » Hoc perfecit ignis ille de cœlo miſſus, vt caput de Spiritu ſancto conceptum, & corpus quoque Eccleſiæ animaret, & linguas olim diuerſas, in vnitatem congregaret. De hoc igne cœlitus miſſo, & eius effectibus primò dicemus, ſecundò reflexiones morales colligemus.

Epheſ. 5.31.

Divisio.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Quantò lex gratiæ præſtat lege naturæ, & Euangelica Moſaïcæ, tantò Eccleſia debet præcellere veteri Synagogæ. Liparam inſulã natura docet, vnoquoque ſeptennio, conſumptos ignis ſulphureos fomites, reparatâ ſubinde materiâ renouare: Eccleſia verò antiſtans Liparæ, quotannis poſt ſeptem hebdomadas, à Paſchate, cœleſtis ignis Spiritus ſancti, in fidelium mentibus memoriam renouat, & ſopitas in eorum memoriâ ſuſcitat flammas. Et quidem non mediocri pudore aſpergeretur Eccleſia, ſi antiquæ Iudæorum Synagogæ cederet pietati; quæ ignis ſacri renouati feſta ſolemni celebritate recolebat. « Tempus affuit, quo ſol refulſit, qui priùs erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita vt omnes mirarentur. » Et nos, Sole iuſtitiæ, intercipiente nube, ab Apoſtolorum oculis erepto, magnum in monte Sion ignem accenſum, à facie Dei exardentem obſtupeſcimus. Portentum Rabini referunt in octauâ dedicationis tabernaculi accidiſſe; ignem cœlitus miſſum in leonis ſimilitudinẽ efformatum, ſuper altare in victimas cæ-

2. Machab.1. 22.

Digitized by Google

ſas irruiſſe, & boues & arietes impoſitos, ſubitò deuoraſſe. Nil de formâ leonis Scriptura retulit: ſed nil verius, Spiritus ſancti ignem dono fortitudinis Apoſtolos, ceu timidas priùs oues in leones generoſiſſimos transformaſſe. Et ſiquidem ante Chriſti paſſionem vanè magis & præſumptuosè, quàm verè, Tertulliani Epyſcinio digni, « in prœlio cerui, in pace leones » qui cum Domino mori parati, vel cum Petro iactabant, « etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo: » vel cum Thomâ, « Eamus & nos, & moriamur cum eo: » à leonum feruore deficientes, in ceruorum timidam fugam retroacti, « relicto eo omnes fugerunt. » Sed rurſum à ceruis in leones redacti: igne cœlitus illapſo leonibus fortiores & impauidi, « ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilii pro nomine Ieſu contumeliam pati. » Oſſa leonis ad inuicem colliſa conceptos & ingenitos ignes ſcintillare compertum eſt: & ſi Chriſtus « leo de tribu Iuda » à Ioanne dicitur; oſſa eius Apoſtoli ab Auguſtino nominantur. Oſſa verò iſta in paſſione leonis conturbata, atque diſperſa, voce Dauidicâ querebatur: « Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum; ſana me Domine quoniam conturbata ſunt (Pagninus, territa ſunt) oſſa mea. » Et rurſum: « diſperſa ſunt omnia oſſa mea. » Vbi Auguſtinus: « timore, inquit, diſperſa ſunt à me, firmamenta corporis, hoc eſt Eccleſiæ, Diſcipuli mei, &c. Oſſa ſua firmos ſuos dicit. Oſſa enim firma ſunt in corpore. Quando diſperſit oſſa ſua? quando dixit illis: Ecce ego mitto vos ſicut agnos in medio luporum. Firmos ſuos diſperſit, & ſicut aqua effuſus eſt. Aqua enim quando effunditur, aut abluit, aut irrigat; effuſus eſt

Tertul. de corona. cap. 1.
Matth. 26.35.
Io.11. 16.
Matth. 26.56.
Act.5. 41.
Apoc. 5.5.
Pſ.6. 2.
Pſ.21.5.
Aug. Ibid. ſerm. 1 Et concio. 2.

Chriſtus ſicut aqua, abluit ſordentes, rigatæ ſunt mentes.» Sed hæc oſſium Chriſti diſperſio, longè diſpar à primâ. In iſtâ enim præ timore percuſſi Paſtoris diſperſæ ſunt oues, quæ relicto eo fugerunt omnes: in hac autem diſperſione, diſpertitis ſuper ſingulos eorum igneis linguis, miſſæ & diſperſæ per orbem oues, vltro ſe generoſiores leonibus, in medio luporum imperterritæ tradiderunt. Quod enim prædixerat Propheta Ieremias, in Apoſtolis implendum erat; «de excelſo miſit ignem in oſſibus meis (ait Eccleſia de fortibus ſuis,) & erudiuit me.» Et quid docuit in linguis igneis miſſus Spiritus? Nouam legem ſe vt Dei digitum, in tabulis cordis carnalibus ſcribere, legem regalem charitatis, non in tabulis lapideis, legem ſeruilem timoris. «Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei: quia (inquit, Auguſtinus) qui Spiritu Dei aguntur, charitate aguntur, charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Locutus adiunxit: non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore. Quid eſt iterum? quomodo terrente moleſtiſſimo pædagogo. Quid eſt iterum? Sicut in monte Sina accepiſtis ſpiritum ſeruitutis. Dicit aliquis, alius eſt ſpiritus ſeruitutis, alius ſpiritus libertatis? Si alius eſſet, non diceret Apoſtolus; iterum. Idem ergo ſpiritus: ſed in tabulis lapideis in timore; in tabulis cordis, in dilectione, &c. Audiſtis quomodo longè poſitam plebem, voces, ignis, fumus, in monte terrebant. Quomodo autem veniens Spiritus ſanctus, id eſt, ipſe digitus Dei quinquageſimo die poſt vmbram Paſchæ, quo modo venerit, & igneis linguis ſuper vnumquemque eorum inſederit. Iam ergo

Matth. 26. 31. & 56.

Thren. 1. 13.

2. Cor. 3. 3.

Aug. ſer. 13. de verbis Apoſt.

Exod. 20. 18.

Act. 2. 3.

Digitized by Google

non in timore, ſed in dilectione, vt non ſerui,
ſed filii ſimus.» Erudimur itaque ignearum lin-
guarum ſymbolo : « quibus manifeſtiſſimè de- S. Leo.
claratur, & gratiam prænuntiatam eſſe per le- ſer.1. in
gem, & legem impletam eſſe per gratiam. Sicut Pent.
enim Hebræo quondam populo, ab Ægyptiis
liberato, quinquageſimo die poſt immolatio-
nem agni, lex data eſt in monte Sina : ita poſt
Paſſionem Chriſti, quâ verus Dei Agnus occiſus
eſt, quinquageſimo à Reſurrectione ipſius die, in
Apoſtolos plebemque credentium, Spiritus ſan-
ctus illapſus eſt : vt facilè diligens Chriſtianus
agnoſcat, initia veteris teſtamenti Euangelicis
miniſtraſſe principiis, & ab eodem Spiritu con-
ditum fœdus ſecundum, à quo primum fuerat
inſtitutum, &c. Et ad veteres tenebras abigen-
das, nouæ lucis fulgura coruſcabant, cùm mi-
cantium ſplendore linguarum, & Verbum Do- Pſ. 18.9
mini lucidum, & eloquium conciperetur igni-
tum, cui ad creandum intellectum, conſumen- Pſ. 118.
dumque peccatum, & efficacia illuminandi, & 140.
vis ineſſet vrendi.» Vtriuſque legis in igne datæ,
meminit S. Cyprianus : « hic, inquit, digitus Cypr.
Dei, mundanæ iudex & vindex perfidiæ, noui de Spi-
tempore teſtamenti potenter expellit dæmonia, ritu
nec laborat agendo, ſed ſolo nutu perficit om- ſancto.
nia : quod dicit, facit; quòd iubet, implet; ſecre-
ta indicat, pandit occulta, reuelat ignota, he-
betat acutos, & perſpicaces confutat. Hoc di- Exod.
gito in lapideis tabulis lex primùm conſcripta, 31.18.
quinquageſimo die poſt egreſſum Iſraël de Egy-
pto, in monte Sinâ Moyſi eſt commendata : ſed
populus nequam, & gens duræ ceruicis, à quo-
rum animis terror ille receſſerat, quem mons
ardens, & flammea iuga, & clangor buccinæ, &

horrenda tonitrua, nuper incuſſerant, in apoſtaſiam conuerſi, & de Moyſi reditu deſperantes, lege diuinitus miſsâ indigni iudicati ſunt, quia in oculis eorum Moyſes frangens tabulas, tam verba, quàm inſtrumenta comminuit, & deleuit. Quin etiam ſceleris vltione patratâ, reuerſus in montem ad Dominum, quadraginta diebus ieiunans, & colloquens, tandem obtinuit, vt ipſe alias ex ſaxo ad inſtar priorum exciderit tabulas, in quibus eandem, quæ in primis fuerat, ſcripturam inſculperet & formaret. Factumque eſt mirabili diſpenſatione superni iudicii, vt lex quam ſanctus ſcripſerat Spiritus, deleretur: & quam manus humana reſtituit, in poſterum teneretur. Quod eâ ratione credi poteſt ſic actum, vt populus prior ſecundùm carnem ambulans, & viuens, diuinis colloquiis, & ſpiritualibus mandatis oſtenderetur indignus: nec poſſe mentes perfidas ſancta percipere, nec intelligere Sacramenta, quæ exemplaribus, tegmine velabantur. (Moyſi facie velatâ.) Porro teſtamenti noui, quæ Chriſto Euangelizante patuit veritas, Verbo Chriſti prolata, indiſſolubilis permanſit, & ſolidâ deinde ſtabilitatis perpetuæ authoritate fulcita eſt; eo quòd oblatam gratiam humiles ſuſceperunt. (Apoſtoli, & fideles:) & quòd filius inter pauperes ſpiritu inuenit ſibi domum, in qua caput reclinaret. & meritò re-
Luc. 9. probatos, viſibiles tabulæ inuiſibilis Dei indi-
58. cant contemptores: & ampliori dignos honore, Incarnati Verbi credulos auditores, & deuotos veneratores. » Sed & ipſam deuotionem & credulitatem ignis ſancti Spiritus infudit, qui duritiem cordis emolliuit, & timorem ſeruilem excuſſit; & timidas oues, in generoſos leones re-

Digitized by Google

formauit; dum ignis à facie exardens, carbones accendit. « Sedit ſuper ſingulos quaſi ignis, de quo Saluator noſter teſtatur, ignem veni mittere in terram. De quo dictum eſt, Deus noſter ignis conſumens eſt. Ipſe itaque Apoſtolos ſuos viuæ lucis fonte perfudit, vt ipſi poſtmodum vniuerſum mundum, tanquam duodecim ſolis radii, ac totidem lampades veritatis illuminent, & inebriati nouo vino repleant, atque irrigent ſitientia corda populorum, &c. Erat quidem in eis fides, ſed fiduciæ conſtantia deerat. Iam quidem Chriſtum per vniuerſa poterant prædicare, ſed adhuc pro Chriſto vſque ad mortem certare non poterant: vſqueadeo vt nullum ex Diſcipulis coronauerit palma martyrii, ante aduentum Spiritus ſancti, &c. Videamus ergo, ante viſitationem cœleſtis conſolatoris, quantùm eis de magnanimitate, quantùm de perfectione defuerit. Nam primùm, cùm eum ſupra tumentia maris dorſa, vidiſſent ſubſtratis fluctibus ambulantem, & cùm aquarum iter inſtabile ſub diuinis ſolidaret vnda famula veſtigiis, turbati ſunt dicentes, phantaſma eſt: poſt infuſionem verò Spiritus ſancti, non dicunt quia phantaſma eſt, ſed in principio erat Verbum, & Apoſtolus dicit, quia ipſe eſt ante omnes & omnia per ipſum conſtant. Vnus autem ex Diſcipulis Thomas, nondum huius muneris benedictione ditatus, cùm in corpore iam glorificato, in corpore iam cœleſti, per carnis vulnera Deum quæreret, & ad credendam incorruptibilem diuinitatem, fixuris clauorum, & cicatricum teſtimonis indigeret; niſi videro, inquit, &c. Alius verò iam ſancti Spiritus eruditione repletus, quod erat, inquit, ab initio, quod au-

Aug. ſer. 185. de tēp. Act. 2. 3. Luc. 12. 49. Deut. 4. 24.

Io. 1. 1. Coloſſ. 1. 17.

Io. 20. 1. Io. 1. 1.

diuimus quod vidimus oculis noſtris, &c. Annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, &c. Ante aduentum Spiritus ſancti, ſub ipſo Crucis Dominicæ tempore, alii ex Diſcipulis effugantur, alii vnius ancillæ voce terrentur, & metu corda trepida penetrante, Dominum ſuum negare coguntur. Poſt illuſtratio-
Act. 5. 41. nem verò Spiritus ſancti, & confirmationem, cuſtodiis excruciati, verberibus afflicti, ibant
Matth. 26. 72. gaudentes, &c. Et qui ante negauerant cum iuramento, quia non nouimus hominem iſtum: nunc propter eum in ſuppliciis gloriantur; & operante in ſe Spiritu ſancto, parum putant eſſe, quod pro Chriſti amore patiuntur. Et qui ante verbis deterrebantur, nunc pœnis & cruciatibus roborantur; & Chriſtum Dominum, non iam vocibus, ſed moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinem, ſanguinis effuſione teſtantur. Et inter hæc (carbones illi priùs nigri ignorantiâ, frigidi timore) calefacti & accenſi mero Dominicæ charitatis exclamant, non ſunt
Rom. 8. 18. condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.» Ita per
Cypr. de Spiritu ſancto. Spiritum ſanctum: « Non tantùm Apoſtolis collata eſt hæc gratia, ſed multitudini credentium idem Spiritus ſuperfuſus eſt, intus ardentibus, extra loquentibus? & complectebantur ſe dilectio, & Verbum, & de calore Spiritus, ſermo feruebat ignitus. Iam omni timore excluſo, obe-
Act 5. 41. dire ſe Deo magis, quàm hominibus publicè profitebantur, & videbatur eis gloria, ſi pro Chriſto iniuriam paterentur. » Nec iam ſeruos,
Iac. 2. 8. ſed Reges, legem perficientes Regalem, hodie
Deut. 33. 16. Spiritus in igne conſecrauit: dum: « benedictio eius qui Moyſi apparuit in rubo, venit & ſedit

ſuper caput, & verticem Nazaræorum inter fratres ſuos.»

Et quoniam ignis Deus habitus à Chaldæis, & regni Symbolum Perſarum Regibus, in vaſe argenteo prælatum: quoniam, « Reges terræ congregati ſunt, & conuenerunt in vnum: & Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt:» ideò Rex verus & Deus verus Spiritus ſanctus, « & Rex magnus ſuper omnes Deos, hodie de ſtercore erexit pauperes piſcatores, & de puluere ſuſcitauit inopes, vt ſedeant cum Principibus, & ſolium gloriæ teneant.» Reges eos, & Deos per ignem voluit conſecrare.

Ps.2.2.
Ps.46.9.
Ps.94.3.
Ps.112.7.

Huc facit Numiſma Friderici Regis Neapoli, in quo incidit librum coronatum, mediis in flammis iacentẽ cum Symbolo; « recedant vetera.» Alluſerit fortè ad Sybillam, coram Tarquinio, oraculorum librum proiicientem in ignem. « Inter enim omnes conuenit Sybillam ad Tarquinium ſuperbum tres libros attuliſſe, ex quibus igni duo cremati ab ipsâ, tertius cum Capitolio Syllanis temporibus.» Cùm enim tantumdem de tertio pretii quantum de cæteris exegiſſet, Tarquinius ſtupefactus, ſubito perſoluit. Et trecentos repente nummos Sybillæ numerauit. Recedant vetera. Tres libros, intelligo, tres perſonas Trinitatis, de quibus Fulgentius: « Nullus horum, extra quemlibet ipſorum eſt.» Vt qui vnum nouerit, tres nouerit. Sed heu miſeri, iam in cineres obliuionis oracula bonitatis, Patris, & Filii redegimus: ſaltem regiſtro beneficiorum vtriuſque ſuccenſo, « ſeruate Adonidem » & Spiritum docentem omnem veritatem conſeruate.« Cuius vnctio nos de omnibus doceat, qui inuiſibili magiſterio nos do-

Tipotius in Hierograph. Neap.
Plin. lib. 13. cap. 13.
Fulg. de fide ad Petrum.
Cypr. de Spiritu ſancto.

diuimus quod vidimus oculis noſtris, &c. Annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, &c. Ante aduentum Spiritus ſancti, ſub ipſo Crucis Dominicæ tempore, alii ex Diſcipulis effugantur, alii vnius ancillæ voce terrentur, & metu corda trepida penetrante, Dominum ſuum negare coguntur. Poſt illuſtratio-
Act. 5. nem verò Spiritus ſancti, & confirmationem,
41. cuſtodiis excruciati, verberibus afflicti, ibant
Matth. gaudentes, &c. Et qui ante negauerant cum iu-
26. 72. ramento, quia non nouimus hominem iſtum: nunc propter eum in ſuppliciis gloriantur; & operante in ſe Spiritu ſancto, parum putant eſſe, quod pro Chriſti amore patiuntur. Et qui ante verbis deterrebantur, nunc pœnis & cruciatibus roborantur; & Chriſtum Dominum, non iam vocibus, ſed moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinem, ſanguinis effuſione teſtantur. Et inter hæc (carbones illi priùs nigri ignorantiâ, frigidi timore) calefacti & accenſi mero Dominicæ charitatis exclamant, non ſunt
Rom. condignæ paſſiones huius temporis, ad futu-
8. 18. ram gloriam quæ reuelabitur in nobis.» Ita per
Cypr. Spiritum ſanctum: « Non tantùm Apoſtolis col-
de Spi- lata eſt hæc gratia, ſed multitudini credentium
ritu idem Spiritus ſuperfuſus eſt, intus ardentibus,
ſancto. extra loquentibus? & complectebantur ſe dilectio, & Verbum, & de calore Spiritus, ſermo feruebat ignitus. Iam omni timore excluſo, obe-
Act 5. dire ſe Deo magis, quàm hominibus publicè
41. profitebantur, & videbatur eis gloria, ſi pro Chriſto iniuriam paterentur.» Nec iam ſeruos,
Iac. 2. 8. ſed Reges, legem perficientes Regalem, hodie
Deut. Spiritus in igne conſecrauit: dum: « benedictio
33. 16. eius qui Moyſi apparuit in rubo, venit & ſedit

Digitized by Google

ſuper caput, & verticem Nazaræorum inter fratres ſuos.»

Et quoniam ignis Deus habitus à Chaldæis, & regni Symbolum Perſarum Regibus, in vaſe argenteo prælatum: quoniam, « Reges terræ congregati ſunt, & conuenerunt in vnum: & Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt:» ideò Rex verus & Deus verus Spiritus ſanctus, « & Rex magnus ſuper omnes Deos, hodie de ſtercore erexit pauperes piſcatores, & de puluere ſuſcitauit inopes, vt ſedeant cum Principibus, & ſolium gloriæ teneant.» Reges eos, & Deos per ignem voluit conſecrare.

Pſ. 2. 2. Pſ. 46. 9. Pſ. 94. 3. Pſ. 112. 7.

Huc facit Numiſma Friderici Regis Neapoli, in quo incidit librum coronatum, mediis in flammis iacentē cum Symbolo; « recedant vetera.» Alluſerit fortè ad Sybillam, coram Tarquinio, oraculorum librum proiicientem in ignem. « Inter enim omnes conuenit Sybillam ad Tarquinium ſuperbum tres libros attuliſſe, ex quibus igni duo cremati ab ipsâ, tertius cum Capitolio Syllanis temporibus.» Cùm enim tantumdem de tertio pretii quantum de cæteris exegiſſet, Tarquinius ſtupefactus, ſubito perſoluit. Et trecentos repente nummos Sybillæ numerauit. Recedant vetera. Tres libros, intelligo, tres perſonas Trinitatis, de quibus Fulgentius: « Nullus horum, extra quemlibet ipſorum eſt.» Vt qui vnum nouerit, tres nouerit. Sed heu miſeri, iam in cineres obliuionis oracula bonitatis, Patris, & Filii redegimus: ſaltem regiſtro beneficiorum vtriuſque ſuccenſo, « ſeruate Adonidem » & Spiritum docentem omnem veritatem conſeruate.« Cuius vnctio nos de omnibus doceat, qui inuiſibili magiſterio nos do-

Tipotius in Hierograph. Neap.

Plin. lib. 13. cap. 13.

Fulg. de fide ad Petrum.

Cypr. de Spiritu ſancto.

Digitized by Google

ceat, & cœleſtibus inſtruat diſciplinis: qui carnales hebetet ſenſus, & conterat appetitus.»
Aug. Nec pretio nobis temporali æternæ vitæ liber eſt comparandus; « Gratis conſtat, cito conſtat, da te, & habebis illum. » Vis & alluſerit Rex Neapoli, ad librum cautionum, quem in foro Adrianus Imperator, Regiâ liberalitate coronâ dignus iuſſit incendi; omnia fiſco ſuo à populo debita, inſigni beneficentiâ relaxans. « Recedant vetera:» Per Spiritum ſanctum omnia noſtra peccata, ſui amoris infuſione in pœnitentiæ
Io. 20. 22. cineres veniamqne ſoluuntur. « Accipite, inquit, Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.» Hanc remiſſionem ipſo
Cypr. de Spiritu ſancto. Pentecoſtes nomine, adumbrauit; « lex, (non ſeruilis, ſed filialis) à Paſchalis Agni immolatione, die quinquageſimo datur, & Pentecoſtes nomen tantæ rei ſolemnitas, ex lege accepit. In ipſo dierum numero, Sacramenti magni complicans rationem. Septenarius quippe numerus ſepties reuolutus, quinquageſimum efficit, additâ monade, qui præſentis ſæculi meta, & futuri initium, perpetuitatem ſub octauæ nomine continens, ſic præſentia terminat, vt nos ad perpetua introducat, &c. Annorum quoque ſeptima-
Num. 36. 4. næ apud Hebræos quinquageſimum annum faciunt, quem Iubilæum appellant, in quo decreto legis fit terræ remiſſio, & ſeruorum libertas, & reſtitutio poſſeſſionum, quas eatenus diſtractio alienauerat, & cætera huiuſmodi gratis ad hæreditatis ordinem reuertuntur, &c. Quinquageſimus itaque Annus perficit Iubilæum; quinquageſimus dies à Paſchâ Pentecoſten facit, in quo verè Spiritu ſancto infuſo Apoſtolis, ad hæreditatem cœleſtem, à quâ venundati ſub pec-
Digitized by Google

cato exultabant, quos diabolo « Domino mendicitas, & egeſtas ſubiecerat, reuertuntur.

Tandem Emblema Friderici, appoſitè ſatis indicat quod apparuit Moyſi: « Dominus de Sina venit, & de Seir ortus eſt nobis, & cum eo ſanctorum millia. In dexterâ eius ignea lex. » Pagninus ex Hebræo; « à dexterâ eius ignea lex eis. » Paraphraſis Chaldaïca: « legem ſcriptam dextera eius dedit nobis de medio ignis. » Quia Chriſto ad dexteram Patris aſſumpto, lex noua, lex charitatis, & gratiæ, pro lege timoris data eſt nobis. « Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore. Nouum teſtamentum eſt, non vetus. Vetera tranſierunt, & ecce noua facta ſunt omnia. Omnia autem ex Deo. Deniq; quid ſequitur? quid ergo accepimus, ſi diceres? ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Dominus timetur, Pater amatur, &c. » Ad hæc vt Sybilla in tribus libris oracula ſcripta gerebat, & nos ex trium Prophetarum libris, arcanam Spiritus ſancti proceſſionem, depromimus. Vidit Eſaïas « Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & ea quæ ſub ipſo erant, (Pagninus ex Hebr. fimbriæ eius) replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alę alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. » O Seraphim ardentes igne Spiritus ſancti proceſſionem eius à Patre, & Filio, ab æterno, & nunc, & ſemper inclamate, benedicite, collaudate. Sed quid eſt quòd faciem pedeſque ſedentis in ſolio velatis, & pectus eius volando nudatis? Magnum my-

Deut. 33. 2.

D. Aug. ſer. 13. de ver. Apoſt.

Rom. 8. 15.

2. Cor. 5. 17.

Eſa. 6. 1.

ſterium, duobus verbis à D. Auguſtino expoſitum, quia licet Spiritus ſanctus ſit Deus, & Patri Filioque conſubſtantialis: non tamen vi originis formaliter facies eſt, & imago Patris. Hinc velant faciem, ne ſimilem Filio, Spiritus ſancti putemus originem. Inde & pedes velant, quia nec ad nos vt Filius venit exiit, non quomodo natus, ſed quomodo datus.» Quia ergo donum eſt primum, & omnium amor origo donorum; & amoris centrum cor eſt, cordis autem pectus eſt ſedes: ideo duabus hinc inde alis faciem & pedes velant, & volando pectus aperiunt; & concuſſis alis, ſeipſos, impetus igne, alis igneis, in Dei amore ſuccenſos à Spiritu ſancto ſentiunt. De quo Sapiens: « alæ eius, alæ ignis, vel, impetus eius impetus ignis atque flammarum.»

Aug. tract. 100. in Io. 16. in f. & lib. 5. de Trinit. cap. 14.

Cant. 8. 6. ex 70.

Vultis & aliud è veteri inſtrumento oraculum: « dixit ad virum qui indutus erat lineis; & ait: ingredere in medio rotarum quæ ſunt ſubtus Cherubim & imple manum tuam prunis ignis quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper ciuitatem.» 70. « diſperge ſuper ciuitatem.» Alibi iuxta Gregorium, diximus Chriſtum in hoc viro delineatum. « Quia, inquit, Redemptor noſter etiam de Sacerdotali tribu iuxta carnem parentes habere dignatus eſt, veſtitus lineis venire perhibetur. Vel certè quia linum de terrâ, non autem ſicut lana de corruptibili carne naſcitur, quia indumentum ſui corporis ex matre Virgine, (veritas enim de terrâ orta eſt Chriſtus verus homo & Deus de Mariâ, inquit Auguſtinus) non autem ex corruptione commixtionis ſumpſit, profectò ad nos veſtitus lineis venit.» Hic mandato Patris obediens, medium rotarum

Ezech. 10. 2.

Greg. lib. 22. mor. cap. 13.

Aug. in Pſal.

ingreſſus eſt, hoc eſt elementorum primò, deinde tormentorum. Ac velut « in Lyciæ regione, Seneca ep. 79. dictâ Epheſtion, ſolum perforatum pluribus locis, ſine vllo lætæ, & herbidæ regionis damno, ignis innoxius circuit: » ſic de terrâ corporis Chriſti, pluribus locis, pedibus, manibus, ac latere perforatâ, non quidem ſine magno dolore, ſed ſine vllo refloreſcentis in reſurrectione carnis eiuſdem detrimento; de rubo item, & ſpinis eius, quaſi tormentorum rotis, innoxius ignis S. Spiritus, per Paſſionis Dominicæ merita, à facie Patris exarſit: dum in medium rotarum, id eſt, cœlorum ingreſſus, qui priùs « acceperat dona in hominibus » inter homines homo factus, « dedit dona hominibus » ſedens ad dexteram Patris, idem cum ipſo principium Spiritus: impleuit manum ſuam prunis, quas diſperſit in ciuitatem, vt carbones extinctos accenderet, & Epheſ. 1. 20. viuificaret « ſpiritu vitæ, qui erat in rotis. » Nec iam Prometheus affixus Caucaſo, quòd ignem de rotâ Solis fraude malâ terrigenis intuliſſet: ſed quia in Caluariâ fixus Cruci, de merito tormentorum, quaſi de medio rotarum, « prunas Prou. 25. 22. ardentes congeſſit ſuper inimicorum priùs ſuorum capita, quos carne ſuâ cibauerat, & potauerat ſanguine. » Nec iam furto ſublegit ignem; & quaſi rem alienam miſit, ſed propriam; licet cum Patre communem; « De meo, inquit, accipiet, & annuntiabit vobis, &c. quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis. » Nec inuito Domino; quia licet neceſſariò ad intra, vt amor neceſſarius, quamquam ex voluntate Patris, Filiique procedit: & ad extra, ſicut « voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius: » ſic & voluntariè per-

Io. 16. 14. Io. 15. 26. Iac. 1. 18.

fecit, & conſummauit igneâ linguâ lambente, & excoquente vaſa miſericordiæ, ex maſsâ corruptionis electa, & in honorem effecta. Hæc lingua medica, poſt Verbum miſſa; quæ «ſanat omnes infirmitates noſtras, quæ redimit de interitu vitam noſtram, & nos coronat in miſericordiâ & miſerationibus.» Hìc non ſe continet Auguſtinus, ſed exclamat: « Quanta, & quàm ineffabilis pietas Redemptoris! Hominem portauit ad cœlum, & Deum miſit ad terras! Quanta eſt Authori cura pro inſtauratione facturæ ſuæ? Ecce iterum noua de ſupernis medicina mittitur. Ecce iterum infirmos ſuos, per ſeipſam Majeſtas viſitare dignatur. Ecce iterum humanis diuina miſcentur. Id eſt, Vicarius Redemptoris: (vices gerens ſponſi, Paracleti, Rectoris.) Vt beneficia quæ Saluator Dominus inchoauit, peculiari Spiritus ſancti virtute conſummet, & quod ille redemit, iſte ſanctificet: quod ille acquiſiuit, iſte cuſtodiat: ac ſic, vnitas Deitatis, per vnitatem gratiæ ac muneris approbatur: vt Spiritus ſanctus Deus in ſubſtantiâ vnus, in perſonâ alius, æquali miſeratione vnicus, æquali reuerentiâ ſit colendus, &c. Affuit ergo in hac die fidelibus ſuis, non iam per gratiam viſitationis, & operationis, ſed per ipſam præſentiam maieſtatis: atque in vaſa, non iam odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit vnguenti; ex cuius fragrantiâ latitudo totius orbis impleretur, & appropinquantes ad eorum Doctrinam, Dei fierent capaces atque participes.»

Rom. 9.23.

Pſ. 101. 3.

Aug. ſer. 185. de tēp.

Sed præſtat in ignis ſymbolo curſum orationis conſummare, & antiquum dierum à facie ſuâ fluuium igneum mittentem cum Daniele contem-

contemplari. « Aſpiciebam donec throni poſiti Dan.7.
ſunt, & Antiquus dierum ſedit, &c. Thronus 9.
eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accenſus: fluuius igneus rapiduſque egrediebatur à facie eius,&c. Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cũ nubibus cœli filius hominis veniebat,& vſq; ad Antiquum dierum peruenit. » Quem locum Auguſtinus applicat tribus perſonis Trinitatis: « Nec quiſquam, inquit, tali præcipitetur erro- Aug.
re, vt audeat dicere Filium,& Spiritum ſanctum 2. de
etiam vigilantibus hominibus eſſe viſibiles, Pa- Trinit.
trem autem non niſi ſomniantibus. » Vidit An- cap. 18.
tiquum dierum, id eſt Patrem; non quòd ſenior ſit Filio coæterno, ſed quia origine præcedit vnigenitum, & procedentem, vnigenitus. Sedentem vidit, quia non procedit ab alio. Peruenit ad eum Filius, quia ei eſt æqualis vt Deus: & vt homo, propter vnionem ad Verbum, & eiuſdem perſonæ vnitatem, & aſcenſum, & ſeſſionem ad dexteram. Vnde & Ioannes raptum vi- Apoc.
dit ad thronum Patris. Fluuius igneus, non 12. 5.
quales Plato cenſuit ingentes ſubterraneos ignis Plat. in
fluuios. Sed à facie Patris cœleſtis exardentem. Phœd.
Rapidum vidit, quòd vt in fornace Babylonicâ trium puerorum corda & linguas rapuit in Canticum, ſic omnes Apoſtolorum & fidelium mentes, linguaſque in laudes & Cantica rapiat. Neque verò Babylonicus ignis ad quinquaginta cubitos flãmeos ſuos vortices eructauit: « nihil Hebr.
enim ad perfectum adduxit lex » nec ad plenum 7. 19.
potuit peruenire numerum Iubilæi. Crudelis & impia feritas Regis Aſſyrij fornacem accendit, pietas autem Patris & Filij Dominum amoris ignem in terrâ ſuccendit. Magna quidem tribus pueris miſericordia, in medio fornacis, viuere, &

Digitized by Google

ſpirare conceſſit: ſed maior, omnium fidelium corda in vnum igne cœleſti conflauit vincula puerorum, & liberos ſinit in medio fornacis
2. Cor. 3. 17. Pſ. 144. 7. ambulare; & « vbi Spiritus, ibi libertas: memoriam abundantiæ ſuauitatis eructare » in quem locum D. Hilarius: « Cùm, inquit, tribus
Hilar. in Pſal. 144. pueris in camino cantantibus, circumſtantes, flammis quas illi non ſentiunt, aduruntur: illis in roris humore ignis temperatur, hos exæſtuans ignis amburit. Ipſæ intus extraque flammæ ſunt, quarum pro diuerſitate meritorum, & deficit à ſe natura, nec deficit. » Et rurſum:
Hilar. lib. 10. de Trinit. «Vincti pueri in medio igni ſunt, ignem non timent, dum incenduntur, flammas non ſentiunt, dum orant, &c. Fidei calore & beati martyrij gloriâ, timere neſciunt quæ timentur. » De Spi-
Hilar. lib. 2. de Trinit. in fine. ritu verò libertatis: « Adoraturis (inquit) in ſpiritu Deum Spiritum, alter in officio, alter in honore eſt. Quia diſcretum eſt in quo quiſque ſit adorandus. Non enim tollit S. Spiritus & nomen & donum, quia dictum eſt, Deus Spiritus eſt, &c. atque ita natura & muneris, & honoris expreſſa eſt, cùm in ſpiritu Deum Spiritum docuit adorandum: & libertatem ac ſcientiam adorantium, & adorandi infinitatem, dum in ſpiritu Deus Spiritus adoratur, oſtendit. Si-
2. Cor. 3. 17. mile huic etiam illud Apoſtoli eſt: quia Dominus Spiritus eſt, vbi autem ſpiritus Domini eſt, ibi libertas eſt, &c. Cùm ait, Dominus Spiritus eſt, naturam infinitatis eius oſtendit: cùm verò adiecit, vbi Spiritus Domini, &c. & eum cuius eſt ſignificat, &c. Eſt enim Spiritus ſanctus vnus vbique, omnes Patriarchas, Prophetas, & omnem chorum legis illuminans, Ioannem etiam in vtero matris inſpirans: datus deinde

Digitized by Google

Apoſtolis, cæteriſque credentibus ad cognitionem eius, quæ indulta eſt, veritatis. » Pulchrè Auguſtinus, puerorum inter flammas illæſorum libertatem expreſſit: « In fornacem, inquit, miſſi ſunt ſancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expaueſcunt, &c. Oſtendunt iuſtorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet ſanctis cum igne iocari, quibus cum hominibus non licuit commorari; licuit in fornace Deum venerari, quem apud homines non licuit honorari, &c. Licet in pœnâ eſſe ſecuros, quos extra pœnam non licuit eſſe intactos; vt vbi interitus, ibi ſalus; vbi ſupplicia, ibi inuenirentur refrigeria. Offeruntur ignibus iuſti, vinculis colligati, &c. & quos vis humana damnauit, ignis abſoluit, &c. Cùm ad fornacem tyrannus feſtinanter accederet, ſtupet laudem, miratur factum, veneratur Deum cum tribus pueris in fornace, &c. Fit repente confeſſor, qui nuper fuerat perſecutor. Prædicat, quem paulò ante negabat; venerari præcipit, qui venerantes damnauit. »

Aug. ſer. 241 de tēp.

SECVNDA PARS MORALIS.

Act. 19. 2.
PRIMA REFLEXIO. Diſcamus ab his pueris, ſi
Spiritum accepimus credentes, ſi Spiritum ado- Rom.
ptionis filiorum accepimus, ſi Spiritu viuimus, 8. 15. Gal. 5.
ſi Spiritu agimur; nec ignes tyrannorum formi- 25.
dare; quia « perfecta charitas foràs pellit timo- Rom.
rem » & licet altera nobis fornax Babylonica 8. 14.
paretur, nec ſtatuam auream, nec vllum mundi 1. Io. 4. 18.
ſplendorem; ſed in ſpiritu, & veritate, Dominum Io. 4.
Spiritum adoremus. Ignis fornacis exterior, 24.

ſed in Spiritu, & veritate, Dominum Spiritum adoremus. Ignis fornacis exterior, ignem amoris diuini in puerorum cordibus accendit, & vincula ſoluens, eoſque in libertatem aſſerens, linguas in Dei laudem, & ora reſoluit; & linguæ igneæ in Apoſtolos diſpertitæ, noſtras hactenus mutas, & ſilentes, in cantica laudis, ex

Pſ. 144. 21. præcordiis eructanda compellant, « laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius; in ſæculum & in ſæculum ſæculi. » Faceſſat Hippaſus, & Heraclitus, ignem ſolum Deum reputans, verum-

Seneca lib. 3. qq. Nat. q. 13. que omnium principium. Nec Senecam audio dicentem: « ignem eſſe qui occupet mundum, & in ſe cuncta conuertat, &c. In hoc futuri mundi ſpem latere, &c. » Sed Salomonem & Paulum

2. Cor. 5. 5. accipio, hunc aſſerentem, « datum pignus Spiritus in cordibus noſtris: » quo futuræ vitæ ſpem concipimus, « in quo clamamus, Abba, Pater, qui reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei, ſi autem filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. » Illum autem apertè dicentem: « Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. » Et numquid omnia ſicut ignis, in ſe conuertit, qui carbonum nigredinem & frigus, in lucem feruoremque mutauit?

Dionyſ. de cœleſt. hierarch. cap. 15. « Ignis diuinæ proprietatis, ſi licet dicere, in rebus viſibilibus, plurimas ſeruat imagines. In omnibus, & per omnia, ſine admixtione ſui peruadit. Licet lucidiſſimus in ſe, tamen non admotâ materiâ, in quâ vim ſuam oſtendat, in ſe occultus manet. Omnia ſuperat, & ea in quibus inſederit, in ſuum traducit officium. Omnia renouat calore vitali. Diſcernendi vim habet. In ſuperiora ſemper tendit. In quâlibet ſuſcipiente

materiâ, Majeſtatis ſuæ præſentiam indicat, &c. Cúmque omnibus participationem ſuam præbeat, nunquam tamen minuitur.» Hæ ſunt iuxta Dionyſium diuinæ proprietatis imagines, quibus Spiritus ſanctus in linguis igneis expreſſus eſt. « Scrutatur enim omnia Spiritus, etiam profunda Dei. » Inuiſibilis in ſe, per effectus mirabiles ſe prodit in ſuſcipientibus ſe: « faciem terræ noſtræ renouat, ardua quæque ſurſum impellens, « & aſpera in plana facit, &c. » Rubiginem abſtergit vitiorum « Chriſtus enim dum Spiritum ſanctum, qui à ſe procedit, diſcipulorum cordibus tribuit, quidquid eis culpæ ineſſe potuit, emundauit » Duo autem habemus in nobis, quæ purgatione cœleſtis ignis indigent. « Duo ſunt, inquam, quæ in nobis purganda ſunt, intellectus, & affectus: intellectus, vt nouerit; affectus, vt velit: fœlices illi duo viri, Helias & Enoch, quibus omnes materiæ, & occaſiones ablatæ ſunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum; quia ſoli Deo viuentes, nec nouerunt niſi Deum, nec cupiũt niſi Deum.» Et hic eſt ſpiritus duplex ab Eliſæo poſtulatus: « quis eſt ergo ſpiritus iſte duplex qui quæritur, niſi illuminatio intellectus, & affectus purgatio? Res difficilis: quia rarus in terris eſt, qui illum habere mereatur, &c.» Sed heu quàm pauci purgatos habent mentis oculos, & cordis affectus ſanos? « Si enim Apoſtoli adhuc Dominicæ carni inhærentes, quæ ſola ſancta, quia Sancti ſanctorum erat, Spiritu ſancto repleri nequiuerunt, donec tolleretur ab eis: tu carni tuæ, quæ ſordidiſſima eſt, & diuerſarum ſpurcitiarum phantaſiâ repletâ adſtrictus & conglutinatus, illum meraciſſimum Spiritum te poſſe putas ſuſcipere,

Greg. lib. 1. mor. cap. 7.

Ber. ſer. 3. de Aſcenſ.

Bern. Ibid.

Digitized by Google

niſi carneis iſtis cōſolationibus funditus renunciare tentaueris? &c. Emiſſo ergo Spiritu, creatur & renouatur facies terræ, id eſt terrena voluntas fit cœleſtis, parata ad nutum citiùs obedire, &c. Ploremus & oremus, vt dignos nos inueniat, vel potiùs efficiat, & repleat domum iſtam, vbi ſumus ſedentes: quatenus non vexatio, ſed vnctio doceat nos de omnibus: ſicque & intellectu clarificato, & affectu purificato veniat ad nos, & apud nos faciat manſionem.»

SECVNDA REFLEXIO. Vtinam ſicut ſerpens Moyſi deuorauit omnes ſerpentes Magorum, ſic iſte cùm venerit, abſorbeat omnes carnales affectiones, & delectationes noſtras, & conſolationes: itavt de labore requiem, de tribulatione lætitiam, de contumeliis gloriam habeamus: ſicut illi quos repleuerat, ibant gaudentes, & ibant gaudentes à conſpectu concilij.
Ber. ſer. 3. in Aſcenſ. Spiritus enim Ieſu, Spiritus bonus, Spiritus ſanctus, Spiritus rectus, Spiritus dulcis, Spiritus principalis, quicquid in hoc ſæculo nequam videtur difficile, & anguſtum, leue facit & latum. Opprobrium gaudium iudicat, deſpectionem exaltationem eſſe perſuadet.» Vt quid enim hodie contra naturam de cœlo deſcendit ignis in terram, niſi vt pronam in malum corruptamque naturam retroflectat, & rapiat ſurſum? Vel potiùs, vt ille « qui fecit hominem rectum, ſpiritum rectum innouet in viſceribus noſtris » iuxta ſecundum Adam, « faciat hominem in ſpiritum viuificantem.» Violentum quidem eſt, & contra naturam ſuperbi, iracundi, lubrici, tenacis, & pigri, deſpici, humiliari, parcere lædenti, carnem domare, propria largiri, viam currere mandatorum: & tamen: « Spiritus vitæ erat in

Prou. 7. 30. Pſ. 50. 11. 1. Cor. 15. 45. Ezech. 1. 20 & 13. 14.

Digitized by Google

rotis, & ibant animalia ſicut aſpectus carbonum ignis ardentium, in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, & vbi erat ſpiritus impetus illuc gradiebantur. » Et quid Paulus? « quotquot Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. » Quid Augustinus? « Non enim, inquit, qui ſpiritu ſuo agunt, ſed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei. Non quia ipſi nihil agunt, ſed ne nihil boni agant, à bono aguntur, vt agant. Nam tantò magis efficitur quiſque filius bonus, quantò largius ei datur à Patre Spiritus bonus. » Quid Tertullianus? « Regula, inquit, fidei eſt, &c. in Cœlos ereptum, ſedere ad dexteram Patris. Miſiſſe vicariam vim Spiritus ſancti qui credentes agat. » Non neceſſitate, non coactione, non libertatis violatione, ſed ſuauitatis & voluptatis infuſione, ad meliora, & ipſius naturæ rectæ conformiora pellente. Quid enim melius, quàm vt mala arbor in bonam mutata bonos fructus faciat, & lapides in filios Abrahæ, & genimina viperarum in pœnitentiæ fructum conuertantur? « Non dabit arbor mala bonos fructus, ſi non inſeratur; & bona malos dabit, ſi non colatur; & lapides filij Abrahæ fient, ſi in fidem Abrahæ formentur; & genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, ſi venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis diuinæ gratiæ, potentior vtique naturâ, habens in nobis ſubiacentem ſibi liberam arbitrii poteſtatem, quod ἀυτεξούσιον dicitur. Quæ cùm ſit & ipſa naturalis, atque mutabilis, quoquò vertitur, naturâ conuertitur. » Ideo & « ſedit ſupra ſingulos eorum » vt ſe Dominum probet, quia « Spiritus vbi vult ſpirat. » Et Paulus eius Dominum agnoſcit ſubigens ſibi hominis libertatem, vbi ait: « nos autem reuela-

Aug. concio. 27. in Pſ. 118.

Tertul. de præſcrip. cap. 13.

Tertul. de Anima cap. 21.

Act. 2. 3.
Io. 3. 8.
2. Cor. 3. 18.

Digitized by Google

tâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, de claritate, in claritatem, tanquam à Domini Spiritu. »

Tertia Reflexio. Attende diligenter, in Scripturâ, & ignem dictum ante faciem Dei præcedere, & Spiritum ſanctum, ignem eſſe, à facie Dei exardentem. « Vtrumque de illo legis, & ignem videlicet ante ipſum præcedere, & ipſum nihilominus ignem eſſe. Moyſes ſiquidem de illo dicit, quia Deus ignis conſumens eſt. Differunt autem quòd is qui præmittitur ignis, ardorem habet, ſed non amorem : coquens, ſed non excoquens : mouens, nec promouens. Tantùm ad excitandum præmittitur & præparandum, ſimulque ad commouendum, quid ex te ſis, quò dulcius ſapiat poſtmodum quod ex Deo mox eris. At verò ignis qui Deus eſt, conſumit quidem, ſed non affligit : ardet ſuauiter, deſolatur fœliciter. Eſt enim verè carbo deſolatorius, ſed qui ſic in vitia exerceat vim ignis, vt in animâ vicem exhibeat vnctionis. Ergo in virtute quâ immutaris, & in amore quo inflammaris, Deum præſentem intellige : nam dextera Domini facit virtutem. Non autem fit hæc mutatio dexteræ Excelſi, niſi in feruore Spiritus, & in charitate non fictâ, ita vt dicat qui huiuſmodi eſt: concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardeſcet ignis. Porro, hoc igne, conſumptâ omni labe peccati, & rubigine vitiorum, ſic iam emundatâ ac ſerenatâ conſcientiâ, ſequatur ſubita quædam atque inſolita latitudo mentis & infuſio luminis illuminantis intellectum, vel ad ſcientiam Scripturarum, vel ad myſteriorum notitiam ; quorum alterum propter nos, alterum propter ædificandos proximos:

Ber. ſer. 57. in Cant. Deut. 4. 24. Pſ. 117. 16 Pſ. 76. 11. Pſ. 38. 4.

oculus reſpicientis proculdubio eſt iſte, educens quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, &c. Poſt hunc tantæ dignationis ac miſerationis reſpectum ſequitur vox blandè & leniter diuinam inſinuans voluntatem; quæ non eſt aliud quàm ipſe amor, qui otioſus eſſe non poteſt, de his quæ Dei ſunt ſollicitans, & ſuadens. Denique audit ſponſa vt ſurgat & properet; haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc ſiquidem vera & caſta contemplatio habet, vt mentem quam diuino igne vehementer ſuccenderit, tanto interdum repleat zelo, & deſiderio acquirendi Deo, qui eum ſimiliter diligant, vt otium contemplationis, pro ſtudio prædicationis libentiſſimè intermittat.» Vtinam & nos ardentes zelo proximos eodem igne ſuccendamus. Pſ. 36. 6.

QVARTA REFLEXIO. Tria nos docuit D. Bernardus à Spiritu ſancto accipere, pignus ſalutis, robur vitæ, lumen ſcientiæ. « Pignus ſalutis, vt ipſe Spiritus reddat teſtimonium ſpiritui tuo, quod ſis Filius Dei, qui certiſſima ſigna prædeſtinationis tuæ cordi tuo imprimat & oſtendat. Qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cœli, ſi non continuè, tamen ſæpiſſimè mentem tuam impinguet. Robur vitæ (id enim præſtat ignis de cœlo miſſus in oſſibus noſtris,) vt quod per naturam tibi eſt impoſſibile, per gratiam, non ſolùm impoſſibile, ſed & facile fiat. Ita vt in laboribus, in vigiliis, in fame, & ſiti, & in omnibus obſeruantiis, quæ niſi farinulâ iſtâ dulcorentur, prorſus mors in ollâ appareat, delectabiliter incedat, ſicut in omnibus diuitiis. (Quin & deliciis ingreditur per deſertum affluens innixa ſuper dilectum) ſcientiæ lumen, vt cùm om- Ber. ſer. 2. in Pent. 2. Cor. 11. 27. 4. Reg. 40. Cant. 8. 5. Luc. 17. 10.

Digitized by Google

nia benefeceris, te ſeruum inutilem putes: & quidquid boni in te inueneris, illi tribuas, à
Io.15.5. quo omne bonum eſt, ſine quo non parum aliquid, ſed nihil omnino potes incipere, non perficere dicam. Sic ergo Spiritus iſte in tribus iſtis te docebit omnia: ſed omnia quæ ad tuam pertinent ſalutem, quia in ipſis eſt plena & abſoluta perfectio. Hoc eſt quod per Prophetam
Oſeæ 10. 12. idem Spiritus dicit; ſeminate vobis ad iuſtitiam; vbi pignus ſalutis oſtenditur: metite ſpem vitæ, vbi vitale robur accipitur: illuminate vobis lumen ſcientiæ, quod verbis propriis ſubinfertur. Vnde & Spiritus iſte ſuper Apoſtolos in igne apparuit, propter lumen pariter & ardorem: quos enim repleuerit, & ſpiritu feruere, & in veritate cognoſcere facit,
Aug. quia ſola miſericordia eſt, quæ eos præuenit & perducit.»

O vtinam arderem ex te ignis ſancte, quàm
Aug. Medit. cap. 9. ſuauiter luces, quàm dulciter ardes, quàm ſanctè & deſideranter aduris.« O diuini amor numinis, Patris omnipotentis, Proliſque beatiſſimæ, ſancta Communicatio, Omnipotens Paraclete Spiritus, mœrentium conſolator clementiſſime, iã cordis mei penetralibus potenti illabere virtute. Scio Domine, ſcio & fateor, quia non ſum dignus quem tu diligas, ſed certè non es indignus quem diligam, indignus quidem ſum tibi ſerui-
Et 10. re, ſed tu non es indignus ſeruitio creaturæ tuæ. Da ergo mihi Domine vnde tu es dignus, & ego ero dignus, vnde ſum indignus, &c.»

Cypr. de Spiritu ſancto. «Adeſto ſancte Spiritus & paracleſin tuam expectantibus illabere cœlitus. Sanctifica templum corporis noſtri, & conſecra inhabitaculum tuum. Deſiderantes te animas tuâ præſen-

tiâ lætifica; dignam te habitatore domum compone: adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circunda varietatibus virtutum. Sterne pauimenta pigmentis, niteat manſio tua carbunculis flammeis, & gemmarum ſplendoribus, & omnium chariſmatum intrinſecus ſpirent odoramenta: affatim balſami liquor fragrantiâ ſuâ cubiculum tuum imbuat, & abigens inde quidquid tabidum eſt, quidquid corruptelæ ſeminarium, ſtabile & perpetuum hoc, facias gaudium noſtrum; & creationis tuæ renouationem, in decore immarceſſibili ſolides in æternum. » Sic ô ignis à facie Patris exardens, carbones extinctos accende, vt hîc « in medio lapidum ignitorum ambulantes » in cœlo cum beatis Seraphim volemus & ſtemus, inceſſanter cum omnibus ſanctis in iubilo Sanctus, Sanctus, Sanctus clamantes. Amen.

Ezech. 28.14. Eſa. 6. 3.

Google

FERIA II. PENTECOSTES.

Spiritum nolite extinguere.
1. Theſſal. 5. 19.

DIuinus, ac cœleſtis prorſus, Spiritus ſancti Diſcipulus, in cœlis conuerſatus, vt fieret totius magiſter Eccleſiæ, « Paulus, altiorem & profundiorem Theſſalonicenſibus, & in eis, fidelibus omnibus lectionem, ſubtiliorem, vtiliorem que doctrinam continentem præſcribere non potuit, quàm paucis terminis, in noſtro (1. Theſ. 5. 19.) themate collectis, ſcribendo: « Spiritum nolite extinguere. » Quaſi diceret: fratres, in cæcâ nocte agitis, per prærupta & præcipitia mundi ambulatis: vobis ignea lampas Spiritus ſancti à Deo data eſt: cauete, ne ventus tentationis, nę tempeſtas tribulationis, multò magis, ne flatus ſpontaneus propriæ voluntatis, hunc ignem prælucentem vobis extinguat. O Virgo, Virginum prudentiſſima, & mulier fortiſſima de quâ Salomon prædixit, euentu Prophetiæ certiſſimo: (Prou. 31. 18.) « Non extinguetur in nocte lucerna eius. » Heu quoties lampades noſtræ, ſicut virginum fatuarum, defectu olei extinguuntur. (Matth. 25. 8.) Da nobis de oleo tuo. Nec eſt quòd cum prudentibus, nos ad vendentes mittas, aliquem tibi cauſſata defectum. (Matth. 25. 9.) Non eſt quòd dicas: « ne fortè ſufficiat nobis, & vobis: » te enim oleo gratiæ plenam

Digitized by Google

docuit, qui te gratiâ plenam ſalutauit: Aue.

EXORDIVM.

Vix recolo legis Euangelicæ, ſuper Moſaïcam priuilegia, nobis Dei largitate conceſſa, quin cum Paulo, vmbram, & noctem, veteris teſtamenti Patribus incubuiſſe pronuntiem; & cum ipſo glorier, nos poſſidere lucem, veritatem, & rem, cuius Patres noſtri craſſam, rudem, ac vacuam captabant imaginem. Quæ enim exitus noſtri de ſeruitute diaboli & peccati, cum exitu de Ægypto comparatio? tranſitus maris rubri, cum in ſanguine Agni peccatorum omnium ablutione? Manna deſerti, cum Euchariſtico, & verè Angelico cibo? terræ promiſſæ lacte & melle exundantis, cum torrente voluptatis, & perenni gaudio in Cœlo Empyreo? Quæ tandem columnæ nubis, & ignis, cùm Spiritu ſancto manifeſtè dato Apoſtolis, & Eccleſiæ, collatio? « Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam pátres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari; & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt; bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petrâ, petra autem erat Chriſtus, &c. Hæc autem in figurâ facta ſunt, noſtri &c. Hæc autem in figurâ contingebant illis.» Pſaltes item iuxta Auguſtinum, in columnâ legis vmbras intellexit « In columnâ nubis loquebatur ad eos. Quid eſt in columnâ nubis? loquebatur per figuras. Si enim in quadam nubeculâ loquebatur, obſcura illa dicta, neſcio quem manifeſtum præſignabant. Ille autem neſcio quis,

Coloſſ. 2.17.

Gal. 4. 9.

1. Cor. 10. 1.

Aug. in Pſ. 98.

iam non eſt neſcio quis, quia ſcitur à nobis Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Qui primò loquebatur in columnâ nubis, ipſe locutus eſt in ſcabello pedum ſuorum, id eſt, in terrâ, aſſumptâ carne; vnde adoramus ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Ipſe de nube loquebatur, quod tunc intelligebatur: locutus eſt in ſcabello pedum ſuorum, & intellecta ſunt verba nubis eius. » Sed nunc in rem noſtram aptiùs, ſecundùm Origenem, in columnâ nubis & ignis, Spiritum ſanctum intelligo. « Nubes quidem tenebroſa & illuminans noctem » veteris legis; de quâ Pſaltes: « tenebroſa aqua in nubibus aëris. In Prophetis enim atque in omnibus diuini verbi prædicatoribus obſcura doctrina. » Poſt aduentum verò Chriſti, Spiritus ſanctus in nube, ſed nube lucidâ obumbrauit Apoſtolos. Hæc olim nubes tonabat minis, coruſcabat interdum miraculis, & rorem aliquem cœleſtis gratiæ quibuſdam ſanctis Patribus aſpergebat: ſed « nondum plenè Spiritus erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. » Magna quidem Dei ſuper Iſraëlitas miſericordia, quòd Dominus in nube dux eorũ fuit quadraginta annorum ſpatiò in deſerto: « deduxit eos in nube diei, & totâ nocte in illuminatione ignis. » Quod licet Auguſtinus Chriſto applicet: « Ipſe, inquit, rectos faciet curſus tuos, & itenera tua in pace diriget, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cuius in hoc ſæculo, tanquam in die, Sacramentũ manifeſtum eſt in carne velut in nube, in iudicio verò, tanquam in terrore nocturno, quia tunc erit magna tribulatio ſæculi, tanquam ignis: & lucebit iuſtis, & ardebit iniuſtis: » Aptiùs tamen nunc in rem noſtram, Spiritus ſanctus qui Virginem,

Exod. 14. 20. Aug. in Pſ. 17. Io. 7. 39. Pſ. 77 14. Aug. Ibid. Prou. 4. 27.

vt nubes ab ardore concupiſcentiæ obumbrauit, fideles, & electos ab æſtu tentationum protegit, & frequenti gratiarum imbre compluit, quamdiu vſque in finem ſæculi, in deſerto vitæ « peregrinatur à Domino» & totâ nocte, ſuâ luce & inſpiratione «dirigit in ſemitam rectam mandatorum » donec introducat eos in terram cœli promiſſam. Sed heu, miſeri, nos frequenter ab eius vmbraculo ſubtrahimus, & præeuntem lucernam extinguimus, digni planè trinâ illâ vindice pœnâ, & imprecatione propheticâ; « fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. » Vbi D. Auguſtinus: « horrenda, inquit, via. Tenebras ſolùm quis non horreat? lubricum ſolum, quis non caueat? In tenebris, & lubrico quà is? vbi pedem figis? Sunt iſta mala, magnæ pœnæ hominum: tenebræ, eſt ignorantia: lubricum, eſt luxuria. Fiant viæ eorum tenebræ, &c. vt non poſſint ſtare, &c. Hæc eis futura prædixit, non quaſi vt euenirent, optauit. Quanquam & Propheta in Spiritu ſic ea dicat, quomodo illa Deus facit: certo iudicio, bono, iuſto, ſancto, tranquillo, non perturbatus irâ, non amaro zelo, non animo inimicitiarum exercendarum, ſed iuſtitiâ vitiorum puniendorum. » Finge te in viâ lubricâ, iuxta præcipitia, intempeſtâ nocte, inimico perſequente iter agere, præcedente lucifero puero. Quid ſi datâ operâ in teipſum crudelis, lampadem manibus eius excuteres, & extingueres? quis miſereatur tui? quis tuæ compatiatur ruinæ. O nos ſimiles qui in mediâ ignorantiâ nocte, viâ deuiâ, ſalebroſâ, lubricâ, periculis plenâ, inſequente nos angelo malo, præcedentem columnam ignis & gratiam Spiritus ſancti peccato voluntario

2. Cor. 5. 6.

Pſ. 26. 11.

Pſ. 34. 7.

Aug. Ibid.

Digitized by Google

frequenter extinguimus; & ſæpiſſimè per Angelos bonos, prædicationes, exempla, ducentem in viam rectam non ſequimur, pro luce tenebras; pro rore, & pluuiâ gratiæ, fulmina grandinemque paſſuri. Ne tantis calamitatibus obruamur, Paulum monentem audiamus: « Spiritum nolite extinguere. » Ac primò videamus an Spiritus extingui poſſit, ſecundò quomodo & à quibus extinguatur; reflexiones morales congruas colligentes.

DIVISIO.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Petrus adgratulans Coapoſtolo ſuo Paulo: « Chariſſimus, inquit, frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, &c. In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Vos igitur, fratres, præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti, excidatis à propriâ firmitate. » Inter hæc difficilia, error potiſſimè cauendus eſt circa duos ſcopulos, in quos indocti & inſtabiles impingunt, qui ad rem noſtram, ſecundùm ſanum intellectum pertinent; de non extinguendo Spiritu, & non contriſtando. Scribens enim ad Epheſios Paulus, cùm multa de Spiritu dixiſſet, de ſeruandâ ſolicitè vnitate Spiritus, in vinculo pacis, de vno corpore & vno ſpiritu, de renouando ſpiritu mentis: » Tandem concludit: « Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis, in diem Redemptionis. » De quo & Tertullianus; « In primis benedicti, nolite contriſtare Spiritum ſanctum, qui vobiſcum introiit carcerem

2. Pet. 3. 15.

Epheſ. 4. 3. 4. 8. 23. 30.

Tertullian. ad Mart. cap. 1.

carcerem. Si enim non vobiſcũ nunc introiſſet, nec vos illic hodie fuiſſetis. Et ideo date operam, vt illic vobiſcum perſeueret, ita vos inde perducat ad Dominum.» Et hîc idem Paulus: «Nolite, inquit, extinguere ſpiritum.» Et quomodo extingui poteſt, cùm ſit inextinguibile lumen illius?» Quomodo contriſtari, cuius fructus eſt gaudium? «Spiritus ſanctus eſt Deus, in quo non cadit paſſio aliqua vel triſtitia. Dicendum eſt, quòd eſt metaphorica locutio. Sicut enim Deus dicitur iraſci propter ſimilitudinem effectus: ita etiam dicitur contriſtari; quia ſicut quando aliquis contriſtatur, recedit à contriſtante, ita Spiritus ſanctus à peccante. Et ſic eſt ſenſus: Nolite contriſtare, id eſt nolite eum contriſtare, vel expellere per peccatum. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.» Non ergo in ſeipſo Deus Spiritus immutabilis, aliquâ perturbatione mutatur; vel omnia viuificans extinguitur, ſed vt ait Auguſtinus: «Immutabilis, mutans omnia: numquam nouus, numquam vetus, innouans omnia, & in vetuſtatem perducens ſuperbos, & neſciunt, &c. Amas nec æſtuas; zelas, & ſecurus es; pœnitet te, & non doles; iraſceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas conſilium.» De triſtitiâ autem ſpecialiter. «Videamur, inquit, ita dicere, requieſcere Deum, cùm nos requieſcere facit, ſicut dicitur cognoſcere, cùm efficit vt cognoſcamus, &c. Et hoc locutionis modo arbitror dictum illud ab Apoſtolo: Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei. Neque enim ipſa Spiritus ſancti, quæ eſt quidquid ipſe eſt, ſubſtantia, contriſtari

1. Theſ. 5. 19. D. Th. lect. 1. in c. 4. Epheſ.

Sap. 1. 5.

Aug. 1. cõfeſſ. cap. 4.

Lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 9.

Digitized by Google

poteſt, cùm habeat æternam, atque incommutabilem beatitudinem, magiſque ſit ipſa æterna, & incommutabilis beatitudo: ſed quia ita in ſanctis habitat, vt eos impleat charitate, quâ neceſſe eſt vt homines ex tempore gaudeant profectu fidelium, & bonis operibus; & ideo neceſſe eſt, etiam contriſtentur lapſu vel peccatis eorum, de quorum fide & pietate gaudebant; quæ triſtitia laudabilis eſt, quia venit ex dilectione, quam Spiritus ſanctus infundit. Propterea ipſe Spiritus dicitur contriſtari ab eis qui ſic agunt, vt eorum factis contriſtentur ſancti; non ob aliud, niſi quia Spiritum ſanctum habent, quo bono tam boni ſunt, vt eos mali mœſtificent, hi maximè quos bonos fuiſſe, ſiue nouerunt, ſiue crediderunt.» Et rurſum. « Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei: hoc eſt nolite nos contriſtare, qui ſecundùm Spiritum Dei contriſtamur ex vobis; charitate quippe contriſtabantur, quam diffundebat Spiritus ſanctus in cordibus eorum Et per hoc de malis fratrum triſtes ipſe faciebat.» Hinc Doctor Angelicus perpetuò ex fonte Auguſtini hauriens, « Spiritus ſanctus, inquit, dicitur contriſtari, quando contriſtatur ille in quo eſt Spiritus ſanctus. Vnde Chriſtus, qui vos ſpernit, me ſpernit. Et Eſaïas: ipſi ad iracundiam prouocauerunt eum, & afflixerunt Spiritum ſanctum eius, & conuerſus eſt eis in inimicum, &c. Igitur non eſt contriſtandus Spiritus ſanctus, & hoc propter beneficium: ideo ſubiungit, in quo ſignati eſtis, id eſt, reformati eſtis, & ab aliis diſtincti. Qui autem habet hoc ſignum ſecum, habebit vitam æternam. Ideo ergo eſt cuſtodiendus, & nullo modo contriſtandus, quia ſine eo non eſt vita æterna. Signauit nos Deus,

Aug. contra Ser. Arian. cap. 24.

D. Th. lect. 10. in Epheſ. 4.

Luc. 10. 16.

Eſa. 63. 10.

Digitized by Google

& dedit nobis pignus Spiritus. Et quando? In die Redemptionis. Id eſt baptiſmi, in quo fit homo particeps Redemptionis factæ per Chriſtum. Et niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt ingredi in regnum Dei. Et baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.» Sed quid eſt quod ait,« in quo ſignati eſtis?» An Spiritus ſanctus vi originis ſigillum eſt. & imago Verbi? Baſilium accipite: « Imago, inquit, vera, ex imagine verâ, (qui ex Patre Filioque procedit qui eſt imago Patris. Spiritus autem licet verè ſit Deus, de Deo, non tamen propriè & formaliter procedit vt imago) ſicut nos propterea aſſimilat ad imaginem & efficit, non efficitur: & vnctio eſt, & non inungitur.» Deinde vtitur ſimili, quo pictor vel ſculptor iuxta exemplar expreſſum in mente, ſimilitudinem eius alicui materiæ imprimit. « Quomodo, inquit, ad ſimilitudinem creatura aſcendet, niſi diuino characteri participarit? Diuinus verò character viuens, & imago imaginis efficiens, quâ imagines Dei efficiuntur. Imago Dei inuiſibilis Chriſtus. Imago verò Filij Spiritus; quo qui participant, conformes filii fiunt.» Dehinc probat Spiritum ſanctum eſſe imaginem veram & naturalem Patris & Filii. « Spiritus, inquit, non eſt creatura, ſed ſanctitatis Dei character, & omnis ſanctificationis fons, in ſanctificatione Spiritus vocati ſumus, vt Apoſtolus docet. Hic nos renouat, & rurſus imagines efficit Dei per regenerationis lauacrum, & innouationem Spiritus ſancti, Deo adoptamur. Noua iterum creatura participans Spiritu, quo priuata inueterauerat. Imago & iterum Dei homo, qui à diuinâ ſimilitudine decidit, & iumentis inſipientibus

2. Cor. 1. 22. Io. 3. 5. Act. 1. 5. Baſil. lib. 5. contra Eunomium. cap. 6. Coloſſ. 1. 15. Rom. 8. 29. Baſil. Ibid. ſupra cap. 8. 1 Theſ. 4. 7. Tit. 3. 5. Pſ. 48. 13. Eccl.

1. Cor. 15.15. ſimilis factus, ſimilis iumentis ſecundùm mortem. (Idem enim exitus hominis & iumenti.) Sed nunc, qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora noſtra, per Spiritum eius qui in nobis inhabitat. » Et hæc eſt dies conſummatæ redemptionis, ad quam plenè conſequendam, ſignati ſumus Spiritu ſancto, non vt oues, & pecudes, vel vt Iudæi circumciſi, ſed in corde Spiritu ſancto ſignati. Sicut viduæ domus, & arcæ ſignantur poſt mortem viri. Zelotes enim Spiritus, « pone me, inquit, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum. » Zelatur enim & amat, licet ſecurus non æſtuet, dum lectulum ſuum, & cubile thalamumque nuptialem, reſignato fidei ſigillo, videt dilatari, & ab adulterâ ſponsâ, riualem creaturam ad amplexus admitti. Signat cor, manus, oculos, aures, &c. Ne quid præter eum, vel niſi propter eum, cogitetur, ametur, videatur, &c. Triſtatur itaque Spiritus, quia deſertam ſponſam infidelem, gaudio abſcedente, in triſtitiâ relinquit, ſicut recedente ſole, triſtis hyems dicitur; & Rege Metropoli egrediente, vrbs deſolata, & quaſi ſola in luctu verſatur. Sic ex Paulo « tribulatio, & anguſtia in animam operantis malum. »

Cant. 8. 6.

Eſa. 57. 8.

Rom. 2.9.

Similiter intellige quo ſenſu dixerit Paulus: Spiritum nolite extinguere. Ita enim expoſuit D. Auguſtinus, cùm de Sacramentis ageret, quæ miniſtrorũ indignitate non polluuntur: « Cõſtat, inquit, ſanctitatem Sacramentorum in peruerſis & ſceleratis hominibus, ſiue in eis qui intus ſunt,

Aug. lib. 2. cont. ep. Parmeniani c. 13.

ſiue in eis qui foris ſunt, (ſchiſmaticis & hæreticis,) impollutam, atque inuiolabilem permanere; & quia dicuntur ea mali polluere, quantū in ipſis eſt, dicuntur; cùm illa impolluta permaneant; ſed in bonis permanent ad præmium; in malis permanent ad iudicium. Nam & de Spiritu, qui nullo modo poteſt extingui, dictum eſt tamen, Spiritum nolite extinguere: id eſt, quantùm in vobis eſt, nolite ſic agere, tanquam conemini Spiritum extinguere, aut tanquam Spiritum extinctum putetis. Et nomen Dei nullo modo pollui poteſt, & tamen dictum eſt: filius & pater intrabant ad vnam puellam, vt polluerent nomen Domini Dei ſui. » Et vbi de parentibus paruulos ſuos ſacrilegiis dæmoniorum obligantibus. « Rectè, inquit, illis dicitur, quando ab hoc ſcelere prohibentur, nolite occidere paruulos veſtros: dicit enim & Apoſtolus, Spiritum nolite extinguere. Non quia ille extingui poteſt; ſed quantùm in ipſis eſt extinctores eius meritò dicuntur, qui ſic agunt, vt extinctum velint. » Et cùm exponeret Pſaltis verſiculum: « Deum exquiſiui manibus meis, nocte coram eo, & non ſum deceptus. Vultis, inquit, videre quia nox eſt? niſi lucernam hîc haberemus, in nocte permaneremus. Petrus enim dicit; & nos habemus certiorem propheticū ſermonem, cui benefacitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obſcuro loco, donec dies luceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris. Venturus eſt ergo dies, poſt hanc noctem. Interim in hac nocte lucerna non deſit; & hoc eſt fortaſſe quod nunc facimus: has literas exponendo, lucernam inferimus, vt in hac nocte gaudeamus: quæ quidem debet accenſa eſſe ſemper in cordibus veſtris. Talibus enim

Aug. ep. 23. ad Bonifaciū.

Aug. in Pſ. 76.

2. Pet. 1. 19.

dicitur: nolite Spiritum extinguere. Et tanquam exponens quid diceret, ſecutus ait, prophetiam nolite ſpernere. Id eſt lucerna in vobis ſemper luceat. Et hæc quidem lux in comparatione cuiuſdam ineffabilis diei, (in quâ ſecundùm Pau-
1. Cor. 13.8. lum, prophetiæ ceſſabunt, & ſcientia deſtruetur) nox dicitur. Nam ipſa vita fidelium, in comparatione vitæ infidelium, dies eſt. » Doctor
D. Th. lect. 2. in 1. Theſſ. 5 item Angelicus eundem locũ exponens: « Oſtendit, inquit, quomodo ſe habeant ad dona Dei, & primò quòd ea non impediant. Secundò quòd ea non contemnant. Spiritus autem ſanctus, eſt perſona diuina incorruptibilis, & æterna: vnde in ſua ſubſtantia non poteſt extingui. Sed tamen dicitur quis extinguere Spiritum; vno modo, feruorem eius extinguendo in ſe, vel in alio. Ait
Rom. 12. 11. enim Apoſtolus, Spiritu feruentes. Cùm enim aliquid boni ex feruore Spiritus ſancti vult facere; vel etiam cùm aliquis bonus motus ſurgit,
Act. 7. 51. & ipſe impedit, extinguit Spiritum ſanctum. De quo Stephenus, vos, inquit, ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Alio modo, mortaliter peccando. Spiritus enim Sanctus in ſe ſemper viuit: ſed in nobis viuit, quando nos facit in ſe viuere. Sed quando quis mortaliter peccat, non viuit in ipſo Spiritus ſanctus. Tertio modo occultando, quaſi dicat, ſi donum Spiritus ſancti habetis, vtimini eo ad vtilitatem proximorum. Aliàs Eccleſia-
Eccli. 20. 32. Matth. 5. 15. ſticus: ſapientia, inquit, abſcõdita, & theſaurus, quæ vtilitas in vtriſque? Et nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio. Vnde ſubiicit Paulus: Prophetias nolite ſpernere. Aliqui enim apud iſtos ſpiritu Prophetiæ erant pollentes,
1. Cor. 14. 1. qui ab iſtis reputabantur inſani. Contra quos Paulus, æmulamini, inquit, ſpiritualia: magis

autem vt prophetetis. Vel Prophetias, &c. id eſt, diuinam doctrinam. Exponentes enim eam, dicuntur Prophetæ. Quaſi dicat, non ſpernatis verba Dei, & prædicationes. (Qui enim vos ſpernit, me ſpernit.) Vnde & querebatur Ieremias: factus eſt ſermo Domini mihi in opprobrium, & deriſum totâ die. »

Ier. 20. 8.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Heu quoties, & ego cum ſancto Iob quæram, lugens præ dolore cordis, de contemptu Spiritus: « quoties lucerna impii extinguetur? » quem locum breuiter Auguſtinus de claritate temporali intelligit, & paulò fuſiùs Gregorius: « Sæpè, inquit, impius lucernam ſuam, filiorum vitam æſtimat: ſed cùm filius qui nimium amatur, ſubtrahitur, lucerna impii quæ videbatur, extincta eſt. Sæpè impius præſentis honoris gloriam, lucernam putat: ſed dum ſublatâ dignitate deiicitur, lucerna extincta eſt, quæ ei iuxta deſiderium lucebat. Sæpè impius opes terrenæ ſubſtantiæ adeſſe ſibi quaſi magnam luminis lucernam putat: ſed cùm irruente damno, diuitias quas plùs ſe amabat, perdiderit, quid iſte aliud quàm lucernam, in cuius lumine gaudebat, amiſit? » Ego verò lucernam impii, donum Spiritus accipio: & impium rectè, donum pietatis extinguentem appello. An non impius Atheus, & libertinus, qui vel omnino negat Spiritum, vel neque ſi ſit Spiritus ſanctus, audiſſe ſe dicit? An non impius Arrianus, qui Spiritus ſancti diuinitatem, & conſubſtantialitatem, vel à Patre & Filio proceſſionem extinguit? Non impius Caluinus,

Iob. 21. 17. Aug. Ibid. Greg. lib. 15. mor. cap. 29.

Eſa. 26. 12.

Digitized by Google

Rom. 8 14.

Aug. ſer. 13. de verbis Apoſt.

qui malè Scripturas intelligens, omnia opera noſtra, & proinde etiam mala, Spiritum in nobis operari blaſphemat? Non intelligens Paulum dicentem; qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei » & D. Auguſtinum interpretem: « & agis & ageris: ſed tunc benè agis, ſi à bono ageris.» An non impii, qui ſcandalo, & exemplo malo, vel ſuaſione diabolicâ, velut inſtrumenta diaboli, Dei gratiam, vt lucernam accenſam in proximis extingunt? Non impii parentes, imò peremptores & parricidæ, qui conceptos pietatis ignes, in liberis, & ſanctum religionis propoſitum, flatu vanitatis vt lucernam extingunt? Digni planè, qui deficiente in vaſis chryſtallinis oleo deuotionis & gratiæ, extinctâ luce & rupto frequenter, magno familiæ ſcandalo, vaſculo caſtitatis, fœtenti infamiæ fumo, tota domus & familia aſpergatur. Non denique impii, qui lucernam inſpirationis, aut prædicationis extingunt?

Aug. de correp. & gratia. cap. 14.

SECVNDA REFLEXIO. Prudenter enim, & cautè, propter Concilii Tridentini, & Innocentii X. Conſtitutionis reuerentiam, aduertendum eſt, Spiritui ſancto poſſe reſiſti; & eius gratiam extingui. Et rurſum, ex hypotheſi gratiæ efficacis. à Spiritu ſancto collatæ efficaciter, eam non poſſe eſſe non efficacem, propter debitum, & hactenus ab Eccleſiâ redditum Sancto Patri Auguſtino honorem. « Cui, inquit, volenti ſaluum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, & nolle, in volentis, & nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem, &c. Habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.»

Voluntati enim eius quis reſiſtet? Tu terribilis Rom.
es, & quis reſiſtet tibi? reſiſtitur tamen & Spiri- 9. 19.
tui, per Prophetas, & prædicatores loquenti ex- Pſ. 75.
teriùs; imò etiam interiùs; dum gratia quæ vni ſufficit; minus concupiſcentiæ carnalis habenti, vt ad id quod facere inſpiratur, de facto impellatur: quod alteri non ſufficit, plus concupiſcentiæ, & reſiſtentiæ habenti, & impedienti, quominus impellatur. Et hi quidem contra Spiritum, impietatis rei tenentur, qui lucernam eius extingunt.

Tertia Reflexio. Sunt & alii, qui ſuperbo vanæ gloriæ flatu accenſam in ſeipſis Domini lucernam extinguunt, Heli Sacerdoti
ſimiles, de quo ſcriptum eſt; « non poterat vide- 1. Reg.
re lucernam Domini donec extinguereretur. » 3. 3.
Vbi Gregorius contra Paſtorem cæcum. « Lu- Greg. lib. 2.
cerna Dei, inquit, iam non veritate laudis, ſed in 1.
per improperium appellatur derisionis, &c. Reg. 3.
Prædicator etiam carnalis dicitur lucerna per cap. 4.
officium, cæca per intentionem, quia dignitate fungitur præbendi luminis, ſed mentem figit in tenebris vanitatis. » Cui addo, vanum, ſuperbum, de ſe præſumentem, & non agnoſcentem,
quod « omne datum optimum, & omne donum Iac. 1.
perfectum, de ſurſum eſt à Patre luminum, apud 17.
quem non eſt transmutatio: » Non poteſt videre lucernam, quam ſuam eſſe præſumebat, & ſuis meritis & viribus arrogabat, lucernam eſſe Domini donec extinguatur, hoc eſt ab eo auferatur.
« Auferetur enim ab impiis lux ſua. » Hinc S. Iob. 38.
Iob: « verumtamen quia non ſunt in manu 15.
eorum bona ſua, conſilium eorum longè ſit à Iob. 21.
me. » Et ſua dicit bona, quia data ſunt eis: & 16.
tamen ſua non ſunt, quia in manu eorum, &

Digitized by Google

poteſtate non ſunt poſita, vt ea quamdiu voluerint, conſeruare poſſint. « Quis enim continuit Spiritum in manibus ſuis ? » Vnuſquiſque ergo attendat in Pentecoſte cum Cypriano, quod « ſacratus hic ſeptenarius numerus, à conditione mundi authoritatem obtinuit: quoniam in ſex diebus prima Dei opera patrata ſunt, & ſeptima conſecrata quieti, quaſi ſancta, & ſanctificans, ſolemnitate vacationis honorata, & Spiritui ſanctificatori articulata.(Et numerus hic virgo cenſetur, quia indiuiſibilis eſt inter partes æquales ; vt qui rectè offert Deo, ſciat ſe non rectè diuidere, ſi gloriam ſoli Spiritui debitam cum eo partiri velit.) Vnde & ceſſanti à ſeruilibus operibus populo iubetur, vt diem ſabbati ſanctificet, & Spiritui rectitudinis, & ſanctitudinis, & fortitudinis adſcribat, quòd directè, quòd honeſtè, quòd viriliter incedit : quia totum ex eius conſtat ducatu, quòd deuii diriguntur, quòd impii conuertuntur, quòd debiles confirmantur. Spiritus rectus, Spiritus ſanctus, Spiritus principalis, regit, componit, conſummat, & perficit, quas inhabitat mentes, & corda quæ poſſidet: nec errare patitur, nec corrumpi, nec vinci quos docuerit, quos poſſederit, quos gladio potentiſſimæ virtutis accinxerit.» Hoc docuit Pſaltes, cùm diceret, « Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.» Vbi S. Auguſtinus in priorem verſum: « doce me vt faciam voluntatem tuam quia tu es Deus meus. O Confeſſio ! ô præſcriptio ! (& quàm antiqua præſcriptio: à ſæculo, à principio creaturæ.) Quoniam, inquit, tu es Deus meus. Ad alium curram refici, ſi ab alio factus ſum. Tu es totum meum, quia tu es Deus meus. Patrem quæram propter hæredita-

Prou. 30. 4.
Cypr. de Spiritu ſancto.
Gen. 4. 7. ex 70.
Pſ. 44. 4.
Pſ 142.
Aug. Ibid.

Digitized by Google

tem? tu es Deus meus: non ſolùm dator hæreditatis, ſed ipſa hæreditas. Dominus pars hæreditatis meæ. Dominum quæram propter redemptionem? tu es Deus meus. Patronum quæram propter liberationem? tu es Deus meus. Poſtremò creatus, recreari cupio? tu es Deus meus, qui Creator meus: qui creaſti me per Verbum tuum, & recreaſti me per Verbum: ſed creaſti me per Verbum Deum, manentem apud te; recreaſti per Verbum carnem factum propter me. (Et ſicut creando inſufflauit ſpiraculum vitæ, ſic vt recrearet, & renouaret faciem terræ, emittes, inquit, Spiritum tuum & creabuntur, &c.) Doce ergo me, vt faciam voluntatem tuam; quia tu es Deus meus. Si non me docueris, faciam voluntatem meam, & deſeret me Deus meus. Doce me, non enim tu es Deus meus, & ego ero Magiſter meus. (De Spiritu autem quid Chriſtus? Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia.) Videte quemadmodum gratia commendetur. Hoc tenete, hoc imbibite, hoc vobis de corde nullus excutiat: nec habeatis zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, ne ignorantes Dei iuſtitiam, (id eſt, ſanctitatem, à ſancto Spiritu infuſam,) & veſtram volentes conſtituere, iuſtitię Dei non ſitis ſubiecti. Verba certè Apoſtoli agnoſcite. Dicite ergo iſta, doce me vt faciam, &c. Spiritus tuus bonus, non meus malus, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, quia Spiritus meus malus deduxit me in terram peruerſam. Et quid ego merui? quæ mea opera bona ſine tuo adiutorio computantur? Vnde impetrarem, dignuſque eſſem deduci à Spiritu tuo in terram rectam? quæ opera mea, vel quæ merita mea? propter nomen tuum Domine viuifi-

Pſ. 15. 6.
Gen. 2. 7.
Pſ. 103. 30.
Rom. 10. 2.

cabis me. Attendite ergo quantùm poteſtis, gratiæ commendationem, quâ gratis ſalui facti eſtis. Propter nomen tuum, &c. Non nobis Domine, non nobis, &c. viuificabis me in iuſtitiâ tuâ, non in meâ. Non quia ergo merui,
Pſ. 113. 9. ſed quia tu miſereris. Nam ſi oſtenderem meritum meum, nihil abs te mererer niſi ſupplicium. Auulſiſti merita mea, inſeruiſti dona tua.» Ideo Pſaltes gratiam Spiritus ſancti inculcans: «Ne proiicias me, inquit, à facie tuâ, auerte faciem tuam à peccatis meis, & ne
Aug. in Pſ. 50. 12. proiicias me à facie tuâ. Cuius faciem timet, huius faciem inuocat. Ne proiicias, &c. Et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Eſt enim Spiritus ſanctus in confitente. Iam ad domum Spiritus ſancti pertinet, quia tibi diſplicet quod feciſti. Immundo ſpiritui peccata placent, Sancto diſplicent, &c. Quia ergo non poteſt eſſe confeſſio peccati, & qunitio peccati in homine à ſeipſo, cùm puiſque ſibi iraſcitur, & ſibi diſplicet, ſine dono Spiritus ſancti non eſt. Nec ait, Spiritum ſanctum tuum da mihi, ſed, ne auferas à me. Redde mihi exultationem ſalutaris tui. Redde quam habebam, quam peccando amiſeramr. Redde mihi, &c. vtique Chriſti tui. Quis enim ſine illo ſanari potuit? Quia & antequam de Mariâ naſceretur,
Io. 1. 1. In principio erat Verbum, &c. Et ita à ſanctis Patribus diſpenſatio ſuſceptæ carnis futura credebatur, ſicut à nobis facta creditur. Tempora variata ſunt, non fides. Redde mihi, &c. Et Spiritu principali confirma me. Intelligunt hîc nonnulli Trinitatem dictam: in Spiritu recto, Filium; in Spiritu ſancto, Spiritum ſanctum; in Spiritu principali, Patrem. Siue ergo hoc ita

Digitized by Google

voluit, dicens, ſpiritum rectum innoua quem curaui, & diſtorſi peccando; vt iam Spiritus ſanctus ipſe ſit Spiritus principalis, quem & auferri à ſe noluit, & eo ſe voluit confirmari, non eſt hæretica ſententia. Sed videte quid adiungat: Spiritu, inquit, principali confirma. In quo confirma? Quia ignouiſti mihi. Quia ſecurus ſum, non mihi imputari quod donaſti. Ex hoc factus ſecurus, atque iſtâ gratiâ confirmatus, non ero ingratus. Quid enim faciam? Doceam iniquos vias tuas. Doceam iniquos, ex iniquo, id eſt, qui fueram & ego iniquus, iam non iniquus; non ablato Spiritu ſancto à me, & Spiritu principali confirmatus, doceam iniquos vias tuas.»

Ante ipſa Pelagii, & Auguſtini tempora, illius, extinctoris Spiritus, & iſtius excitatoris; quin & ante Cyprianum, Tertullianus, Spiritus ſancti gratiæ, & verba bona, & facta fortia imputabat: « Perductos, inquit, ad poteſtates, prohibet ad interrogationem cogitare de reſponſione. Sanctus enim, inquit, Spiritus, docebit vos ipſâ horâ quid eloqui debeatis, &c. Balaam Prophetes in Arithmis, (numeris) accerſitus à Rege Balach ad maledicendum Iſraëlem, cum quo prælium inibat, ſimul Spiritu implebatur, non ad quam venerat maledictionem, ſed quam illi ipſâ horâ Spiritus ſuggerebat, benedictionem pronuntiabat.» Et rurſum: « Nec quiſquam, inquit, negabit, quando & nos pati pro Deo non poſſumus, niſi Spiritus Dei ſit in nobis, qui & loquitur de nobis, (vt de throno vel oraculo) quæ ſunt confeſſionis; non ipſe tamen patiens, ſed pati

Tertul. 4. cont. Marc. cap. 28. Luc. 12. 11. Num. 22. 12. & ſeq.

Tertul. contra Prax. cap. 29.

feſſionis ; non ipſe tamen patiens , ſed pati poſſe præſtans.» Idem alibi repetit: «Qui, inquit, Spiritu Dei agebantur, ab ipſo in martyria dirigebantur, vt & iam patiendo quæ prædicaſſent.» Concludo cum D. Auguſtino omnia bona, cogitata, ſcita, viſa, dicta, amata, Spiritui ſancto tribuenti. «Qui, inquit, per Spiritum tuum vident, tu vides in eis. Ergo cùm vident quia bona ſunt, & quæcumque propter te placent, tu in eis complaces, & quæ per Spiritum tuum placent nobis, tibi placẽt in nobis. Quis enim ſcit hominũ quę ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Sic quæ Dei ſunt, nemo ſcit niſi Spiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, &c. Sicut enim rectè dictum eſt, non enim vos eſtis qui loquimini, eis qui in Spiritu Dei loquerentur: ſic rectè dicitur, non vos eſtis qui ſcitis, eis qui in Dei Spiritu ſciunt, &c. Non vos eſtis qui videtis, eis qui in Spiritu Dei vident. Itaque quidquid in Spiritu vident, quia bonum eſt, non ipſi, ſed Deus videt quia bonum eſt, &c. Aliud eſt, vt quod bonum eſt, videat homo, quia bonum eſt; ſicut multis tua creatura placet, quia bona eſt, quibus tamen non tu places in eâ, vnde frui magis ipsâ quàm te volunt. Aliud autem, vt cùm aliquid videt homo, quia bonum eſt, Deus in illo videat, quia bonum eſt, vt ſcilicet ille ametur in eo quod fecit, qui non amaretur, niſi per Spiritum ſanctum quem dedit: quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui

Scorp. cap. 8.

Aug. lib. 13. cõfeſſ. cap. 31.

1. Cor. 2. 11. & 12.

Matth. 10. 20.

Rom. 5.

Digitized by Google

datus eſt nobis. Per quem videmus, quia bonum eſt, quidquid aliquo modo eſt. Ab illo enim eſt, qui non aliquo modo eſt, ſed quod eſt, eſt. » Qui itaque vult Spiritus ſancti ignem conſeruare, vt ſemper ardeat in altari cordis, caueat ventum humanæ laudis; omnia per Leuit. Spiritum accepta referat authori, eumque in 6.13. omnibus & ſuper omnia diligat. « Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei, ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat 1. Pet. Deus, vt in omnibus honorificetur Deus. » Si 4. 11. oramus, nouerimus cum eodem S. Auguſtino quòd « miſit Deus Spiritum filii ſui in corda noſtra clamantem Abba, Pater, id eſt, clamare Aug. facientem. Non ergo ſcimus per noſipſos quid cont. oremus, ſicut oportet, ſed ipſe Spiritus inter- Ser. pellare nos facit quæ ſunt ſecundùm Deum; Arian. quod niſi faciat, non oramus niſi ſecundùm cap. 24. iſtum mundum, ad explendam concupiſcen- Rom. tiam carnis, & concupiſcentiam oculorum, & 8. 26. ambitionem ſæculi, quæ non ſunt à Patre, ſed Gal. 4. ex mundo ſunt. » Et hæc extinguunt Spiritum, 4. ſuffocant ſemen, cor contriſtant Dei, quia cor noſtrum gratiâ & præſentiâ Spiritus deſtitutum remanet in tenebris, & triſtitiâ. Quid quòd & 1. Io. 2. verè ac propriè modum realem præſentiæ ſpe- 16. cialis, & præ cæteris gratæ, & propriæ Spiritui ſancto, prorſus extinguit, qui mortaliter peccat; vel qui in vacuum, hoc eſt fruſtra; & non reſpondens, propter prædominantem concupiſcentiam, inſpirationi diuinæ; gratiam eius recipit. Ceſſat enim tunc præſens eſſe animæ, ob peccati repugnantiam, & eam inhabitare deſinit, ſi eam throno ſuo pellit. Et velut cor-

Digitized by Google

ruptis ſpeciebus, præſentia corporis Chriſti corrumpitur; ita Spiritus ſancti præſentia ſanctificans, corruptâ per peccatum gratiâ penitus extinguitur, ſi mortale fuerit: langueſcit autem, & vigorem feruoremque deperdit, vel ſaltem imminuit, ſi fuerit veniale.

QVINTA REFLEXIO. Cogitemus, quanta ſit extinguentibus Spiritum culpa, & quanta eos maneat pœna. Vnguentum,& balſamum, Pſ.132. 2. quod fluxit à capite, non iam Aaron, ſed Chriſti, & pretioſo eius emptum ſanguine effundit, & calcat; vel diabolo vendit, quicumque gratiam aut inſpirationem negligit. Lucernam Epicteti, licet luteam, tribus millibus drachmis emptam ferunt; quòd ad eius lumen, tam præclara Stoïcus dogmata conſcripſiſſet. Quantò æſtimabilior lampas ignea, de quâ Sapiens: Cant. 8. 6. « lampades eius lampades ignis atque flammarum. » Et Pſaltes: Pſ. 118. 105. & 140. « lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen ſemitis meis: ignitum eloquium tuum vehementer; » de quâ; & D. Aug. in Pſ.138. Auguſtinus: « Quomodo, inquit, eſt nox illuminata? quia Chriſtus deſcendit in noctem. Perdiderat enim drachmam mulier illa, accen- Luc.15. 8. dit lucernam. Sapientia Dei perdiderat drachmam. Quid eſt drachmam? Nummus, in quo nummo Imago erat ipſius Imperatoris noſtri. Factus eſt enim homo, ad imaginem Dei, & perierat. Et quid facit mulier ſapiens? accendit lucernam. Lucerna de luto eſt, ſed habet lucem quâ inueniatur drachma. Lucerna ergo Sapientiæ, caro Chriſti. De luto facta eſt, ſed Verbo ſuo lucet, & inuenit perditos. » Oleo item ſuo,

Digitized by Google

ſuo, & balſamo Spiritus lucebat Chriſtus, de cuius plenitudine tanquam ſummâ candelabri Eccleſiæ lampade omnes accepimus. De quo dicebat: « de meo accipiet, & annuntiabit vobis » cuius cum Patre principium eſt Verbum apud Deum: quo conceptus eſt Verbum caro factum, vt habitaret in nobis. Quo plenus, in nos exundauit, & rorem Hermon in montem Sion, in Apoſtolos primùm habentes primitias Spiritus, & deinde in nos pius & miſericors effudit. Sed magno reatu vitâ eius & morte emptum balſamum, accepto contemptibili pretio voluptatis, vtilitatis, honoris temporanei, diabolo vendimus, æternâ morte mulctandi. Sicut temporali percuſſum legimus Papam, cuius meminit S. Petrus Damianus. « Quod, inquit, mihi à Senioribus intimatum eſt, refero. In Babyloniæ partibus, poſſeſſionem Apoſtolica Sedes habebat, vnde tantum balſami redditum per annos ſingulos capiebat, quo indeficienti fomite ſufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare beati Apoſtolorum Principis rutilabat, appenſa. Quam poſſeſſionem acceptâ pecuniâ Papa diſtraxit, canonemque aromatis, quem recipere ſolebat, amiſit. Aliquantò poſt, cùm idem Papa prædicto ſacroſancto altari quaſi deuotus aſſiſteret, & oraret, ecce quidam terribilis, & grandæuus ſenex, in cuius etiam facie barbiraſium videbatur, elato brachio colaphum ſibi vehementer incuſſit, & ait: Tu extinxiſti lucernam meam ante me; & ego extinguam lucernam tuam ante Deum; moxque diſparuit. Ille verò protinus corruit, &

Io. 1. 16. Io. 16. 15. Io. 1. 14. Pſ. 132. 3. Rom. 8. 23. Dam. lib. 1. epiſt. ep. 20. ad Cadaloum Epiſc. Parm. qui & Honorius 2. Antip.

paulò poſt diem clauſit extremum. Sic ſic nimirum meretur corripi, qui illi ſe præbet aduerſum, qui cœli terræque primus Paſtor obtinet principatum. Quis oro duorum Paparum duriori tibi videtur auſteritate plectendus? Vtrum ille, qui ſacri altaris lucernam præſumpſit extinguere; an tu qui totam vniuerſalem Eccleſiam, per furtiuæ promotionis exordium niteris obſcurare? » Tu verò quantò maiora te putas mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcas, & lampadem eius ſanguine emptam confringis, & extinguis, terrâ dehiſcente cum Veſtali ignem ſacrum negligente obruendus? Vtinam nobis eſſet non dæmonis arte, ſed Spiritus ſancti gratiâ, lampas, par illi de quâ Auguſtinus; « Eſt relatum, inquit, fuiſſe, vel eſſe quoddam Veneris phanum, atque ibi candelabrum; & in eo lucernam ſub dio ſic ardentem, vt eam nulla tempeſtas, nullus imber extingueret. Vnde ſicut ille lapis (Aſbeſtos, de quo capite præcedenti egerat) ita iſta λυχνὶς ἄσβεστος, id eſt, lucerna inextinguibilis nominata eſt. » De Aſbeſton lapide præmiſerat; « Aſbeſton Arcadiæ lapidem propterea ſic vocari, quòd accenſus ſemel, iam non poſſit extingui » Eſt autem iuxta Plinium lapis qui « in Arcadiæ montibus naſcitur, coloris ferrei. Heu! « fiunt non naſcuntur Chriſtiani » & hi quammaximè qui Spiritus ſancti feruore concepto, cum Paulo, nullas tempeſtates, aut pluuias expaueſcunt, cum eo audentes dicere: « quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? &c. » De

Iob. 12. 5.

Aug. lib. 21. de ciui. cap. 6.

Aug. Ibid. cap. 5.

Plin. lib. 37. Nat. hiſt. cap. 10.

Teſtim. de Ani. cap. 1.

quâ Sapiens « aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. » Rom. 8. 35. Cant. 8. 7.

QVINTA REFLEXIO. Fragilitatis noſtræ conſcii, ne apertis ſenſuum portis, aut feneſtris lucernam noſtram vento tentationis extinguendam exponamus: « Nolite contriſtare Spiritum ſanctum. Et Spiritum nolite extinguere. » Sapiens Tertulliani monitum accipite: « Deus, inquit, præcepit Spiritum ſanctum, vtpote pro naturæ ſuæ bono, (quia procedit vt amor) tenerum & delicatum, tranquillitate & lenitate, & quiete, & pace tractare; non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare. Huic quomodo cum ſpectaculis poterit conuenire. (Addo & cum qualibet inordinatâ paſſione?) Omne enim ſpectaculum ſine concuſſione ſpiritus non eſt. Vbi enim voluptas, ibi & ſtudium, per quod ſcilicet voluptas ſapit. Vbi ſtudium, ibi & æmulatio, per quam ſtudium ſapit: Porro & vbi æmulatio, ibi & furor, & bilis, & ira, & dolor, & cætera ex his, quæ cum his non competunt diſciplinæ; » ſcilicet Chriſtianæ. Epheſ. 4. 30. Tertul. de ſpectac. cap. 15.

O Domine, ſpirituum omnium dominator Spiritus, quoties me tuo Dominio ſubduxi! O lucerna inextinguibilis, ignis qui ſemper ardes in te, & numquam extingueris, quoties tuum in me lumen, & gratiam extinxi, aut in vacuum negligentiâ meâ recepi. Quoties balſamum pretioſiſſimo Agni immaculati ſanguine comparatum ſacrilegus

effudi? Quoties cubile dilataui, & ſponſi legitimi animæ meæ dedignatus amplexus, in nuptialem thalamum viliſſimas creaturas ad-
Cant.3. 7. miſi? Vbi eratis vigiles, & cuſtodes lectuli Salomonis, ſexaginta fortes ad bella doctiſſimi? Quomodo adulteræ pepercistis? quomodo gladios ab vltione debitâ continuiſtis? Te verò ô Sponſe, ineffabilis Genitoris & Geniti amplexus, quoties contriſtatum infidelitatibus, negligentiis, & teporibus meis, irâ, bile, odio, tædio, cæteriſque inordinatis affectibus, tuâ ſede, domo, & throno impius &
Pſ.50. 19. ſceleſtus abegi? Sed redi iam, cor contritum & humiliatum ne deſpice, ſopitos ignes ſuſcita, & tui amoris flammas viuifica, tantoque me ardore ſuccende, vt nullo tentationis vento, nullâ tribulationis aquâ poſſit extingui; donec in cœlo, cum Seraphicis, & ſemper ardentibus ſpiritibus, vbi « nunquam excidit charitas » perpetuo tui amore conſummer. Amen.

Digitized by Google

FERIA TERTIA POST Pentecoſten.

Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ, ſplendidum tanquam chryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni.
Apoc. 22. 1.

OPera naturæ longè diſtant ab operibus gratiæ. Cùm enim ſit inter ignem, & aquam antipathia naturalis, & aqua humido ſuo ac frigido, ſiccum ignis calidumque reſtinguat: & rurſum aquæ humidum ac frigidum, ignis abſumat: inter ſe tamen duo hæc elementa, in eodem Spiritu ſymbolicè concurrunt. Et licet heri de « Spiritu non extinguendo » fuſiſſimè diſputauerimus; non eſt quòd de aquâ diſſertaturi, ab ignis extinctione timeamus. Aptiſſimè ſiquidem Ioannes vidiſſe ſe dicit, « fluuium aquæ viuæ. » Neſcitis aquam viuam igni applicitam igneſcere? vel ignoratis, « in Epiro alium fontem, in quo faces vt in cæteris, extinguntur accenſæ, ſed (non vt in cæteris) accenduntur extinctæ? » Sic impuro ardentes igni animæ, in aquâ Spiritus viuificâ, extinguntur, extinctæ in amore Dei, ſuccenduntur. De fluuio aquæ viuæ dicturus, te « fluminis impetum lætificantem ciuitatem Dei » conſaluto: « quoniam

Apoc. 22.1. Aug. de ciui. cap. 5. Pſ. 45. 4. Pſ 35. 10.

Marſil. Fici.in Plat.de conuiu. apud te eſt fons vitæ: » Nec iam prophana Iuno, Aquario præſides, ſed vt plena Spiritu, & « puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano » & theſauri gratiæ diſpenſatrix, quâ te ſuperfluentem Angelus ſalutauit, dicens: Aue.

Cant. 4. 15.

EXORDIVM.

Multo benigniùs nobiſcum egit Dei longanimitas, licet exilio iuſtiſſimo damnatis, quàm cum proſcriptis olim legibus cenſoriâ ſeueritate agebatur. Exules enim « aquâ & igni interdicebantur. » Nobis autem indignis & ingratis, & à propriis elementis, & totius noſtri eſſe principio deficientibus, Spiritus ſanctus ſe ignem & aquam præſtitit; vt peccati noſtri maculas abſtergat, & frigidos ſuæ charitatis igne accendat. Primi parentes noſtri, per igneam Cherubim romphæam verſatilem, à fonte paradiſi & ligno vitæ, latâ ſententiâ procul abacti ſunt; nos per Spiritus ſancti aquam, igneum vindictæ gladium extinguimus; & ad « aquas quæ ſuper cœlos ſunt, & ad torrentem voluptatis, & vbertatem domus Dei » reuocamur. « Siue autem per aquam, propter ablutionem; ſiue per oleum, propter exultationem, & inflammationem charitatis, ſignetur Spiritus ſanctus, non tamen ideo diuerſus eſt, quia ſigna diuerſa ſunt: » Nec enim diuiſus eſt Spiritus: « vnus enim atque idem eſt Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. » Miram iſtam ignis & aquæ in eodem Spiritu concordiam miratus eſt Chryſologus: « Vrget, inquit, aqua ignem, cogitanda eſt talis, tam diuiſa coniunctio. Vrget vnda flammam: (per antiperiſtaſin vt patet in fornace fabrorum,

Gen. 3. 24.

Pſ. 48. 4.

Aug. in Pſ. 108.

1. Cor. 12. 11.

Chryſol. ſer. 164.

aquæ ſuperfuſione ignis exardeſcit magis,) multiplicat flamma vndam. (Quantitatem eius per rarefactionem explicando.) Quæ eſt talis, tam concors iſta diſcordia ? geritur hic agricolæ diuini ſpecies: plena namque omnia calore germinant, humore nutriuntur. Vnde rerum parens Deus,ignis & aquæ commercio nos germinat, nos enutrit, quorum tanto ardet, calet, exęſtuat, anhelat affectu. » Similitudinem ex agricultura deprom ptam expandit paulò ſuperius, expendens Chriſti verba dicentis : « ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Quid eſt, inquit, quòd tantum verbis ſpargit ignem, quòd tanta & talia inflammat, & dilatat incendia, dicendo,ignem veni mittere in terram ? quid eſt ? Ager quoties longâ incuriâ ſylueſcit, & toto luxuriæ agreſtis ſordeſcit horrore,peritiſſimi cultoris vtique ſemper aperitur, & purgatur incendio ; ac ſtudio benigno cultor ignis apponitur, vt exuſtis ſentibus reueletur prima facies campi, præſtetur agricolæ libertas, fiat facilis via vomeri, ſit germinis ferax ſterilis diu terra, & longa ac mœſta otia læto lætiſſima iam repenſet in fructu. Ergo vbi Iudaïcus ceſpes, continuo aratro legis, & iugi cultu effectus ad inopiam, non reſpondit germini, non labori : ſed pro tritico lolium reddidit, protulit pro vitibus ſpinas, Chriſtus ad ſata gentium diuini cultus conuertit induſtriam : ac diu oppreſſa dumis nationum cupiens noualia purgare,ignem mittit primò maximus magiſter in terram, & quidquid naturalis ſqualefecerat luxus, quicquid arefecerat brumalis rigor, artifici depurgat, & conſumit incendio : quatenus ſola longo exhauſta ieiunio,ipſo ſuo cinere ſaginata

Luc.12. 49.
Chryſ. Ibid. ſupra.

pingueſcerent, & poſt diuturnam duritiem, tenera redderentur ac mollia: ac ſic Euangelio apta cultro, ſemini redderentur & commoda: & fœlici ſulco iam redderent triceſimum, ſexageſimum, ac centeſimum fructum. » Pergit & iam olim ſub Moyſe idipſum à cœleſti agricolâ Deo, aduertere factitatũ. « Sed, inquit, hic ipſe cultus non eſt nouus agricolæ veteri, & cœleſti, nam legem pangere, gratiam ſerere, ignis ſemper opere conſueuit. Daturus legem, ignem

Exod. 3. 2. præmiſit in rubo. Sed diuinum rubus portauit, non concepit incendium; iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum culturæ legis populum præfigurans; & nunc in arua gentium cùm deſtinaret Apoſtolos, ſic eos igneo imbre perfudit, & ignis conſedit ſuper eos, vt poſſent humecta ſiccare, ſicca infundere, decoquere cruda, frigida calefacere, accendere extincta, comburere noxia: & in opere diuerſo, vno atque eodem igne, ad cœleſtem copiam tota percolere deſerta terrarum? » Sed quoniam nuper fluuium igneum à facie Dei rapidè exardeſcen-

Pſ. 17. 9 tem contemplati ſumus; ſatis erit nobis hodie dicere de fluminis impetu, & fluuio aquæ viuæ,

Divisio. de Sede Dei & Agni procedente, primùm; dehinc de ipſius effectibus, reflexiones morales, quaſi riuulos ex fluuio deducere.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Io. 21. 20. « Diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, qui ſupra pectus Domini in cœnâ recubuit » vt de ipſo Dominici pectoris fonte potaret, & quod hauſerat de ipsâ aquæ viuæ origine eructaret. De aquâ quam accepturi erant credentes,

Digitized by Google

«oſtendit mihi, inquit, fluuium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam chryſtallum procedentem de ſede Dei & Agni.» Hunc fluuium D. Ambroſius Spiritum ſanctum intellexit: «Hiç eſt, inquit, vtique fluuius de Dei ſede procedens. Is eſt Spiritus ſanctus, quem bibit qui credit in Chriſtum: ſicut ipſe ait, qui ſitit veniat ad me & bibat.» Neque verò vile quid, aut contemptibile quis de Spiritu ſancto aqua dicto cogitet, vel eum inde Patre & Filio æſtimet inferiorem. «Ne quis fortè tanquam puſillitatem Spiritus redarguat, & hinc velit quandam facere diſtantiam magnitudinis, quòd aqua portio videatur eſſe fontis exigua, &c. Diſcant non ſolùm aquam, ſed etiam flumen dictum Spiritum ſanctum, ſecundùm quod lectum eſt; flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem incipiebant accipere, qui credituri erant in eum. Ergo flumen eſt Spiritus ſanctus, & flumen maximum, quod ſecundùm Hebræos, de Ieſu fluxit in terris, vt ore Eſaïæ accepimus prophetatum; (ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, 70. Declino ad eos quaſi fluuius pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium.) Magnum hoc flumen, quod ſemper fluit, & numquam deficit, &c. Nec hîc rurſus ſenſum tuum ad inferiora detorqueas, quia quædam diuerſitas, videtur eſſe fontis, & fluminis, &c. Proponas tibi, licet quoduis flumen, è fonte eſt; vnius tamẽ naturæ, vnius ſplendoris, & gratiæ. Dic ſanè & tu Spiritum ſanctum vnius cum Filio Dei, & Deo Patre eſſe ſubſtantiæ, vnius claritatis, & gloriæ. Capiam fidele compendium de vnitate virtutis, nec verebor aliquam de diuerſitate magnitudinis

Apoc. 22. 1.

Ambr. lib. 3. de Spiritu ſancto. cap. 21.

Ambr. lib. 1. de Spiritu S. cap. 20.

Io. 7. 38.

Eſa. 66. 12.

Io. 4. 13.14. quæſtionem. Nam etiam in hoc nobis Scripturæ proſpexit. Dicit enim Dei Filius; qui biberit de aquâ quam dabo ei, fiet ei fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hic fons vtique gratia ſpiritalis eſt: fluuius ex viuo fonte procedens. Fons igitur vitæ etiam Spiritus ſanctus eſt. »

Rup. lib. 1. in Ioel. cap. 3. « Breuiter hîc dicendum, quia fons ille ſiue flumen aquæ viuæ Spiritus ſanctus eſt, qui & in Prophetâ dicit; Ecce ego declino in eos, vt flumen pacis, &c. Hoc, inquam, flumen pacis, hic torrens gloriæ, hoc flumen lætitiæ, hic torrens voluptatis, hæc vbertas domus Dei Spiritus ſanctus eſt. Ipſe namque amor eſt ſponſi & ſponſæ, quo nimirum inundatus & ſanatus, qui erat torrens ſpinarum, torrens erit deliciarum, id eſt, conditio noſtra, quæ erat mortalis, & miſera; immortalis erit, & beata, &c. »

Apoc. 22. 1. Rup. li. 12. in Apoc. cap. 22. Fluuius hic « ſplẽdidus dicitur, vt chryſtallus» quod & acute notauit Rupertus, hoc loco, vbi repetit quæ præmiſerat ſcribens in Ioelẽ. « Cùm dixiſſet, inquit, & oſtendit mihi flumen, bene addidit, aquæ viuæ. Et quia talis aqua viuificãdo illuminat, atque confirmat, benè ait, ſplendidum, addendo tanquam chryſtallum. In chryſtallo namque claritas eſt ſimul, & firmitas, quæ ſunt pulchra vitæ illius inſignia; vbi & corda noſtra tranſlucebunt, & corpora noſtra beatâ immortalitate, & immortali beatitudine firma erunt. Et quia Spiritus ſanctus ex Euangelicâ traditione Domini noſtri, procedens dicitur: dicit enim, cùm venerit Paracletus quem ego mittam vobis Spiritus veritatis qui à Patre procedit, benè & hoc ipſum hîc non tacuit: ait enim de hoc flumine; procedens de ſede Dei, & Agni. » Sed & hîc in hac vitâ claritatem tribuit, & firmitatem,

Io. 15. 26.

vt ſicut in quaſdam aquas ligna & folia miſſa lapideſcere dicuntur; in fluuium Spiritus miſſa fragilitas noſtra, virtutem induet, & firmitatem. Noſtis Theologi Filium & Verbum Patris, à Sapiente dictum « ſpeculum ſine maculâ Dei maieſtatis: » Speculum, inquam, chryſtallinum, de quo Pſaltes: « Mittit chryſtallum ſuam ſicut buccellas: » vt quo viſo & ſpeculato paſcuntur Angeli, ex ore Patris, id eſt, intellectu miſſo, & genito; eodem incarnato, & in buccellas, ſiue fruſta panis, (vt vertunt Chryſoſtomus, & Auguſtinus, in Euchariſtiâ diſtributo, veſcantur etiam homines viatores. De quâ miſſione, & generatione chryſtalli ſapiens exclamabat: « ô quâm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! » Spiritus ergo ſanctus ſplendidus tanquam chryſtallus eſt, quia eâdem claritate diuinitatis fulget, qua radiat Filius. Et ſicut ille nobis in cibum, ſic iſte nobis in potum miſſus eſt. Hinc D. Hilarius à S. Spiritu, eſcam & potum ſpiritalem promit. « Flumen Dei repletum eſt aquis. De flumine ambigendi nullus locus eſt: ait enim Propheta: fluminis impetus, &c. Et ipſe Dominus in Euangeliis ait: qui biberit ex aqua, &c. Et iterum: qui crediderit in me, &c. Hoc ergo flumen Dei aquâ repletur. Spiritus enim ſancti muneribus inundamur, & in nos ex illo vitæ fonte fluuius Dei aquâ repletus infunditur. Habemus etiam & cibum paratum. Et quis hic ille cibus eſt? Ille ſcilicet, à quo ad Dei conſortium præparamur, per communionem ſancti corporis, in communione deinceps ſancti corporis collocandi. Id enim præſens Pſalmus ſignificat, dicens: paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio ſua. Riuos eius inebria. Inebriamur

Sap. 7. 26.
Pſ. 147. 17.
Sap. 4. 1.
Hilar. in Pſ. 64. 10.
Pſ. 45. 4.
Io. 7. 38.

Digitized by Google

ipſi, cùm Spiritum ſanctum, qui fluuius eſt num-cupatus accipimus. Dehinc quia ex nobis diuerſi gratiarum riui emanant, orat Propheta, vt hos eoſdem Dominus inebriet, vt his inebriatis, & dono diuini muneris perfuſis, generationes noſtræ multiplicentur; terra ſcilicet bona, ſecundùm Euangelicam comparationem verbi ſemen excipiens fructu trigeſimo, & ſexageſimo, & centeſimo diteſcat. » Exclamemus, « O quàm ſuauis eſt Domine Spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo, & potu iucundiſſimo reples & reficis eſurientes & ſitientes iuſtitiam. » Sed vnde fluuius hic ſplendidus tanquam chryſtallus, & limpidus manat? origo Nili etiamnum quæritur, nec vſpiam inuenitur. « Circa Philas Inſulam petra dicta ἄβατον, nec illam vlli niſi Antiſtites calcant, & primum fluminis auctum ſentit. Deinde poſt magnum ſpatium, duo eminent ſcopuli, Nili venas incolæ vocant, ex quibus magna vis aquæ funditur » inquit Seneca. Qui rurſum de origine Nili indagandâ; duos ait Centuriones à Nerone miſſos ad caput Nili inueſtigandum: additque ſe audiſſe narrantes exploratores iſtos, longum iter egiſſe ad immenſas vſque paludes, quarum exitum nec incolæ nouerant, nec ſperare quiſquam poteſt, præ multitudine herbarum quæ aquas implicant, & iter multâ ambage præcludunt. Et inducit referentes Neroni: « vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat. » Difficilior multò, & ſupra incognita Gentium Philoſophis origo Spiritus ſancti, per Nilum fluuium adumbrati, qui nec ſi eſſet Spiritus, audierunt. « Hic eſt Spiritus ſanctus, quem Magi in Ægypto tertij ſigni oſten-

Matth. 13. 8.

Seneca lib. 4. Nat. q. cap. 2.

Ex eod. lib. 6. cap. 8. circa f.

Act. 19. 2.

Cypr. de Spiritu S.

ſione conuicti, cùm ſua defeciſſe præſtigia faterentur; Dei digitum appellarunt, & antiquis Philoſophis eius intimarunt præſentiam defuiſſe. Et licet de Patre & Filio aliqua ſenſiſſent Platonici; ſpiritus tamen tumidus, & humani appetitor fauoris, ſanctificationem intellectus diuini mereri non potuit. Et vbi ad profunditatem Sacramentorum ventum eſt, omnis eorum caligauit ſubtilitas, nec potuit infidelitas ſanctitudini propinquare. » Nos verò Chriſtiani, vnico exploratore & duce fide, Spiritus ſancti in Nilo figurati veram originem Patrem & Filium inuenimus, geminam quidem & ſolidam petram, reali diſtinctione perſonarum, vnicum tamen fluminis chryſtallini principium. Vidit enim Ioannes de eadem Dei & Agni ſede manantem. De ſede autem Dei & Agni, viſus eſt procedere fluuius; Primò quidem, quia ſedit Agnus ad dexteram Patris, priuſquam fluuium in terras effunderet; ſecundò quia æqualis eſt Agnus Patri, idemque cum ipſo principium Spiritus, in quo ſederat & quieuerat cum plenitudine donorum. Tertiò quia ab Agni meritis & ſanguine fluxit, vt lignum ex vtrâque parte plantatum, Iudæum & Gentilem irrigaret, tantâ vbertate, vt nullus menſis, dies, vel hora prætereat, in quâ & verborum ad ſanitatem folia, & fructus operum non abundè proferant, arbores tam fœcundo flumine perfuſæ. Saxum autem illud primum, cuius Seneca meminit, non inſulsè dicam Apoſtolorum principem Petrum, qui vt Eccleſiæ caput, & petra, in quâ per Chriſtum fundata eſt, auctum & crementum Nili myſtici ſenſit, dum eius aquâ viuificâ potatus, Chriſti Prophetiam implens, flumina aquæ viuæ de ventre fudit, &

Exod. 8.

Digitized by Google

mundi Ægyptum ſuâ prædicatione inundauit.
Æneas Siluius de Europa cap. 20. Memini me aliquando legiſſe in electione noui Principis, poculum aquæ ei ſolitum propinari, quo diſceret ſibi abſtinendum vino, quod & Salomon Regibus porrigi prohibebat. « Noli
Prou. 31. 4. Regibus ô Ramuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas. Et ne fortè bibant, & obliuiſcantur Iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis. » Et qui Reges & Principes ſuper omnem terram, niſi Apoſtoli? quibus licet ſola aqua à Deo propinata ſit,
Tertul. de Ani. cap. 50. tamen « vt ebrioſos reddit Lynceſtarum vena vinoſa, aut Lymphaticos efficit Colophonis ſcaturigo dæmonica » ſic & ebrios, aut dæmoniacos ſenſit plebs Iudæorum incredula. Nili
Seneca lib. 3. quæſt. Nat. cap. 5. potus fœcundat ſteriles incognitâ causâ, « quare aqua Nilotica fœcundiores fœminas faciat, adeo vt quarumdam viſcera longâ ſterilitate præcluſa, ad conceptum relaxauerit. » Et Apoſtoli priùs ſteriles, aquâ Spiritus ſancti perfuſi, tantâ fertilitate donati ſunt, vt eam de plenitudine
Act. 2. 41. & 4. 4. Petrus eructans, primo Sermone tria millia, ſecundo quinque millia ad Chriſtum adduxerit, Eccleſiæ fide Virgini, de Spiritu ſancto concepta, & gregi Dominico parta. Sic & de cæteris deinceps Apoſtolis in Canticis dictum: « den-
Cant. 4. 8. tes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas. »

Nec ſine causâ fluuius noſter, aquæ viuæ di-
Tertul. de baptiſmo cap. 3. ctus eſt fluuius: « Ordinato enim per elementa mundo, cùm incolæ darentur, primis aquis præceptum eſt animas proferre. Primus liquor quod viueret edidit, ne mirum ſit, in baptiſmo ſi aquæ animare nouerunt, &c. Igitur omnes

aquæ de priſtina originis prærogatiuâ Sacramentum ſanctificationis conſequuntur, inuocato Deo. Superuenit enim ſtatim Spiritus de cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ, vim ſanctificandi combibunt.» Vt autem immundis tribuit ſanctitatem, ſic & mortuis aqua viuifica dat vitam. «Impoſſibile eſt enim eum viuere, cui non ſuperfertur Spiritus vitæ. Cuius viuificus calor animat omnia, & fouet, & prouehit, & fœcundat. Hic Spiritus ſanctus omnium viuentium anima, ita largitate ſuâ ſe omnibus abundanter infundit, vt habeant omnia rationabiliâ, & irrationabilia, ſecundùm genus ſuum ex eo quod ſunt, & quod in ſuo ordine, ſuæ naturæ competentia agunt: non quòd ipſe ſit ſubſtantialis anima ſingulis, ſed in ſe ſingulariter manens, de plenitudine ſuâ diſtributor magnificus, proprias efficientias ſingulis diuidit & largitur, & quaſi ſol omnia calefaciens ſubiecta omnia nutrit, & abſque vllâ ſui diminutione integritatem ſuam de inexhauſtâ abundantiâ, quod ſatis eſt, & ſufficit omnibus, commodat & impartit.»

Et ibid. cap. 4.

Cypr. de Spiritu S.

Et quo putas impetu? An non «aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano?» Ab Antiquo dierum dico, & eius Filio coæterno. De ſede enim Dei, & Agni procedit: «fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei.» Et in hoc par Nilo, de quo Seneca: «audio, inquit, cuidam genti, hanc vnam fuiſſe cauſam vrbem ſuam transferendi, quia fragorem Nili cadentis ferre non potuit:» Et rurſum: «gens à Perſis collocata, ob fragorem Nili coacta mutare ſedem.» Fragor quidem in Spiritu non eſt, leniter enim, & ſuaueſonanti murmure, lætificans, Apoſto-

Cant. 4. 15.

Seneca ep. 56.

Et lib. 4. qu. cap. 2.

los, à Iudæa in Gentes migrare compulit. Au-
Act. 13. 46. dite quid Paulus, & Barnabas: « vobis oporte-
bat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam
repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ
vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. » Ambroſius
hunc Pſaltis locum exponens, Spiritui ſancto
Ambr. in Pſ. 118. applicat: « Bonus, inquit, impetus, qui lædere
neſciat, norit implere. Qui hunc impetum ſu-
peruenientis è cœlo gratiæ vult mereri, de-
ſcendat etiam ipſe oculis decurſus aquarum. »
D. autem Auguſtinus & tranſlationem Apoſto-
lorum in regiones Gentium, & fluminis impe-
Aug. in Pſ. 47. tum aptè contexuit, « transferentur montes in
cor maris. Quæramus, inquit, montes tranſla-
tos; & ſi inuenire potuerimus, quod quærimus,
manifeſtum eſt, quia ipſa eſt ſecuritas noſtra.
Matth. 17. 19. Dominus quippe dixit Diſcipulis, ſi habueritis
fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic
tollere, & mittere in mare, & fiet. Fortè, monti
huic de ſeipſo dixit, dictus enim eſt mons erit in
Eſa. 2. 2. nouiſſimis temporibus, mons Domini manife-
ſtus. Sed iſte mons ſuper alios montes colloca-
tus eſt, quia & Apoſtoli montes portantes mon-
tem hunc, &c. Quoniam montes ſunt annun-
tiantes montem. Mare autem ſignificat hoc ſæ-
culum; in cuius maris comparatione, tanquam
terra videbatur gens Iudæorum. Non enim Ido-
lolatriæ amaritudine tegebatur, ſed erat tan-
quam arida amaritudine gentium, tanquam
mari circumdata. Futurum erat, vt turbaretur
terra, id eſt, ipſa gens Iudæa, & transferentur
montes in cor maris, id eſt, primò ipſe mons
magnus paratus in cacumine montium. Deſe-
ruit enim gentem Iudæam, & factus eſt in genti-
bus, tranſlatus eſt de terrâ ad mare. Transferen-
tibus

tibus quibus? Apoſtolis, quibus dixerat, ſi habueritis fidem,&c. id eſt, per fideliſſimam veſtram prædicationem fiet, vt mons iſte, hoc eſt ego ipſe, prædicer in gentibus, glorificer in gentibus, agnoſcar in gentibus, &c. Quando autem & illi montes tranſlati ſunt? & hoc indicet nobis ſcriptura Dei; quando Apoſtolus prædicabat Iudæis, reſpuerunt verbum, & ait Apoſtolus Paulus, ad vos miſſi eramus, ſed quia reſpuitis verbum Dei, imus ad Gentes. Tranſlati ſunt montes in cor maris. Verè enim gentes crediderunt montibus, vt in corde maris eſſent montes illi, non ſicut Iudæi, de quibus dictum eſt, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum, longè eſt à me. » Sic quodam alluuionis iure, obice poſito reſiſtentiæ Iudæorum, fluminis impetus, mutato alueo defluxit cum montibus in mare gentium; tranſlato monte Chriſto cum Patre, qui duo veluti ſunt ſcopuli Arrianorum, æqualitatem Filij, & Spiritus ſancti cum Patre negantium. Pulchrè ergo tranſlatis montibus in cor maris, ſubtexuit Pſaltes; « fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: » hoc eſt Synagoga deſerta ſine aquâ, Eccleſiam ex gentibus congregatam, recedente à ligno Iudæorum fluuio chryſtallino, vt irrigaret, & fœcundaret impetu ſuo lignum gentium. « Qui ſunt impetus fluminis? (ait Auguſtinus) inundatio illa Spiritus ſancti, de quâ Dominus dicebat, ſi quis ſitit veniat & bibat: qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. Ergo flumina fluebant de ventre Pauli, Petri, Ioannis, aliorum Apoſtolorum, aliorum Euangeliſtarum fidelium. Hæc flumina cùm fluant ab vno flumine, multi impetus fluminis lætificant ciuitatem Dei. Nam

Matth. 17. 19.

Matth. 15. 8.

Pſ. 45. 4.

Io. 7. 38.

vt noueritis hoc de Spiritu ſancto dictum, eo-
Io. 7. dem Euangelio conſequenter dicit Euangeliſta:
39. hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi
erant, hi qui in eum erant credituri. Spiritus autem nondum erat datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Glorificato Ieſu poſt reſurrectionem, glorificato poſt aſcenſionem, die Pentecoſtes venit Spiritus ſanctus, impleuit credentes, locuti ſunt linguis, prædicare Euangelium cœperunt Gentibus. Hinc ciuitas Dei lætificabatur, dum mare turbaretur ſonitu aquarum ſuarum, dum montes conturbarentur, quærentes quid agerent, quomodo nouam Doctrinam pellerent, quomodo Chriſtianorum genus de terrâ eradicarent. Contra quem? contra fluminis impetus lætificantis ciuitatem Dei. Hîc etiam oſtendit de quo flumine diceret, quia Spiritum ſanctum ſignificabat fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei. Et quid ſequitur? Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Si ergo ſequitur ſanctificationis nomen, manifeſtum eſt fluminis illos impetus de Spiritu ſancto intelligendos, quo lætificatur & ſanctificatur omnis pia anima credens in Chriſtum, vt fiat ciuis ciuitatis Dei.»

Et quid prohibet fluminis noſtri chryſtallini
Seneca lib. 4. quæſt. cap. 2. impetum cum Nilo conferre? qui « per ſeptena oſtia in mare emittitur: quodcumque elegeris ex his, mare eſt.» Sic fluuius Spiritus in mare diuinitatis nos rapit, & per ſeptena donorum
4. 6. ſuorum oſtia, nos in Dei ſinum, & « mare vitreum ante thronum eius poſitum » abripit. Quodcumque donorum elegeris, mare eſt. In baptiſmo Nilus Spiritus ſancti, ſeptemplici gurgite in animam exundat baptizati, & ſigna-

Digitized by Google

culo Chriſti ſignati. « Sequitur ſpiritale ſignaculum. Quia poſt fontem, ſupereſt vt perfectio fiat, quando ad inuocationem Sacerdotis Spiritus ſanctus infunditur (Spiritu principali confirmamur.) Spiritus ſapientiæ & intellectus, &c. quid tam principale quàm pietas? quid tam principale quam, &c.» Et vnde fons iſte fluuiuſque procedit? De ſede Dei & Agni. Et quæ ſedes eius, niſi paradiſus voluptatis ſupercœleſtis? Ambr. lib. 3. de Sacram. cap. 2.
« Fons ergo procedit ex Edem qui rigat paradiſum. Hæc igitur ligna quæ plantata ſunt in paradiſo, quaſi profluo quodam torrente Spiritus irrigantur, de quo alibi, fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.» Notatu dignum quod habet D. Gregorius, vbi de portâ templi apud Ezechielem aduertit. Ambr. lib. de parad. cap. 5.
« Septem graduum erat aſcenſus eius. Septem, inquit, gradibus ad portam aſcenditur, quia per ſancti Spiritus ſeptiformem gratiam, aditus nobis regni cœleſtis aperitur; quam ſeptiformem gratiam, Iſaias in ipſo noſtro capite, vel in eius corpore quod ſumus, enumerans dicit: requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum, Spiritus timoris Domini. Quos gradus de cœleſtibus loquens, (inquantùm ſcilicet Nilus hic myſticus de ſede Dei & Agni procedit,) deſcendendo magis, quàm aſcendendo numerauit, &c. Et cùm ſcriptum ſit, initium ſapientiæ timor Domini, conſtat proculdubio, quia à timore ad ſapientiam aſcenditur, non autem à ſapientiâ ad timorem reditur, quia nimirum perfecta habet ſapientia charitatem. Et ſcriptum eſt, perfecta charitas foras mittit timorem. Propheta ergo quia de cœleſtibus ad ima Greg. lib. 2 in Ezech. hom. 19. Eſa. 11. Pſ. 110. 9. 1. Io. 4. 18.

loquebatur, cœpit magis à ſapientiâ, & deſcendit ad timorem: ſed nos qui à terrenis ad cœleſtia tendimus, eoſdem gradus aſcendendo enumeramus, vt à timore ad ſapientiam peruenire valeamus.» Sed quodcumque donorum elegeris, flumen eſt, mare eſt, cuius inundationem quaſi lac ſugunt, qui de plenitudine huius fluminis, & in paradiſum, & originem ſuam redeunte accipiunt.« Nec ſolùm flumen, ſed etiam profuſi impetus, & magnitudinis redundantis: ſicut etiam Dauid dixit, quia fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Neque enim ciuitas Dei illa Ieruſalem, meatu alicuius fluuii terreſtris abluitur, ſed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus ſanctus, cuius nos breui ſatiamur hauſtu, in illis cœleſtibus Thronis, Dominationibus, & Poteſtatibus, Angelis atque Archangelis, redundantius videtur effluere, pleno ſeptem virtutum ſpiritalium feruens meatu. Si enim fluuius riparum editis ſuperfuſus exundat, quantò magis Spiritus omnem ſupereminens creaturam, (neque enim ſolis ab exordio mundi ſuperferebatur aquis, quæ iuxta Tertullianum, materia de ſuo pura, dignum Deo vectaculum ſubminiſtrabat.) Cùm reliqua tanquam inferiora noſtræ mentis arua perſtringat, cœleſtem illam creaturarum naturam, effuſiore quadam ſanctificationis vbertate lætificat? Nec moueat quòd vel hìc dixit flumina; (ſcilicet de ventre eius fluent aquæ viuæ) vel alibi ſeptem ſpiritus. His enim ſanctificationibus ſeptem ſpiritalium, ſicut Eſaïas dixit, ſignificatur plenitudo virtutum: ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii atque virtutis, ſpiritus cognitionis, atque pietatis, ſpiritus timoris Dei. Vnum ergo

Deut. 33.19.

Ambr. lib. 1. de Spiritu ſancto. cap. 20.

Pſ. 45.

Io. 7. 39.

Apoc. 5.

Eſa. 11.

flumen, ſed multi ſpiritalium donorum meatus. Hoc igitur flumen exit de fonte vitæ. » Hoc eſt de Dei & Agni ſede, vt bibentes ex eo, vnde originem duxit illò ſecum trahat vt fiat in eis, « fons aquæ ſalientis in vitam æternam. »

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Quanti facienda ſit aqua, vel ex Philoſophis audiamus. « Ignis (inquit Seneca) exitus mundi, humor principium. » Prope fidem attigiſſe videtur, & conflagrationem vniuerſi ex Scripturis adorans, & Spiritum incubantem aquis ex eius humore, piſces, aues, aſtra formantem, vel tanquam ex materiâ primâ, rerum omnium formas educentem, à noſtris inſtrumentis mutuaſſe. Sic & Thales aquam primum omnium rerum principium agnouit. Et Plato, ſic interrogat: « Quod, inquit, rarum, Anthideme, id honorandum? Aqua enim viliſſimo pretio emitur, cùm res ſit naturâ pretioſiſſima, vt ait Pindarus. » Et Tertullianus noſter, iuſtiſſimè in contemptores aquæ inuehitur, qui eam ex ſimplicitate communi depretiant, quam tamen Spiritus ſanctus in ſymbolum, & in ſuæ poteſtatis inſtrumentũ aſſumpſit. « Proh miſerat incredulitas, quæ denegas Deo proprietates ſuas, ſimplicitatem & poteſtatem, &c. » Simplicitatem ſuam & poteſtatem Spiritus ſanctus, vt fluuius de ſede Dei & Agni procedens, aquis infudit, quibus ſuperferebatur ab initio mundi. « Habes homo in primis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua ſubſtantia; dehinc dignationem, quòd diuini Spiritus ſedes, gratior ſcilicet cæteris tunc elementis, &c. Iam tunc etiam ip-

Seneca lib. 3. quæſt. cap. 13.

Clem. Alex a. Strom. cap. 2. Plat. in Anthidemo vel litigioſo.

Tertul. de bapti. c. 2.

Tertul. de bapti. c. 3.

Digitized by Google

loquebatur, cœpit magis à ſapientiâ, & deſcendit ad timorem: ſed nos qui à terrenis ad cœleſtia tendimus, eoſdem gradus aſcendendo enumeramus, vt à timore ad ſapientiam perueDeut. 33.19. nire valeamus.» Sed quodcumque donorum elegeris, flumen eſt, mare eſt, cuius inundationem quaſi lac ſugunt, qui de plenitudine huius fluminis, & in paradiſum, & originem ſuam redeunte accipiunt.« Nec ſolùm flumen, ſed etiam

Ambr. lib. 1. de Spiritu ſancto. cap. 20. Pſ. 45.

profuſi impetus, & magnitudinis redundantis: ſicut etiam Dauid dixit, quia fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Neque enim ciuitas Dei illa Ieruſalem, meatu alicuius fluuii terreſtris abluitur, ſed ille ex vitæ fonte procedens Spiritus ſanctus, cuius nos breui ſatiamur hauſtu, in illis cœleſtibus Thronis, Dominationibus, & Poteſtatibus, Angelis atque Archangelis, redundantius videtur effluere, pleno ſeptem virtutum ſpiritalium feruens meatu. Si enim fluuius riparum editis ſuperfuſus exundat, quantò magis Spiritus omnem ſupereminens creaturam, (neque enim ſolis ab exordio mundi ſuperferebatur aquis, quæ iuxta Tertullianum, materia de ſuo pura, dignum Deo vectaculum ſubminiſtrabat.) Cùm reliqua tanquam inferiora noſtræ mentis arua perſtringat, cœleſtem illam creaturarum naturam, effuſiore quadam ſanctificationis vbertate lætificat? Nec moueat

Io. 7. 39. Apoc. 5. Eſa. 11.

quòd vel hîc dixit flumina; (ſcilicet de ventre eius fluent aquæ viuæ) vel alibi ſeptem ſpiritus. His enim ſanctificationibus ſeptem ſpiritalium, ſicut Eſaïas dixit, ſignificatur plenitudo virtutum: ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii atque virtutis, ſpiritus cognitionis, atque pietatis, ſpiritus timoris Dei. Vnum ergo

Digitized by Google

flumen, ſed multi ſpiritalium donorum meatus. Hoc igitur flumen exit de fonte vitæ. » Hoc eſt de Dei & Agni ſede, vt bibentes ex eo, vnde originem duxit illò ſecum trahat vt fiat in eis, « fons aquæ ſalientis in vitam æternam. »

SECVNDA PARS MORALIS.

PRIMA REFLEXIO. Quanti facienda ſit aqua, vel ex Philoſophis audiamus. « Ignis (inquit Seneca) exitus mundi, humor principium.» Prope fidem attigiſſe videtur, & conflagrationem vniuerſi ex Scripturis adorans, & Spiritum incubantem aquis ex eius humore, piſces, aues, aſtra formantem, vel tanquam ex materiâ primâ, rerum omnium formas educentem, à noſtris inſtrumentis mutuaſſe. Sic & Thales aquam primum omnium rerum principium agnouit. Et Plato, ſic interrogat: « Quod, inquit, rarum, Anthideme, id honorandum? Aqua enim viliſſimo pretio emitur, cùm res ſit naturâ pretioſiſſima, vt ait Pindarus. » Et Tertullianus noſter, iuſtiſſimè in contemptores aquæ inuehitur, qui eam ex ſimplicitate communi depretiant, quam tamen Spiritus ſanctus in ſymbolum, & in ſuæ poteſtatis inſtrumentũ aſſumpſit. « Proh miſera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates ſuas, ſimplicitatem & poteſtatem, &c. » Simplicitatem ſuam & poteſtatem Spiritus ſanctus, vt fluuius de ſede Dei & Agni procedens, aquis infudit, quibus ſuperferebatur ab initio mundi. « Habes homo in primis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua ſubſtantia; dehinc dignationem, quòd diuini Spiritus ſedes, gratior ſcilicet cæteris tunc elementis, &c. Iam tunc etiam ip-

Seneca lib. 3. quæſt. cap. 13.

Clem. Alex 2. Strom. cap. 2. Plat. in Anthidemo vel litigioſo.

Tertul. de bapti. c. 2.

Tertul. de bapti. c. 3.

Digitized by Google

ſo habitu prænotabatur, ad baptiſmi figuram, Dei Spiritum, qui ab initio ſuperuectabatur, ſuper aquas intinctorum (baptizatorum) moraturum. Sanctum autem vtique ſuper ſanctum ferebatur, aut ab eo quod ſuperferebatur, id quod ferebat, ſanctitatem mutuabatur. Quoniam ſubiecta quæque materia, eius quæ deſuper imminet, qualitatem rapiat neceſſe eſt, maximè corporalis ſpiritalem, & penetrare, & inſidere facilem, per ſubſtantiæ ſuæ ſubtilitatem. Ita de ſancto ſanctificata, natura aquarum, & ipſa ſanctificare (vim ſanctificandi) concepit:» Quòd ſi aquis, propter honorem Spiritus incubantis, magna veneratio præſtanda eſt, quantò maior ipſi Spiritui, fluuio de ſede Dei & Agni procedenti; vt vero Deo, eſt exhibenda; qui commune cum Patre, & Filio rerum omnium principium eſt, & finis, & maximè ac propriè totius gratiæ, & ſanctificationis origo?

Neque verò ſicut aquam, ita Spiritum ſanctum, eiuſque gratiam, peruiam omnibus, ac communem exiſtimare debemus. Choaſpis fluuij aqua, « ita dulcis eſt vt Perſici Reges, quamdiu intra ripas Perſicas fluit, ſolis ſibi ex eo pocula dedicarent, & etiam peregrè profecti, vectitarent. » De quo & Plinius, « Parthorum, inquit, Reges, ex Choaſpe & Fulæo tantùm bibunt: & eæ quamuis in longinqua, comitantur illos. » Meminit & Clemens Alexandrinus, vbi de potu: « ad potum, inquit, optima aqua Choaſpica, quam ſtulti Perſarum Reges in conuiuio apponebant. » Nec communis potus fluminis Spiritus ſancti, ſed ſanctorum, vnctorum Domini, ac Regum conuiuio apponitur; quibus Petrus, « vos, inquit, gens ſancta, genus electum,

Solin. cap. 51. Plin. lib. 31. cap. 3.

Clem. Alex. 2. Pædag. cap. 2.

1. Pet. 2. 9.

Digitized by Google

Regale ſacerdotium.» Hos ſequitur per deſertum huius vitæ, de comite petrâ fluens, ſed lapſu libero. « Cuius enim vult miſeretur, & quem vult obdurat. Non enim omnium eſt fides » neque omnes interiùs docet Pater. Vnde Auguſtinus: « quando, inquit, Pater intus auditur, & docet, vt veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, ſicut Prophetâ prædicante promiſit: ſic quippe facit filios promiſſionis, & vaſa miſericordiæ quæ præparauit ad gloriam. Cur ergo non omnes docet, vt veniant ad Chriſtum, niſi quia omnes quos docet, miſericordiâ docet, quos autem non docet, iudicio non docet? Quoniam cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat: ſed miſeretur bona tribuens, obdurat digna retribuens.» Et rurſum: « Scimus gratiam Dei, nec paruulis, nec maioribus, ſecundùm merita noſtra dari; ſcimus maioribus ad ſingulos actus dari: ſcimus non omnibus hominibus dari: & quibus datur, non ſecundùm merita operum non dari, ſed nec ſecundùm merita voluntatis eorum, quibus datur, quod maximè apparet in paruulis.» Et quid expreſſius, quàm cùm dixit naturam diſcernendam à gratiâ? Illam communem omnibus hominibus, iſtam fidelium propriam. « Hanc, inquit, naturam cum impiis & infidelibus certum eſt nobis eſſe communem; gratia verò per fidem Ieſu Chriſti, eorum tantummodo eſt, quorum eſt ipſa fides. Non enim omnium eſt fides.» Ita poſt Auguſtinum D. Proſper: « Non, inquit, omnium eſt fides, nec omnes credunt Euangelio: ſed qui credunt, Dei Spiritu aguntur, vt credant: qui non credunt, libero auertuntur arbitrio. Gratiâ ſalui facti eſtis per fidem, & hoc

Rom. 9.18. 2 Theſ. 3. 2. Aug. de præd. ſanct. cap. 8. Ezech. 36.26. Rom. 9 23. Aug. ep. 107. ad Vitalem. Et lib. de gratiâ & lib. arb. cap. 13. D. Proſper ep. ad Ruffin.

Digitized by Google

Epheſ. 2. 8. non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Et non ex operibus, ne quis glorietur. » Nec aliter D. Fulgentius: « De gratiâ, inquit, non dignè ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari: cùm non ſolùm, non omnium ſit fides: ſed adhuc nonnullæ gentes inueniantur, ad quas fidei prædicatio non peruenit. B. autem Apoſtolus dicit: quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Et quomodo credent niſi audierint, & quomodo audierint ſine prædicante? & quomodo prædicabunt niſi mittantur? Non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui fideles non ſunt: nec poſſunt credere ad quos inuenitur ipſe fidei auditus minimè perueniſſe. » Ne ergo æſtuemus illo, quem ſuggillat Apoſtolus, non ſecundùm ſcientiam zelo; ſed eius gratiæ gratiam referamus, quòd nos inter vaſa iræ, elegerit ſibi vaſa miſericordiæ, quæ aqua fluminis de ſede Dei, & Agni procedentis impleret; cum Pſalte gratulantes; « non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. » Et nullis noſtris meritis, « pluuiam voluntariam ſegregauit. »

Fulg. in ep. Synodica ad Epiſc. Afr.

Rom. 10.14.

Rom. 10.2.

Pſ.147. 9.

Pſ. 67. 10.

Secvnda Reflexio. Non eſt ergo quòd quiuis ab Eccleſiâ per hæreſim, ſchiſmaticus; vel in ipſâ Eccleſiâ, per peccatũ lethale, à gratiâ extraneus, aquæ huius fluuij, & Spiritus ſancti dono participare præſumat. « De his (inquit Auguſtinus,) qui ſchiſmata faciebant, Apoſtolus dicit. Animalis homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei. Baptiſmus igitur Sacramentum eſt nouæ vitæ, ac ſalutis æternæ, quem multi habent non ad vitam æternam, ſed ad pœnam æternam, non benè vtentes tanto bono. Charitatem verò

D. Aug. lib. 2. cont. Creſc. cap. 13. & ſeq. 1. Cor. 2. 14.

Digitized by Google

ſanctam, quæ eſt vinculum perfectionis, nemo Coloſſ.
poteſt habere non bonus, nemo qui habet, po- 3. 14.
teſt eſſe ſchiſmaticus, vel hæreticus, &c.» Deinde in Eccleſiâ, Dei ciuitate recipi Spiritum à Filio datum pulchrè dicit: « Non eam, inquit, condidit qui fratrem ſuperbè occidit iratus, (Romulus) ſed qui fratres humiliter redemit occiſus. Hanc Spiritu ſancto mundante lætificat, de quo clamabat, ſi quis ſitit, veniat & bibat: non aquam viſibilem commendans, quæ baptiſmatis Sacramento, quam & boni, & mali habere poſſunt, quamuis ſine illâ, boni ſalui fieri non poſſunt. Quæ quamuis Eccleſiæ ſit, ta- 1. Io. 2.
men etiam foras profluit, cùm & apud illos in- 19.
uenitur, qui ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Sicut aqua in aliquo ex illis memorabilibus quatuor fluminibus negari non poteſt, quòd ſit aqua paradiſi, quamuis non ſit in ſolo paradiſi, quæ etiam extra manauit. Non Gen. 2.
ergo hanc aquam, ſed aquæ nomine, inuiſibile 10.
Dei donum, ſanctum Spiritum commendabat dicens; ſi quis ſitit, veniat, & bibat: ſicut eui- Io. 7. 37
denter Euangeliſta teſtatur, adiungens: hoc autem dicebat de Spiritu, &c. huius fontis largo atque inuiſibili flumine lætificat Deus ciuitatem ſuam, de quâ Propheta prædixit: fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Ad hunc enim Pſ. 45.
fontem nullus extraneus, quia nullus niſi vitâ 4.
æternâ dignus accedit. Hic eſt proprius Eccleſiæ Chriſti, cui tantò antè prophetatum eſt, fons aquæ tuæ ſit tibi proprius, & nemo alienus communicet tibi. De hac enim Eccleſiâ, & de iſto Prou.
fonte dicitur & in Cantico Canticorum: hortus 5. 17.
concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ. Hoc Cant.
veſtri de viſibilis baptiſmatis Sacramento ac- 4. 12.

Digitized by Google

cipientes, tantùm errant, vt res abſurdiſſimas fateri cogantur inuiti; quòd ad illum ſcilicet fontem viuum, qui proprius eſt vnicæ columbæ, de quo dictum eſt, nemo alienus communicet tibi, ad hortum concluſum, puteumque ſignatum potuerit accedere Simon magus, quem legimus à Philippo baptizatum: potuerint accedere tot ficti, de quibus gemens loquitur Cyprianus, ſæculo verbis ſolis, & non facto renuntiantes: tot etiam Epiſcopi auari, de quibus idem ipſe teſtatur, fundos inſidioſis fraudibus rapientes, vſuris multiplicantibus fœnus augentes. Iſta quippe in baptizatis, & baptizantibus viſibili baptiſmo reperiuntur. Ad illum autem fontem proprium, cui nemo communicat alienus, ad illum fontem ſignatum, hoc eſt ad Spiritus ſancti donum, quo charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, nullus iſtorum niſi mutatus accedit, ita omnino mundandus, non vt non ſit, ſed ſit cœleſtis particeps pacis, ſanctæ ſocius vnitatis, plenus indiuiduæ charitatis, ciuis Angelicæ ciuitatis.» Qui volet ergo ad cœleſtes aquas, & fluuium æternæ pacis in cœlo eleuari, vel etiam in hac vitâ fluminis impetu ciuitatem Dei lætificãtis irrigari, ſtudeat ab omni inquinamẽto peccati purgari.«Quod enim lotis pedibus Diſcipulorum, os ſuum aperuit Dominus, ſermonemque edidit ſplendidiſſimum, quo Paracletum illum, tam ſedulè repromittit, Spiritum ſanctum, quodque & nos lotis eius exemplo pedibus, eumdem ſermonem legimus, vel audimus; hoc ſignificat, quod non niſi lotis & mundis, gratia S. Spiritus oſtenditur. Vnde & in Apocalypſi, cùm Ioanni dixiſſet Angelus: non intrabit in eam aliquid coinquinatum, & fa-

Cypr. ep. de lapſis.

Rom. 5.5.

Rup. lib. 5. de diuin. officiis cap. 21.

Apoc. 21. 27.

ciens iniquitatem, & mendacium: protinus adiungitur: & oſtendit mihi fluuium aquæ viuę, tanquam chryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni. De hoc fluuio & in Ezechiele legitur: vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, & omnes ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt. Non enim omnes, ad quoſcumque peruenit viſibilis baptiſmi fons, ſalui fiunt: alioquin Simonem magum viſibiles baptiſmi aquas ingredientem, ſalus non refugiſſet: ſed de Deo vitæ fonte, paciſque fluuio dictum eſt, penes quem eſt omne arbitrium ſalutis, quem Dominus ſupra dicto modo purificatis, hoc ſubſequenti ſermone ſe daturum repromittit.»

Ezech. 47.1. & ſ.9.

Tertia Reflexio. Aquæ viuæ fluminis huius pretium qui volet agnoſcere, cum Ioanne videat eam de ſede Dei, & Agni procedere. Donum quippe ex origine ſuâ, & dantis affectu, & dignitate penſandum eſt, ſicut & ex proprio diſcernendum eſt effectu, & valore. Aqua iſta viua, de throno diuinæ Majeſtatis, « datum hoc optimum, & donum perfectum, deſcendit à Patre luminum » & Agni immaculati cruce, & dextro latere templi corporis eius, quo ſanguis & aqua profluxit. Effectus porro huius aquæ ſunt mirabiles; cùm & ligni in eius decurſu plantati folia, ad ſanitatem gentium medica, à Ioanne teſte oculato referantur: « qui enim vidit teſtimonium perhibuit. » Et quæ aquæ, huic aquæ viuæ valeant adæquari? « Quędam oculos, quædam neruos iuuant, quædam inueterata, & deſperata medicis vitia percurant, quædam medentur vlceribus, quædam interiora fouent potu, & pulmonis, ac viſcerum querelas leuant. Quædam ſupprimunt ſanguinem. » Va-

Iac. 1. 17.

Ezech. 47.1.

Apoc. 22.2.

Io. 19. 35.

Seneca lib. 3. quæſt. cap. 1.

riæ variis languoribus adhibentur aquæ: vnicã Spiritus ſancti aqua, omnibus animi, & corporis morbis certiſſimam, ac citiſſimam affert medicinam.
Pſ. 35. 10. Hæc lux eſt mentis oculis: « quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.
Aug. in Pſ. 35. 10. Hîc aliud eſt fons, aliud lumen: ibi non ita: quod enim eſt fons, hoc eſt & lumen: & quicquid vis, illud vocas, quia non eſt quod vocas: quia non potes congruum nomen inuenire, non remanet in vno nomine, &c. Ibi non fatigaberis, quia fons eſt; non tenebraberis, quia lumen eſt.»
Pſ. 50. 13. Et quis confortat neruos, niſi « Spiritus principalis, confirmans,
Pſ. 17. 35. & ponens velut arcum æreum brachia mea?» Et quænam vitia
Pſ. 102. 4. deſperata medicis non curet, « qui redimit de interitu vitam tuam, qui ſanat omnes infirmitates tuas?» Quæ lingua vlcera lambendo non ſanet, niſi quæ Apoſtolis fuit in igne diſpertita, aqua Nilotica, tincta, vlcera peccatorum lambens prædicatione Euangelicâ? An non interiora
Pſ. 118. 131. fouet, pulmonem iuuans qui « os aperit, & attrahit Spiritum?» An non ſanguinem ſupprimunt fluxumque paſſionum, vt cum Pſalte hanc
Pſ. 50. 16. ſuſpiret aquam, dicens: « libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ; & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.»
Bern. ſer. de tribus aquis. Bernardus triplicem ab Agno fluentem aduertit aquã, primam lacrymarum in Lazarum, & Ieruſalem; ſecundam rubeam & ſanguineam in horto; tertiam de latere in Cruce, mixtam ſanguine. « Et tu, inquit,
Pſ. 40. 3. primam habes, ſi lacrymis tuis conſcientiæ tuæ ſtratum, & dolore compunctionis, præteritorum diluis maculas peccatorum.
Gen. 3. 19. Secundam aquam habes, ſi in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & labore pœnitentiæ corpus tuum

caſtigas, ac reſtinguis concupiſcentiæ flammam. Eſt autem ſanguinei coloris, ſiue propter laborem, ſeu etiam propter ipſum quem extinguit concupiſcentiæ ignem. Iam verò ſi proficere potes vſque ad deuotionis gratiam, potaberis aquâ ſapientiæ ſalutaris, & Spiritu Christi qui ſuper mel dulcis eſt, fiet in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et memento hanc eſſe aquam, quæ procedit de latere dormientis, & ſine omni moleſtiâ fluit; oportuit enim iam mortuum eſſe mundo qui in hac gratiâ voluerit delectari. » Et alibi: « Non iſte ſolus aquarum eſt vſus, nec tantùm ſordes abluunt, ſed & ſitim extinguunt, &c. Aquâ ſapientiæ ſalutaris potabis illos. Benè ſapientiæ ſalutaris, quoniam ſapientia carnis mors eſt, & ſapientia mundi etiam ipſa inimica eſt Deo, &c. Habemus de fonte miſericordiæ ad diluendas culpas, aquas remiſſionis; habemus de fonte ſapientiæ, ad potandum ſitim noſtram, aquas diſcretionis: habemus de fonte gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas deuotionis. Quæramus ad decoquendos cibos aquas feruentes, aquas æmulationis. Hæ nimirum condiunt & decoquunt affectiones noſtras, & ebulliunt de fonte charitatis, &c. Siquidem ex dulcedine deuotionis, diligimus iuſtitiam; ex feruore æmulationis odio habemus iniquitatem. »

Eccli. 15. 3. Io. 4. 14. Bern. ſer. 1. in Matth. Eccli. 15. 3. Rom. 8. 7.

QVARTA REFLEXIO. Proh quanto damno hanc aquam, hunc fluuium Spiritus negligimus, aut « in vacuum recipimus, diuitias collectas mittentes in ſacculum pertuſum. Videte ne pereffluatis » ne labore Danadum caſſo, in dolia perforata mittatis. Sed Veſtali

ſimiles, in fidem, virginitatis illæſæ, cribro aquam Tyberis hauſtam portanti, obturatis cuſtodiâ vigili, carnis, & mentis ſenſibus gratiam integram & ineffuſam conſeruetis. « Continentiam tibi credas neceſſariam, vt Spiritus ſanctus fiat in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam, &c. Ergo quod ſalit in vitam æternam, à vitâ æternâ profectò deſcendit. Vnde licet aqua deſurſum veniat, niſi continentem, & integrum habeat conductum, ſurſum non redit, ſed defluit. Deſcendit in te Spiritus ſanctus, viuificabit animam tuam, vt in te ſaliat in vitam æternam. Continens neceſſe eſt vt ſit corpus tuum, quatenus obtures aures tuas, ne audias ſanguinem, & claudas oculos tuos ne videant mala: ne gratia de ſuperis tibi collata, per minus circumſpectos ſenſus tuos foris effluat, ſpiritu tuo diffuſo in vanitates & inſanias falſas.» Si ergo gratiam, ſi aquam Spiritus ſancti volumus conſeruare, diligenter caueamus, ne ciſternam noſtram hæreticus veniat diſſipare; aliàs de peccato nos arguet Spiritus per Prophetam querulus: « foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.» Vnde & Ambroſius. « Tinea, inquit, noſtra Arius eſt, tinea noſtra Photinus eſt, qui ſanctum Eccleſiæ veſtimentum impietate ſuâ ſcindunt, & vnitatem diuinæ poteſtatis indiuiduam ſeparare cupientes, ſacrilego morſu pretioſæ fidei velamen obrodunt. Funditur aqua ſi Arius dentem impreſſerit, effluit, ſi aculeum ſuum in alicuius vas Photinus infixerit. Vile figmentum ſumus, cùm vitia ſentimus. Sed nemo dicit figulo, quid me feciſti ſic? Nam & ſi vile vas noſtrum, aliud

Bern. ſer. de verbis Sapientiæ.

Eſa. 33. 15.

Pſ. 39. 6.

Ier. 2. 13.

Ambr. lib. 1. de Spiritu ſancto. cap. 20.

Rom. 9. 20.

tamen in honore, aliud in contumeliâ eſt. Noli ergo aperire lacum tuum, noli fodere vitiis atque criminibus, ne quis dicat: lacum aperuit & effodit eum, &c. Contritos lacus deſerite, &c. Abraham Deum, poſtquam puteum fodit emeruit: ſic Iſaac dum ad puteum deambulat, venientem illam in typo Eccleſiæ accepit vxorem. Fidelis ad puteum, infidelis ad lacum. Denique & Rebecca ſicut legimus, petitorem inuenit ad fontem, & meretrices in lacu Ieſabel ſe cruore lauerunt.» Heu quàm timeo, ne aquæ Nili ſeptemplicis virgâ iuſtitiæ percuſſæ, vertantur nobis in ſanguinem vindictæ; ne ſicut «flumen Ciconum ſaxea reddit viſcera, & res tactas marmorat:» ſic «cor noſtrum obduretur tanquam lapis, & velut malleatoris incus, aut in ſimilitudinem lapidis, durentur aquæ» Spiritus. Heu ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit» ſi contra nos gratiæ «abyſſi facies conſtringatur. Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.» Cum Ambroſio concludamus:« Bona aqua ſpiritalis gratia. Quis hunc fontem dabit pectori meo? In me ſaliat, in me fluat vitæ largitor æternæ. Superfluat in nobis fons iſte, non effluat. Dicit enim Sapientia: bibe aquam de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fontibus, inque plateis tuis ſuperfluant aquæ tuæ. Quomodo hanc aquam tenebo ne effluat, ne labatur? quomodo vas meum conſeruabo, ne quà penetrans rima peccati, æternæ vitæ diſtillet humorem? Doce nos, Domine Ieſu, doce, ſicut docuiſti Apoſtolos tuos, dicens, nolite theſaurizare vobis theſauros in terrâ, vbi ærugo, & tinea exterminat, & vbi fures effodiunt & furantur. Furem videlicet im-

Pſ. 7. 16.
Gen. 21. 30.
Gen. 24.
3. Reg. 12.
Exod. 7. 17.
Seneca lib. 3. quæſt. cap. 20.
Iob. 41. 15.
Iob. 38. 10.
Ambr. lib. 1. de Spiritu ſanctò. cap. 10.
Prou. 5. 15.
Matth. 6. 20.

mundum ſpiritum ſignificat, qui in bonorum
operum luce gradientibus conatur obrepere,
(& ſicut fur ſolet, vt theſaurum gratiæ, velut
Pſ. 90. 6 Tagi, vel Pactoli vndas aureas ſurripiat, lucer-
nam extinguere, vt negotium eſt perambulans in
tenebris) in tenebris autem ſæcularium cupidi-
tatum, & inter oblectamenta terreſtrium ſi
quem ceperit voluptatum, omni virtutis æternæ
flore deſpoliet. Et ideo Dominus dicit: theſau-
rizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo
neque tinea exterminat. Ærugo noſtra laſciuia
eſt ærugo noſtra libido eſt, ærugo noſtra luxu-
ria eſt, quæ flagitiorum ſordibus aciem mentis
obducunt. » Hanc æruginem, dum licet, the-
ſauro, & aquæ gratiæ, & fluuio chryſtalli inſtar
ſplendido, inimicam auferamus, ne pro fluminis
impetu ciuitatem Dei lætificante, in nos « ve-
niat quaſi fluuius violentus (Pagninus; fluuius
hoſtis, 70. fluuius violentus, ira â Domino ve-
Eſa. 59. 19. niet cum furore) quem Spiritus Domini cogit. »
Sed quid timori ſeruili commune cum amore?
quid furori, cum Agni ſede? ſicut Spiritus ſan-
ctus procedit vt amor, amore ſimiliter cum Deo
procedamus. Et cum venerabili matronâ, vas
ignis vnâ manu, alterâ vas aquæ portante, à
ſancto Ludouico rogatâ, dicamus; hac inferni
flammas extinguo, illo paradiſum incendo; nec
Aug. ſpe moueor, nec timore. « Amore feror quo-
Ezech. 1. 12. cumque feror. » Vnus me rapit Spiritus impe-
tus, illuc gradior, illo agor. Siue vt ignis exar-
deat à facie Dei; cum carbonibus ab eo ſuccen-
dor; ſiue vt fluuius de ſede Dei, & Agni proce-
dat, fluminis impetu ciuitatem Dei lætificante
impleor. Adeò vt flumina de ventre fluant;
& de præcordiis ſeptiformis Nili myſtici gratia;
donec

Digitized by Google

donec « fiat in me fons aquæ viuæ ſalientis vſ- Io. 7.
que ad originem ſuam, ſedem Dei, & Agni, in vitam æternam. » Amen.

IN FESTO SANCTISSIMÆ Trinitatis.

Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro. Exod. 5. 3.

SAcræ Scripturæ veteris teſtamenti paginas decurrenti, nullus mihi locus aptior occurrit, ad tractandum ſiuè doctè, ſiuè moraliter, ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, quam quo Moyſes, Pharaoni populum Iſraëliticum captiuitate tyrannicâ detinere volenti reſpondit: « Deus Hebræorum vocauit nos, &c. » Et quæ Ægypti captiuitas, tenebras & anguſtias ſignificantis, mundi, & diaboli ſeruituti comparabilis inuenitur? quod deſertum, aut exilium, hac vitâ miſerâ calamitoſius? Quæ via in hac peregrinatione tutior, quàm via fidei Trinitatis? Cui intellectum, voluntatem, totam animam & carnem ſacrificare debemus. « Tres dies non incongruè poſſumus dicere, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: quia & Pater dies eſt, & Filius dies eſt, & Spiritus ſanctus dies eſt, & hi

Aug. ſer. 90. de tēp.

tres vnus dies. Via trium dierum, quâ exitur de Ægypto, rectè intelligitur ille, qui dixit: Ego ſum via, veritas, & vita: quia nemo venit ad Patrem niſi per ipſum. Ipſe eſt via, per quam populus qui Deo coniungitur, de Ægypto, id eſt, de Idolorum obſeruatione educitur per mare rubrum, Chriſti ſanguine rubicundum; & quodammodo iam tunc myſterio conſecratum, tanquam per baptiſmi Sacramentum, Pharaone ſubmerſo, populus Dei eripitur. Et verè ita fit fratres, quando in ſalutari lauacro tertiò Chriſtiani merguntur; tunc Ægyptii, id eſt, originalia peccata, vel actualia crimina, quaſi in rubro mari ſepeliuntur, & filiis Iſraël pertranſeuntibus ad Dei ſeruitium, ſola patiuntur peccata naufragium, &c. Non volebat princeps huius mundi, exercitum Domini trium dierum Sacramenta cognoſcere: illa vtique Sacramenta, de quibus Propheta dixit: viuificabit nos poſt duos dies, in die tertio ſuſcitabit nos. Prima dies Paſſio Domini Saluatoris eſt, ſecunda, quà deſcendit ad infernum, tertia autem Reſurrectionis eſt dies. Et ideo in die tertiâ Deus antecedebat eos per diem in columnâ nubis, per noctem autem in columnâ ignis; duciturque populus per mare rubrum. » Inde Christus iuſſit: pro ſuſcitandis in baptiſmo fidelibus: « euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. » De triplici & vno die dicturi, te, filiâ Iob dictâ die pulchriorem agnoſco. Cui Bernardus aptat illud Pſaltis: « dies diei eructat Verbum. Dies diei, inquit, Angelus Virgini dies Angelus, propter beatitudinem; Virgo dies, propter integritatis virtutem. Et nox ſerpens, propter malitiam; mulier nox, propter igno-

Io.14.6.

D. Aug. Ibid. in p. Oſee 6.3.

Exod. 13.21.

Ber. ſer. 5. ex paruis.

rantiam. » Tu à Patre die Filium diem concepiſti, ex die, & meridie Spiritus ſancti; ſuo tamen vmbraculo te protegente; dum tibi diei, dies Angelus, Verbum incarnandum eructauit, dicens: Aue Maria.

EXORDIVM.

Alexandro VI. Pontifici Maximo plurimùm gratulor, quòd ſummæ omnium dignitatis ſplendor mentis eius, oculos non perſtrinxerit, nec ad culmen honoris erectus, communem cum cæteris ac vilem peregrini conditionem minimè dedignatus, viatoris arma ſuo in ſcuto cælari voluerit; tres videlicet Scipiones, quos in medio corona complectitur, cum hac epigraphe: « tentanda via. » Siue quòd viam trium dierum, Typotius in
Trinitatem intellexerit, & vnam atque indiuiſam gloriam. Tres dies in vnum lumen coaleſcentes: vnum in tribus perſonis diem; de quo liceat illud Auguſtini, de æterno Dei die loquentis vſurpare: « Illi diei non ſuccedit craſtinus, quia non præcedit heſternus. » Neque enim, licet origine poſterior Spiritus ſuccedit Filio: neque Pater Filium antecedit. Quia « illi tres vnum ſunt » vnus inquam coæternus dies. Siue quòd nos omnes viatores, hoc fulcro triplici, hoc ſuſtentaculo fidei Trinitatis, in ſolitudine vnius eſſentiæ, ad eandem gloriæ coronam pergere debeamus. Quòd autem pro ſymbolo ponitur, « tentanda via: » difficilem docuit de Trinitate ſermonem. Æqualis enim eſt vtrimque periculi, vel ignorare, vel curioſè inueſtigare Trinitatem. « Quid faciemus nos? ſilebimus? vtinam liceret. Forſitan enim ſilendo aliquid dignum de

(Margin notes: Typotius in hierograp. Pontif. — Aug. ſuper Pſal. — 1. Io. 5. 7. — Aug. ſer. 38. de verbis D.)

re ineffabili cogitaretur. Nam quidquid poteſt fari, non eſt ineffabile, ineffabilis autem eſt
2. Cor. 12. 4. Deus. Si enim raptum ſe dicit, & dicit ſe audiſſe ineffabilia verba, quantò magis ipſe ineffabilis, qui talia demonſtrauit, quæ fari non poſſit; cui demonſtrata ſunt? Itaque fratres, melius erat ſi poſſemus tacere, & dicere, hoc habet fides, ſic credimus. Non potes capere, paruulus es, patienter tolerandus, donec pennas nutrias; ne cùm volare implumis volueris, non ſit tibi aura libertatis, ſed caſus temeritatis, &c. Sit pia confeſſio ignorantiæ, magis quàm temeraria profeſſio ſcientiæ.» Et rurſum: « Vbi, inquit,
Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 3. quæritur vnitas Trinitatis, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid inuenitur. » Curioſitatem peruerſam ſuggillat Bernardus, & ſimplicem præeligit
Bern. fidem. « Inquirere, inquit, de Trinitate, peruerſa curioſitas eſt: credere, & tenere, ſicut ſancta Eccleſia tenet, fides & ſecuritas eſt: videre autem eam ſicuti eſt, perfecta & ſumma fœlicitas eſt. » Vt videamus eam clarè, & amemus eam perfectè, & fruamur eâ plenè, nunc eam obſcurè licet, firmiter tamen credere, & pro modulo viatorum diligere debemus. Quod vt præſtemus, vocantem nos in ſolitudinem trium dierum audiamus, Eccleſiæ ſponſæ ſuæ dicentem, & ter ad coronam inuitantem. « Veni
Cant. 4. 8. ſponſa mea, veni de Libano, (vel de candore fidei in baptiſmo ſuſceptæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vel de thure Idolis oblato in ignorantiâ Gentili,) veni, coronaberis. » Sed vt peruenias ad coronam, oportet vt tentes viam. Et ne in viâ, in pardorum, & leo-

Digitized by Google

num cubilia incurras, triplici fulcro & baculo Trinitatis innitere: « firmamentum enim eſt Pſ.24.
Dominus timentibus eum: & teſtamentum ip- 15.
ſius vt manifeſtetur illis. » Nobis hodie probandum eſt primò, viam Trinitatis, viam eſſe ſanctam, & auguſtam, & ineffabilem; ſecundò quærendum, vtrùm melius ſit agnoſcere, vel amare Trinitatem. Tertiò cui trium Perſonarum plus debeamus, & quid toti Trinitati in huius vitæ deſerto ſacrificare debeamus.

Divisio.

PRIMA PARS DOCTRINALIS.

Viam dico ſanctam, viam auguſtam, viam ineffabilem, viam trium dierum, viam ſanctiſſimæ Trinitatis. Et ſanctam quidem docent animalia myſtica; Cherubim, inquam, & Seraphim, « re- Apoc.
quiem die, & nocte non habentia, & clamantia, 4. 8.
altera ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Eſa. 6.3
Dominus Deus exercituum; Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. » Via ſancta, de quâ Pſaltes: « Deus in ſancto via tua.
Quæ via tua in ſancto? Ego ſum, inquit, via, ve- Pſ.76. 14.
ritas, & vita, &c. ſcitote quoniam magnificauit Aug.
Dominus ſanctum ſuum, in ſancto via tua. Ad Ibid.
ipſum ergo attendamus Chriſtum, attendamus Io.14. 6.
ibi viam eius: Deus in ſancto via tua. » Siue Pſ.4.4.
viam intelligas intellectus, quâ procedit ex Patre ſine matre Deus, via ſancta: de quâ Pater ad Filium dicit: « in ſplendoribus ſanctorum ex
vtero genui te. Quid eſt ex vtero? ex ſecreto, ex Aug. in Pſ. 109.
occulto, de meipſo, de ſubſtantiâ meâ. Hoc eſt 3.
ex vtero. Quid eſt ante Luciferum? hoc eſt ante ſydera: & quod eſt ante ſydera? hoc eſt ante tempora. Si ergo ante tempora, ab æternitate. Noli quærere quando: æternitas non habet quando, &c. De Patre non eſt natus in tempore,

Digitized by Google

per quem facta ſunt tempora. » Et vt ait Pro-
pheta: « egreſſiones eius à diebus æternitatis. »
Et Ioannes, « in Principio erat Verbum. » De
Mich. quo Pſaltes: « tecum Principium in die virtutis
5. 2. tuæ. In ſplendoribus ſanctorum, &c. » ſiue con-
Io.1.1. ceptum, & natum ſpectes ex Virgine; & illud
verum eſt, cùm foras proceſſit ex matre, ſine
Pſ.109. patre, « in ſplendoribus ſanctorum, prædeſtina-
3. tus ab æterno Filius Dei, qui factus eſt ei ex ſe-
Rom. mine Dauid ſecundùm carnem in Spiritu ſan-
1.3. ctificationis: » vnde & Angelus Matri: « quod,
inquit, naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Fi-
Luc. 1. lius Dei. » De quâ natiuitate rurſum Pſaltes:
35. « ex vtero ante Luciferum genui te. Ex vtero
Aug. in virginali. Si enim illa Virgo ducens propagi-
Pſ.109. nem de carne Dauid; ex illo vtero natus eſt
Chriſtus, tanquam ex vtero genitus à Dauid.
Ex vtero, quò maſculus non acceſſit. (O via ſan-
cta & immaculata!) Ex vtero prorſus, pro-
priè ex vtero: quia ſolus ex ſolo vtero. Ergo ex
vtero, inquit ille qui eum Dominum ſuum
dixerat. Ex vtero ante Luciferum genui te.
Et hoc ipſum, ante Luciferum, ſignatè dictum
eſt, & propriè dictum, & ſic impletum. Noctu
enim natus eſt Dominus ex vtero Virginis Ma-
riæ Indicant teſtimonia paſtorum qui vigilias
exercebant ſuper gregem ſuum. » Siue porro
Luc.2. Lucifer pro Angelorum principe poſitus eſt, in
8. gratiâ & ſanctitate condito, ſiue « Lucifer pro
Aug. in ſyderibus poſitus eſt, tanquam à parte totum ſi-
Pſ. 109. gnificante Scripturâ, & ex eminente ſtellâ om-
nia ſydera; » Et particula « ante » non iam ordi-
nem temporis, ſed præcellentiam indicat ſancti-
tatis; in ſplendoribus ſanctorum, in medio pla-
netarum, & ſyderum, & Angelorum, & homi-

num, ſol iuſtitiæ, & ſanctitatis Chriſtus omnibus antecedit, illuminans omnem hominem, & vt caput etiam Angelorum, radios ſuæ ſanctitatis vndique iaculatur. Adeò vt notanter, lucerna ab eo illuminata, quantumuis lucens & ardens Ioannes, ſit confeſſus: « qui poſt me venit, ante me factus eſt, & prior me erat, poſt me venit quia poſterior natus: Ante me factus eſt, quia prælatus eſt mihi. Prior me erat; quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. » Sancta ergo via, proceſſio Filij de Patre, diei de die, Dei de Deo; Deus in ſancto via tua, via ſancta in ſancto tuo. Quòd ſi quæras, « per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram? » Quid viâ intellectus Patris ſanctius, per quem genitus eſt Filius? Quid via voluntatis Patris, & Filii ſanctius, per quam procedit indiuiſim Spiritus ſanctus? vt amor, & æſtus qui in linguis igneis diſpertitus eſt & diuiſus ſuper terram, ſuper diſcipulorum capita, hora tertia, vt dies tertia, ſuper terram. An non diuiſus, licet « vnus atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult? » Hic eſt verè tertius dies, imò meridies, quem ab Auſtrali plagâ venturum Propheta promiſerat: « Deus ab auſtro veniet » Cuius auram hortulo ſuo concluſo, foras miſſo Aquilone, ſuis plantis aromaticis aſpirare ſponſa votis omnibus ſuſpirabat, dicens: « ſurge aquilo, & veni auſter; perfla hortum meum, & fluent aromata eius. » Numquid & hæc tertiæ diei via ſancta eſt, cùm ſanctus Spiritus de ſancto Patre & Filio procedat, « cuius voluntas ſanctificatio noſtra? » An non tres, & vnus dies ſanctus, quo omnis ſpiritus Angelicus, & humanus de ſanctitate diuinâ

Io. 1. 27. Aug. tract. 4. in Io. 1. 1.

Iob. 38. 24.

1. Cor. 12. 11.

Habac. 3. 3.

Cant. 4. 16.

Digitized by Google

participat. Quo homines regenerati per baptiſmum, in ſolitudine, hoc eſt in vnius indiuiſæ, & ſolius vnitatis ſanctificatione lauantur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti? In quo, vt

Aug. ſer. 90. de tēp.

ſupra dixit Auguſtinus: « filiis Iſraël pertranſeuntibus, ſola patiuntur peccata naufragium. Et ne aliquis dubitet, & putet non omnia peccata ſopiri per baptiſmum, agnoſcat & intelligat, quia quomodo nullus remanſit Ægyptiorum, ſic nihil remanet penitus peccatorum. »

Epheſ. 5.8.

Baptizatis quippe Paulus dicit: « fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino » qui priùs noctis filii, nunc diei. Quibus rurſum Paulus: « & hæc quidem fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed

1. Cor. 6.11.

ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. » Hinc Auguſtinus, ex ſancto die, vno, & trino ſanctificatos agnoſcens, ſcribens in verba

Aug. in Pſ. 85.

Pſaltis: « cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum. Hoc, inquit, quoniam ſanctus ſum, neſcio vtrum potuerit fortè alius dicere, niſi ille qui ſine peccato erat in hoc mundo, peccatorum omnium non commiſſor, ſed dimiſſor. Agnoſcamus vocem dicentis, quoniam ſanctus ſum, &c. Neque vt nonnulli dixerunt, caro ſola erat, & Verbum: ſed & caro, & anima, & Verbum, & totum hoc vnus Filius Dei, vnus Chriſtus, vnus Saluator, in formâ Dei æqualis Patri, in formâ ſerui, caput Eccleſiæ. Ergo, quoniam ſanctus ſum, cùm audis, vocem eius agnoſco, & hîc ſeparo meam. Certè inſeparabiliter à corpore ſuo loquitur, cùm ſic loquitur. Et audebo ego dicere, quoniam ſanctus ſum? ſi ſanctus, tanquam ſanctificans, & nullo ſanctificante indigens, ſuperbus & mendax: ſi autem ſanctus,

Digitized by Google

ſanctificatus, ſecundùm id quod dictum eſt:
ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum: audeat Leuit. 19. 2.
& corpus Chriſti, audeat & vnus ille homo clamans à finibus terræ, cum capite ſuo, & ſub capite ſuo dicere: ſanctus ſum. Accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam baptiſmi & remiſſionis peccatorum. Et hæc quidem fuiſtis, ait Apoſtolus, enumerans multa peccata, & leuia, & grauia, & vſitata, & horribilia: & hæc quidem fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis. Si ergo ſanctificatos dicit, dicat & vnuſquiſque fidelium, ſanctus ſum. Non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingrati. Si enim dixeris te ſanctum eſſe ex te, ſuperbus es: rurſus fidelis in Chriſto, & membrum Chriſti, ſi te non dixeris eſſe ſanctum, ingratus es. Arguens enim ſuperbiam Apoſtolus, non ait, non habes: ſed ait, quid enim habes quod non accepiſti? Non arguebaris, quia dicebas te habere quod non habebas; ſed quia ex te tibi volebas eſſe quod habebas. Imò & habere te agnoſce, & ex te nihil habere, vt nec ſuperbus ſis, nec ingratus. Dic Deo tuo, ſanctus ſum, quia ſanctificaſti me: quia accepi, non quia habui: quia tu dediſti, non quia ego merui. Etenim ex alio latere incipis iniuriam facere ipſi Domino noſtro Ieſu Chriſto. Si enim Chriſtiani omnes, & fideles, & baptizati in illo, ipſum induerunt ſicut Apoſtolus dicit, quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: ſi membra ſunt facti corporis eius, & dicunt ſe ſanctos non eſſe, capiti ipſi faciunt iniuriam, cuius membra ſancta ſunt. Iam vide vbi ſis, & de capite tuo dignitatem cape. Etenim eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Fuiſtis aliquando, inquit, tenebræ; ſed numquid

Pſ. 60. 1. Cor. 6. 11. 1. Cor. 4. 7. Gal. 3. 27. Epheſ. 5. 6.

tenebræ remanſiſtis? ad hoc illuminator venit, vt tenebræ remaneretis, an vt in illo lux fieretis? » An in nomine Patris ſancti, & Filii, & Spiritus ſancti abluti eſtis, & oues de lauacro aſcendiſtis, vt immundi ſemper eſſetis? « Nox præceſſit, dies autem trinus appropinquauit » vt ſancti eſſetis. Et « quod ſanctificat baptiſma; & qui ſanctificatur fidelis ex vno die ſancto omnes. Quod ergo Deus ſanctificauit, tu immundum ne dixeris: » dictum eſt Petro, dum in linteo quatuor initiis, id eſt, angulis ſuſpenſo, immundas priùs beſtias continenti manducare iuſſo, tribus vicibus de cœlo demiſſo, vas in cœlum receptum eſt; quo ſignificabatur, Gentiles in nomine Trinitatis baptizandos, non pro immundis, ſed ſanctificatis habendos. « Vas illud Eccleſiam ſignificat, quatuor lineæ quibus dependebat, quatuor partes orbis terrarum, per quas extenditur Eccleſia Catholica, quæ vbique diffuſa eſt. Animalia illa, Gentes ſunt. Omnes ergo gentes quæ immundæ erant erroribus, & ſuperſtitionibus, & concupiſcentiis ſuis, antequam veniret Chriſtus, illo adueniente, donatis ſibi peccatis, mundæ factæ ſunt, &c. Si Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ, & Eccleſia corpus Chriſti eſt, recipiat in ſe quaſi in eſcam iam mundatas Gentes, quibus peccata dimiſſa ſunt, &c. Quòd tertiâ vice ſubmiſſum eſt vas illud, ſignificat myſterium Trinitatis, & Sacramentum baptiſmatis. Quòd autem dictum eſt Petro, macta, & manduca: hoc ſignificatum eſt, quod Eccleſia Catholica, omnes qui in Chriſtum credunt, priùs occiſura, & poſtmodum manducatura, hoc eſt, occiſura eſſet infidelitatem, vt insereret fidem. Nemo enim poteſt in Chriſtum credere ni-

Cant. 4.2.
Rom. 13.12.
Hebr. 2.11.
Act. 10. 15. 16.
Aug. homil. 45. ex 50.

ſi priùs moriatur quod fuit : ſecundùm illud quod Apoſtolus ait : mortui enim eſtis , & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quomodo enim qui ab hæreticis circumueniuntur, viui deuorantur à mortuis : ſic illi qui ad Chriſtum veniunt, moriuntur præteritis , vt viuant futuris : pereunt diabolo, vt acquirantur Chriſto: moriuntur morti, & fœliciter vitæ inſeruntur. » Tandem per diuinæ & ſanctæ Trinitatis gratiam abluti ſanctificantur. Atque adeo concludo, per omnia ſanctam eſſe viam trium dierum in ſolitudine, hoc eſt fidem ſolius Deitatis, & ſanctiſſimæ Trinitatis.

Coloſſ. 3. 3.

Quòd eadem via ſit Auguſta , & Regia , paucioribus propter euidentiam expono. In Muſæo Romani Equitis, Octauij de Strada , nummus cernitur , ſceptro oculato , in ſublimi throno erecto, ſupra trino Sole in vnum coëunte, de ſuppedaneo throni bicipiti fonte manante, inſignis; cum ſymbolo: « Thronus tuus in ſæculum ſæculi. » Quid auguſtæ fidei Trinitatis viæ concinnius excogitari poteſt? In throno regnat , & ſceptrum tenet vſque in conſummationem ſæculi fides inconcuſſa Trinitatis. Hæc monocula, naturali ſubiugato lumine, tres perſonas, vt tres Soles in lumen vnicum & ſimplex coëuntes contemplatur , & duobus veluti riuis , & viis, intellectus, & voluntatis fœcundiſſimam vnius Deitatis eſſentiam, à Patre in Filium , & à Patre cum Filio in Spiritum ſanctum effuſam. Hæc ſancta, auguſta, regnans , & imperans Maieſtas Trinitatis « conſilia deſtruit, & omnem altitudinem extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigit omnem intellectum in obſequium Chriſti. » Vbi D. Thomas , per

Typotius in hierog. crucis.

Hebr. 1. 8.

2. Cor. 10. 5.

Digitized by Google

altitudinem intelligit profunditatem intelle-ctus, tã Legiſperitorum, quàm Philoſophorum.

D. Th. ibid. lect. 1. « Altitudinem, inquit, dico extollentiæ, aduersùs ſcientiam Dei, ſcilicet fidem, quæ eſt ſcientia Dei, quia quæ de Deo dicuntur impugnant & in captiuitatem, &c. quod quidem fit quando id quòd homo ſcit, totum ſupponit miniſterio Chriſti & fidei. » Beda autem hoc loco referens Auguſtinum: « Iſte, inquit, eſt Deus qui propter deos alios, ſolus ab impiis non colitur, & euerſis diis aliis, tam euidenter efficit vt ſolus colatur; humiliatâ omni ſuperbâ altitudine, quæ ſe aduersùs Chriſtum erexerat, pro Idolis perſequens interficienſque Chriſtianos. » Omnem non fruſtra captiuum dixit Apoſtolus intellectum: quia fides Angelicum ſibi ab initio mundi, & humanum vſque in finem ſæculi, Imperatorũ, Senatorum, Philoſophorũ ſubiecit, & ſubegit intellectum. « Congregabit quaſi arenam captiuitatem. Et ipſe de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt, &c. tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit, & corruet: hæc eſt fortitudo eius Dei ſui. » Nec tyrannos modo, ſed & ſanctiſſimos viros ſibi ſubiecit, & throno ſuo animalia myſtica ſubegit auguſta Majeſtas Trinitatis. Gregorius Magnus illud Iob 38. exponens: « Numquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleïades. A pluralitate, inquit, vocatæ ſunt, &c. vicinitate quadam coniunctæ, ſed tactu diſiunctæ, &c. Ita ſancti ſimul micant, quia vnum prædicant: ſed non ſemetipſos tangunt, quia in diuerſis temporibus apparent, &c. diuerſis quippe temporibus huic mundo Dauid, Iſaïas, & Paulus apparuit; ſed tamen nullus eorum alteri diuerſum ſenſit: quia etſi ſeme-

Beda iuxta Aug. de cõſenſ. Euang.

Habac. 1. 9. & ſeq.

Greg. lib. 19. mor. cap. 16.

Digitized by Google

tipſos non nouerant facie, vnum tamen didicerant ex diuinâ cognitione. Dauid quippe vt Authorem omnium Deum in Trinitate oſtenderet, Pſ.66.
dixit: benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: ac ne tertiò Deum nominans, 6.
tres deos dixiſſe putaretur: illico vnitatem eiuſdem Trinitatis inſinuans, addidit: & metuant eum omnes fines terræ. Qui enim non eos, ſed eum ſubdidit, vnum tria quæ dixerat intimauit. Iſaïas quoque, cùm laudem de vnitate Trinitatis aperiret, Seraphim voces exprimens, ait: ſanctus, ſanctus, ſanctus: ac ne tertio ſanctum nominans vnitatem diuinæ ſubſtantiæ ſcindere videretur, adiunxit; Dominus Deus Sabbaoth, quia ergo non Domini Dii, ſed Dominus Deus addidit. Vnum exiſtere, quod tertiò ſanctum vocauerat, indicauit. Paulus quoque vt operationem ſanctæ Trinitatis oſtenderet, ait: Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Atque vt vnitatem eiuſdem Trinitatis intimaret, protinus addidit: Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Qui igitur non ipſis, ſed ipſi ſubdidit, vnum naturaliter, tria ſecundùm perſonas innotuit, quod ſuperiùs tertiò idipſum dixit.» Subiicit & de animalibus Ezechielis: « pennis ſe dum volant tangunt, quia & confeſſione vocum, & virtutum ſibi vnanimitate iunguntur. Quod quia ſolius diuinæ virtutis eſt, & diſiunctis temporibus miſſos, in fidei prædicatione coniungere, & diſſimilibus virtutibus præditos (ratione, fortitudine, abſtinentiâ, contemplatione) fulgore intentionis vnire: rectè dicitur: Numquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleïades?»

Eſa.6.3. Rom. 11.36. Ezech. 1.9.

Supereſt, vt & ineffabilem viam trium dierum agnoſcamus, & cum Prophetà dicamus, « in mari Pſ.76.

Aug. viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſti-
Ibid. gia tua non cognoſcentur. Iamdudum in ſancto via tua, modò in mari eſt via tua, quia ipſe ſanctus in mari, & meritò etiam ſuper aquas maris ambulauit. In mari eſt via tua, id eſt, in Gentibus prædicatur Chriſtus tuus, &c. Et ſemitæ tuæ in aquis multis, hoc eſt in populis multis. Et veſtigia tua non cognoſcentur. Neſcio quos tetigit, & mirum niſi & ipſos Iudæos, quia non agnoſcunt veſtigia ſuper mare ambulantis » inquit Auguſtinus. Sed nunc altior, non de viâ hominis Chriſti, vel conuerſione Gentium, ſed de viis intellectus, & voluntatis, quibus Filius Spirituſque procedit, nobis ſermo eſt: de quibus
Habac. 3. 6. Propheta: « incuruati ſunt colles mundi ab itineribus eius; » & quid colles niſi Angeli, quorum creationem æterni Verbi partus anteceſſit?
Prou. 8. 25. & 16. 2. Iob. 26. 13. Pſ. 32. 6. « Ante omnes colles ego parturiebar. Et ſpirituum ponderator Dominus, Spiritus ornauit cœlos, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. » Et quis veſtigia, & vias iſtas cognoſcet, cùm ipſe
Rom. 11. 33. Paulus exclamet: « quam inueſtigabiles viæ eius! » Nobis ſtupor & admiratio, quia nulla penetratio. Ipſi autem quid? gloria in ſæcula. Gloria Patri, ex quo omnia, gloria Filio, per quem omnia; gloria Spiritui ſancto, in quo omnia. « Ex ipſo (inquit Auguſtinus) id eſt, ex
Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 6. Patre, per ipſum, id eſt, per Filium: in ipſo, id eſt in Spiritu ſancto. Manifeſtum eſt quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, vnus Deus eſt, quando ſingulariter intulit: Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Vnde enim cœpit hunc ſenſum, non ait; ô altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Patris, aut Filii, aut Spiritus ſancti; ſed ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; quàm inſcrutabilia ſunt iu-

Digitized by Google

dicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! » Hæc eſt via trium dierum, trium perſonarum, in ſolitudine, hoc eſt in vnitate eſſentiæ: quia « perſonis Trinitas diſtincta eſt, non eſt diuiſa ſubſtantiis: Deus vnus eſt: Deus ſolus eſt, ſed non ſolitarius. Diuinitas nec Trinitate diuiditur, nec confunditur vnitate. » Sed inueſtigabiles viæ eius. « Qui fidem quærit, rationem non quærit: qui diuinam poſtulat, ſeponit humanam, &c. Quod ſcire licet, diſcutere non licet: credere conuenit, non conuenit perſcrutari. » Et quis, quod impenetrabile eſt, & inueſtigabile ſcrutari præſumat? Cùm ter Hieremias in fidem ineffabilis Trinitatis, dicat, « a, a, a, Domine neſcio loqui quia puer ego ſum? » Cùm Doctores ipſi, quid dico, Cherub, cum totâ plenitudine ſcientiæ, animalia vocitentur, nec aliud fari poſſint de ineffabili, quàm æternum ſanctus, ſanctus, ſanctus, &c. Quis clarè valeat cernere in « templo repleto fumo à Dei Majeſtate? qui poſuit tenebras latibulum ſuum, & lucem inhabitat inacceſſibilem? Quis veſtigia cognoſcat, & vias quibus lux ſpargitur, & æſtus diuiditur? Quibus Filius exit à Patre, & manet in Patre: » Spiritus à Patre procedit, & Filio, & manet in Patre ſimul & Filio? Exit diſtinctione perſonæ, manet vnitate eſſentiæ? « Propheta dicit: non eſt alius abſque eo, hic eſt Deus noſter. Et vbi eſt? In Filio vtique, quia præter Filium non eſt Pater. Ego in Patre, dicit, & Pater in me eſt. Vnde & Propheta non dixit, non eſt alius: ſed, non eſt alius abſque eo. Hoc eſt dicere, eſt: ſed in ipſo eſt. Sed dicis, & ſi in ipſo eſt, quomodo eſt alius? hæretice, ſic eſt alius perſonâ, vt ſit ipſe ſubſtantiâ, ſic eſt ipſe ſubſtantiâ, vt nulla ſit

Chryſol. ſer. 60.
Chryſol. ſer. 58.
Et ſer. 59.
Ier. 1. 6.
Ezech. 1.
Ezech. 10.
Apoc. 15. 8.
Pſ. 17. 12.
1. Tim. 6. 16.
Iob. 38. 24.
Chryſol. ſer. 88. à med.
Baruc. 3. 36.
Io. 14. 11.

confuſio Trinitatis: ſic eſt vnitas Trinitatis, vt nulla ſit in Deitate diſtantia: ſic in ſe eſt, & ſine ſe tota Trinitas non eſt: vt inſit in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, perſonalitas diffinita (hoc eſt, tres perſonæ diſtinctæ) non ſeparata diuinitas.» Sacramentum hoc ineffabile Chryſologus in farinæ ſatis tribus abſconditum reuelauit.
Chryſol. ſer. 99. «Sara, inquit, ſterilis, & anus, (vt viro tres videnti, & vnum adoranti reſponderet:) ex iſtâ
Gen.18. præparatione fermenti, & ex tribus menſuris, tres ſubcinericios panes Dominicæ hoſpitalitati offert, myſtico & apponit obſequio, vt ſterilitas mundi, totâ ſenectute concluſa, in menſuris tribus, hoc eſt in æqualitate Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, fermentum fidei collocaret, & Domino ſuo tres panes poneret confeſſione Trinitatis: atque pro munere hoc, totam Chriſtiani germinis fœcundaret ad prolem.» Et de ineffabili viâ in farinæ ſatis tribus latente ſit ſatis.
Aug. ſerm. 38. de verb. Dom. «Melius erat, ſi poſſemus facere & dicere hoc habet fides, ſic credimus: Non potes capere, paruulus es, patienter tolerandus donec pennas nutrias: ne cum volare implumis volueris, non ſit tibi aura libertatis, ſed caſus temeritatis.»

Videamus itaque nunc, vtrum melius ſit agnoſcere, quàm diligere Trinitatem. Et quidem cùm actus nobilitas, vel à potentiâ, vel ab obiecto, vel ab ipsâ actus naturâ petenda ſit: intellectus videtur eſſe nobilior, quia cæca voluntas, abſque intellectu eiuſque lumine dirigente, fertur in præceps. Hic diſcernit à brutis hominem,
Pſ.4.7. «ſignato lumine vultus Dei:» vnde & Ioannes,
Io.1.4. hominis vitam diſtinguens à belluis, «vita, inquit, erat lux hominum.» Obiectum eius, purum

purum & ſimplex, eſt veritas: « & hæc eſt vita Io. 17. 3
æterna, vt cognoſcant te Deum verum, &c. » Et quanta poteſt, intellectus, ſuppoſito fidei fundamento, etiam de vnitate eſſentiæ diuinæ, & perſonarum Trinitate diſcurrere? Sic enim apud ſe ratiocinatur intellectus; nihil eſt, nec eſſe poteſt à ſemetipſo. Sic enim eſſet producendo ſe, quia producere, eſt agere, & agere ſupponit eſſe; & non eſſet, ante ſe productum. Et cùm par ſit omnium ratio, nec procedendum ſit ad infinitum, ad primum aliquod omnium principium veniendum eſt, quod omnino infectum ſit, & à quo facta ſint omnia. Ad hæc, cùm ſtatus perfectiſſimus Deo ſit tribuendus, & ſecundùm omnes politicos, talis ſit Monarchia, Deo per conſequẽs tribuendus eſt vnius Monarchiæ Principatus, vel ex hoc maximè, quòd nullâ factâ diuiſione imperii, & ſciſſurâ, duratio eius ſit firmior, & æterna. Prætereà ſi duo eſſent, vel plures Dii, vel idem eſſe, & noſſe, & velle, indiuiſum etiam numero haberent; vel diuerſum. Si primum, non duo, ſed vnus eſt Deus. Secundum autem, nec deorum naturæ, nec ſubditorum paci & vtilitati conueniret. Careret enim quiſque deorum ſummo & maximo Deitatis bono: & ſic neuter ſummè bonus eſſet, nec proinde Deus. Et in diuerſo noſſe & velle, quanta diſcordia, & ruina, inter Deos ipſos eorumque ſubditos? Vnde in tanto rerum omnium ordine, & pace, vnitas Creatoris apparet, principii, & principis. « Dico hæc tria, eſſe, noſſe, velle. Sum Aug.
enim, noui, & volo. Sum, ſciens & volens. Et lib. 13.
ſcio eſſe me, & velle vt ſim: & volo eſſe, & ſci- cõfeſſ.
re. In his igitur tribus, quàm ſit inſeparabilis cap. 11.
vita, & vna vita, & vna mens, & vna eſſentia,

quàm denique inſeparabilis diſtinctio, & tamen diſtinctio, videat qui poteſt. Certè coram ſe eſt, attendat in ſe, & videat, & dicat mihi: ſed cùm inuenerit in his aliquid, & dixerit, non iam ſe putet inueniſſe illud, quod ſupra iſta eſt incommutabile: quod eſt incommutabiliter, & ſcit incommutabiliter, & vult incommutabiliter, &c. Aut verò putandum eſt ſapientiam quæ Deus eſt, ſcire alia, & neſcire ſeipſam, vel diligere alia, nec diligere ſeipſam? Quæ ſi dici ſiue credi, ſtultum & impium eſt, ecce ergo Trinitas, ſapientia ſcilicet, & notitia ſui, & dilectio ſui. Sic enim & in homine inuenimus Trinitatem, id eſt, mentem, & notitiam, quâ ſe nouit, & dilectionem, quâ ſe diligit. Sed hæc tria ita ſunt in homine, vt non ipſa ſint homo, &c. Trinitas verò illa, cuius imago eſt, nihil aliud eſt tota, quàm Deus, nihil eſt aliud tota, quàm Trinitas. »

Aug. li. 15. de Trinit. cap. 6.

Vltra progreditur intellectus; illuſtratus fide, ſic Trinitatem attingit. Quia natura Dei fœcundiſſima debet eſſe: « An ego, inquit, qui generationem aliis tribuo, ipſe ſterilis ero? » Debet item eſſe intelligens, & volens, & actibus vitalibus, & perfectiſſimis operari. Quia ergo Deus Pater, & omnium Creator Deus ſummè intelligens eſt, ſeipſum perfectè, & comprehenſiuè debet agnoſcere; & intelligendo ſe, terminum ſibi æqualem producere, ac proinde Verbum ſuum & Filium ſibi ſimilem generando, ita totam ſuam fœcunditatem exhaurire, vt alium non poſſit producere. Rurſum, quia voluntas eadem eſt in Patre & Filio, & infinita, & ſemper volens, & ſemper amans, & toto niſu operans, ſe ſemper exhaurit in produ-

Eſa. 66. 9.

Digitized by Google

ctione Spiritus ſancti. Cùm enim vnumquodque ſe naturaliter amet, & pro gradu bonitatis ſuum in ſe intendat amorem, infinitè ſe Deus diligit, & infinitum Spiritum ſanctum producit. Vt ſic nec plures, nec pauciores poſſint eſſe perſonæ Trinitatis. Quod myſterium præter fidem & rationem vt Deus humano intellectui ſuaderet, pluribus etiam prodigiis voluit confirmare. Nam ſub Chriſti natalem tres viſi ſunt in cœlo ſoles, in vnum coïre. Epiſcopo Nannetenſi tres cœlo guttæ in Calicem lapſæ, in Gemmam pretioſiſſimam coaluerunt, quá Cruci gemmatæ inſertâ, omnes ſtatim lapides pretioſi ceciderunt; quæ miro modo iuſtis ſplendidiſſima, peccatoribus, turbida apparebat. S. Nicolao Epiſcopo contra Arium in Concilio Niceno diſputanti, ex vno latere tria elementa ſpectantibus omnibus eruperunt. In ſacculo fellis B. Claræ de Montefalco, Ordinis noſtri, tres globuli, eiuſdem coloris, & ponderis inuenti. Quæ omnia intellectum Chriſtiani confirmant, & firmiter in viâ trium dierum incedere faciunt; quâ credimus & cum Ioanne profitemur. « tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. » Æqualitatem perſonarum paucis expreſſit D. Auguſtinus. « Æqualem, inquit, ſibi Pater genuit. Non enim defuit aliquid generanti: aut tempus quæſiuit vt generaret, qui genuit coæternum; aut matrem quæſiuit, vt generaret, qui de ſe protulit Verbum; aut Pater generans ætate præceſſerat Filium, vt minorem Filium generaret. Et fortè dicit aliquis, quia poſt multa ſæcula in ſenectute ſuâ Deus ſuſcepit Filium. Sicut Pater ſine ſenectute, ſic Filius ſine incremen-

Euſeb. in Chron. Sigibert. in Chron.

Valdeſam ſerm. de S. Nicol.

Ribadenira in eius vita.

1. Io. 5. 7.

Aug. tract. 20. in Io. 5.

Digitized by Google

to. Nec ille ſenuit, nec ille creuit, ſed æqualis æqualem genuit. æternus æternum. Quomodo, inquit aliquis, æternus æternum? quomodo flamma temporalis generat lucem temporalem: coæua autem eſt flamma generans, luci quam generat, nec præcedit tempore flamma generans lucem generatam, ſed ex quo incipit flamma, ex illo incipit lux. Da mihi flammam ſine luce, & do tibi Deum Patrem ſine Filio. » Verùm licet intellectus ſit potentia nobilis, duplici lumine oculata, rationis, & fidei, obiectum eius prima veritas, actus eximius ſcientiæ, & fidei; quia tamen cognitio intellectus, ad voluntatis actum ordinatur: « Et ſcientia inflat, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt: » quoniam « maior horum eſt charitas;» & Seraphim poſtremus, ſupremum ſupergreditur Cherubim; melius eſt amare, quàm ſcire Trinitatem. Quid quòd, & Deo, & nobis melius eſt, amare quàm cognoſcere. Intellectus enim quando maioribus applicatur, illa minorat; quia quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Minora autem dum cogitat, exaltat; & quæ mortua ſunt, & vitâ & ſenſu carentia, nobiliſſimo modo, hoc eſt vitâ rationali imbuit, & informat. Inde fit, vt Deus & Angelus, longè meliùs in ſeipſis viuant, quàm in rationali mente, voluntas enim non trahit ad ſe obiecta, ſed trahitur & fertur. Non format, nec aſſimilat ſibi, ſed transformatur. Hinc quando minoribus inclinatur, ad nihilum penè redigitur, « abominabilis facta ſicut ea quæ diligit. » O anima, ô voluntas, attende quid diligas. Si minora te diligis, minoraris, ſi maiora, grandeſcis. Quantò ergo melius eſt amare, quàm

1.Cor. 8. 1. & 13. 2. & verſu. 13.

Oſee 9. 10.

agnoſcere Trinitatem. Quod & D. Bonauentura B. Ægidio perſuaſit; cùm ſibi de ſcientiâ applauderet; mulierculam dicens, fidelem ac ſimplicem,non minùs poſſe,quàm Doctorem,amare Trinitatem.

·Ad tertium quod attinet, cui ex tribus perſonis ampliùs debeamus, hiſtoriam ſcitu dignam referam. Princeps Maurus tres habens filias vnicè dilectas, quas ſuo pariter obſequio deuincire cupiebat, aurifabro familiari & ſecreto clanculum ſignatorium annulum ſuum tradidit, duoſque alios ei ſimillimos conficere mandauit. Quos vt recepit, ſic permiſcuit, vt neutrum ab altero præ paritate poſſet ipſe diſcernere. Tum vocata ſeorſum maiore natu filiâ, vnum ei ex annulis dedit, fidem eius oppignerans, ne cui ſororum diceret,ſponſione præſtitâ, relicturum ſe eam ex aſſe hæredem teſtamento, quæ poſt obitum ſuum, annulum coram iudice proferret. Dehinc aliquot poſt diebus, eodem modo duabus reliquis alios commiſit, cum eâdem datâ & acceptâ fide, & iureiurando annulos. Hinc factum eſt,vt certatim deinceps ſingulæ, incredibili curâ & ſolicitudine ſpe promiſſi, ſuo Patri famulatæ ſint ſorores. Implendo poſt exceſſum eius teſtamento tres ſimul coram iudice ſorores concurrerunt, apertoque teſtamento ſuum quæque annulum proferentes, laudatâ Patris defuncti induſtriâ & in filias dilectione peræquali, paterna bona ex æquo ſingulis partienda iudicauit. Tres certè habet rationalis anima potentias, & in vnâ animâ tres habemus eminenter animas,& viuendi gradus;vt credimus in vno Deo tres perſonas. Cui plus debet anima noſtra, Patri, vel Filio, vel Spiritui ſancto? Cùm fun-

Barneſius cont. æquiuoc.

damentum omnis boni ſit eſſentia noſtra, & naturalis ſubſtantia; & nihil poſſit eſſe redemptum, ſanctum, glorioſum niſi quod eſt; Pater autem principium ſit eſſendi, non ipſis tantummodò creaturis, ſed & longè nobiliori modo, perſonis diuinis; diuinæ Patris potentiæ, totum id debemus, quod ſumus. Rurſum cùm Filii ſapientia medium ſalutis inuenerit, vt animam & corpus noſtrum diabolo « venundatum ſub peccato » & æterno addictum ſupplicio, animam & carnem humanam ſibi vniendo redimeret, quantum debes ei, qui te morte ſuâ, & Crucis ignominiâ ac totius effuſione ſanguinis reuocauit ad vitam? Quid porro Spiritui ſancto, & ſanctificatori perſolues. ſine cuius gratiâ nihil es, nihil potes? Qui te tot donis, Sacramentis, virtutibus, bonis operibus ornat, & ditat? vis dicam quid cum Patribus ſentiam? æqualem perſonis omnibus & toti Trinitati gloriam debemus, & pro bonis omnibus indiuiſim ab eâ receptis gratiarum actionem. « Cùm illam creaturam, quam Virgo concepit, & peperit, quamuis ad ſolam perſonam filii pertinentem, tota Trinitas fecerit, neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis, cur in eâ faciendâ ſolus Spiritus ſanctus nominatus eſt? An & quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuerſa operari Trinitas intelligitur? Ita verò eſt, & exemplis doceri poteſt. » Inquit Auguſtinus. Et alibi ſæpiùs. « Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſicut inſeparabiles ſunt, ita inſeparabiliter operantur. » Et iterum: « Ambulauit Filius ſuper mare, pedes carnis fluctibus impoſuit, caro ambulabat, diuinitas gubernabat. Quando ergo caro ambulabat, & diuinitas gubernabat, Pater abſens erat?

Rom. 7.14.

Aug. in Enchir ad Laur. cap. 38.

Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 4. & tract. 20. in

Si abſens erat, quomodo ipſe Filius dicit: Pater Io. 5.
autem in me manens, ipſe facit opera Si ergo Io.14.
Pater in Filio manens, ipſe facit opera, ambula- 10.
tio illa carnis ſuper mare, à Patre fiebat, per Filium fiebat. Ergo illa ambulatio opus eſt Patris, & Filii inſeparabile: vtrumque ibi operantem video: nec Pater Filium deſeruit, nec Filius à Patre diſceſſit. Itaque quidquid facit Filius, non facit ſine Patre; quia quidquid facit Pater, non facit ſine Filio. Videte quia rectè nos dicimus inſeparabilia eſſe opera, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.» Ad mentem Auguſtini Fulgentius: «Ex eo, inquit, quòd inſeparabiles ſunt Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, conſequens eſt vt inſeparabiliter operentur, &c.» Et alibi: «Illam, inquit, humanitatem Filii tota Trinitas fecit, ſed non ſicut tota Trinitas fecit, ſic Trinitas tota ſuſcepit, quia perſona quæ non eſt Filio, cum Patre, & Spiritu ſancto communis, ipſa in Chriſto vna eſt diuinitatis, & carnis.» Expreſſius adhuc S. Leo Magnus: «Numquam, inquit, ab omnipotentiâ Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, eſt diſcreta Maieſtas: & quidquid in diſpoſitione omnium rerum agit diuina moderatio, ex totius venit prouidentiâ Trinitatis. Vna eſt ibi benignitas miſericordiæ, vna cenſura iuſtitiæ, nec aliquid eſt in actione diuiſum, vbi nihil eſt in volũtate diuerſum. Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus S. Cúmq; alia ſit perſona miſſi, alia mittentis, alia promittentis, ſimul nobis & vnitas manifeſtatur, & Trinitas: vt eſſentia habẽns æqualitatem, & non recipiens ſolitudinem, & eiuſdem ſubſtantiæ, & non eiuſdem intelligatur eſſe perſonæ. Quod ergo ſaluâ cooperatione, inſeparabilis

D. Fulgent. reſpõſ. ad Ferrandũ Diac. Et contra ſer. Faſtidioſi cap.14.

D. Leo. ſer. 3. de Pentec.

Deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam propriè Spiritus ſanctus exequitur; noſtræ diſpoſitio redemptionis, noſtræ ſalutis eſt ratio. Si enim homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, in ſuæ honore naturæ manſiſſet, nec diaboli fraude deceptus, à lege ſibi poſitâ, per concupiſcentiam deuiaſſet, Creator mundi creatura non fieret: neque aut ſempiternus temporalitatem ſubiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus, formam ſerui, & ſimilitudinem carnis peccati aſſumeret: ſed quia inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum: & aliter ſolui captiuitas humana non potuit, niſi cauſam noſtram ipſe ſuſciperet, qui ſine Maieſtatis ſuæ damno, & verus homo fieret, & ſolus peccati contagia non haberet: diuiſit ſibi opus noſtræ reparationis miſericordia Trinitatis: vt Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus ſanctus igniret. (Succendens holocauſtum, vel et Auguſtino, niſi iam placatus eſſet Pater, proprio Filio non parcens pro nobis eum traderet, &c. Nec Filius, Patre ſibi non parcente, pro nobis velut inuitus eſt traditus, quia & de ipſo dictum eſt, qui me dilexit, & tradidit ſeipſum pro me. Omnia ergo ſimul & Pater, & Filius, & amborum Spiritus, pariter & concorditer operatur. Quem & tradendum vnum pro populo Caphas Pontifex ſine Spiritu prophetare non potuit:) oportebat enim vt aliquid etiam ſaluandi pro ſe agerēt, & conuerſis ad Redemptorem, cordibus, ab inimici dominatione deſciſcerent. Quoniam ſicut Apoſtolus ait: miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra, clamantem, Abba Pater. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Et nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in

Sap. 2. 25. — Aug. li. 13. de Trinit. cap. 11. — Rom. 8. — Gal. 2. 20. — Gal. 4. 6. — 2. Cor. 3. 17.

Spiritu ſancto. Si ergo duce gratiâ, dilectiſſimi, 1. Cor.
fideliter ſapienterque noſcamus, quid Patri, 12 3.
quid Filio, quid Spiritui ſancto, in reparatione
noſtrâ proprium, quidue commune ſit, ea quæ
pro nobis humiliter & corporaliter geſta ſunt,
ita proculdubiò ſuſcipiemus, vt nihil indignum
de vnâ atque eâdem Trinitatis gloriâ ſentiamus. » Et ex Patrum fontibus ſuam hauſere
Theologi loquendi formulam: « opera Trinitatis ad extra, eſſe indiuiſa. » Potentia Patris
creat, Filii Sapientia ordinat, Spiritus ſancti
Bonitas creata ſingula bona facit, & cuncta bona valde. Seu vt veriùs loquar, & ſecundùm
Scripturam, « in Principio, id eſt, Filio, creauit Gen. 1.
Deus Pater, cœlum & terram, &c. Et Spiritus 1. 2.
Domini ferebatur ſuper aquas. » Et eadem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, potentia, ſapientia, bonitas, omnia creauit ex nihilo, aptè diſpoſuit, bona fecit; eademque ſimul prouidentia conſeruat & gubernat. Si Filius incarnatur,
« Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem car- Rom. 8.
nis peccati. » Si Virgo concipit, « Spiritus ſan- 3. Luc. 1.
ctus ſuperuenit, & virtus Altiſſimi obumbrat. » 35.
Si Spiritus ſanctus « apparet in diſpertitis lin- Act. 2.
guis tanquam ignis, quem mittam vobis à Pa- 3.
tre » inquit Filius. Si per fidem tanquam per Io. 15. 26.
viam trium dierum tendimus ad patriam « ne- Io. 14.
mo, inquit, venit ad Patrem niſi per me: & ne- 6.
mo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum. » Io. 6.
Quibus vinculis? « In funiculis Adam, in vincu- 44. Oſee
lis charitatis. » Et quid Spiritus? « Deus Spiri- 11. 4.
tus eſt. Et Deus charitas eſt. » Et propriè & no- Io 4.
tionaliter Spiritus ſanctus procedens vt amor, 24.
vi originis ſuæ, « Deus charitas eſt. » Et in quo 1. Io. 4.
conſiſtit fœlicitas patriæ, niſi in viſione Trini- 8.

Digitized by Google

Ber.ſer. 3.in Feſto SS. omniũ. tatis? « Tripliciter enim fratres in æternâ illâ & perfectâ beatitudine fruemur Deo; videntes eum in omnibus creaturis: habentes eum in nobiſipſis: & quod his omnibus ineffabiliter iucundius ſit atque beatius, ipſam quoque cognoſcentes in ſemetipsâ Trinitatem, & gloriam illam, ſine vllo ænigmate, mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna, vt

Io. 17. 3. cognoſcamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu, & videamus Deum ſicuti eſt, id eſt, non ſicut ineſt, nobis videlicet, aut cæteris creaturis,

Philip. 4. 7. ſed ſicut eſt in ſemetipſo &c. Pax Dei eſt illa quę exuperat omnem intellectum, quantò magis omnem ſermonem noſtrum? Quod ergo nulli datum experiri, nullus conetur effari. Menſu-

Luc. 6. 38. ram ait Dominus plenam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus veſtros. Plenam vniuerſitate Creaturarum, confertam in interiore homine noſtro, coagitatam in exteriore, & ſupereffluentem in Deo ipſo. Ibi cumulus fœlicitatis, ibi ſupereminens gloria, ibi ſupereffluens beatitudo.» Et quoniam etiam meminit exterioris hominis; non tantùm nos beneficio indiuiſo Trinitatis factos, & refectos in interiori, ſed etiam in exteriori credamus; quòd & in Chriſti baptiſmo, & reſurrectione,

Chryſol. ſer. 157. in fi. ſubtiliter aduertit Chryſologus: « Spiritus ſanctus, inquit, tunc toto ſe fudit illapſu, quando Pater de cœleſtibus clamat, hic eſt Filius meus

Luc. 9. 35. dilectus. Vt quibus in creandis nobis, operatio fuerat vna cum Filio, vna fieret de noſtrâ reparatione dignatio. Et Filius quidem, « tertiâ die reſurrexit: vt eſſet noſtri corporis reſurrectio,

Et ſer. 69. in f. virtus, gratia, beneficium Trinitatis.» Et ex dictis conſtat nos eandem omnino ſingulis per-

ſonis Trinitatis, pro omnibus naturæ, gratiæ, & gloriæ bonis, rependere debere gratiarum actionem.

SECVNDA PARS MORALIS.

Prima Reflexio. Naturali ſignatum hominem imagine Trinitatis, & Scriptura teſtatur, & Tertullianus ex eo ſic argumentatur contra Praxeam, tres perſonas in vnam confundentem. « An quia, inquit, ipſe erat Pater, Filius, Spiritus, ideo pluralem ſe præſtans, pluraliter ſibi loquebatur? Immo, quia iam adhærebat illi Filius, ſecunda perſona, ſermo ipſius; & tertia, Spiritus in ſermone (id eſt à Patre ſimul & Filio productus,) ideo pluraliter pronuntiauit, faciamus (hominem ad imaginem, &c.) & noſtram, & nobis. (Ecce Adam quaſi vnus ex nobis.) Cum quibus enim faciebat hominem, & quibus faciebat ſimilem? Cum Filio quidem, qui erat induturus hominem; Spiritu verò, qui erat ſanctificaturus hominem, quaſi comminiſtris, & arbitris, (cum quibus Pater decernebat, & decretum executurus erat,) ex vnitate Trinitatis loquebatur. Deinque, ſequens Scriptura diſtinguit inter perſonas. Et fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit illum. Cur non ſuam, ſi vnus qui faciebat, & non erat, ad cuius faciebat? Erat autem ad cuius imaginem faciebat; ad Filii ſcilicet; qui homo futurus certior & verior, imaginem ſuam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habebat, imago veri, & ſimilitudo. » Duplicem hîc aduerto veri hominis futuri Chriſti ſecundi Adami, in primo imaginem ſupernaturalem, & naturalem;

Tertul. cont. Prax. cap. 12.

Gen. 1. 26.

Gen. 3. 22.

Gen. 1. 27.

Digitized by Google

ſcilicet inquantùm Chriſtus erat futurus animal rationale ex corpore & animâ conſtans, & vtroque Trinitatem repræſentante, tribus ſcilicet animæ potentiis, tres perſonas adumbrantibus ſecundùm Auguſtinum. « Hæc tria, inquit, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non ſunt tres vitæ, ſed vna vita, nec tres mentes, ſed vna mens, conſequenter vtique nec tres ſubſtantiæ ſunt, ſed vna ſubſtantia. Memoria quippe, quòd vita, & mens, & ſubſtantia dicitur, non ad aliquid dicitur. Quòd verò memoria dicitur, ad aliquid relatiuè dicitur. Hoc de intelligentiâ quoque, & voluntate dixerim, &c. Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam & voluntatem: Et intelligo me intelligere, & velle, atque meminiſſe: & volo me velle, & meminiſſe, & intelligere, totamque meam memoriam & intelligentiam, & voluntatem, ſimul memini. Item quidquid intelligo, intelligere me ſcio, & ſcio me velle, quidquid volo, &c. Iamne igitur aſcendendum eſt qualibuſcumque intentionis viribus, ad illam ſummam & altiſſimam eſſentiam, cuius impar imago eſt humana mens, ſed tamen imago. » Si ergo Cæſari reddendam imaginem ſuam voluit Deus, quantò magis ſibi reddi totam mentem noſtram? O ſi anima noſtra Chriſti animæ facti hominis, vt prototypo ſuo reſponderet; & nil memoria præter Dei beneficia recoleret, nihil intellectus quàm mandata diuina perſpiceret, nil voluntas præter Deum vel propter Deum amaret! ô ſi nobiles hæ tres ſorores inuicem decertarent, fideliſſimè & ſinceriſſimè diuinæ Trinitati ſeruirēt. Memoria quidem profundè « intrans in potentias

Aug. li. 10. de Trinit. cap. 11.

Pſ. 70. 16.

Domini, memor iuſtitiæ eius ſolius, quæ iuſtificat impium non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos facientis. » Si intellectus ſapientiam Verbi aſſiduè cogitaret, voluntas charitatem Spiritus redamaret, & totus homo interior diceret; « benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. »

Rom. 4.5. Tit. 3.5. Pſ. 102. 1.

SECVNDA REFLEXIO. Et homo quoque exterior, cùm habeat cum Chriſto ſimilitudinem, & ſui generis Trinitatem, reformando ſe conetur habere cum eo ſimilitudinem. « In hoc ergo, inquit Auguſtinus, quod corrumpitur, quæramus quemadmodum poſſumus, quandam Trinitatis effigiem, etſi non expreſſiorem, tamen fortaſſis ad dignoſcendum faciliorem. » &c. Quod probat in corporis ſenſibus, & ſpecialiter in viſu. « Tria hæc, inquit, quamuis diuerſa naturâ, quemadmodum in quandam vnitatem contemperentur meminerimus: id eſt, ſpecies corporis quæ videtur, & impreſſa eius imago ſenſui, quod eſt viſio ſenſuſue formatus; & voluntas animi quæ rei ſenſibili ſenſum admouet, in eoque ipſam viſionem tenet. Horum primum, id eſt res ipſa viſibilis, non pertinet ad animantis naturam, niſi cùm corpus noſtrum cernimus. Alterum autem ita pertinet, vt & in corpore fiat, & per corpus in animâ: ſi enim in ſenſu, neque ſine corpore eſt, neque ſine animâ. Tertium verò, ſolius animæ eſt, quia voluntas eſt. Cùm igitur horum trium tam diuerſæ ſubſtantiæ ſint, tamen in tantam coëunt vnitatem, vt duo propria vix intercedente iudice ratione diſcerni valeant, ſpecies videlicet corporis quod videtur, & imago eius quæ fit in ſenſu, id eſt viſio.

Aug. li 11. de Trinit. cap. 1.

Aug. ibid. cap. 2.

Digitized by Google

Voluntas autem tantam vim habet copulandi hæc duo, vt & ſenſum formandum admoueat ei rei quæ cernitur, & in eâ formatum teneat. Etſi tam violenta eſt, vt poſſit vocari amor, aut cupiditas, aut libido, etiam cæterum corpus animantis vehementer afficit. Et vbi non reſiſtit pigrior duriorque materies, in ſimilem ſpeciem, coloremque commutat. Licet videre corpuſculum Chamæleontis, ad colores quos videt facillimâ conuerſione variari. Aliorum autem animalium, quia non eſt ad conuerſionem facilis corpulentia, fœtus plerumque produnt libidines matrum, quid cum magnâ delectatione conſpexerint. Quàm enim teneriora atque vt ita dixerim formabiliora ſunt primordia ſeminum, tam efficaciter, & capaciter ſequuntur intentionem maternæ animæ, & quæ in eâ facta eſt, Phantaſiam, per corpus quod cupidè aſpexit.» Subiicit exemplum ouium & caprarum variarum Iacob, conceptus tempore, ex aſpectu virgarum variarum; & concludit. « Sed anima, inquit, rationalis deformiter viuit, cùm ſecundùm Trinitatem exterioris hominis viuit, id eſt, cùm ea quæ forinſecùs ſenſum corporis formant, non laudabilem voluntatem, (quod ſemper præſtitit Chriſtus ſenſuum vſum ad Deum referens, & ex creaturis laudans, & amans Creatorem:) quâ hæc ad vtile aliquid referat, ſed turpem cupiditatem, quâ his inhæreſcat, accommodat. Quia etiam detractâ ſpecie corporis quæ corporaliter ſentiebatur, remanet in memoriâ ſimilitudo eius, quò rurſus voluntas conuertat aciem, vt inde formetur intrinſecus, ſicut ex corpore obiecto ſenſibili ſenſus extrinſecùs formabatur. Atque ita fit illa

Gen.30. 38.

Aug. Ibid. ſupra.

Digitized by Google

Trinitas, ex memoriâ, & internâ viſione, & quæ vtrumque copulat, voluntate, quæ tria in vnum coguntur, ab ipſo coactu cogitatio dicitur.» Sic peccatum concipitur, & anima moritur: quantò melius in ſimilitudinem Spiritus, viuat, etiam exteriori homine benè vtens, « renouatus de die in diem; non concupiſcens humanum diem » ſed ex die externo, in interno die eructans Verbum bonum, & laudem vni, trino, æterno diei: « omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi? »

2. Cor. 4. 16.

Pſ. 34. 10.

Tertia Reflexio. Quid vni Domino ſacrificabimus in ſolitudine? Nihil meo iudicio gratius, quàm « vnum neceſſarium, optimam partem cordis » contritis omnibus Idolis, hoc eſt vanis affectibus creaturarum, ſoli Deo ſeruientes, immolemus. Si tribus horis diei, cum Pſalte dicamus: « veſpere & mane & meridie narrabo & annuntiabo. » O ſi eſſemus « ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis! » Si omnia, præter perſonas, vt in Trinitate, cum proximis haberemus communia! ô ſi fratres, ad extra liberi a ſeruitute creaturarum, ad intra fœlici neceſſitate voti, vel timore Dei, vel quod optabilius eſt, charitate ad meliora compulſi, caſtâ verbi mentalis generatione, hoc eſt cogitatione purâ, amore ſancto; obedientiâ Filii, communione Spiritus, in Trinitatis imaginem transformati viueremus!

Luc. 10. 42.

Pſ. 54. 18.

Epheſ. 4. 3.

Qvarta Reflexio. Tres virtutes Theologicæ conſecrandæ ſunt Trinitati; fides Patri, principio fidei, ſpes Filio Redemptori; charitas Spiritui ſancto amori. « Quid valeat fides, credulitas quid poſſit, quanti ſit confeſſio, hodie monſtratur in vobis, &c. Ecce fides quæ

Chryſol. ſer. 71. in p.

Deum locuta eſt Patrem, Patrem vobis Deum hodie conquiſiuit. Ecce vox quæ confeſſa eſt Filium, vos Dei adoptat in filios. Ecce credulitas quæ Deum Spiritum proclamauit, de carnis ſubſtantiâ mortali, in vitalem Spiritus ſubſtantiam vos mutauit. Quis pietatis tantæ dignus inuenietur aſſertor? Deus Pater homines dignatur hæredes; Deus Filius non dedignatur homines ſeruulos cohæredes; Deus Spiritus, carnem (carnales homines) conſortem diuinitatis aſſumit: fit cœlum poſſeſſio terrenorum, & inferis addicti, Iuriſdictione ſuſcipiuntur in

1. Cor. 6.3. ſupernis: Apoſtolo probante, cùm dicit, an neſcitis quia Angelos iudicabimus? vocate ergo Deum Patrem, &c. Et date operam, quatenus ſit vobis cœleſtis vita, ſint vobis diuini mores, & forma deitatis tota, veſtrâ præferatur in formâ; quia cœleſtis Pater reſpondentes generi filios, muneribus ditat diuinis: degenerantes ad pœnalem reuocat ſeruitutem. Pater noſter qui es in cœlis. Ecce Trinitatis trina confeſſio, in cœleſtem ſobolem, de terrenâ vos ſuſtulit ſeruitute, &c. Succumberet conſcientia ſeruilis, terrena conditio ſolueretur, niſi nos ad hunc clamorem ipſius Patris auctoritas, ipſius Filii Spiritus excitaret. Miſit, ait, Deus Spiritum Filii ſui in

Gal. 4. 6. corda noſtra, clamantem, Abba Pater. Laſſeſcit mens, caro noſtra deficit ad diuina, niſi Deus qui fieri iubet, impleat ipſe qui iubet. Quando auſa mortalitas Deum vocare patrem, niſi modò, quando supernâ virtute hominis animantur interna? Pater noſter qui es in cœlis. Homo, quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus eſſe de cœlis? Ergo cœleſtem vitam monſtra in habitatione terrenâ: quia ſi quid in te geſſerit

terrena

terrena cogitatio, cœlo maculam, cœleſti generi iniuriam intuliſti. »

Qvinta Reflexio. Attendite quâ reuerentiâ & honeſtate coram tribus teſtibus, & totâ Trinitate conuerſari; quâ fiduciâ hominum iudicia dedignari debeamus. « Veritas quæritur per duos teſtes. Ita planè ſeſe habet humani generis conſuetudo: ſed tamen fieri poteſt, vt & duo mentiantur. Suſanna caſta duobus falſis teſtibus vrgebatur; numquid quia duo erant, ideo falſi teſtes non erant? &c. quomodo accipiendum eſt in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum, niſi quia hoc modo per myſterium Trinitas commendata eſt, in quâ eſt perpetua ſtabilitas veritatis? vis habere bonam cauſam? habeto duos, vel tres teſtes, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: (tres enim ſunt qui teſtimonium dant in cœlo) Denique quando Suſanna caſta fœmina fideliſque coniux, duobus falſis teſtibus vrgebatur, Trinitas illi in conſcientiâ, & in occulto ſuffragabatur; illa Trinitas de occulto vnum teſtem Danielem excitauit, & duos conuicit. » Hinc D. Auguſtinus hominum iudicia deridebat, dicens: « ſenti de Auguſtino quod voles, ſola me apud Deum conſcientia non accuſet. »

Aug. tract. 36. in Io. 8. Dan. 13. 55. Deut. 19.15. 1. Io. 5. 7.

Sexta Reflexio. « Quando fuimus tenebræ, fratres? vtique quando vias noctis ambulauimus. Id eſt, quando malum cogitauimus, malum diximus, malum etiam operati ſumus. Poſteà verò venientes ad Chriſtum, per ipſius gratiam relinquamus opera tenebrarum, & benè cogitando, benè loquendo, benè operando, viam lucis currere feſtinemus (Vt filii lucis ambulate.) Iſtæ ergo ſunt tres viæ, per

Aug. ſer. 90. de tēp. Epheſ. 5.6.

Mmm

quas peruenitur ad cœlum; ſicut & illæ tres aliæ ſunt, per quas amatores mundi perueniunt in infernum. Hoc eſt malum cogitare, malum dicere, malum facere. Iſta eſt lata & ſpatioſa via

Matth. 7. 13.
quæ ducit ad perditionem, & per iſtas vias diues

Luc. 16. 19.
purpuratus deſcendit in infernum, per illas verò alias Lazarus ad Abrahæ peruenire meruit ſinum. Iſtas tres vias obſidet inimicus, ſicut de

Exod. 14. 7. & 15. 4. iuxta 70.
Pharaonis exercitu legimus: electos aſcenſores ternos ſtantes demerſit in mare rubrum. (Alludit Auguſtinus ad lectionem 70. Interpretum Exodi 14. 7. Et ſumens ſexcentos currus electos, & omnem equitatum Ægyptiorum, & Triſtatas ſuper omnes. Et rurſum Exod. 15. 4. in Cantico Moſis. Electos aſcenſores Triſtatas ſubmerſit in mari rubro, id eſt ternos ſtantes, & obſidentes triplicem viam per quam filij Iſraël tranſire poterant.) Qui ſunt iſti electi aſcenſores? electi vtique à diabolo, ad luxuriam, ad malitiam, ad omnium malorum caput ſuperbiam. Et hi ergo terni ſtantes, iſtas tres obſident vias; vt ille aut hominem ad opera mala ſubuertat, aut ille ſermonem malum eliciat, aut ille cogitationem iniquam extorqueat. Sed fœlix eſt qui totas tres iſtas vias, Deo adiuuante deuitans, per totum triduum, de Pharaonis ſocietate diſcedit; ita vt nullum illi diem ſubtrahat inimicus, nec ſplendorem fidei eius vertat in noctem, &c. Si verò & hoc factum eſt, non tamen de miſericordiâ deſperemus, ſed citò per pœnitentiam, de luto fæcis pedes animæ noſtræ excutere feſtinemus.»

Ionæ 3. 4. ex 70.
Memores dicti: « Adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur. » Tres, inquam, pœnitentiæ partes; quibus anima euertitur in malo, ædificatur in bono. Tandem, cùm peccata fragilitatis contra

Google

Patrem, ignorantiæ contra Filium, malitiæ contra Spiritum ſanctum pugnent; cum Coſmâ Medicæo pro ſymbolo ſumamus tres annulos adamantinos, vnà conſertos, cum epigraphe, « Superabo.» Quid enim fide, ſpe, charitate, cogitationibus, verbis, operibus, fragilitate, ignorantiâ, malitiâ, Trinitati immolatis, nobis poterit præualere? « Beata illa & ſempiterna Trinitas, Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, vnus Deus, ſumma potentia, ſumma ſapientia, ſumma benignitas, creauit quandam Trinitatem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, animam videlicet rationalem, quæ in eo præfert veſtigium quoddam illius ſummæ Trinitatis, quod ex memoriâ, ratione, & voluntate conſiſtit, &c. Cecidit per ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum, ab illâ ſummâ & pulchrâ Trinitate, ſcilicet potentiâ, ſapientiâ, & puritate, in quanquam cõtrariam & fœdam Trinitatem, &c. memoria enim facta impotens & infirma, ratio imprudens & tenebroſa, voluntas impura, &c. Beata Trinitas memor miſericordiæ ſuæ, immemor culpæ noſtræ. &c. Venit à Patre miſſus Dei Filius, & dedit fidem; poſt Filium miſſus Spiritus ſanctus, & dedit charitatem; per hæc duo, id eſt fidem & charitatem, facta eſt ſpes redeundi ad Patrem, &c. Eſt fides præceptorum ſignorum, promiſſorum: & ſpes veniæ, gratiæ, gloriæ: & eſt charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ & fide non fictâ.» O æternitas, veritas, charitas, ô vera, æterna, & chara Trinitas, ad te mea miſera Trinitas miſerabiliter ſuſpirat, quoniam à te infœliciter exulat. « Deus à quo auerti, cadere, in quem conuerti, reſurgere, in quo manere, ſubſiſtere eſt. Deus cui nos fides exci-

Tipotius in Hierograph.

Ber. ſer. 1. ex paruis.

1. Tim. 1. 5.

Aug. medit. cap. 32.

tat, ſpes erigit, charitas iungit. » Tibi Pater memoriam, fragilitatem, & fidem: tibi Fili Verbum Patris, intellectum, cogitationes, ignorantias, & verba: tibi Spiritus ſancte, voluntatem, omnemque eius corruptionem, & opera, in hac viâ trium dierum ſacrifico; per te qui cecidi ex me, ſurgam; per te ambulem, ad tuam gloriam contemplandam per tuam gratiam perueniam. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

LOCORVM SELECTIORVM Scripturæ S. qui in hac prima Parte explicantur.

Aduertat Lector, me hic locos ſolos expoſitos & illuſtratos ſubtexere. Si enim citatos in rem, ad probationem & confirmationem, in Indicem redigere voluiſſem, volumen impendiſſem. Prior numerus caput, ſecundus verſum, tertius paginam notat.

EX VETERI TESTAMENTO.

GEneſ. *cap*. 1. 2. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. 869. & ſeq.
4. Diuiſit lucem, 434
6. Fiat firmamentum, 2
9. Congregentur aquæ, 526
26. Faciam⁹ hominē, 661. 615
Cap. 2. 7. Inſpirauit in faciem, 527
13. Poſuit, vt operaretur, 744
18. Faciamus eiadiutoriū, 311
21. Ædificauit coſtam, 475
Cap. 3. 14. Super pectus gradieris, 179
15. Ipſa conteret caput tuū, 194
Ca. 4. 1. Poſſedi hominē, 476
10. Vox ſanguinis Abel, 528
Cap. 15. 5. Suſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes, 5
10. Aues non diuiſit.
Cap. 19. 26. Verſa in ſtatuam ſalis, 658
Cap 24. 3 Ne accipias de filiabus Chanaam, 439
22. Protulit inaures, & armillas, 440
Cap. 25. 6. Filiis concubinarum munera, 340
33. Eſaü pro offa, primogenita, 343

Digitized by Google

Cap. 28. 12. Vidit ſcalam, 243. 478
Cap. 34. 12. Augete dotem, 306
Cap. 37. 7. Videbam manipulum, 487
Cap. 41 .39. & 43. Vt omnes genuflecterent, 486
41. Ecce conſtitui te ſuper, 488
Cap. 43. 26. Fratres adorant Ioſeph, 487
Cap. 49. 10 Non auferetur ſceptrum, 165
27. Benjamin lupus rapax, 378. 386.
Exod. cap. 4. 2. Virga Moyſi in ſerpentem, 531
6. & 7. Manus Moyſi leproſa, 531
Cap. 5. 3. Eamus viam trium dierum in ſolitudinem, 881. 885
Cap. 7. 12. & *ſeq.* Virga Moyſi. 335
Cap. 15. 25. Miſit lignum in aquam, 757
Cap. 17. 11. Cùm leuaret Moyſes manus. 770
Cap. 22. 13. Aries inter vepres, 594
Cap. 23. 15. Non apparebis vacuus, 340
20. Mitto Angelum, 357
Cap. 25. 38. Emunctoria lucernarum, 115
Cap. 28. 33. Malogranata tunicæ, 614. 616
38. Lamina in capite Pontif. 364
Cap. 32. 6. Sedit populus mãducare, 180
Cap. 33. 18. Oſtendam tibi omne bonum, 358
23. Poſteriora mea videbis, 532
Cap. 38. 8. Labrum æneum de ſpeculis, 396
Cap. 47. 26. Terra Sacerdot. ſine tributo, 195
Num. cap. 10. 4. Si ſemel clangueris, 156
Cap. 13. 24. Botrus vecte ſuſpenſus, 282. 284
Cap. 16. 48. Aaron ſtans inter viuos & mortuos, 534
Cap. 17. 5. Virga Aaron, 511
Cap. 21. 9. Serpens exaltatus, 532
Deut. cap. 18. 15. Suſcitabit Prophetam, 356
Cap. 25. 5. Si frater ſine liberis mortuus, 485. 672
Cap. 32. 35. Mihi vindictam, 251
Cap. 33. 2. In manu eius ignea lex, 813
12. Benjamin amantiſſimus, 259
16. Benedictio in rubo, 481
19. Inundationẽ maris quaſi lac, 381
Iudic. cap. 5. 26. In capite vulneri locum, 194
Cap. 15. 4. Vulpes ligatæ caudis, 179
1. *Reg. Cap.* 2. 2. Non eſt alius extra te, 353
Cap. 3. 2. Non poterat videre lucernam, 841
Cap. 17. 34. & *ſeq.* Veniebat leo, vel vrſus, 611. & ſeq.
45. Venio ad te in nominẽ Domini, 363

Cap. 18. 30. Nomen Dauid celebre, 347
2. *Reg. cap.* 23.16. Tres fortes aquam de ciſterna, 333
3. *Reg. cap.* 10. 18. Thronus ex ebore, 431
Cap. 2.9. Fiat ſpiritus duplex, 821
13. Pallium Eliæ dimiſſum Eliſæo, 273
23. Aſcende calue, 168
Cap. 4. 29. Baculus Eliſæi, & ipſe oſcitans ſepties, 535
Cap. 13. 21. Eliſæi corpus, mortuum ſuſcitat, 537. & 595
Eſther cap. 4. 14 Idcirco ad regnum, vt tali tempore, 512
Cap. 9.1. Feſtum Eſther, 495
Cap. 14. 13. Da ſermonem congruum, conuerte cor eius, 512
Iob cap. 3. 9. Obtenebrentur ſtellæ, 194
Cap. 12. 5. Lampas contempta, 106
Cap. 19. 23. Quis mihi tribuat vt in ſilice, 542
25. Scio quod Redemptor viuit, 542
Cap. 21. 16. Non ſunt in manu eorum, 841
17. Quoties lucerna extinguitur, 839
Cap. 26. 5. Gygantes gemunt ſub aquis, 191
Cap. 28. 16. & 19. Non comparabitur Sardonichi, vel topazio, 667. & ſeq.
Cap. 31. 1. Pepigi fœdus cum oculis meis, 178
Cap. 36. 32. Annunciat amico ſuo, 795
Cap. 38. 24. Per quam viam lux ſpargitur, 887
31. Numquid coniungere valebis micantes ſtellas, 892
Cap. 41. 4. Quis reuelabit faciem indumenti, 289
21. Sub ipſo radij ſolis, 194
Pſal. 2. 7. Ego hodie genui te, 224
11. Apprehendite diſciplinam, 145
Pſal. 3. 3. Tu es gloria mea, 153
Pſal. 5. 13. Scuto bonæ voluntatis, 5. 6
Pſal. 6. 1. Domine ne in furore, 38. 39
2. Conturbata ſunt oſſa mea, 405
Pſal. 7. 14. Sagittas ſuas ardentibus, 325
Pſal. 8. Titulus In finem pro torcularibus, 284
3. Ex ore infantium, 284
Pſal. 9. Tit. in finem pro occultis, 715
15. Exaltas me de portis mortis, 715
Pſal. 10. 15. Quæretur peccatum illius, 190
Pſal. 13. 1. Omnes declinauerunt, 315
3. Sepulchrum patens, 524
Pſal. 16. 9. Cuſtodi me vt pupillam, 95
Pſal. 17. 9. Ignis à facie eius exarſit, 800. 801
12. Tenebroſa aqua in nubibus, 830
29. Illuminas lucernam, 115.

119
Pſal. 18.1. Cœli enarrant, 56. 59
5. Dies diei eructat verbum, 881
6. Tanquam ſponſus;à ſummo cœlo, &c. 801
9. Iuſtitiæ Domini rectæ, 803
Pſal. 21. 15. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa, 405
Pſal. 22. 2. Super aquam refectionis, 720. 722. & ſeq. 724
3. Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, 724
Pſal. 23. 3. Quis aſcendet in montem, 797
8. Quis eſt iſte Rex gloriæ, 778. 784
Pſal. 26. 1. Dominus illuminatio, 464
Pſal. 28. 7. Vox Domini intercidentis, 31
Pſal. 30. 16. In manibus tuis ſortes meæ, 417
Pſal. 32. 7. Ponens in theſauris abyſſos, 212
Pſal. 33. 1. Benedicam Dominum in omni tempore, 330
Pſal. 34. 6. Fiat via illorum tenebræ, 831
Pſal. 35. 10. Apud te eſt fons vitæ, 876
Pſal. 37. 7. Curuatus ſum vſque in finem, 608
Pſal. 38. 13. Peregrinus ſicut omnes Patres, 561
Pſal. 39. 3. & *ſeq.* Statuit ſupra petram, 240. & ſeq.
8. Tunc dixi: Ecce venio, 303
Pſal. 40. 1. Beatus qui intelligit, 189
4. Vniuerſum ſtratum eius, 592
Pſal. 41. 8. Abyſſus abyſſum inuocat, 45. 211
9. In die mandauit miſericordiam, 47
Pſal. 42. 1. Diſcerne cauſam, 369
Pſal. 44. Titulus. Pro dilecto, 255
Verſu 1. Eructauit cor, 255. 264
2. Lingua mea calamus, 264
10. Circumamicta varietatibus, 130
15. Proximæ eius afferentur, 126
17. Pro patribus tuis nati, 725
Pſal. 45. Titulus Pſalmi filiis Chore.
3. Transferentur montes, 864
5. Fluminis impetus, 864
6. Adiuuabit eam manè, 194
Pſal. 47. 9. Sicut audiuimus, ſic vidimus, 460
Pſal. 48. 12. Vocauerunt nomina ſua, 348
Pſal. 49. 3. Ignis in conſpectu eius, 39
Pſal. 50. 13. Spiritum S. tuum ne auferas, 844
Pſal. 53. 1. Deus in nomine tuo, 368
Pſal. 54. 10. Præcipita, Domine, diuide linguas eorum, 615
12. Non defecit vſura & dolus, 251

Pſal. 55.4. Ab altitudine diei timebo, 428
Pſal. 56.8. Paratum cor meũ, 517
Pſal. 59.14. In Deo faciemus virtutem, 638
Pſal. 62. 10. Partes vulpium erunt, 281
Pſal. 64. 10. Flumen Dei repletum, 859
Pſal. 67. 5. Aſcendit ſuper occaſum, 774
13. Rex virtutum dilecti, 259
19. Captiuam duxit captiuitatem, 775
21. Deus ſaluos faciendi, 268
23. Ex Baſan conuertam, 733
24. Vt intingatur pes tuus, 734
28. Ibi Benjamin, 259. 378. 379
34. Aſcendit ad Orientem, 774. 775
35. Dabit voci ſuæ vocem virtutis, 740
Pſal. 68.6. Tu ſcis inſipientiam meam, 755
Pſal. 71. 3. Suſcipiant montes pacem, 261
6. Deſcendet ſicut pluuia, 505
16. Erit firmamentum in terra, 48
Ibidem. Superextolletur ſuper Libanum, 70
Pſal. 73. 2. Redemiſti virgam, 532. 533
Pſal. 74. 4 Confirmaui columnas eius, 598
9. Calix in manu Domini, 435
Pſal. 75.9. Terra tremuit, 502
Pſal. 76. 3. Deum exquiſiui manibus, 214
7. Scopebam ſpiritum, 145
11. Hæc mutatio dexteræ excelſi, 387
14. In ſancto via tua, 885
20. In mari viæ tuæ, 894
Pſal 84. 13. Dominus dabit benignitatem, 232
Pſal. 85 2. Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum, 888
Pſal. 86.1. Fundamenta eius, 201
5. Fundauit eam altiſſimus, 194
Pſal. 87. 7. Poſuerunt me in lacu inferiori, 26. & ſeq.
8. Longè feciſti notos, 30
10. Traditus ſum, & non egrediebar, 30
15. Vt quid repellis orationem, 330
Pſal. 88. 18. Gloria virtutis eorum tu es, 638
Pſal. 92. Titulus. Laus Cantici.
1. Dominus regnauit, 583
Pſal. 93. Titulus pro quarta Sabbati, 85
Verſu 1. Deus vltionum, 251
21 Captabunt in animam iuſti, 277
Pſal. 94 4. Confiteantur nomini tuo magno, 351
Pſal. 95.1. Cantate canticum nouum, 248
2. Annunciate de die in diẽ, 229
10. Dominus regnauit à ligno, 765
Pſal. 97. 3. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ & veri-

Digitized by Google

tatis, 338
Pſal. 98. 6. In columna nubis loquebatur, 829
Pſal. 102. 12. Quantum diſtat ortus, 385
Pſal. 103. 3. Extendens cœlos ſicut pellem, 5
5. Fundaſti terram, 663
10. Emittis fontes in conuallibus, 742
18. Petra refugium herinaceis, 221
24. Omnia in ſapientia feciſti, 754. & ſeq.
Pſal. 104.21. Conſtituit eum dominum domus ſuæ, 472 & ſeq.
Pſal. 105. 37. Immolauerunt filios dæmoniis, 711
Pſal. 106.40. Errare fecit eos, 563
Pſal. 108. 8. Epiſcopatum eius, 418
Pſal. 109. 3. In ſplendoribus Sanctorum, 401. 885. 886
6. Implebit ruinas, 13
Pſal. 115.16. O Domine quia ego ſeruus tuus, 519
Pſal. 117.14. Fortitudo mea, & laus mea, 469
Pſal. 118.10. Ne repellas me à mandatis, 664
19. Non abſcondas à me mandata, 562
37. Auerte oculos meos, 100. 114
Pſal. 121. 3 Participatio eius in idipſum, 17
Pſal. 122. 2. Sicut oculi ſeruorum, 519
Pſal. 138. 10. Nox illuminatio mea, 321
12. Sicut tenebræ eius, 330
15. Subſtantia mea in inferioribus terræ, 502
Pſal. 142.10. Doce me facere voluntatem, 842
11. Spiritus tuus bonus, 842. 843
Pſal. 147.17. Mittit cryſtallum ſuam, 379
Pſal. 149.6. Gladij ancipites, 148. 154
Prouerb. cap 4. 18. Iuſtorum ſemita quaſi lux, 642. 653
Cap. 8.17. Diligentes me, diligo, 272
23. Ab æterno ordinata ſum, 414
35. Qui me inuenerit: paratur voluntas à Domino, 511
Cap. 16. 4. Vniuerſa propter ſemetipſum. 432
33. Sortes mittuntur in ſinum, 426
Cap. 18. 4. Aqua profunda in ore viri, 214
Cap. 21. 1. Cor Regis in manu Dei, 512
Cap. 23. 1. Quando ſederis, 248
Cap. 30.19. Via colubri, 781
Cap. 31.4. Noli regibus dare vinum, 862
11. Cōfidit in ea cor viri, 146
18. Non extinguetur lucerna, 329. 828
Eccle. c. 1. 5. Oritur ſol & occ. 775
Cant. cap. 1. 2. Oleum effuſum, 350
7. Si ignoras te, 743
8. Equitatui meo, 163
Cant. 2. 1. Ego flos cāpi, 301
5. Vulnerata charitate, 32
8. Ecce iſte venit, 301. 402

Digitized by Google

12. Vox turturis, 116. 308
Tempus putationis, flores, 295.299. 309.310.521
14. In foraminibus petræ, 212.& ſeq.603
15. Capite nobis vulpes, 277. 281 282. 291. 292
Cap. 3.7. En lectulum Salomonis, 173
9. Ferculum fecit ſibi, 118
Cap.4.2. Sterilis non eſt inter eas, 862
7. Tota pulchra es, 190.197
8. Veni coronaberis, 141. & ſeq. 143.
9. In vno oculorum vulneraſti, 145
12. Hortus cõcluſus, 196.873
13. Emiſſiones tuæ Paradiſus, 196
15. Puteus aquarum viuentium, 863
16. Surge Aquilo, 441. & ſeq.
Cant. 5. 1. Bibi vinum cum lacte, 286
2. Ego dormio, 504
Aperi mihi, 515. 516
4. Miſit manũ per foramen, 213
5. Manus meæ diſtillauerunt, 213
6. Anima liquefacta, 339
10. Dilectus meus candidus & rubicundus, 300
11. Comæ eius abietes, 324
14. Venter eius pixis eburnea, 171.432
Ibid. Manus tornatiles, 325
15. Species eius vt Libani, 259
Cap.6.9. Pulchra, vt Luna, 124.192.496.548
11. Propter quadrigas Aminadab, 113.163
Cap. 7.2. Venter tuus ſicut aceruus, 147
4. Naſus tuus ſicut turris Libani, 63
13. Mandragoræ dederunt odorem, 714
Cant. 8. 1. Quis det te mihi, 228. & ſeq. fusè.
5. Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata? 582
Ibid. ſub arbore malo, 757
6. Pone me vt ſignaculum, 836
Sap. cap. 7.26. Speculum ſine macula, 395
Cap. 11.21. Omnia in pondere, 2. & ſeq.
25. Nil odiſti, 469
Eccli. cap. 1. 2. Profundum abyſſi quis d menſus? 207
Cap.15.3. Aqua ſapientiæ ſalutaris, 877
Cap.24.18. quaſi palma exaltata, 479
Cap. 48. 14. Elizæi mortui corpus prophetat, 537
Eſa. cap. 1. 3. Cognouit bos, 336
Cap.2.4. Conflabunt gladios in vomeres, 617
Cap. 4. 1. Apprehendent 7. mulieres, 358
Cap. 6. 1. Vidi Dominum ſedentem, Seraphim clamabant: Sanctus, &c. 813
Cap. 8. 3. & 4. Priuſquam ſciat, &c. auferetur ab eo fortitudo Damaſci, 386
Cap. 9. 6. Principatus ſuper humerum, 765
6. Vocabitur conſiliarius,

Digitized by Google

216.& ſeq. 232.234
7. Multiplicabitur imperiū, 196.
Cap. 11. 1. Egredietur virga, 359
2. Spiritu timoris implebit. 867
6.& 7. Vitulus & Leo ſimul, 610
8. Delectabitur infans ab vbere, 176
Cap. 19. 19. Altare in medio Ægypti, 628
Cap. 26. 19. Ros tuus, 540. 651
Ibid. Viuent mortui tui, 719
Cap. 29. 12. Dabitur liber obſignatus, 454
Cap. 34. 4. Plicabuntur vt liber cœli, 5
15. Congregati ſunt milui, 423
Cap. 35. 2. Gloria Libani data, 441
Cap. 38. 17 Ecce in pace amaritudo, 84
Cap. 43. 20. Beſtia agri glorificauit, 334
Cap. 51. 1. Attendite ad petram, 240
Cap. 53. 2. Vidimus non habentem ſpeciem, 581
5. Cuius liuore ſanati, 593
Cap. 54. 11. Sternam per ordinem lapides, 157
Cap. 59. 19. Fluuius violentus, 880
Cap. 60. 6. Inundatio camelorum, 339
8. Vt nubes volant, & columbæ, 171.178
16. Mamillla regum lactaberis, 148
Cap. 63. 1. Qui venit de Edom, 778
Ibid. Iſte formoſus in ſtola, 788
Cap 65. 20. Puer centum annorum, 197
Cap. 66. 5. Nomen melius à filiis, 366
12. Declinabo fluuium pacis, 857
Ierem. cap 1. 11. Virgam vigilantem video, 534
Cap. 14. 9. Tu autem in nobis es Domine, 365
Cap. 16. 16. Mittam venatores, 679
19. Si ſeparaueris pretioſum, 681
Cap. 31 22. Nouum creauit Dominus, 498
Cap. 46. 12. Fortis impegit in fortem, 508
Cap. 49. 19. Quaſi Leo aſcendet, 788
Thren. cap. 1. 5. Hoſtes in capite, 203
7. Deriſerunt Sabbata eius 203
Cap. 3. 51. Oculus meus deprædatus eſt, 178
Cap. 4. 8. Denigrata facies eorum, 801
Baruch. cap. 3. 36. Non æſtimabitur alius, 895
Ezech. cap. 1. 9. Iunctæ pennæ, quatuor facies vni, 620. 893
10. Facies Leonis, 611. & ſeq.
12. Vbi erat Spiritus impetus, 7.290
Ibid. Coram facie ſua ambulabat, 622

Digitized by Google

18. Intus in circuitu plena oculis, 99.322
Cap. 10. 2. Ingredere in medio rotarum, 814
Cap. 24. 11. Pone illam ſuper prunas, 40
Cap. 40. 26. Septem gradibus aſcend. ad portam, 867
Dan. cap. 7. 8. Cornu paruum, 420
10. Fluuius igneus, 40. 817
Cap. 10. 4. Ecce vir vnus, 315
Oſée cap. 6. 3. In die tertia ſuſcitabit nos, 882
Cap. 13. 14. O mors, ero mors tua, 545
Amos cap. 7. 7. In manu eius trulla, adamas, 488.580
Ion. cap. 2. 11. Et præcepit beſtiæ, 596
Cap. 4. 3. Melior eſt mors quàm vita, 595
Habac. cap. 3. Canticum pro ignorantiis, 496
3. Deus ab auſtro veniet, 356
4. & 5. Cornua in manibus eius, &c. 594.764
6. Incuruati ſunt colles, 894
10. Dedit abyſſus vocem. 212.507
11. Sol & Luna ſteterunt, 195. 507
18. Exultabo in Deo Ieſu meo, 358
Zach. cap. 3. 8. Ecce lapis coram Ieſu, 579
9. Septem oculi ſuper lapidẽ, 583
10. Vocabit vir amicum, 172
Cap. 4. 2. Lampas ſuper caput, 355
7. Educet lapidem primarium, 243
Cap. 5. 2. Vidi falcem volantem, 616
Cap. 11. 17. O paſtor & idolum, 184
Cap. 12. 10. Videbunt in quẽ transfixerunt, 607
Cap. 13. 6. His plagatus ſum, 610
Malach. cap. 4. 2. Sanitas in pennis, 304
2. *Machab. cap.* 1. 22. Ignis magnus accenſus eſt, 804

Matth. cap. 1. 19. Ioſeph cum eſſet iuſtus, 478. 489
Cap. 5. 14. Vos eſtis lux, 113
26. Mittat te in carcerem, 43
Cap. 6. 2. Noli tuba canere, 187
12. Dimitte nobis, 251
19. Nolite theſaurizare, vbi ærugo, 880
Cap. 10. 16. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, 187
19. Nolite cogitare quomodo, 845
31. Multis paſſeribus meliores, 541
Cap. 11. 29. Diſcite à me, 690
Cap. 12. 35. Scriba doctus, 265
Cap. 13. 33. Fermentum in farinæ ſatis tribus, 896
44. Simile regnum theſauro, 746. 752. & ſeq.
Cap. 17. 19. Diceris monti huic, tollere, 865
Cap. 21. 25. Baptiſmus Ioan.

28. Erit Deus omnia in omnibus, 567
46. Priùs quod animale, 557
47. Secundus homo de cœlo, 484
2. *Cor. cap* 3 17. Vbi Spiritus, ibi libertas, 818
Cap. 4. 10. Mortificationem Chriſti in corpore circumferentes, 528
Cap. 5. 16. Secundùm carnem iam non nouimus, 598
Cap 10. 5. In captiuitatem redigentes omnem intellectum, 892
Ad Gal. cap. 1. 15 Me ſegregauit ex vtero, 727
Cap. 6. 17. Stigmata porto, 609
Epheſ. cap. 2. 10. Ipſius factura ſumus, 745
14. Fecit vtraque vnum, 334
Cap. 3. 10. Vt innoteſcat principatibus, 263
Cap. 4. 10. pſe eſt qui aſcēdit, 782
Vt impleret omnia, 785
30. Nolite contriſtare Spiritum, 832
Ibidem in quo ſignati eſtis, 834
Cap. 5. 8. Eratis aliquando tenebræ, 89
31. Propter hoc, relinquet homo, 672
32. Sacramentum hoc magnum, 704
Philip. cap. 2. 9. Donauit illi nomen ſuper omne, 347. & ſeq. 349
14. Sicut luminaria in mundo, 86
Cap. 3. 18. Quorum Deus venter, 343
Coloſſ. cap. 1. 12. In partem ſortis Sanctorum, 417
15 Primogenitus omnis creaturæ, 355
24. Adimpleo quæ deſunt, 675
Cap. 2. 14. Delens chyrographum, 760 & ſeq.
1 *Theſſal. cap.* 4. 16. Tuba Dei, 526
Cap. 5. 19. Spiritum nolite Extinguere, 828. & ſeq.
2 *Theſſ. cap.* 3. 2. Non omnium eſt fides, 871
1. *Tim. cap.* 1. 15. Fidelis ſermo, 369. 371. 375. 390. & ſeq.
5. Mediator Dei & hominū, 556
Cap. 3. 1. Qui Epiſcopatum deſiderat, 58. & 97
2. Oportet irreprehenſibilem eſſe, &c. 61. & ſeq. 68
16. Magnum pietatis Sacramentum, 331
Cap. 4. 7. Exerce te ad pietatem, 185
2. *Tim. cap.* 2. 5. Non coronatur niſi legitimè certauerit, 140
Ad Tit. cap. 2. 11. Apparuit gratia Dei, 224. & ſeq.
12. Sobriè, & iuſtè, & piè, 175
Cap. 3. 4. Benignitas apparuit, 227. 232. 234
Hebr. cap 2 8. Thronus tuus, Deus in ſæculum, 891
Cap. 2. 1. Ne pereffluamus, 878
Cap. 4. 16. Adeamus cum fiducia,

fiducia, 766
Cap. 5. 4. Vocatur à Deo tanquam Aaron, 184
Cap. 6. 6. Rurſum crucifigentes, 218
Cap. 9. 28. Ad multorum exhaurienda peccata. 13
Cap. 10. 25. Non deſerentes collectionem, 219
Cap. 11. 4. Fide Abel, 121
13. Confitentes quia peregrini, 547
Cap. 12. 24. Sanguinis aſperſionem, melius, 249. & 528
Cap. 13. 2. Hoſpitalitatẽ nolite obliuiſci, 572
1. Pet. cap. 2. 11. Obſecro vos tanquam peregrinos, 568
Cap. 3. 20. Octo animæ ſaluæ, 696
2. Pet. cap. 1. 19. Lucerna in caliginoſo, 837
Cap. 2. 21. Conuerti retrorſum, 658
1. Ioan. cap. 3. 3. Sanctificat ſeipſum, 687
Cap. 5. 14. Secundùm voluntatem eius audit nos, 254
Apoc. cap. 1. 8. Alpha & Omega, 699
Cap. 2. 17. Vincenti, calculum candidum, 347
Cap. 3. 11. Tene quod habes, ne coronam, 436
Cap. 4. 6. Plena oculis ante & retro, 99
Ibid. Primum animal ſimile leoni, 623
Cap. 5. 5. Radix Dauid, 613. Vicit leo & agnus, 623. 640
6. Vidi Agnum ſtantem, tanquam occiſum, 573
Cap. 7. 9. Vidi turbam magnam, 1. & ſeq.
14. Qui ſunt iſti, & vnde? 23
Et palmæ in manibus, 24
Cap. 10. 1. Angelus amictus nube poſuit pedem ſuper mare, 555. 626
Cap. 12. 1. Mulier amicta ſole, 130. & 193. 697
4. Draco magnus ſtetit, 278
14. Datæ mulieri duæ alæ, 278
Cap. 14. 1. Nomen Agni in frontibus, 367
3. Canticum quod nemo poterat, 366
4. Sequuntur Agnum. ibid.
Cap. 17. 4. Mulier in purpura & byſſo, 515
Cap. 21. 14. In fundamentis nomina Apoſtolorum, 666
Cap. 22. 1. Oſtendit fluuium aquæ viuæ, 853. 857. 861

FINIS.

INDEX RERVM PRIMI TOMI.

A

ABYſſus quid, 211. Cor hominis, ibid. Abyſſus multiplex, & contra eam deprecatio, 223

Adæ vt terrę tremor & motus vnde, 502

Adam poſt meridiem eiectus Paradiſo, Chriſtus meridie aſcend. in cœlum, 797

Adoptio fit ex gratia, 492

Adoptiui plerumque meliores genitis, 267

in *Aduerſis* & proſperis conſtantia, & charitas acuitur in Iuſtis, 329. 330

Æternitas ſemper præſens, 224

Alexandria Leontopolis dicta, 627. muri eius farina deſignati, in augurium bonum, & fidei maximè per Marcum plantandæ & celebrãdæ Euchariſtiæ, 627. 628

Alexandria vertex omnium ciuitatum, 629

Amor proximi ſaphyro ſimilis vicina ſuo colore tingenti, 171. omnia communia facit, 260

S. *Andraas* cum ſaphyro, fundamento myſticæ Ieruſalem comparatus, 158. 163. & ſeq. 171

Solo primatu Petro minor, in multis ei prælatus. Ioa. Bapt. diſcipulus, & primus Chriſtianus, 158. 159. 162. adhuc Catechumenus, quàm fidelis & doctus, & iam diſcipulos quærens, 162

Piſcator egregius, æqualis Petro in piſcatione delphini Paradiſi, 160. ad literam hominum piſcator, 164. inuenit quod perdidimus, 161. & ſeq. Matthæum vinctum ſoluit & cæcum illuminauit, 165

Cũ Petro prius crucis refuga, eam inuaſit ardentiùs, prior Petro martyr, 163. 165. 167. Aminadab ſimilis, 163. Petro fuit cauſa Primatus, 162. nec Petri formâ crucifixus, 166. crucis filius charior cæteris, 166. 167

Impleuit quæ deerant paſſioni Chriſti, auidus crucis, eo formoſior in cruce, in eâ diutiùs pendens, laudatus à plebe, plures conuertit quàm Chriſtus in cruce, ex eius gratiâ, gloria eius martyrij, 167. 168

Andreas imitandus, in fuga mundi, 168. 169. adducentes proximos ad Ieſum, 170. & ſeq. in amore crucis, 172

Secundus articulus Symboli datur Andreæ, 163

Angelus purus creatus, ſponte maculatus, 400 Superbiâ, 402

Angeli à Chriſto ſaluati quomodo,
v. Chriſti Ieſu nomen.

Angeli dicti, nuntij diuinorum, 357

Angelorum ſilentium, pax imperturbabilis, 411

Angeli diuerſi miſſi ad œconomiam vitæ Chriſti, 445

Anima non carne ſed peccacato polluitur, & vtraque à Chriſto purgatur, 28. 29

Anima non tantum à peccatis magnis, ſed & à vulpeculis venialium, & paſſionum caueat, 289

Animæ ſalus à multis circa mortem negligitur, 718

Anima iuſta thronus Salomonis, 471

Animæ citò curanda ſalus, & ei caro ſubiicienda moderatè, 600

Apoſtoli Chriſti elogia participant, 663

Apoſtoli Patres, Epiſcopi filij, 725

Apoſtoli, oculi Eccleſiæ, 95

Fundamenta ſaphyrina, 157

Duodecim lapides de Iordane, & gemmæ Rationalis, & fontes Elim, 664. & ſeq. & Fundamenta Ieruſalem, 663. & ſeq.

Apoſtolorum, & Angelorum lapſus timorem incutit, 216

Apoſtoli, ante Spiritus S. aduentum cerui timidi, 424

Quàm alij poſt acceptum, vt 12. ſolis radij accenſi, 809

Aqua ſimplex Dei inſtrumentum, 870

Aquæ fœcundantes, & ebriantes, 862. Aqua Ciconum viſcera petrificat, 879

Aqua fluuij Coaſpis in vſu Regibus Perſis & Parthis, 870

Aqua omnium principium, ignis exitus, 869

Aqua triplex moralis, 876

Aquila Diadumeno in cunis columbam attulit, 710

Asbeſtos Arcadiæ lapis ignem inextinguibilem concipit, 850

Auaritia fomes diſcordiæ, 89. & inter fratres, 90

Auguſtini tria deſideria, 732

Auguſtino pluſquam cæteris Sanctis & Doctoribus, poſt Apoſtolos, debet Eccleſia, 725

Auguſtini conuerſio per omnia ſimilis ſancti Pauli conuerſioni, 726. & ſeq. fuſiſſimè.

Quantum reſtitit gratiæ, 740. & quam ſuauiter efficaci acquieuit, ibidem. Vt apis amarum in dulce vertit, 741

Per Monicæ lachrymas exoratus Deus eum conuertit, 727. eius vt Pauli perfecta conuerſio, 728.
Chriſtum vidit vt Paulus, cui vt Petro Eccleſiam cōmendauit, 731. pes & lingua canis Chriſti, 734. & ſeq.
Auguſtinus cibo Euchariſtico refectus, 724
Auguſtinus priùs Semipelagianus, per reuelationem accepit quid de gratia tenendum eſſet, 731
poſt Paulum Doctor & defenſor gratiæ, 733
Eius doctrinæ contrarij arguuntur à ſummis Pontificibus, eiuſque laudatur, & à Conciliis approbatur vt Catholica, & Eccleſiæ hæreditas, 735. 736. 737. 738
Eius, vt Pauli humilitas confundit ſuperbos peccata confiteri nolentes, 742
Reflexiones morales habes, à 739. ad finem.
Auſteri ſibi, ſunt & frequenter aliis, 186

B

BAptiſmo Menandri ſtultè promiſſa immortalitas, 210
Caiana hæreſis aquam tollit, 721
Baptiſmi gratia, & nomen Chriſtianum quanti fecere Reges, 151. & Catholicum Hiſpani, ibid.
Eius aqua reficit pluſquam piſcina probatica, 720. & ſeq. etiam corporis deformitatem reparat, 720
Cur concupiſcentiam non prorſus extinguit, 723
aquæ Baptiſmi ſimplicitas & poteſtas vt Dei inſtrumētum operatur, 721. & ſequent.
in Baptiſmo Ægyptij, id eſt peccata merguntur, 881
poſt Baptiſmum lac & mel admixtum dabatur Neophytis, 724
Barbiraſium in Eccleſia Occident. apparitione firmatur, 849
Bria eſt menſura, vnde ſobrietas dicta, 174

C

CAim oblatio malè diuiſa, 138
Camaleon verſipellis, 289. Dæmon. 910
Carmelus, agnus circumciſus, vel cognitio circumciſionis, 441
S. *Caroli* emblema, via lactea, 48. & 61
Firmamentum eſt virtutum, 49. 52. & ſeq. 59
Natales clari, iuuentus par ſtellis, 53. 65
Solicitudo Paſtoralis, 54. 57
Reſtaurator Eccleſiæ Mediolanenſ. & populi eruditor, 55
Doctoris Laurea donatus, luce cœleſti, 55

Contemplatiuus, & actiuus, 57
Speculum virtutum, & verus Epiſcopus, 60. 61
Vnius vxoris vir tripliciter, 62
Virgo, ſobrius, prudens, hoſpitalis, 62. 63. docibilis, 64
Eleemoſynarius, 66. 67
Miſericors in ſuum parricidam, 66
Iniuriarum patiens, 85
Simoniæ infenſus, 67. 68
Caſtitas eius inſignis, 68. 69
Oculus & lampas Eccleſiæ, 69
Charitas ſupereminens, 70
Eius domeſtici ad magnas dignitates promoti, 70
Eius perſeuerantia in pietate, & auſteritate, 71
Eius patrocinium ambiendum, & virtus imitanda, 71. 72
Caſtitas triplex, 130. 697. 698. pro caſtitatis gradu quiſque à Chriſto, & Maria diligitur, 275
Dei donum, 131. 132. 687
pro ea pugnans martyr. eſt, 151
Caſtitati cognata ſobrietas & cuſtodia ſenſuum, 178
S. *Catharina* Dorothea primò dicta, varia Sanctorum dona accepit, 142
Hecaterina dicta, quaſi Hecate triformis, 143
Similis Deo triformi Iaponum, 143
Magnâ ſcientiâ prædita, 145
Caſtitate eximiâ, 144. 145
Martyrum omnium palmas poſſidet, 146. & ſeq.
Paulo & Baptiſtæ ſimilis in trina corona, 143. & ſeq. & triplici annulo Coſmæ Ducis Mediol.
Eam prius auerſatus puer Ieſus, poſt baptiſmum, annulo deſponſat. Decollata lac fudit, vt mammilla regia, 148
Moyſe ſuperior, ab Angelis ſepulta in monte Sina, 149. 150
B. Virgini in fœcunditate ſimilis, 147
Intentioni eius puræ Deus fidit, 146
Deuotis eius Deus fauet, 150
Oratio propria vnde fluxit, 150
Imago eius in foro, 145
S. Ludouicus ei Eccleſiam erexit, 151
Gladium ex eius imagine puella Aurel. ſumpſit, 151
Charitas via ſupereminens, 70
Charitas eſt chimica compoſitio, & lapis Philoſophicus aurificus, 651
Charitas pura, nec ſpe nec timore mouetur, 880
Chriſtus Dei Filius dictus à Platone intellectus Paternus, 28
Filius æternus, origine à Patre ſecunda perſona, 549
Filius ſolus in vtraque gene-

ratione ; & ſolus Dominus, 550
Filii, Verbi, cum verbo & voce noſtra comparatio, 551
Vnigenitus, & primogenitus, 662
Chriſtus arrhas ſanguinis dedit Sponſæ Eccleſiæ, 166
Chriſti corpus, templum Dei, 215
Chriſti incarnatio, ſchala Iacob, 242
Vtraque Chriſti generatio mira, 401
Chriſtus natus, Verbum abbreuiatum verbum breue exigit, 224.226
Eo nato apparuit inter cætera attributa, gratia & benignitas eius, 225.226
Incarnatio opus miſericordiæ, quæ ante latebat apparuit omnibus Iud. & gentibus, 227. 232
Solus Filius incarnatus, 229. 901
Chriſtus priùs latens in Patre apparuit, 228.232
In figuris latebat, 229
Fratres habere voluit emptitios, 231
Quantum contulerit homini, 231
Quanta ſuauitas pueri inter vbera Matris, & viciſſim, 231. 232
Chriſtus naturam noſtram oſculatus fecit communicationem idiomatum, 2.2. & 296. 781
Antea homo Angelis deſpicabilis, 233
In eo Pater dedit nobis ſacculum, ſed plenum auro miſericordiæ, 234
Erudit nos, vt in eo amemus omne amabile, 234. 307
Iaſpidi dictæ pederotæ ſimilis amorem prouocans paruulorum, 235
Vtrique oculo carnis & corporis eſt amabilis, 236
Quo vilior, eò charior, 235
Angeli & hominis cibus, 237
Qui diligit eum, amet humilitatem, 238
ad Chriſtum, pannos, & vagitus apoſtrophe, 238
Sine hominis peccato non veniſſet, 904
Chriſtus circumciſus, cum magna rerum antipathia, ſimilitudinem peccati induit, 297
Rex florum, roſa, & lilium, 299
Flos omnibus peruius: flos maximè humilitatis, obedientiæ & charitatis, circumciſus apparuit, 301. 302. 303
Figuram impleuit, 304
Ideo ex Abraham natus, vt circumcideretur, 304. 305
Auguſto hyeme roſæ, nobis à Chriſto ſanguis datus, 305
Sichem, & Dauide, noſtri amantior, 305. 306
Item Veſpaſiano; qui iugum Circumciſionis ſubiens, excuſſit à nobis, 306

Similis Ioſué ſepelienti cultros, 309
Caput pro corpore cæſum, 307
Paſſer & turtur, 308
Mariæ vox turturis Filium circumcidentis, apoſtrophe ad homines, vbi & rationes circumciſionis, & fructus, 308. 309
Virtutes Chriſti circumciſi imitandæ, 305
Circumcidenda ſuperflua; lapide Chriſto ceu memphyte, ſine dolore, 309 310
Chriſti Epiphania reuelauit myſterium Incarnat. Angelis & gentibus, 333
Excellentia huius feſti maxima petitur ab dignitate myſterii, 336
Colligit in ſe primum, & ſextum diem creationis, & omnia Chriſti myſteria reuelat, Dei & hominis, 336. 337. 340. 583
Cum feſti dignitas ab opere, opus à fine petatur; iſtud eſt maximum, 338
Epilogus dignitatis feſti, 343
Vide reliqua, verbo Magi, & verbo ſtellæ. Feſti huius violatores quam ſacrilegi & quid ex eo circa mores agendum, 344. & ſeq. fusè.
Cum Magis per aliam viam redeundum, 347
Ieſu Chriſti Nomen celebre ſupra Dauid, 347
Oleum ſupernatans & effuſum, 349. 350. 361. 686
propter gratiam vnionis, ſuper omne nomen Chriſti, Dei & hominis, 350. 351. 352
Nomen Ieſu tres habuerunt, ſed noſtri Ieſu figura erãt, 352. 355
Ieſus Angeli Saluator, & hominis, 353. 355. 368
Summa lampas in vtramque Hierarchiam effuſa, 353 354
Ieſu nomẽ ſuper omne quod bonum dicitur, 358. & ſeq. & ſuper omnia Spiritus S. dona, ibid.
Super omne malum culpæ, & pœnæ, & diabolum pellendum, 361. 362
Ieſu nomen in virga Moyſi fecit prodigia; vt & in lapide Dauid: nomine Dei cælato, 362. 363
Oleum quo clauis crucis cœlum latroni aperuit, Paulum naufragio eripuit. ibid.
Super omne adorandum, 364
Oratio ad Ieſu nomen.
Vide ibidem reflexiones cõgruas, à 365. ad finem.
Vide v. nomen.
Chriſti mors, Chriſtus propriis armis diabolum vicit, cum eo luctatus & morte, 593. 594
Corona illi ſpinea in gloriam, 594
De eius latere vt Eua de Adæ, ſic Eccleſia facta, 594
Ex eo mundatio, & redem-

ptio, 610
Chriſtus finis omnium dolorum, & commercium eorum cum noſtra conſolatione, 608
Chriſti plagæ columnas Eccleſiæ firmarunt, 598
Chriſti plagæ confirmant fidem, 215. & cur ſeruatæ, 218.219
Ciuitates refugii, & foramina petræ in eis ſperandum, 218
Non ſuperficiales, ſed profundæ, 588
Lancea etiã cor trãsfixit, 606
Eas renouant peccatores, 217
Pro ipſis venit, & mortuus eſt, vt medicus eſſet eorũ, 372. 373
His viſis poſt reſurrect. Maria lætata, 574
Ioannes qui latus vidit aperiri, poſt reſurrect. palpauit, videns agnum ſtantem tanquam occiſum, 573. 574
An eas Chriſtus rectè ſeruarit, 575. 576
Eutychii circa eas, error cõuictus, 577
Non ſoluũt integritatem ſed augent decorem, quem & in paſſione, pulcher vbique ſeruauit, 578. 581. 584
Rationes ob quas eas ſeruauit, 584. 585. 587 591. 594. 597. 598. 601. 604
Reflexiones, ſuſpiria, oratio ad vulnera, à 601. ad 610
Chriſti corpus nudum poſt reſurrectionem ſicut erunt beatorum, 590
Chriſti Reſurrectio & noſtra probata fusè per totum à 521. ad 545
Chriſtus primitiæ reſurrectionis ſimilis virgæ Aaron, & flos reſurrectionis, 522. 534
Regina cœli ab Angelis cantatum hodie canitur, 522
Non vt de Api mortuo ſilendum, ſed prædicandum de Chriſto mortuo, & ſuſcitato, 523. 524
Reſurrectio fidei fundamẽtũ probatur eximiis Scripturæ figuris, 525. 526 527. 528. 530 536. 537
Chriſtus cauſa reſurrectionis noſtræ qui innocens occiſus mortem omnes nocentes mortuos reddere coget, 530. 532. 535. 536. 537. 538
Reſurrectio noſtra probatur rationibus & exemplis, 538 539. 540. & totâ naturâ.
Spes eius fundata in reſurrectione Chriſti; quam Pariſini in tabella mortui ad pectus ferebant, 541. 542
Hanc confirmauit Caſſianus Martyr mortuus loquens, 544
Spes eius ad bona opera mouet, 544
Chriſtus mortis victor, & reſurrectionis author amandus, exemplo Cleoſtrati & Meneſtrati, 545
In Eliſæo mortuum ſuſcitante, & Iona à ceto euomito expreſſus, 595. 596

Digitized by Google

Spes noſtræ reſurrect. 599
Chriſtus peregrinus, verè ac poprìe ſolus, 549. & ſeq.
Solus induit veſtem peregrini, 550. 551
Ab initio ad finem vitam peregrini duxit, 553
Peregrinus in Hieruſalem ſimul viator, & comprehenſor, 555
Sanguinis eius pretium datum in ſepulturam peregrinorum, 559
Via eorum & terminus Chriſtus, 565
Reflexiones morales habes, à 557. ad 572. Vide v. Peregrinus.
Chriſti Aſcenſio, iure ei Domini nomen imponit, 774
Aſcendit & ſuper occaſum, & ad Orientem, 774
Emblema Caroli ipſi aptatur, ibid.
Captiuitat. qualē abdux. 775
Ortus eius, mors, reſurrectio, & aſcenſio ſimilis Soli, 775
Repetit, vt omnia, ſuum principium: vt Raphaël ad mittentem redit, 776
Aſcenſionis myſterium præ cunctis, & per cuncta mirabile, Angelis & hominibus, 777. & ſeq. fusè. 784
Inclytum, regale, clauſula aliorum, 780. 781
Mirabile ex omnibus circū-ſtantiis, 781
Miro modo, & multiplici virtute Chriſtus aſcendit, non vt Romulus, aut Elias, 786. 787
Ob humilitatem aſcendit, 790. 791
Erexit noſtram vilitatem ad thronum gloriæ, 783. eius humilitati debitæ, 790. 791 795
Cur ſublimius omnibus aſcendit, 790. 788. à dextris Dei ſedet, 791
Aſcendit vt impleret omnia, & quæ, 785
In Aſcenſione Apoſtolorum dolor, timor, & ecſtaſis, 789
Reflexiones morales habes, à 792. ad fin.
In Aſcenſione ſpes noſtra, 783. 792. 795. & ſeq.
Miles in loco aſcenſ. amore mortuus, 798
Ibi templum ab Helena erectum & veſtigia Chriſti, 798
Chriſti Virtutes & elogia, Chriſti voluntas, & dilectio duplex, 257
Dilectio Chriſti ponit in nobis vnde poſtea amemur ab eo: noſtra in eo & cæteris quæ amamus, præſupponit aliquid amabile, 258
Chriſtus botrus terræ promiſſæ, 284
Chriſtus Mediator cum Coloſſo Rhodio comparatur, qui via eſt & terminus, 556
Chriſtus Alpha & Omega, diuinitatem, & æqualitatem cum Patre probat, 700

Chriſtus ſolus ſanctus, ſine peccato, 888
Chriſtus via maris rubri, in quo baptizati ſumus, 881
Chriſtus lampas contempta, 107
Chriſtus vermis zamir, 244
Tuba Patris vocans Apoſtolos, 156
Non Thebarum vt Amphiō, ſed Ieruſalem muros inſtaurauit, 157
Dies temporalis & æternus, 229. 237
Omnium Redemptor, 338
Aduocatus iuſtis maximè, 586
Iam liberalior quàm in cruce, 600
Chriſtiani nomen, ſuper omne nomen, 365
Hoc ſolò Sanctius Diaconus gloriabatur, ibid.
Multi illud indigni portant. ibid.
Vix moribus à paganis diſcernuntur, 438
Chriſtianus actu nomini ſuo reſpondeat, 151
Coronetur ſpinis, 152
Chriſtiani fratres Chriſti ſunt, nec eſt quod inuideant Apoſtolis, 886
Sint quadrati & conſtantes, 697
Chryſoliti proprietates, 316. 319. 322. 325
In eo cælatum nomen Zabulon, 331
Ante circumciſionem pueris nomen non dabatur, 365
Cleophas, id eſt congregatio tranſeuntis, 547
Cælorum harmonia cur non auditur, quam ſi audiremus, omnia temneremus, 56. 57
Cœlum liber idiotarum, 57
Conuerſio peccatorum non eſt miraculum, ſed mirum quando ſubitò conuertuntur, 373
Correctio facienda verbo Dei, 154
De Cruce inuenta S. Helenæ gaudium ſuper theſaurum, 747. 752
Crucem ſignis prętulit Conſtantinus, 747
Crux inuenta vbi reorum cadauera, ſimul inſtrumenta defodi ſolita, 750
Eius tactu mortuus excitatus, 750
Per eam diabolus triumphatus erubuit, 752
In ea abſconditi omnes theſauri ſapientiæ Dei, 753. & ſeq. Medicinæ, 756. Sacramentorum & gratiarum, 757. & ſeq. quibus omnia debita ſoluuntur, 758. & ſeq. potentiæ, fortitudinis, & regni, 764
Nunc aſylum eſt, & thronus gratiæ, in iudicio iuſtitiæ, 765
Cruce de terra, vbi iacebat, elata, Tiberius theſaurum ibi abſconditum reperit, 751
Crux ligno vetito contraria, 764
Reflexiones morales habes, à 767. ad finem.
Crucis ſigno reges victores,

& nos dæmones vincimus 770
Eo fideles in omnibus actibus ſe ſignabant, 771
Orabant vt Moyſes expanſis in Crucem manibus, 770. ſed & crux ferenda poſt Chriſtum, & mortificationi vacandum, 770. 771
Crux amanda & ferenda, 172

D

Deus per omnia, abyſſus eſt, 207
Viæ eius inueſtigabiles, miſericordia, & iuſtitia, 430
Dei voluntas, eſt menſura rerum, 52. & ſeq.
Deus omnibus ſenſibus ſatisfacit, 101.876
Deus eſt totum bonum noſtrum, Pater Dominus, hæreditas, cui de omnibus reddenda gloria, 842. & & ſeq. 844
Dei amor eſt menſura magnitudinis, 256
Deus diligit omnia, maximè membra filij, 469
de Deo quomodo paſſiones, iræ, triſtitiæ, &c. dicantur, 831
Finis operum Dei eſt ſuæ bonitatis manifeſtatio, quæ debet plenè fieri per declarationem miſericordiæ, & iuſtitiæ, 432. & ſeq.
Deus faber mundi, ligna cædens, 482
Deus figulus eſt, 559
Deus centrum eſt magnitudinis, 502
Deus ſine motu, perfectus, 783
Dei vita propria, vnde iurabant, per Deum viuum, & Gentiles per Deos immortales, 523
Deus largitate ſua, ſuperat ſua promiſſa, 535
Diabolus de ſerpente, draco magnus, 278
Eius artes variæ incognitæ, 289
Diſcipuli & Apoſtoli in duplici differentia, & 72. diſcipuli vocantur Apoſtoli, 614. miſſi bini cur, & numeri 72. myſterium, 72. palmæ, & malogranata, & tintinnabula, eorum figura, 614.615.616
Doctores ſancti, maximè Aug. vulpium Venatores, 279. 280

E

Eccleſia militans imago triumphantis, eſt firmamentum in terra, 50. & ſeq.
Eccleſiæ cum Chriſto nuptiæ 312
Eccleſiæ templum ex duob. populis in vno lapide fundatis, 333. qui in dracone & ſtruthione ſunt figurati, 334
Eccleſiæ virgini Chriſtus vt Matri dedit fœcunditatem, 504

Eccleſia arca Noë, 696.697
Eccleſiaſtici mali arguuntur, 183
Non vocati ingerunt ſe miniſteriis, 184
Electi ſtellæ ſunt innumeræ, 5
Prælucent exemplo, 436
vnus eligitur altero reprobato, 436
Numerus incognitus, ſpem & timorem dat nobis, 5
Numerus paruus, reprobis comparatus, & reſpectu amoris Dei, 9
Magnus in ſe probatur, 8.9. & ſeq.
Æquat, aut ſuperat numerum ſanctorum Angelorum, 13. & ſeq.
Numerus Martyrum quantus, 17
Eleemoſyna occultè facienda, 187
In neceſſitate maximè, 188
Similis oliuæ, 187
Fructus eius varij, 188
Theſaurus eſt etiam bonorum temporalium, 751
Eam effundat in pauperes, qui ſibi vult à Deo miſericordiæ theſaurum, 768. iræ enim impij ſibi cumulant, 769
Certò deponitur in Dei manu, 769
Epiſcoporum à tribus conſecrationis origo, 671
Epiſcopi ſupra reges, 72
Epiſcopi, ſumma ſunt montium, 51
Superintendentes, 58.60
Vigilantes ſint, virtutes corum, 60.61
Oculi & lampades, 84.94.95 69
Eleemoſynarij, 81. ex iuſtitia, 78
Puri corde, 75
Epiſcopus qualis eligendus, 53. & ſeq.
Non genere ſed vocatione, vt Aaron & Melchiſedech, ibid.
Sit exemplaris, 72
Mediator inter Deum & populum, 75
Epiſcopi ornatus ſuperfluus detrahit pauperi & altari, 81.82.83.63
Auari arguuntur, 66
in Epiſcoporum ſeruis lepra Giezi. 77. & ſeq.
Epiſcopi, dignitas, & onus, debet vita reſpondere dignitati, 73. debitum, 75.76
Caſus eius grauior, 74
Plurimi Pauli regulam violant, 76
Peruerſi licet, honorandi, 84
Euangeliſta digni fide, Dei quadrigæ quibus orbem conuertit, 618
Quomodo concordent, per quatuor facies & Paradiſi flumina figurati, 4. Chriſti myſteria exprimunt, 620 621.622
ad Euchariſtiam quanta puritas requiſita, 204
Vt Apis Chriſtus ſordes non patitur in ſuo aluecari, 205
ad Euchariſtiam in tribulatione recurrendum exem-

plo victoris, 275
Euchariſtiâ muniti ſuper Eliæ pallium Iordanem tranſibimus, 273
Chriſti corpus & ſanguinem ſumens debet ei vtrumque rependere, 288
Eutropius de Idololatriæ tenebris ad lucem fidei venit, & vt filius lucis proceſſit, 642. & ſeq.
in Eutropio perficiẽdo, Deus lux intelligibilis per gradus proceſſit, 643. & ſeq.
Eutropius à Dionyſio laudatus, cum eo miſſus in Galliam: cuius vitam & Martyrium Clementi, vel Anacleto miſit, 646
Eutropio regiæ ſtirpis, & erudito Deus vſus eſt, licet vt plurimum vilibus vtatur inſtrumentis, 646. 647
Acer fuit ingenio, audita Chriſti fama venit ad curiam Herodis. Quinque panũ multiplicationi adfuit & triumpho Hieruſ. petiit à Philippo videre Ieſum, 648. 649. fuit de primitiis Gentium, ibid. Zelus eius inChriſticidas, ibid.
Simonis & Iudæ prædic.cum Patre & tota familia baptizatus,factus Diaconus, omnia mundana reliquit cui Martini poſthumi nũmus quadrat, 650
Eius aurora fauſtum vitæ lucidæ omen, 651. & ſeq. Babylonem conuertit, ad Petrum, Romam pergit, ab eo ad Sanctonas mittitur, abigitur, redit Romam, remittitur à Clemente. Euſtellam virginem ſacrat, lapidibus, & ſecuri Martyr efficitur, 651. & ſeq. Exemplum prædicatorum 658
Reflexiones morales à 655. ad fin.
Exempla maiorum attendenda, 234
Exemplum dandum proximo, 111

F

Fides veterum Patrum, & noſtra eadem eſt, 844
Fides noſtra plus habet meriti, cùm Chriſtum non viderimus, 222
Filiorum Dei quanta dignitas,912.terrena nõ ſapiant. ibid. V. Chriſtianus.
Flores Apoſtoli, Martyres, Innocentes, 299
Flos Aiacis nomine inſcriptus, 300
Fœtus vnde facile colores & notas quaſdam hauriunt, 910

G

Gabriel paranymphus alter Eliezer, murenulas dedit Mariæ, 439. 441
Auſter à Sponſa vocatus cõtra AquilonemLuciferum, 442. 443
Eius Elogia, ex nuntio, &

Digitized by Google

negotiatione, 445. Mariæ eruditor, ibid.
Primus Angelus; de Ordine Seraphim 445.& ſeq.
Serpentis virus euertit, 446
Nominis expoſitio, 447. 448 449
Vehiculum & medium Verbi, 447
Hominum præ cæteris amator, 448 452. cur in Nazareth miſſus, 450
Ei arcani theſauri crediti, 450
Immediatè à Deo miſſus, 449.
Cauſæ miſſionis, 453. Dei mittentis ad eum ſermo, 455
Eius ad Virg. ſalutationis expoſitio, 456. 457
Mariam & Ioſeph cõfirmauit, 459.& Chriſtum quomodo, 462. & alios ſanctos, 462
Cuſtos throni Salomonis, 463
Gabriel vir inuentus à Ioſeph Patriarcha in agro, 461
Gabriel Lunæ præſidet. venit à plaga Gubara, loco ſacerdotij, & victimæ, 461
Idem Ioannis & Chriſti conceptus nuntius, 452. 453
Præpoſitus præliis, 448
Danieli extra templum apparuit & 70. hehdomadas expoſuit, 451. & ſeq.
Maximè inter Angelos honorandus, & fortis adiutor inuocandus, 466. 462.
Contra diabolum iuuat, hiſtoria, 465
Oratio Michaëlis Syngelli ad S. Gabrielem eius elogia continens, 470
Gaudium de Deo, 466
Genoueſa cum Chriſto cõiugium, in quo fuſiſſimè probatur fuiſſe adiutoriũ ſimile Chriſto, 312. 314
Genoueſæ Chriſtus amore, omnia ſua communicat, 312. & ſeq.
Angelicè viuens in Gabriele, & ipſo Chriſto apud Danielem figurata, 314. 316. 317
Auſteriſſima, prophetiæ dono, & miraculis clara, 317. 319. & ſeq.
Chriſolyti propietatibus illuſtris, 319. 322. 325
Triennis amore Chriſti inextinguibili capta, omnia opera ad Dei gloriam retulit, 319
Aduerſitate & calumniis inclaruit, 321
Humilem Sponſus exaltauit, 326
Similis Chryſolito Rationalis in quo nomen Zabulon, refugium Pariſienſium, 331
Eius Virtutes imitandæ, 327. 329. 330
Genoueſæ gratiæ gratis datæ non inuidendæ, ſed virtutes imitandæ, & miracula ſpiritalia, & Reflexiones ex omnibus creaturis faciendæ contra multi oc-

caſionem peccati ſumunt, 327
Gentiles ingrati Deo, 158
Gentilium vita nox : fideliũ lux, 838
Gentilium ſcripta parum conferunt ad laudem veterum, 92
Auari ſcriptores, 67
Extra viam fidei ambulantes, aberrant à bonis moribus, 565
in Gloria cœli nulla inuidia, 18
Gloria cœli, mundos exigit, 22. 25
Pœnitentes, 22
Suſtinentes, & abſtinentes, 21
Media ad eam tenentes, 23. & ſeq.
ſpes Gloriæ concipienda, 19. & ſeq.
Gloriandum in Domino, 153
Deo gloria de omni bono danda, 415. 612
Gratia non tollit arbitrium, 512
Gratia ſufficiens ex Deo eſt, 345
Gratia contemnitur, 345
Citò ei reſpondendũ & hanc alter recipit, alter recuſat, 345
Et cooperandum, 904
Gratia opera bona præuenit, 428
Gratia quoſdam præuenit, alios iuſtitia deſerit, 428 429
Gratia omnis à Deo, & Chriſto, & Mariæ, & Gabrieli data, 467. 469
Hanc qui habet timere non debet, perdere eam quàm timendum ; amiſſa quærenda eſt vt drachma, 464 465
Gratia & fides non omnibus hominibus datur, vt natura, fidelibus inde gratulandum, non Deo inſultandum. Huius ſunt extranei Infideles, Hæretici, Schiſmatici, fictè accipientes Sacramenta, & in ſtatu peccati mortalis, gratiam ſanctificantem non accipiunt, 870. 871. 872. 873
Gratiam recipit lotus & purgatus, 874
Gratiæ origo & effectus, eius dignitatem probat, 875
Non recipienda in vacuum cribro ſenſuum aperto, ſed Veſtali ſimili, 878. & ſeq.
Ne vt Nili, in vindictæ ſanguinem mutetur, 879
Gula & luxuriæ vitia cognata, Adam eiecerunt Paradiſo, 180. 181

H

HAbacuc, id eſt amplexatio, ignorat ineffabile Myſterium Incarnationis, 496
Hæreticorum miniſtris conuertendis magnæ impenſę faciendę, 80. & ſeq.
Hęretici bona data Eccleſię malè impendunt, 78

Hęretici vulpibus Samſonis pares quos Patres venati ſunt vt Chriſtus Phariſ. 279
Holocauſtum ſolum ſolemne tubis, 119
Hoſtia viua ſenſuum & membrorum mortificatio, 134
Homo, de luto à Deo figulo formatus, 415.416
Hominis ſtatus naturæ reparatę, melior integrę, 796
H*umilitas* & contẽptus amãdus, 108
Humilitas trahit gratiam, vt vallis aquam, 742
H*ymnus* quid, 252

I

I*Acobus* Minor, in Topazio, fundamento Ieruſalem figuratus, *666. 670*
Licet Chriſto nullus ſit conferendus abſolutè, Iacobus tamen ei per omnia ferè, ſimillimus, *667.668.* & ſeq. fuſiſſimè.
In vtero matris ſanctificatus, tota vita auſteriſſimus, 668
Frater Domini, & ei facie & moribus ſimillimus, cuius viduam duxit Synagogã. Primus Epiſcopus Hieruſalem à Petro conſecratus, Primus ibidem Miſſam ſolemnem celebrauit, Stephano Diacono, *669.670.* 671. eius Liturgia, ibidem.
Iacobum & Mariam videre maximè Ignatius Martyr optauit, 670
In quo Chriſtus ſuam abiens reliquit imaginem. Inde & oſculo diſtinctus à Iuda, 677
Summum eius deſiderium videndi Chriſti rediuiui, 676
In ſuo Martyrio tria ſuppleuit quę deerant paſſioni Chriſti, 674
In eadem vrbe, & cauſa mortuus quâ Chriſtus, & quomodo, 673
Eius morti imputatum excidium Hieroſolymitanum, 675
Oblias dictus, id eſt, munimentum populi, 685
Reflexiones moral. à *694*.ad finem.
I*dola* Iouis in Caluaria, Adonidis in Bethleem poſita à Gentilibus ad delendam Chriſti memoriam, 747. & ſeq.
I*eiuniј* & abſtinentię effectus mirabiles, 328
Ieiuniis animam aluit Calliopius Martyr & quinque nummos tortori dedit, vt auerſus crucifigeretur, 437
I*gne* terra inculta pingueſcit, 855
Igne & calore germinant cuncta humore nutriuntur, 855
I*nimicorum* dilectio, ſomnus, quies, terminus perfectionis, 249
Qui petit à Deo vindictam

de

Digitized by Google

de inimico ſe Iudicem, Deum facit tortorem, 253
Pro inimico orans, cum conuertit, 253
Trinitatem, & Chriſtum maximè imitatur qui diligit inimicum, 689. 690
Hæres eſt regni, 688. 689 & Filius Dei, 691
Dilectio inimici non eſt conſilij, ſed præcepti, 689. 691
Innocentes, vineæ florentes in torculari Chriſti eliquantur in vinum, Herode ceu vulpe decepto, 277. 284
in Innocentes crudelis Herodes, 278. 281
Quò à Chriſto prouecti, 283. & ſeq.
Innocentium matres martyres, in ſuis lachrymis baptizatæ, 286
Innocentium maximè, & aliorum martyrum corona, Dei gratia, ſicut & omnis noſtra patientia, 287
Innocentium patrocinium ambiendum, 287
Innocentia leui ſorde turpatur, 95
Intentio pura, oculus mentis, 114
Inuentores rerum varij laudati, 117
Ioannes Euangeliſta, cor, lingua, ſcriba Chriſti, 255. calamus velox, 265
Petro comparatus, 255. & ſeq.
Ob tria dilectus, & an plus Petrus, 256
Vita contemplatiua & actiua in Ioanne & Petro figurata, & quæ melior, 257
Ioannes perſpicacior Petro, Petrus amantior, 257
Maximus Propheta, 278
Ioannis merita ex Chriſti dilectione penſanda, 258
Species eius vt Libani omnes plantas continens, 259. & omnia domus Dei ſpolia, ibidem.
Benjamin amantiſſimus, ibidem.
Achates Rationalis Pontificis, & ſimilis Achati Pyrrhi; choros omnes Eccleſiæ habens, 260
Martyr, Cyphum Ioſeph, & Calicem Domini bibens, 260
Auidiſſimus epulator, ibidem.
Mons Maximus, Aquila præteruolans cæteris Euangeliſtis; Paulo maior. Angelus aſcendens & deſcendens ſuper Filium, Doctor Angelorum, in Deum quodammodo mutatus, oculus ſolis luci vnitus; cum Patre, vt cor eius Verbum eructat, 261. 262. 263
Scriba doctus proferens noua & vetera, 265
Dilectus, omnia elogia ſonat, 266
Pullus Aquilæ cordi vicinior, vt Primogenitus in

in ſinu Patris cubat, ouis Vriæ, 266. inde ſapientiſſ. 267
in corde Ioannis Chriſtus viuebat vita morali, 266. 270
Ioannes vt alter Ieſus datus matri, Bennoni doloris filius; quem adoptaui: iuſſu Principis, 267
Ioanni, non Ioſepho licet ſuperſtiti commendata Maria, qui & in hoc eſt prælatus Petro, 268. 269. 270. & 487. 490. 491
Ioannes figura populi Gentilis iunioris, 269
Per Ioannem acceſſus ad Mariam, 270
apud Ieſum quærendus aduocatus, cui & cœlites inclinātur. Et Rex Eduardus in honorem eius ipſimet ſub paupere latenti annulum dedit, 271
Ioanni nec pectus Chriſti, nec matrem Mariam inuideamus, vtroque compotes, 272
Victor Chriſti pectore potitus, 273
exemplo Ioannis hæretici fugiendi, 271
S. Ioſeph, præ omnibus Sanctis colendus, etiam à Regibus, 472
Eius dignitas ſupra Petrum; domus enim Eccleſiæ Dominus eſt, 473
Hoc viro Maria ornatur, cui proximus eſt; & Patrinus Chriſti, 473. 474
Dominus Mariæ & Chriſti, 476
Cuſtos Virginitatis Mariæ, cuius ipſi debitrix eſt, cum Chriſto, Angelis, hominibus, ipſo Deo, 477. 480. 490. cuſtos Paradiſi, 486
Pater eſt Chriſti multimodè, 479. 482. 484 485
Maria vt palma ſub vmbra Ioſeph, de Spiritu ſancto concepit, 479. cui ius ſuum ceſſit, vt fratri legali, 482. 483
Ioſeph & Mariæ verum coniugium in quo tria ſunt nuptiarum bona, 477
Conſenſus forma matrimonij tanto ſuauior quo Ioſeph Mariæ ſimilior, ibidem.
Omnes Hierarchiæ Eccleſ. gradus habet, & ſummus gradus eſt ſchalæ Iacob, 474. 478. 493
Cum Dauide comparatus, & Iuſtus, 478
Faber domus Dei fabri mundi, 482
Caput imperans Mariæ & Chriſto, 481
Si mulier domus eſt viri, & filius eius poſſeſſio, Ioſeph vtriuſque Dominus eſt, 475. 476
Athenienſium & Venetorum mos, 486
in Ioſephi deſtinati Sponſi Mariæ virgam Spiritus S. ſpecie columbæ deſcendit, 483
Coniugij eius vinculum, ibidem.

Digitized by Google

Quo honore habendus, 486. 487

Qua fiduciâ orandus cœli Cancellarius cui adamas Felinæ datus, 488. 489

Iuſtitia eius temerè non iudicantis imitanda, & charitas non æmulantis, 489. 490

Ioſepho debitores ſumus adoptionis Mariæ, 493

Schala eſt per quam aſcendimus ad Ieſum & Mariam, 494

Frumenti viui, & vitæ noſtræ Saluator, 494

Ioſué nomen mutatum, Soli & Lunæ imperauit, & Angelus dictus eſt, id eſt, diuina nuntians, 355. 356. 357

Iudæus populus rubus, & ſpina, 856

in *Iudicio* extremo plagæ Chriſti eius victorias, & vltionem in peccatores, maximè libidinoſos clamabunt, ſicut Eſaias ſectus, 604. 605

Iuſti cœlum ſunt; mali terra, in qua firmari volunt, 89

Iuſtificatio eſt opus gratiæ, 430

L

L*Eæna* ſemel vnicum parit, ita Virgo, ſed illæſa, 613

Leo non ab aſtris, ſed naturâ fortis, 788

Leones Marcus Antonius currui ſubiunxit, 620

Leo crucifixus cæteros fugat, & diabolum Chriſtus ſecum affixit cruci dæmoneſque fugauit, 640

Leo caudâ veſtigia ſua delet, ſic diabolus fallit venatores, & pœnitens vitia obliterat, 640

Leo dormit oculis clauſis, & contra dæmones vigilandum,

Leo rugitu triduano leunculum excitat, & nos opera noſtra fide Trinit. aut triduo pœnitentiæ, 640

Sole in ſigno Leonis poſito Nilus exundat, hinc ora Leonum in Ægypti fontibus, & à S. Marci precibus fertilitas expectatur 641

Leo, & Diabolus vincitur ignibus, rotis, gallis, herbâ Adamantide, 637. 639

Leo cicuratus à Berenice, 706

Leonis oſſa colliſa ſcintillãt, 805

Lex vetus & noua quàm diuerſa, v r d uerſis data, licet ab eodem Spiritu, 807. 808. 829

Lex vtraque in igne data. 856

Liberum arbitrium lapſi hominis gratia fortiori iuuatur, 723

Lingua Sacramentum recipiens, & diuina loquens, mala non dicat, 65

Digitized by Google

Linguarum diuiſio à ſuperbia, vnio à Spiritu ſancto, & in diuerſis Eccleſiæ vnitas, 615. 616
Lucerna noſtræ emunctoria neceſſaria, 115
Lucernâ Epicteti luteâ chartè emptâ charior ſit lucerna fidei,gratiæ, & Spiritus, 848. 849
Lucernæ balſamum annuum coram altari S. Petri venditum, graui pœna mulctatum, 849. 850
Lucerna Veneris inextinguibilis, 850
Lux oculorum cibus, 101

M

Magi de poſteris Abrahæ, vt & Regina Saba; ex muneribus relictis filiis concubinarum, & ſpoliis Regum, munera obtulerunt Christo, 339. 340
Cur per ſtellam vocati, & quæ & qualis fuerit, 341. 342
Mandata Dei ſine charitate non perfectè ſeruantur, 469
Plus clara quàm chara, 562
Abſconduntur indignis, 563
Mandragora duæ ſpecies, & proprietates, femella habet formam corporis humani ſine capite, 713. 714
S. Marco Euangeliſtæ conuenit Emblema Marci Ducis Veneti: qui gloriam vt Dauid Deo de victo Leone dedit, 611. 612
Sacerdotali genere, fuit, non ex 72. Diſcipulis, 613
Tintinnabulum aureum, vnitatis & pacis præco; Petri Diſcipulus, Scriba, Interpres, Ægypti Prædicator, Latinè ſcripſit in gratiam Romanorum, dehinc Græcè, 61-. 618
Eius authoritas & Lucæ æqualis Matthæo, & Leo, Boui iunctus, 619. & ſeq.
Matthæi breuiator, 626
Per Leonem apud Ezech. & in Apocalypſi figuratus, vbi primus ponitur. Angelus & tuba Domini ſignificat excelſum mandato humillimus, qui prius durus circa fidem Sacramenti pollicem ſibi præcidit, ne eſſet Epiſcopus, 622.623.624.625.633
A Petro baptizatus, & primus Alexandriæ Epiſcopus creatus eius elogia, 625. 631
Eum Petrus filium vocat. à Ioanne ſub figura Angeli pictus, 626
Marcus fundator Eccleſiæ Alexandrinæ, cuius cathedra extollitur, 628. 629. 630
Martyr prior Petro, & quomodo, 630. 631
Reflexiones morales de honore debito, & imitatione Marci, à 632. ad 641.
Vide etiam verbũ Leo, & Alexandria. Diſcipuli.

Digitized by Google

Marcus ortu, & occaſu nobilis, 633
Corpus eius tranſlatum Venetias, hanc vrbem ſuper Alexandriam extulit; & primam poſt Romam fecit, 632.633.634
Maria concepta, Arca Noë, & fœderis. Aſpalatho ſimilis, ſine macula & ruga peccati originalis, 191
Sine peccato originali concepta probatur, fuſiſſimè Scripturâ, Patribus, rationibus, 191. & ſeq. ad 200
Reuelatione conſtat, ſine peccato conceptam, 201
Decretum de Concept. eius Pauli 5. & Sorbonæ, 202
Prima redempta ſpecialiter, 197
Exemptam peccato origin. aliquando docuit S. Tho. 197
Hiſtoria apparitionis eius, hoc die hæreticum conuertit, 203
Nulla mulier huic feſto deuota periclitatur in partu, 203
Maria præſentata, dedit exemplum voti virginitatis, Aſſueri veri ſponſa, 117. 118
Oblatio eius ex tribus maxima, 120. & ſeq.
Melior Abelis, & Annæ, 121
Lunâ velocior in offerendo, 124
Virginum prima, 126
Perfectionis originalis exemplar, 128
Candelabrum, menſam, arcam obtulit templo, templum auguſtius, 128.129
Ibi negotiata ſalutem hominum, omnis caſtitatis Regina, 130
Maria purificata, ſpeculum ſine macula, vndique integra; & Dei ſuumque Filium repræſentans, 395
Fuſiſſimè per totum,
Speculum concauum, 395. 402.406
Speculum duplex offert templo, 397
Virginitas & humilitas fecerunt in Maria ſpeculum, 398. 402
Speculum eſt Dei, concepta, & concipiens, 400
Exempla à lege purificationis, quæ verbo Angeli, de Spiritu ſancto concepit ſine corruptione in partu, cuius integra & lucidior facta ſole Virginitas; ſed Filio conformari voluit, 405. 406
Maria vt ſpeculum indifferens recipit Iuſtos & peccatores; & vt Onyx gemma ſpecies inuertit, & maculas peccatorum abſtergit, 412
Vide Reflexiones Morales à 407. ad fin. & v. ſpeculum.
Maria Chriſtum pariens, cum Patre æterno dicit: Ego hodie genui te, 224
Vidit coram ſe, thronus facta Agni, coronas Re-

gum ſubmiſſas, & tres fortes Dauid ad ciſternam Bethleem, 333
Maria in Chriſto accepit calculum candidum, & nomen nouum, 347
Maria de die diem concepit, 882
Mariâ annuntiatâ, eius aromata fluxere, Auſtro, Gabriele perflante, 443
Correctrix Euæ, 446
Verbum contrarium Serpenti, à Gabriele accepit, & cum ea colloquium eius, 456. 457
Trepida ad eius aſpectum, 458
Ciuitas Dei in qua eius conditor natus, 460
Terra Virgo de qua ſecundus Adam, 459. & Virga Aaron de qua incorrupta flos Chriſtus, 460
Et tunica inconſutilis eius caro, 456
Rubus incombuſtus, 455
Stella de qua Sol, 450
Cuius fides ſchala qua Verbum deſcendit, 448
Liber obſignatus, 454
Conceptus eius diabolo ignotus, ideo vocem grauidæ obſeruabat, 454
Varia eius Elogia, 455. 456. 457
Vide ſalutationis Angelicæ expoſit. & multa alia. V. Gabriel. fusè.
Quanta gratia Mariæ data, 467
Feſtum Annuntiationis vt Eſther Lunâ 14. colitur; quia vtraque plena, humilitate defecit, eleuata in populis, 495. 496. præparata, 511. 513
In hoc, coniugium Verbi cum carne, & Spiritus S. cum Virgine ineffabile, & diuerſimodè ſimile primo inter Adam & Euam, 497
1. Quia cum ſerpente Eua congreſſa, genuit homicidam, cum Gabriele Maria, Saluatorem, 497. 498. Mater viuẽtium, 500
Secundò Eua impudenter cum Serpente loquuta, Maria cum Angelo, quem vidit in propria eſſentia, turbata eſt, & cur, & rationes excuſſi timoris, 500. 501. 502
Mariæ timor & turbatio prudens, 503
Terra Virgo & firma: Euæ contraria, 503
Tertia differentia coniugij Adæ & Spiritus ſancti eſt quod in hoc conſenſus eſt petitus, non in illo, 504. 505. & ſeq.
Chriſtum concepit vt Concha, vt vellus Gedeonis rorem cœli excipiens, 505
Vt omnia Verbo fiat, facta ſunt, ſic Verbo Mariæ refecta, 508
Reflexiones argumento congruas habes, à 511. ad fin.
Tentatus quomodocumque, cum Maria reſpondeat, quomodo fiet iſtud? 515

Cuſtodiat ſe timore,& amore Dei, 515
Ordo Equitum ſub titulo Annuntiatæ Virginis, hoc die inſtitutus, à quo & propter quid, 518
Mariæ Elogia.
Firmamentum eſt, 2
Candelabrum aureum, 92
Admirationis filia, 192
Et filia, & Mater Chriſti, 668
Aurora, ibid.
Prima lux de qua Sol formatus, 193
Mulier amicta Sole, cum duabus alis gratiæ origin. & viſionis, 193 201
Ciuitas à Deo fundata. Iahel & Iudith, ſimilis, terra Sacerdot. exempta tributo, 194 195
Hortus concluſus, Paradiſus malorum granatorum, 196 197
Terra virgo, de qua Adæ 2. corpus, 197. abyſſus gratiarum, 207
Mariæ ſors optima, 413
Tres caſtitatis gradus habet, 697
Maria lucerna inextinguibilis à qua petendum oleum 828.831
Maria veriùs quàm Iuno fabuloſa Aquario, aquis gratiæ præſidet, 854
Erga Mariam deuotio.
Vita in ea quærenda & gratia, 190
Schala eſt & feneſtra cœli, 494
Mariam inuocanti ſalus datur & gratia, 511
Cor Dei, & peccatoris flectit quò vult, 512
Mariæ deuotus, fit caſtus, 513.514
Quâ curâ deuotos excipiat, 518
Theophyli Chyrographum reddere, diabolum compulit, 519
Non rogat, ſed imperat Filio 519
Ad eam, virtutum omnium exemplar oratio, 520
S. *Martini* elogia, 91
Oculus Eccleſiæ, & lampas, 92. & ſeq. 94.96 102
Vas auri ſolidum, 105
Inuitus Epiſcopus ſemper æqualis, 96
Implet bonum opus, non optatum, 97.98
In eo monachiſmum coluit, 98
Circumſpectus, 98
Contemptus & exaltatus, 108
Patiens iniuriarum, 109
Æqualiter lucet omni tempore, 110
Caſtitas eius imitanda, 112. 113
Humilitas item, 106
Ad lucem eius ambulandum, 106
Martini conſecrantis hoſtiam, manus gemmatæ, & globus igneus ſuper caput, 101.102
Intellectus eius illuſtratus, etiam prophetiæ dono, 102
Artes diaboli detegit, 103

Eius miracula, ibid.
Fimbria, cilicia, literæ ſanant. 104
Frequenter Angelos videt, 103
Zelus eius contra Idololatriam, 104
Charitas erga proximum, 105
Martyrium, 104
Martyrium 12. puerorum Choriſtarum; qui vt 12. Apoſtoli Affricani habentur, 176
Martyrium ſupplet baptiſmum, & vtrumque fluxit de Chriſti latere, 288
Ab initio dedicatum in Abel, & inde ſemper fuere Martyres in vtraque lege, 655
Martyrium patientiæ ſubeundum, 655
Item caſtitatis, in ſe, & aliis, 659
Martyrium per liui Abeſtini proprietates exprimitur. 660
Martyrum acta vnde primò ſcripta, 646
cum Martyribus Spiritus S. intrat carcerem, & eis dat patientiam, 832
Martyribus membra cæſa reddentur, & vulnera fortè glorioſa apparebunt in reſurrectione, 585.591
S. *Matthias* ſorte ductus, 413.418.419
Matthiæ electio in Vas honoris, Iudas reprobationis, & inde timor, 414.415.428
Quam prouida eius electio, 419
Ioſeph Barſabæ, id eſt filio creſcenti, quieto, columbæ dono prælatus, 419
Impleuit numerum Apoſtolorum alias imperfectum, perfecit coronam Eccleſiæ, 419.420 421.423
Hora vndecima vocatus ad vineam, nec minus æſtimandus, 425
Ipſe horologij Chriſti fuit hora meridiana, 421.425
Erat, vt etiam Ioſeph ex 72. Diſcipulis, 424
In Iudæa & Æthyopia prædicauit, 424
Lapidatus & truncatus eſt, 425
Docuit cum carne luctandum, & animā alendam ſtudiis ſapientiæ, 437
In Patronum eligendus, quē miles quidam ter ſortiendo reiecit, 425
Vide v. ſors.
Reflexiones morales habes à 428. ad 438
Mira tria, vnio Verbi cum carne, Virgo Mater, vtriuſque fides, 296
Miracula Virtuti poſtponenda, 110
S. *Monica* filia Facundæ & mater facundiſſimi Doctoris & Epiſcopi, ab Epiſcopo, docto facundo laudanda, 694
S. Monica vnica & ſingularis columba, imò & Phœnix in omni ſtatu, Virgi-

nis nuptæ , Viduæ , fuſè probatur, à 695. ad finem: maximè ſimilis columbæ Noë , vna ſemper & indiuiſa , 698.699
Spiritui ſancto nupta qui ſpecie columbæ apparuit, 700
Monica Virgo à puero noctu orat. 701
Partem prandij dat pauperibus, 702
A Deo parentibus ſubdita, 703
Nupta vna columba viro grata, 703. paſſa, & lucrata adulterum & gentilem, ornata moribus, 705. 706.707
Monicæ lingua pacifica, 708 709
Deum ſpirans in conuerſatione colūbæ ſimilis perfuſæ balſamo, 709
Nouo Affricæ monſtro columba genuit Aquilam, 710
Quæ cura illi filiorum, 710. 713
Viduarum exemplar, columba monogama, 712.713
Habitum nigrum Mariâ reuelante induit, 713
Per Mandragoram figurata, 713.714
Non iam columba, ſed Phœnix, picta in emblemate Bonæ Sabaudiæ, 715
Viſione Beatifica potita ante obitū, cū firma fide reſurrectionis, nil de ſepultura, ſed anima ſola ſolicita, alligata ſacris altaribus, 716.717
ad Monicam oratio, 718
Reflexiones habes mixtas, doctrinæ.
Motu creaturæ perficiuntur non Deus, 783
Mulierum contubernia periculoſa iuuenibus, 268
Mulieres indutæ vt proſtitutæ, 513
Mulier abſente viro ſit caſtior, 698

N

Athanaël à Chriſto laudatus, 680
S. *Nicolai* Epiſcopi ſumma laudum, 174
Sobriè ad ſe, piè ad Deum, Iuſtè ad proximum vixit, 174
Sobrius à mamma abſtinēs, Adamo melior ; ratione potitus ab vbere, 176. 177
Caſtitas , & eius cuſtodia, 178
Pietas, peregrinatio, Abbatialis dignitas, Epiſcopalis electio. Concilio Niceno aſſiſt. miraculum grande pro fide Trinitatis, in quo Dauidi ſimilis, 181. 182
Miſericordia in pauperes, & Iuſtitia, 186
Media Hyeme ſe expoliat, 187
Vt ſerpens ſcytala, ibid.
Oleum manat ex eius ſepulchro, ibid
Nomen ad quid imponitur,

Digitized by Google

350
Nominis memoria ſtulta vanitate quæſita à Babyloniis, Phryne, cæteris, 348. 349
Nomen, fama eſt, 352
Nuptiales faces, 317
Nubere hæretico, vel gentili quàm malum, 703. & ſeq.
Nuptæ moribus pluſquam veſtibus, placeant viris, 705
Ancillæ virorum, 708
ad Nuptias Virginis vocati pulchris veſtibus virtutum induantur, 511

O

OBedientia reſiſtentes in duris ſimiles vxori Loth, & ſali Ciſton. 170
Obedientia eſt indifferens ad omnia, 517
Oblatio facienda Virtutum, & vitia Deo immolanda, 139
Oculi feneſtræ mortis, 178
Olea flores æſtate hyeme fructus producit, 187
Opera bona iuſti Deo tribuunt, 88
Opus bonum & Dei, & noſtrum eſt, 431
Orans & petens mala exauditur non obtinens, 90

P

PApa ſumma dignitas, & Sedes, 472
Paradiſus, igni, & aqua ſublatus, 27
In eo Eua Virgo, 128
Paſsiones ſpecies virtutum induunt, 290
Pauli conuerſio ad ſalutem inſtar ſerpentis fulminati, 369
Hoc die nati ſaliuâ curant ſerpentum morſus, 370
Conuerſus eſt oratione Mariæ, 370
Conuerſio eius in quo mirabilis, 375. 384
Quomodo fuerit primus peccator, 375. & ſeq.
Alter Saül, Lupus, Benjamin, abortiuus, 377. 378. Chryſtallus, nix indurata, ſalum, infernus, mirabiliter conuerſus, 379. 381. 382. ſanctis prælatus, 383
Ante Martyrium cœli compos, 378
Cœlo melior, pro quo ditando conſumptus Chriſtus de cœlo deſcendit, 384. 388
In conuerſione Pauli ſpes peccatorum, 373. 389. & ſeq.
Ex conuerſione Pauli reflexiones, 389. & ſeq.
Pauperum conſolatio, Chriſtum habere conſortem, 90
Pauper totum Chriſtum poſſidet, 560
Pauper libenter fert diuitis onus, 569
Peccati originalis damna, 190
Ruga eius in cruce extenſa, ibidem.
Peccata ſunt vulpes cauen-

dæ, & parua vix nata extinguẽda, & nulli mortali parcendum, 292. 293
à Paruis, ad magna venitur, vt Manichæus à muſca ad Elephantem, 293
Peccatore de nullo deſperandum, 739
Conuerſus relapſum caueat, & Dei deſertionem. 742
eget Perpetuâ gratiâ quæ non eſt ſimilis medico vel aratori, 743
Peregrinus & aduena quis, 547
Peregrini ſumus omnes, 547 557
Abelem non Caïm ciuitatem habentem imitemur, ibidem.
Peregrini veri, qui, 560
Peregrinum ſe agnoſcere, gratiæ Dei eſt, cùm infideles ſint terrigenæ, 561
Peregrinus viam quęrit, & deuia vitat, 562
Triſtatur longè abeſſe à patria, & cantu tædium leuat; & Chriſti licet inuiſibilis ſocietate, & ſpe perueniendi, 566. 567
Abſtinet à carnalibus deſideriis, vtitur rebus per modum tranſeuntis, exonerate ſe ſuperfluis ſuper ſocium, habitum ſolum neceſſarium portat, ſi obdormit in via, greſſum duplicat, 568. 569
ſemper progreditur, non retrocedit, multa ei pericula immirent, 570. 571
Peregrinus omnis pœnitens, 570
Nox tempus infauſtum Peregrino, 571
Peregrini hoſpitio excipiendi, in quibus Chriſtus excipitur, 571
De quo exemplum, ibidem.
Peregrinis aptatur ſignificatio nominis Lucæ. i. manè conſurgentis: & Cleophæ, id eſt, congregationis feſtinantis, & augentis cõſilium, & Emmaüs, id eſt vrbis victoriæ, dicta modò Nicopolis, 570
Peregrinis omni tempore fauet Maria, 548
S. *Petrus*, petra de qua fluunt aquæ viuæ, 861
Philippus Apoſtolus, in Sardonyche fundamento Ieruſalem expreſſus, 666
Significat os lampadis, vel lampadum & pharus eſt, 678. 680. item os manuum, 683
Natus Bethſaida, id eſt domo Venatorum ſtatim venatus eſt ſagaciter Nathanaëlem; id eſt, donum Dei, & Gentiles, 678. 679. 682. 683
Vt Chriſtus ſuper candelabrum crucis, 683
Crucis eius emblema in nũmo Philippi Sabaudiæ, 684
Theodoſius Eugenii victor auxilio S. Philippi, 685
Reflexiones morales, à 684. ad finem.
Phœnicis hiſtoria vera, 695
Phœnicibus, hoc eſt rebus

Digitized by Google

ſingularibus plena eſt natura, gratia, gloria, 695
Pietas quid, 185. ſumitur pro miſericordia, 186
Poenitentia ad quam Deus multimode vocat, non eſt differenda, 767
Prædicatores pede recto & maturo procedant, vt boues, 622
Præſagia eloquent. Platonis & Ambroſii ad diuitiarum Croeſi, 177
Prophetæ dicti videntes, 278
Prophetia neceſſaria Eccleſiæ, 323
Pudicitia æditua templi Dei, & virtus cœleſtis, 514
Purgatorium, non fit per Teletas Platonicas, 28
Purgatorium non agnouit Porphyrius Chriſtum, nec hæretici noſtri, 29
Purgatoriū triduanis Ægypti tenebris figuratum, 26. cauſæ tenebrarum, 30.31
Purgatorium in gladio Cherub expreſſum, 27.47
Eius ignis obſcurus & ardēs, pœnam damni & ſenſus exprimit, & quanta ſit vtraque 32.& ſeq. Vmbra inferni, 31. & 42
Non ſimilis fornaci trium puerorum, 31
Pœna grauiſſima ignis, 34. 40.quomodo agat in animas, 36.& ſeq, 42
Eius carcerem pauci euadūt, 43
à dæmonibus purgantur, ibidem.
Ibi quadrans minimi peccati ſoluitur, 44. & quantum ſit debitum, 46
Purgatorii animæ de ſuis queruntur, 41. & ſeq.
Orandum pro illis, & dicendæ Miſſæ, 42
Maxima miſericordia, 46
& agendæ Pœnitentiæ, 42
Stulti qui ligna ſibi colligunt purgat. fomenta, 45
Tribulationum patientiâ vitatur, 45

R

Raritas dat pretium gēmis, 296
Ratio res diuina, 199
Religioſa vita, Apoſtolicæ non impar, 222
Religioſi, Eſſeni, ſiue Ieſſæi naſcentis Eccleſiæ, ſancti dicti, contemplantes, Rhecabitarum genus, S Marcum habent authorem, 634. 635

S

Sacerdotes inferiores Epiſcopis, 616
Sacerdos eſt, qui ſe Deo conſecrat. 239
Sacramentorum virtus non impeditur nequitia miniſtrorum, 336
Sacrificium Miſſæ, æquè gratum Deo, ſicut crucis, 601
In eo victima ſalutis peccata ſoluens offertur. 717
Sacrificium eſt omne opus bonum, 236

animæ oblatio Deo facta, 118
Multi tardè Deo ſe Sacrificant, 138
Sanctorum peccata non tacenda, 208
Quod Sanctis impenditur, Chriſtus ſibi imputat, 272
Sanctorum reliquiæ ſubaltari, 285
Sanctorum corpora erunt ſolida & clara, 858
Sancti diuerſi ordinis, 157
in Sanctis laudatur Deus, 92
Sanctorum vitam ſcribere vtile, ad exempla noſtra, 93
Sancti imitandi, & orandi, 25
ad Sanctos oratio, 25
Saphyri proprietates, 158
in Saphyro imago cælata veritatis pendula collo Ægyptij Sacerdot. 164
Saron pubertas, abundantia, 441
Scriptura ſacra Liber Cantici Cant ab Hebræis ante annum 30 non legitur, 298
Scytala ſerpens hyeme pellem excutit, chyrotecis aptam, ex eo literæ occultæ dictæ, 187
Senſus externi, & cupiditates ſunt portæ mortis, 715
Sunt hœdi petulci, 743
Seruitus peccati omnes grauat excepto Chriſto, qui liberos fecit, 772. 773
Simonia reprehenſio, 76
Societas bonorum non deſerenda, nec communis Eccleſiæ ſenſus, 219
Sors quid, 413. 416. 417. 418. 427
Sors Dionyſij Tyranni, 419
Sorte electi Sacerdotes Syracuſani, 419
in Sorte quid cauendum, 427
Sortes triplices, ibid.
poſt aduentum Spiritus S. ſortes in electionibus non mittuntur, 428
Sors electorum & reproborum ex iuſto Dei iudicio pendet, 431
Sorte vocati ſumus, ad tunicam Domini ſorti expoſitam, 417
Sors noſtra latet ad humilitatem, & emblema de ea 434. 435
Sortes eductæ de eburnea pixide, pro Regibus, 171
Specula in templum portari ſolita à mulieribus & cur, 396
duo faciunt Speculum, 398. 401
Speculis Archymedis mulieres ſimiles, 407
Viri quoque vtuntur, vt placeant, ibid.
Specula ſeruiunt moribus ornandis, 408. maximè in B. Virgine, ibid.
Speculorum vanitas, 409
Speculum animæ ſeruandum 411
Speculum in templo Cereris ſolas Deorum imagines repræſentans, 410
In proceſſione Iſidis ſpecula

Digitized by Google

portata humeris, 412
Speculum Dei Angelus, 411
Omnis cognitio fit per ſpeculum, 397
Specula ſunt omnes creaturæ, 399
Verbum in gloria ſpeculum eſt & non per ſpeciem videtur Deus: ſpeculum eſt neceſſarium, & voluntarium, 400
Spiritus ſancti feſtum præ cæteris ſanctorum feſtis colendum, 800. Hunc colimus, non ignem, vt Gentiles, 820. à facie Patris, id eſt, Filio ignis, Apoſtolos vt carbones accendit; ſed Mariam præ omnibus vt carbunculum, 800. 801
Ignis à Chriſto gygante miſſus diuerſos effectus produxit, 802. 803
Mira in Apoſtolis fecit, 856
Eccleſia Liparæ inſulæ ſimilis poſt ſeptem hebdomadas ignis feſtum renouat, gratior Synagoga feſtum colente ignis ſacri; qui linguas vniuit, 803. 804
In dedicatione veteri, ignis in formam Leonis de cœlo ruens victimas vorauit: & ſpiritus ceruos Apoſtolos, fecit Leones, & oſſa Chriſti ſuccendit, 804. 805. 806
Vt lex ſeruitutis in Sina in igne, ſic in Sion regiæ libertatis, & timoris caſti de ſeruis Apoſtolos reges fecit, 803. 806. 807. 809. 810
Spiritus ſanctus in emblemate Friderici, libris Sybillæ, & cautionum Hadriani expreſſus, & numero Pentecoſtes, 811. 812
Spiritus ſancti proceſſio & miſſio per Seraphim Eſaiæ 813. 814
Per virum ingreſſum mediũ rotarum Ezechielis; & regionem Lyciæ flammas ructantem, 814. 815. per fluuium igneum Danielis, 817. ſupra fornacem Babylonis, 817. 818. 819. exprimitur.
Spiritus ſanctus author donorum, 819
Reflexiones morales habes à 820. ad fin.
Spiritus ſanctus non coactè, non fraude Promethei; ſed ſponte miſſus de rota ſolis, 815
Spiritus ſanctus vt lingua medici, poſt Verbum, ægrotos viſitauit, Vicarius Redemptoris, æqualis tamen, & operum eius conſummator, 816
Non ſubterraneus igneus amnis Platonis ſed ſupernus, 817
Ignis proprietates in eo, 820 821
Tria confert, & quæ, 825
Terrore præparat ad amorem, & zelo accendit ſalutis proximi, 825
Oratio ad Spiritum ſanctũ, 826. 827
Spiritus ſanctus lampas prælucens nobis non extinguenda, ſub graui pœna, 828. 831
In colũna nubis, & ignis fi-

Digitized by Google

guratus, 829. 830
Spiritus, an, quomodo & à quibus extingui poſſit & contriſtari qui apatos eſt à 832. ad 839. fuſiſſimè.
Reflexiones præclaras habes, qui, quoties, quâ culpâ, & pœnâ extinguant Spiritum, & quomodo lampas debeat viua ſeruari, à 839. ad 849
Oratio ad Spiritum ſanctum ibidem.
Spiritui ſancto ignis & aqua licet contraria conſonant, in quo velut in Epyro faces accenduntur extinctæ, 853
Ab eo ignem & aquam recipimus, licet vtroque ſint exules interdicti, & ignea romphæa arceat à fonte Paradiſi, 854
Spiritus idem in ſignis diuerſis, 854
Fluuius eſt aquæ viuæ æqualis fonti, 857. & ſeq. 861
In eo ſolidamur vt proiecta in quaſdam aquas, 859
Similis venis aquæ vinoſis inebriat, viuificat, fœcundat vt Nilus, cuius fragore mutauere ſedes Apoſtoli, 862.863.864
In eo potus, & eſca, 859
Vt origo Nili, ſic Spiritus ſancti ignota Gentilibus qui vt Magi Pharaonis deficiunt in tertio ſigno, 860 & ſeq. Iudæum tamen & Gentilem alluit, 861
Vt olim in electione Regum calix aquæ dabatur; ſic Apoſtolis regibus congregatis. 861
Spiritus ſancti ſeptem dona, Nili oſtia, 866. ſeptemque gradus ad portam templi, 867
Impetus eius rigat cœlites, 868
Spiritus aqua ſimplex, ſed pretioſa, ſymbolum quo vtitur, magis honorandus quàm aqua credita à Philoſophis omnium principium, 870
Reflexiones habes morales, à 869. ad fin.
Oratio ad Spiritum ſanctum 879
Spiritus ſanctus cur ſpecie columbæ, cuius nomen Græcum in numero æqualitatem eius & diuinitatẽ ſignificat, 699
Non eſt imago vi originis formaliter; licet ſigillum, ſignum, & character dicatur à Patribus; quo ſignati ſunt prædeſtinati, non vt ſerui, aut oues, aut Iudæi; ſed quia Sponſus, & Iudex viduarum, cor, corpus, animam ſignat, & nos etiam in reſurrectione Chriſto cõformet, 834.835.836
Spiritus ſanctus in aquis gratiæ de Maria Delphinum produxit, & Phœnicem, 720 721
Ei opus Incarnationis tribuitur, 227
Spiritui ſancto ſacer dies ſe-

ptimus & numerus Virgo indiuiſibilis, cui vt cauſæ omnis boni operis gloria integri reddenda eſt, 842. de Verbis & factis bonis, 845. & ſeq.
Spiritus probandi, ne malus irrepat ſpecie boni, 516
Sponſa coronatæ, 718
Sponſa viri nomen ſumit, 141
Stellæ ſoli Deo numerabiles, 1. 5.
Stellis congenitum lumen, 194
Planetarum motus duratio, 125
Athenienſes aram Lucifero erexerunt, 345
Stellæ non ſunt fatales aut Chriſto, aut nobis, 346
Ordo ſtellæ Equitum contemptus, 345
Stephanus fructum accepit Dominicæ Paſſionis, & cytharam audiuit ſuaue ſonantem, 240. 242
Aderat Chriſto morienti, & ſe ei conformauit, 240. 242. 243. 244. & ſeq.
Lapis primarius, 243
Eadem cauſa cum Chriſto paſſus, 246
Ouis eius pediſſequa, 247
Supra Dominum ſpecie Angelica, ibid.
Ab eius deformitate formoſus, ibid.
Par, Angelis & Moyſe & Apoſt. maior, 245. 246. 247
Canticum nouum excepit de ore Chriſti, 248
Eius elogia, ibid.
Primus imitator Chriſti, 691
Habes Reflexiones morales ibidem in ſecunda parte.
Struthio ſanguine vermis Zamir rupit vitreum pulli carcerem, quo & lapides templi Salomon ſecuit, 244
Symboli articuli à ſingulis Apoſtolis traditi, 163

T

S. THomas *Apoſtolus*, abyſſus gemina infidelitatis, & gratiæ, 206. 207. 208
Excuſatur à multis, 208. 210
Cum Petro præſumpſit, 208
Incredulitas conuincitur, 209
Vtilis nobis fuit, 215
Abyſſus factus per gratiam fidei, 211
Manum theſauro impoſuit, & nobilem locum in Chriſti corpore accepit, 212
Didymus & geminus confeſſione, 214. Optimus Theologus, 585
Thomæ tribuitur artic. ſymboli; carnis reſurrectionem; cuius fuit prædicator, 215
Martyr fuit lanceâ in latere percuſſus, 215
Reflexiones morales habes, in ſeq.
Titulus Pſalmi vnde dictus, 255
Traditione etiam Apoſtoli vſi ſunt, 617

Digitized by Google

Tribulatio peccatori conuerſo vertitur in coronam, 609
In tribulatione conſtans Teſtudini par. 656
Trinitas, eſt menſura, numerus, & pondus, 2. & ſeq.
Trinitatis fides expreſſa in ternis gemmis rationalis, 616
In tribus diebus itineris in deſerto, & Trinitas myſteriorum, 881.882.888
Vna eſſentia & gloria in tribus perſonis, cuius fide nixi ad gloriam viator peruenit, 883
de Trinitate ineffabili loqui difficile, & periculum ſcrutari, 883. 884
Trinitatis via ſācta, generatio vtraque Filij, 885.886. & productio Spiritus S. 887
Via ſancta quæ Angelos ſanctificat, & homines in baptiſmo, 888
Trinitatis via auguſta probatur emblemate, ratione & miraculis, oraculis Prophetarum, 891. 892. 893
Ineffabilis & incomprehenſibilis via probatur, 893. 894. 895
Tres panes ſubcinericij hoc myſterium ſignificant, 896
Trinitatem meliuſne ſit, cognoſcere an diligere: 896. 900
Vnitas eſſentiæ diuinæ probatur ratione, & exemplo animæ rationalis, 897. & ſeq.
Trinitas perſonarum probatur, & earum æqualitas, ratione, & miraculis, 898. 899
Trinitatis opera ad extra, ſunt indiuiſa, & quæritur, cui perſonæ, plus debeamus, 901.902.905
Reflexiones habes, à 907. ad fin.
Trinitatis imaginem acceptam ipſi referre debemus & corpus à Trinitate factum ad imaginem Chriſti, 907. 908
Cui & homo exterior conformari debet, 909
Trinitatem, & Vnitatem, quomodo in nobis exprimere debemus, 911
Tres Virtutes Theologicas, tria peccatorum genera Trinitati ſacrificare debemus, 911. & ſeq.
Trinitati ſacrificanda peccata cogitationis verbi & operis, fragilitatis, ignorantiæ, malitiæ, 913
Tres item dies pœnitentiæ, 314.
Trinitatis teſtimonio ſecura mens iuſti, vt Suſannæ, 913.
Diabolus tres vias obſidet vt nos intercipiat, 913. & ſequens.
Trinitate virtutum fidei, ſpei & charitatis omnia ſuperamus, 915
Oratio ad ſanct. Trinitatem, 915

Digitized by Google

V

Verbum Patris vnicum ſemel dicitur, 264
Scriptis potius ſimile quàm verbis, 265
Verbi Dei efficacia, 740
Quomodo prædicandum, & à quibus, habes fusè in Præfatione.
Verba talia, quale cor, & bona eructanda communicanti, ſimili porro nectar in horto ructanti, 276
Veſtalis morte mulctabatur ſi ignem ſinebat extingui Veſtæ ſacrum, 850
In via Dei tria hominum genera, in ea aliqui procedunt, alij retrocedunt, 657. 658
Victima maxima Antiochi, 120
Vidua altare & ſacrarium Dei, 712
Eius ſymbolum columba nigra, 713
Item Mandragora, 713. 714
Virginitas virtus cœleſtis, 118
Olim maledicta ob ſpem Meſſiæ pariendi, 126. 127
Nunc frugifera, 311
Virgines ſunt Chriſti Sacerdotes, hoſtiæ, nouaque eius familia, 701
Virgines poſt Mariam ſequuntur agnum, 129
Habent in fronte nomen agni, 130
Earum priuilegia, ibid.
Proximæ ſunt, quia ſponſæ, 131
Virgo à virtute dicta, 132
Virginum nomen melius omnibus, 366
Nomen agni portant in frõtibus, 368
Virgines cum Maria, pœnitentiæ & omni virtuti vacent, 133
Ad eam media, & exhortatio, 134
Deo ſolide hoc dono grates referant, 133
A Maria in iudicio Virgines Chriſto præſentandæ, 134
ad Virgines gratulatio, 366
Virgines ſemper pauidæ theſauro ſuo inuigilant, 515. & ſeq.
Velamen pro galea habeant, pudicæ non ſunt ſi videri volunt, 702
Viſio & cognitio triplex, 398
Ænigmatica; 399
Viſio Chriſti & Dei quàm optanda, 692. & ſeq.
Vita ſiue longa, ſiue breuis, ſit bona, 393
Vita contemplatiua iungenda actiuæ, 58
Vitam beatam nemo non vult, 465
Vltio impatiẽtiæ ſtimulus, 251
Non petenda, 252
Deo immolanda, 250
Ante Chriſtum non ſumenda, 249. 250
Voluntas mala mutabilis in bonum, 89

Z

Zelus gloriæ Dei, & ſalutis proximi, 155. 687
Zelus diabolicus proximum ad peccandũ prouocat, 171

FINIS.

Digitized by Google

Ad Lectorem circa Errata monitio.

Deum ſolum, Lector Beneuole, ſcis irreprehenſibilem; & nos homines in multis offendere. Neque me erroris immunem fateor. Quantum tamen humanitùs potui, ab erratis caui; & præter Typographi correctorem, alterius operam numeratâ per ſingula folia octo ſolidorum pecuniâ locaui. Sed dum Indicibus per meipſum vacaturus, totum opus relegentem ſocium audiui, non pauca irrepſiſſe comperi. Sed miſſis cæteris, quæ vel Grammatici facilè corrigant, quòd vocalium immutatio ſolæciſmos, & conſonantium, barbariſmos faciant: & vnius tituli defectus, ſingulare, pro plurali, maſculinum pro fœminino, mendoſè ſcribat; inuerſio literarum aut mutatio pariat barbariſmos: & numeri frequenter à Typographis varientur; retexo quod in Præfatione præmiſi, me ex fontibus S. *Scripturæ & Patrum omnia decerpſiſſe & in autographo fideliſſimè libros, capita verſuſque citaſſe. Quod itaque omiſſum in textu, vel ſenſu perturbato eſt poſitum, ſic repono legendum.*

Tomo hoc primo, p. 7. comitatur, quî poterat. 11. leuior à. 15. homines, 16. vixit. modulatam. 17. modo eſt; 28. aut nihil. 30. redderem. 33. pepercit. 38. quidquid ſit. 44. quantus terror. 45. canali. 46. dixeram. 57. ſurdis. 58. nec alteri. Pij 4. 65. non ita. 74. quanta. 82. & nos, 93. venatores. 96. occuparet, ratus. 98. domui ſuæ. 104. comminiſtris. 108. ardeam. 112. ei familiaris. exanimi. 179. cibi. 198. immerſa. 201. ſit. 214. operta. 242. in perfecta. 245. poſt Chriſtum agnum. 245. duxit. 264. immerſus. 282. in vecte. 292. batti. 352. ſimul. 354. & hominum. 366. non peribit. 369. diſcretio 377. eſt. 380. omiſſum. ſecundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei. inter lapidatores ſancti Stephani. 409. nunc 422, diluculo. 430. iuxta. 434. iuſtitia punientis. 435. adiiciat. 439. facturus, 444. negotiandi more, quo. ibid. reducis. ibid. Damaſceno, 452. dele primam lineam. ibid. infecti. 457. oſtium. 460. honorare. 467. promereretur. 470. quæ Angelo conſenſum præbuit. 482. omiſſum. ſed cuius

fabri. 488. ſcirent. ibid. quæ byſſus. 492. qui adoptaretur. 495. ſanguini. 509. potentius. 535. mortis. 538. quidni. 538. dele, cui. 544. iſthic. 576. Conſentio. 578. redactum. 590. ſigna. ibidem. à Deo. 590. apparendo. 591. erunt. 601. ſed &. 609. apertæ, 613. non. 617. ceu gladio. 623. Nam. 639. humilitatis. 650. protulit de. 708. ſecunda pars moralis. 714. verſam in 718. tuorum. 724. vinceretur. 741. perfecit. 750. inferi. ibid. à Iudæis, 774. omiſſum. id eſt ſplendore, & apogeo. 800. cultu. 818. omiſſum. ſoluit. 828. non ſufficiat. 830. tunc non. 844. donum. punitio. quiſque amiſeram. 845. incuruaui. imputaui. 862. ô Lamuël.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

7-3

Digitized by Google

Digitized by Google